


Ziner, Jos

# APPARATUS ERUDITIONIS

PRÆSERTIM
AD

# JURISPRUDENTIAM,

In quo
Præter Juris Univerſalis Principia
JUS NATURÆ, GENTIUM, DIVINUM,
APOSTOLICUM, & PONTIFICIUM, JUS SYNODALE
OECUMENICUM, NATIONALE AC PROVINCIALE,
Unacum
Provinciarum ac Regnorum Eccleſiaſtico & Politico Statu,
Diſciplina Eccleſiæ, Hæreſibus exortis &c. continua ſæculorum ſerie
ad præſens usque tempus deductum, inſertisque pro re nata multis
obſervationibus criticis, ac controverſiis juridicis,
Publicis, ac Polemicis,
*METHODO HISTORICO-DOGMATICA*
colliguntur, & brevi ac clara idea delineantur,
In utilitatem eruditionis amantium, quibus vaſta Conciliorum, Decretorum,
Hiſtoriarum &c. volumina perlegendi aut occaſio aut tempus deficit,

AUTHORE
P. JOSEPHO BINER, S. J.

PARS VIII,
Complectens
STATUM ECCLESIASTICUM ET POLITICUM GERMANIÆ ET GALLIÆ SÆCULO XVII.
Accedunt
HISTORIA JANSENISMI, ET THEOLOGIA JANSENISTICA,
CONTRARIA THEOLOGIÆ S. AUGUSTINI.

*CUM APPROBATIONE.*

---

*Auguſtæ Vindelicorum & Friburgi Brisgojæ,*
Sumptibus Fratrum Ignatii, & Antonii Wagner, Bibliop. MDCCLXII.



# PRÆFATIO.



Habes tandem, amice lector, Partem VIII apparatus ad eruditionem, curis aliis & laboribus sæpe interpolatam, nec alias ferme res, nisi Germanicas & Gallicas complectentem.

Quod ædificium & œconomiam operis spectat, fateor, me non modicam materiam ex alieno, publici tamen juris facto, convexisse; neque tamen propterea plagii me reum credo, cum auctorem laudem, & apparatum eruditionis profitear, quæ non nascitur nobiscum, sed multa lectione comparatur. Unde neque nomen compilatoris horreo; cum historiæ ratio id exigat, ut scriptor, quæ non vidit, ab aliis hausta referat. Quam ob caussam sæpe utor oratione indirecta, ut pateat, referri a me relata ab aliis; quæ sane res est innocua.

Hac fiducia narro plures celebriores controversias, uti Donavverdanam, Juliacensem, unionem Protestantium, ligam Catholicorum, variaque partis utriusque consilia; tum motus Bohemicos, totumque bellum tricennale, per instrumentum pacis Osnabrugensis finitum, quod commentariis & observationibus expenderam, sed temporum delicata conditio, & censorum meorum sollicitudo, editioni remoram injecit.

Hinc breviter tantum, ne hac parte manca omnino sit tractatio, historiam pacificationis, ipsumque instrumentum, atque executionem Norimbergensem attingo. Posteriora dein Ferdinandi III, & Leopoldi M. tempora prosequens, capitulationes Cæsareas, recessum imperii novissimum, varia bella, pacificationem Neomagensem, Risvicensem &c. exhibeo.

Ad Galliæ dein sæculi XVII statum, ecclesiasticum & politicum, exponendum provectus, bella Hugonotica aliaque interna & externa, pacificationum leges, Calvinistarum e regno proscriptionem, Jansenianam historiam & theologiam, concilia & comitia cum variis observationibus repræsento, reliquorum regnorum statum, uti etiam acta præsentis, quod vivimus, sæculi XVIII, ad Partem IX reservaturus, cui plenus IX partium Index subjicietur.

Illud

Illud denique lectorem benevolum iterum monitum velim, longe aliam, dum ad hunc eruditionis apparatum compilandum me accingerem, fuisse intentionem. Breviter omnia & ordine æquabili tractare constitui; atque imprimis de jurisprudentiæ principiis in genere, tum de jure naturæ, gentium, divino, apostolico, synodali, pontificio, episcopali &c. in specie: ad eum fere modum, quo Annatus apparatum suum ad theologiam adornaverat; sed crescebat sub manu rerum moles, & velut in densam sylvam, ad conjungendum statum politicum cum ecclesiastico semper magis magisque abripiebar, maxime ubi concilia raro amplius sunt celebrata; quare, si partium proportio & symmetria deficiat, benigne id condonabit. Si vero titulus, cuilibet parti ab aliis præfixus, prolixitate sua offendat, illum ad totum opus pertinere arbitretur, meque apparatum eruditionis tum in genere, tum ad jurisprudentiam in specie scribere intendisse, persuasum habere velit.

Ceterum historiam Germanam potissimum excerpsi ex Adlzreittero, Brachelio, Tuldenio, Brovero, Carafa, Lotichio, Piasecio, Londorpio, Lucio Veronensi, Wagnero, Desingio, Struvio, Ludvvigio, Achenvvallio, Kevenhüllero, Ludolpho, Mascovio, Bello, Hübnero, Forestio, theatro Europ. Puffendorffio, Rinckio, Köhlero &c. qui vel

hiſtoriis, vel annalibus, vel commentariis res Germaniæ ſæculo XVII illuſtrarunt: Gallicam vero ex Gabriele Barthol. Grammondo Toloſano præſide *hiſt. Ludov. XIII*, Joan. de Buſſieres *hiſt. Franciæ*, & *Floſc. hiſt.* Elia Dupino, Claudio Fleuri hiſt. eccleſ. Franciſco de Mezerai *hiſt.* Ludovico Aubery *hiſt. Card. Richelii.* Joan. Clerico *in vita ejusdem.* De la Hode, & Larrey *hiſt. Ludov. XIV*, *Abrege chronologique de l'hiſtoire de France.* Evenemens remarquables ſous lovis XIV, Richard *parallela inter Cardinales Richelium & Mazarinum.* D'Aurigny *memoires chronologiq. &c.* Malingr. *hiſt. Pariſ.* Cornelio Hazart. *hiſt. eccleſ. Galliæ*, Michaele de Vaſſor *hiſt. Franc.*



PARTIS



# PARTIS VIII
## LIBER PRIMUS
## DE
# STATU GERMANIÆ
## ECCLESIASTICO ET POLITICO
## PRIMO SÆCULI XVII DIMIDIO.
## CAPUT I
## DE
## *STATU GERMANIÆ*
## SUB
## RUDOLPHO II CÆSARE.

NOn tam fauſta ac prima Imperatori Rudolpho poſteriora fluxerunt tempora, quippe devexa in ſenium ætate domi velut concluſus, Imperii curas miniſtrorum arbitrio reliquit, torpore quodam hebetante vivacem, qua alias pollebat, indolem. Quare & a Turcis, & Proteſtantibus multa paſſus, ad extremum a propriis ſuis ſubditis deſpectus, & deſertus, in ipſo ſuo fratre Mathia hoſtem expertus eſt. Is enim, cum rempublicam non ſatis gnaviter a Rudolpho geri exiſtimaret, armato etiam milite Hungariam eidem, &Auſtriam, ac denique Bohemiam quoque eripuit, ſubditis ad novum dominum paſſim confluentibus. Sed nihil Principi apprime Catholico acerbius graviusque accidit, quam ingraveſcentia in dies Religionis diſſidia. Sub ipſo ſiquidem jacti cuniculi, in aperta deinceps ac diuturna erupturi bellorum incendia, nec torrente humani ſanguinis reſtinguenda. No-

I. Poſteriora Rudolphi tempora.

vis per Germaniam Bohemiamque sectis hæc debentur, quæ more, non Apostolico, sed turbulento, sævo, hoc est, suo, uti priore sæculo cœperunt, ita isto sunt propagatæ.

## ARTICULUS I.

## *Historica Relatio Proscriptionis Donavverdanæ.*

2. Intrusio Luth. PRimam facem ventilavit *Donawerda*, in Sueviæ finibus ad Danubium civitas. Quæ Boici olim juris, proscripto a Sigismundo Cæsare Ludovico Ingolstadiensi Duce, in liberam Imperii urbem abiit. Anno 1546 a Smalcaldici fœderis sociis occupata, magnam partem Confessionem Augustanam est amplexa, direptum S. Crucis monasterium, prohibiti ritus Catholici, ad Lutheranas conciones coactus civis. At brevi post Carolus V devictis ad Mühlbergam Lutheranis, urbem, expulso Wolfgango Musculo, sacris avitis reddidit. Cumque anno 1552 in bello Mauritiano rursus exturbata fuisset Religio, Cæsar eandem iterum restituit, ipso Magistratu rogante legem, ne quid deinceps novaretur, & civitate Religionis fidem jurante. At defecit constantia; nam postea Lutheranis, quorum aliqui in urbe remanserant, ex mera gratia potestatem fecit, in æde S. Joannis extra mœnia conventus & præconem habendi.

Attentata hæreticorum. Crevit mox audacia. Anno 1553 urgent senatum, ut in templo parochiali sibi locum, & horam, a sacris Catholicis vacuam, concedat; passique repulsam, adversus Transactionem Passaviensem coitione, seditione, minis extorquent. Vix id obtinuerant, cum mutata pro libidine conventus sui hora Catholicos litibus, ac jurgiis vexare, tota parœcia excludere, occupatoque templo principali ad S. Crucis ædem & S. Viti sacellum amandare. Nec his injuriis saturi, contra Pacis Religiosæ placita, & propriam fidem datam, anno 1567 vetant, ne plures ex cœnobitis ad S. Crucem, quam bini funera comitentur, annis sequentibus interdicunt, ne Christi Crucifixi imago, faces &c. præferantur, ne Christo ad ægros deportato honor consuetus exhibeatur, ne ullus Catholicis in urbe sit sepulturæ locus. Anno 1577 aucti jam numero & temeritate legem sanciunt, ut nullus civis coram Catholico parocho matrimonium contrahat, aut prolem baptizandam eidem offerat. Id si fecerit, jure civitatis privandum. Additum decretum, neminem ex Catholicis in senatum deinceps assumendi: omnia contra Pacis Religiosæ sanctiones.

Anti-

Abbas & Epiſcopus ſe opponunt.

Antiſtes ad S. Crucem, ne Lutherani ullum præſcriptionis fucum poſſint aliquando obtendere, primum de injuria ſolenniter apud Magiſtratum eſt conqueſtus, Auguſtani dein Epiſcopi, in cujus diœceſi eſt Donavverda, auxilium imploravit.

Igitur Otto Epiſcopus & S. R. E. Cardinalis anno 1567 ejusque ſucceſſor Marquardus anno 1577, rurſusque 1580 verbo & ſcripto, miſſis etiam legatis, apud ſenatum, interpoſita more juridico conteſtatione Pacis Religioſæ, demonſtrârunt, talibus facinoribus publicæ tranquillitatis jura, pactaque, omnium Imperii Ordinum conſenſu inita, infringi, & in pacis perturbatorum pœnas incurri. Tandemque in comitiis Imperii anno 1594 interpoſita de illis ipſis injuriis querela, impetratum eſt Decretum, quo ſenatus juſſus eſt, quantum fieri poſſit, curare, ut Catholici ritus qua privatim qua publice ſolenne ſuum teneant.

5. Supplicatio turbata.

Paruit tunc quidem Magiſtratus, ſed cum anno 1605 laniones, aliique opifices, atque de infima plebe turbulenti homines in ſenatum fuiſſent cooptati, præconum inſtinctu turbata rurſus eſt res Catholica. Ubi enim Præſul ad S. Crucem more uſuque recepto, citra ullius injuriam, explicatis vexillis, e ſuo monaſterio pro more longum ſupplicantium agmen eduxiſſet, Lutherani dejectis vexillis Præſulem ad monaſterium cum ſupplicantibus redire cogunt. Nec his contentus ſenatus, ritus & ceremonias Catholicorum ſevere vetat: reverſis ad majorum ſacra, aut priſco more celebrantibus nuptias, jus civitatis eripit, igni & aqua interdicit, in proſcriptorum domos Luthericolas inducit, Catholicos, ut cœnam Lutheranam in parochia ſumant, atque liberos Lutherano miniſtro ad baptismum ſiſtant, compellit.

Prima ſeditio.

Declaratio Cæſaris & mandatum.

Indigniora hæc viſa ſunt Auguſtano antiſtiti, quam ut diſſimulari poſſint, aut debeant. Quare eodem anno 1605 a Cæſare libellum *Vadationis*, ut vocant, obtinet adverſus Donawerdanos, eos incidiſſe in pœnas turbatæ Pacis Religioſæ, additum mandatum, ne adverſus Abbatem, aut Conventum, vel Catholicos vi aut propria auctoritate quidquam attentent, aut in ſepulturis, ſupplicationibus, aliisve ceremoniis moleſti iis eſſent in poſterum.

Litis conteſtatio.

Donawerdani anno 1606 libello profeſſi, ſe cauſſæ ſuæ rationem reddituros, interim vero mandato Cæſareo morem geſturos, re cum Proteſtantibus Ordinibus collata, per ſuum Procuratorem, citra omnem exceptionem fori declinatoriam, in aulico cæſareo Judicio litem Pragæ ſunt conteſtati.

Cum autem pro more veteri eodem anno solennis supplicatio esset habenda, consul ac senatus monuerunt Abbatem, ne signis ac vexillis explicatis procederet: secus si faceret, vim passurum. Ille vero Religionis Pacem, Cæsareum mandatum, senatus promissa, Catholicorum jus moremque opponere, hortari etiam atque etiam, ne lite pendente quidquam adversus tot juris præsidia innovarent.

4. Secunda seditio. Furor Luth.

Catholici igitur, ne possessione, longo usu firmata, cadant, supplicationem die solito explicatis vexillis pro more instruunt. Exoritur inconditus Lutheranorum clamor, jactantur probra, arripiuntur ab illis arma, hastæ, sclopi, sudes, strictis gladiis supplicantium agmen invaditur: tria labara discerpuntur, confringitur imago crucis, sequitur lapidum grando, qua ordo comprecantium disjectus in sacram ædem rejicitur.

Altera declaratio.

Atrox hæc tragœdia, cum manifesta pacis turbatione, mandatique Cæsarei contemptu adversus omnia jura moremque, adornata, Augustanum Præsulem permovit, ut denuo ad Imperatoris tribunal confugeret, impetraretque decretum, quo Donawerdani tanquam manifesti turbatores Pacis Publicæ in pœnam *constitutionis*, præsertim *banni*, incidisse declarantur, cum repetito mandato *de non turbando, & non offendendo sub pœna banni & heribanni, & amissionis omnium privilegiorum.*

Bavarus defensor.

Responderunt Donawerdani sub initium anni 1607, Decretum istud *per subreptionem* fuisse impetratum a Cæsare, tumultus nuperi culpam non penes magistratum sed populum, qui frenari nequiverit, residere. Imperator igitur ad comprimendam tumultuantium audaciam, arcendasque injurias, Maximiliano Bavariæ Duci mandat, ut per se, vel per eos, quibus jurisdictionem demandare vellet, Catholicorum securitati in supplicatione hujus anni prospiceret. Dat præterea Cæsar ad senatum litteras clementiæ plenas, quibus monet, Cæsareæ provisionis fuisse, ad defensionem pacis, & servandam Magistratus auctoritatem delegare potestatem defensori, cui debito cum honore morem gerant.

Ergo Maximilianus binos e suis Consiliariis, sex duntaxat, septemve famulis stipatos, Donawerdam ablegat, ut quieti publicæ Cæsaris nomine consulant. At permulti senatorum, se ad eam diem nihil omnino de Cæsarea citatione, nihil de mandatis, aut Bavarica commissione cognovisse caussabantur, populum in eadem ignoratione versari. Aliquorum nempe tergiversatione & prævaricatione clam habebantur mandata Cæsarea, donec biduo ante adventum

sub-

subdelegatorum publicarentur. Verum illa contemptu & probris fuerunt excepta; tantumque abfuit, ut morem gererent, ut nova conspiratione inita in capita Abbatis, Religiosorum, & Commissariorum conjurarent, si supplicantium agmen ducere a tentarent.

Cum itaque die 24 Aprilis pridie Festi S. Marci solennis supplicatio consueta instituenda esset, delegati ad cœnobium S. Crucis e diversorio se contulere, id ubi a plebe animadversum, confestim fit seditiosa coitio a paucis primum, deinde gliscente tumultu a plurimis, denique a plerisque, qui ultro arma corripuerant. Qui domi se continuerant, per vim ad sceleris societatem pertracti. Alii convolant ad curiam, claves civitatis & armamentarii magnis clamoribus exposcentes, alii ad delegatorum contubernium, ad diripiendum monasterium alii: omnes ex Lutherico spiritu tanto animi furentis impetu, ut Magistratus vix aliquod deliberandi spatium exorare potuerit. 5. Tertia seditio.

Ubi paulum ferocia subsidit, senatus delegatis renuntiat, concitatam multitudinem in officio contineri non posse, rogatque, ad vitandum præsentissimum discrimen, a supplicatione, tantopere invisa, abstineri. Visum proin cedere furori, & eandem intermittere.

Quibus ad Cæsarem delatis, in eam itum est sententiam, caussam Donavverdanam citra fori ambages, & processum ordinarium, ex sola facti evidentia posse judicari. Exceptiones vero reorum frivolas, atque manifestam hanc contumaciam adversus tot. Cæsarea decreta rebellioni affinem videri; quare pronuntiatum, Donavverdanos in pœnas, jam ante cæsaris judicio denuntiatas, facto ipso incidisse, earumque executionem a Bavariæ Duce esse suscipiendam. Sententia Cæsaris.

Donavverdani, metuentes caussæ tam malæ, per libellum supplicem Imperatori exponunt, multos civium nuperi tumultus esse insontes: si quid secus egissent, id metu ab inquietis fuisse extortum: Magistratui etiam insanos plebeculæ motus vehementer displicuisse, sed nequivisse cohibere: in duos etiam, qui præcipui visi sint turbarum auctores, carcere animadvertisse: plures cupivisse plectere, sed citra vitæ discrimen non potuisse. Rogare proin Majestatem cæsaream, ut condonato Banni supplicio, parcat insontibus.

His precibus, & qualicunque excusatione motus Cæsar, Banni publicationem differri jubet, ea tamen lege, ut binos illos, quos carceri dederant, judicibus delegatis, reliquos etiam sontes nominent, atque ad quæstionem tradant; cæsarea nupera mandata servent: horumque sponsionem communi civitatis sigillo munitam repræsentent. Publicatio differtur.

Decreto iſto inſtructi delegati a Maximiliano Duce Donavverdam remiſſi, ſenatui provinciam ſibi demandatam aperiunt, per ſex omnino dies hortantes, ut ad officium redeant, ac Cæſari obtemperent. Viſi ſunt interioris ſenatus aſſeſſores inclinari; nam binos illos reos (Schenchium & Goggelium) delegatis permiſere. Id ubi in vulgus emanavit, recruduit ſeditio, inſana plebs arma rurſus corripit, ſpreta Magiſtratus auctoritate civitatis imperium occupat, excubias certis ſtationibus locat, mœnia, portasque præſidio muniunt, binos ex infima ſorte Dictatores creant, conjurant, ſe nihil eorum, quæ ſenatus promiſiſſet, ſervaturos, nec toleraturos, ut vel unus e civibus quæſtioni ſubjiciatur. Sic delegatis, ludibrio habitis, niſi perire vellent, re infecta abeundum fuit.

Quarta ſeditio.

Cæſar, ne quid intentatum relinqueret, quo contumaces calamitati eriperentur, cauſſæ cognitores Rheinam, propinquum Donavverdæ Bojorum oppidum, ire jubet, & rurſus tentare pacem. Neque enim latebat, refractarios conſilia cum finitimis Principibus, & civitatibus, quorum ſuppetias rogarant, miſcere, & magnis promiſſis ad audendum incitari.

Offertur iterum gratia.

Adſunt Donavverdani Rheinæ ad condictam diem, proponuntur mandata Cæſaris, fit ſpes veniæ, ſi morem gerant, atque permittant in auctores turbarum quæſtionem haberi. Reponunt illi, ſe nihil absque totius civitatis aſſenſu poſſe promittere, venirent delegati Donavverdam, illiusque ſenſum requirerent. Eo igitur regreſſi in monaſterio divertunt.

6\. Quinta ſeditio.

Oppidani feram velut in caſſes actam ſibi gratulantes bacchari, tumultuari, probra jacere, minari. Viſum proin delegatis, caput ſuum furori, Cæſaris auctoritatem contemptui ſubducere; unde ſub lucis ortum aliis immiſti clam evaſere.

Cæſar mandat publicationem & executionem.

Tandem omnibus clementiæ remediis incaſſum conſumptis, jubet Cæſar (*anno* 1608) Maximilianum ad toties declaratæ proſcriptionis publicationem & executionem procedere, niſi civitas extemplo obediat. Deputati igitur Donavverdanis ſignificant, quo loco res eſſet, atque obteſtantur, ſe ipſos reſpicerent, & proſcriptionis calamitati civitatem ſubtraherent. At fruſtra preces & minæ. Illi, Proteſtantium, & præſertim Ulmenſium auxiliis confiſi, atque a Rhotio Neoburgenſi, & Wurmio conſule incitati Rheinam delegatis reſcribunt, ſe non paſſuros, quemquem civium, præterquam urbanis judicibus, ad quæſtiones dedi, neque antiquari ea, quæ contra Catholicos eſſent conſtituta. Malle ſe adire proſcriptionis incommoda, quam quidquam cedere. Moxque depoſito ſenatu veteri

(quan-

(quanquam multi ex illo vesaniæ essent participes) novum creant, cives armant, in mœnibus excubias locant, atque omnia ad bellum apparant. Lustrati cives, ad arma inventi idonei circiter nongenti; Sexta seditio. delectus habiti e vicinis; implorata civitatum auxilia, pontis Danubiani compages soluta, ut illico dejici possit; suburbanæ domus, quæ Bavariam spectant, dirutæ; mœnia loricis & propugnaculis munita; cives sacramento ad urbis propugnationem adstricti; ex agro vicino annona certatim invecta, omnia Martem spirare.

Insanabilem furorem conspicatus Bavarus Cæsareum Fecialem misit, qui pro portis civitatis ritu solenni Imperii Banno illigatam palam denuntiet; ejus cives reipublicæ hostes, Pacis Publicæ violatores, aqua & igni interdictos, omni clientela, Imperii benefi- Bannum. cio, bonorum societate, commercio exuat, exponatque tum corpora, tum fortunas omnes liberæ omnium offensioni, & passim, Ulmæ præsertim ac Nordlingæ, luce palam programma proscriptionis affigat.

Quamvis autem tum Stutgardiæ, tum alibi varii Protestantium conventus sint habiti, qui ope communi Donavverdæ defensionem sive armis sive forensi patrocinio erant suscepturi, jamque non contemnendum militum numerum sub signis haberent, nihilominus Maximilianus ad executionem intrepide processit, & ne flam- 7. ma ulterius serpat, celeritate utendum ratus, rigente bruma exer- Obsessio citum, magnis ærarii sui sumptibus conscriptum, educit, severe urbis, vetans, ne miles prædas agat, aut cuiquam insonti ulli sit nocumento, cujus edicti violationem Moserus centurio capite luit.

Castris ad Donavverdam positis, dispositisque circum tormentis, atque postulata deditione, detumuerunt illico elati spiritus, petitæ induciæ, sed negatæ, ne auxiliares copiæ interea veniant. Conditiones deditionis. Missi proin ab oppidanis, calamitatis instantis metu perculsis, qui deditionis leges acciperent. Datæ sunt; ut Maximiliani arbitrio sese permitterent, arma mox ponerent, præsidium reciperent. Atque his pactis urbs occupata absque cæde & sanguine: parcitum civium bonis: creatus Magistratus, quies instaurata, constituta res publica, nihil admodum in sacris aut profanis immutatum: sed sui cuique ritus, sua professio, atque religio permissa.

Pauci tamen voluntario exilio se ipsos damnarunt; quos inter tres præcones Lutherani Evangelii, quibus accensæ rebellionis faces præcipue debebantur. Quamobrem egregii isti pastores deserto grege, pro quo animas se posituros animose spoponderant, mercenariorum more & cuticulæ amore, diffugerunt, vacuas sedes Catho-

Catholicis ſacerdotibus relinquentes. Parochiale autem templum præſidio Bavarico fuit indultum.

Cæſaris proviſio. Tum ſtipendio perſoluto dimiſſus a Maximiliano exercitus, eoque deprecante Imperator anno 1609 Donawerdanis noxarum gratiam fecit, ea lege, ut quæcunque eorum bona, poſſeſſiones, opes, Duci Bavariæ manerent obnoxia, donec executionis imperſæ, ex præſcripto legum Imperii, reſtituerentur. Interim eidem Duci ſacramento, & obtemperandi nexu eſſent devincti.

Supererat pœna eorum, quibus auctoribus turbæ fuerant concitatæ. In paucos animadverſum a Bemelbergio, urbis pro Maximiliano Gubernatore; nam alios mors, alios fuga abſtulerat. Permultis profuit non nominari. Profugorum facultates, qui in patriam ſæpius revocati, exilium prætulerunt, aliquot poſt annis velut caducæ ſub haſta ſunt venditæ.

## ARTICULUS II.

## *Diſſertatio Juridica de Exceptionibus, quæ a Proteſtantibus contra proſcriptionem Donawerdenſem opponuntur.*

Ex hac ſpecie facti, quam deſumpſi ex Fröſchlino, Adlzreitero, & Relatione cauſſæ Donawerdanæ, anno 1610 peculiari libro lingua germanica prolixe deſcripta, abunde patet, quam inique, quantaque violentia Lutherani adverſus Pacem Religioſam & Profanam ſint graſſati, vi armata turbando pacem, & Catholicos ab uſu & exercitio ſuæ Religionis arcendo, quam juſtas proin cauſſas Imperator habuerit, refractariam & contumacem civitatem plectendi.

Quia tamen Proteſtantes Hiſtorici ac Jurisconſulti (quos inter Oldenburgerus, Gundlingius, Gladous &c.) acerbis non raro cenſuris non tantum ſereniſſimum Ducem Maximilianum, ſed ſacram etiam cæſaream Majeſtatem perſtringere, ac proſcriptionem illam, tanquam iniquam & Imperii juribus repugnantem, orbi paſſim obtrudere non verentur, prolixius aliquantum de ea diſſerere non fuerit ſupervacaneum, ea etiam maxime de cauſſa, quod executio illa graves deinceps in Imperio motus ac bella excitarit.

## § I.

## *Protestantium Exceptiones contra Proscriptionem Donawerdanam.*

QUatuor autem potissimum sunt capita, quæ a Protestanticis scriptoribus opponuntur. Primum versatur circa *Forum competens*, quod negant fuisse Imperiale Judicium aulicum, alterum *Processum Judicialem*, tertium *caussam* ipsam concernit, *executionem* quartum.

8. Exceptio prima.

Primo igitur, contra ac Donawerdani fecerunt, adversus forum excipiunt, dicuntque, Cæsari nullam in hac caussa jurisdictionem aut cognitionem competere, sed vi Pacis Religiosæ ad Camerale Judicium fuisse remittendam, ad quod Religionis controversiæ unice pertineant. Iniquum insuper fore, cum Imperii Constitutionibus & recta ratione pugnans, si Ordines Evangelici Judicio aulico, quod ex solis ferme constet Catholicis, id genus caussas deberent submittere. Omnes universim caussas, Cæsareæ jurisdictioni immediate subjectas, in Camerali Judicio esse tractandas, quanto magis illas, quæ Religionem spectant. In illis duntaxat, quæ circa Principatus & Comitatus controvertuntur, & in caussis fractæ pacis Judicium aulicum concurrente cum Camera jurisdictione potiri. Omnes proin processus, utpote a judice incompetente profectos, irritos omnino esse, urbemque *plenarie sine ullis expensis, damnisque in pristinum statum restituendam*. Idque eo magis,

Quod 2. nullus judicii ordo sit observatus, contra sanctiones usumque Imperii mox data mandata *sine clausula*, non auditis Donawerdanis, nec attento fundamento præcipuo, nempe possessione urbis, neque injungendo Abbati caussæ deductionem ex juris ordine; sed mox *via executiva* processum, ut Abbas in possessionem mittatur, & nisi pareatur, proscriptionis decretum conceptum. Præterea Bavaricos subdelegatos opere præcipitato civitatem consilio & ope privasse, minisque intentatis absque senatus exterioris & civium assensu plura extorsisse, & quidem etiam ultra illa, quæ in mandatis Cæsareis fuerint comprehensa. Paruisse tamen civitatem; præstitisse satisfactionem, duos cives, tumultus auctores, primum carceri, dein delegatis tradidisse. Sed Bavaros rursus institisse, ut decretum solos cives Evangelicos in senatum atque ad officia publica assumendi abrogetur, cumque civitas hanc conditionem, in mandato Cæsareo non comprehensam, acceptare non posset, illico *absentes & inauditos* Banno fuisse fulminatos, consules aliosque in vincula tractos, adjectis minis, brevi in cineres redigendam civitatem; Secunda.

cum tamen ſtatutum illud de ſolis Evangelicis adlegendis ac præficiendis ab immemoriali tempore uſu viguerit, jam ante Pacem Religioſam, & diuturna conſuetudine ſit obſervatum, atque continuatum. Jure autem ſuo civitatem, tanquam Statum Imperii, ejusmodi ſtatutum potuiſſe condere, cum Papiſticæ civitates idem faciant. Ex his autem apparere, non ſupplicationis litigioſæ solummodo actam fuiſſe cauſſam, ſed Religionis & ſenatus mutationem, quam inſolita vi, ſub ſpecie Pacis Religioſæ, poſthabita omni interceſſione, obtrudere collaborent.

Tertia. Tertia Exceptio ipſa *cauſſæ merita* concernit, quæſtionem facti videlicet, neque enim civium motus ad ullius offenſionem, ſed ad ſui duntaxat neceſſariam defenſionem pertinuiſſe; cum Abbas, cui nulla animarum cura, aut jus Parochiale competat, novos omnino ritus, ſupplicationem nominatim publicam, explicatis vexillis, per urbis forum deducere attentarit, cui inſolito conatui eo majori jure ſe cives oppoſuerint, quo certius conſtet, quod Romana Religio cum certa moderatione exerceri ſit permiſſa, non proprio illius jure, ſed ex civili tantummodo Magiſtratus diſſimulatione.

Quarta. Quarta denique Exceptio *executionem* impugnat, quæ Statibus Evangelicis magnopere ſit præjudicioſa, absque communicatione cum Imperii comitiis, contra executionis ordinem & Circulorum jura ſuſcepta, atque Suevico præſertim circulo inique ſubtracta. Ad Wirtenbergicum ceu Ducem Circuli pertinuiſſe, ſi quæ demandanda fuiſſet executio. Traditam quidem fuiſſe Duci Bavariæ (qui in religioſis & profanis rebus omnia mutarit) juridicam deductionem, adjunctis precibus, ne executionem præcipitet, eam nihiloſecius illico ſuſceptam, non quidem Cæſaris, ſed eorum culpa, qui, ſumpto a paupere & exigua hac urbe principio, flammam excitare cupiebant, quæ latius paulatim ſerpens, majores etiam Imperii Ordines depaſceret, optabantque, ut antiquata Pace Religioſa omnia ſurſum deorſum volverentur.

## § II.
### *Reſponſio ad has Exceptiones.*

PRofecto ſi cauſſa Donawerdana ſubſiſteret, prout hic eam pennæ Proteſtantium depingunt, mirum non admodum foret, quod eorum Ordines in varios cœtus & uniones coacti tot acerbas querelas, totque motus in Imperio concitarint.

Quamvis autem ex iis, quæ in Relatione Hiſtorica fideliter narrata ſunt, abunde conſtet, longe aliter ſe rem habere, quam de-

ce-

ceptores quidam Principibus proposuerant, juvat nihilominus ad has eorum exceptiones Catholicorum replicas, anno 1610 datas, subnectere, omnia tamen referendo ad statum Imperii illius temporis.

Et quidem, quod primam exceptionem de foro competente spectat, declaravit ipse Rudolphus II, sibi tanquam summo Imperatori ac capiti Imperii competere jurisdictionem in caussa Donawerdana, neque posse abdicare potestatem, omni jure & consuetudine Majestati Cæsareæ inhærentem. Judicium aulicum Cæsarea auctoritate processisse secundum leges & constitutiones Imperii. Neque se posse concedere, ut, quando in Romano Imperio super Pacis Religiosæ negotio inter Status lites oriuntur, Cæsareæ Majestati cognitio & decisio adimatur, atque soli Judicio Camerali tribuatur, sed Cæsaris esse, ut, quoties ejus auxilium a partibus debite imploratur, antecessorum exemplo justitiam administret. 9. Ad primam. Cæsar pronuntiat de foro.

Hanc Cæsareæ Imperialis aulæ jurisdictionem supremam ex ipsis Cæsareæ Majestatis, tanquam summi Imperantis, fontibus fluere, jure omni competentem, perpetua possessione firmatam, atque innumeris in casibus agnitam, hodiedum etiam a dissidentibus ultro agnosci, cum eorum utilitas versatur.

His addunt alii Cæsareæ Potestatis assertores, certum esse, quod ante erectum anno 1496 Judicium Camerale omnes personæ, (secluso speciali privilegio) Cæsareæ jurisdictioni immediate subjectæ, earumque caussæ ac gravamina, coram sua Majestate aut ejus Judicio aulico fuerint expeditæ: ac nemo hac super re controversiam moverit. Maximilianum vero Imperatorem Cameræ tribunal instruxisse, tum quod multis negotiis adversus Turcas, Venetos, Mediolanenses, Belgas, variisque bellis fuerit implicitus, atque idcirco per absentiam aut rerum molem difficilior ad eum, ejusque Consilium aulicum, quod illum comitari consueverat, fuerit accessus; tum ut Pax Publica, ad id usque tempus non satis in usum deducta, curatius servetur, si duo essent Imperii tribunalia, aulicum & camerale, ad quorum alterutrum litigantes commodius pro lubitu possent recurrere. Per Cameræ erectionem non adempta jurisdictio.

Institutam proin Cameram, non ut jurisdictio ordinaria Aulæ Cæsareæ extinguatur, sed ut in partem sollicitudinis vocata quoad varias caussas jurisdictionem concurrentem habeat, cum certa tamen mensura, nisi nempe Cæsar ex plenitudine potestatis caussam ad se velit evocare. Apte in hanc rem Adlzreitterus: *Quasi vero Maximilianus I Imperator, instituta Spirensi curia, ad levandam Imperialium curarum partem, supremam Imperatorum jurisdictionem sic*

*acciderit, ut caussas ad suum tribunal non possit evocare, aut ultro delatas, nullaque partium exceptione, aut fori declinatione impeditas, cognoscere; cum tamen jurisdictio inferiorum judicum sæpe numero a litigantibus soleat per litis contestationem cum summa æquitate prorogari.*

Nullatenus igitur illam Cameræ erectionem eo interpretandam, ac si Imperator summam suam potestatem ac jurisdictionem abdicarit, eo minus, quod in ordinationibus Cameræ aut Circulorum, aut in Imperii Recessibus illa nunquam sit sublata, quin potius potestas & authoritas supremi capitis semper excepta intelligatur; ac propterea erecta etiam Camera, in Aula Cæsarea semper exercitam jurisdictionem ordinariam, sicut antea, nisi aliquando ob negotiorum molem partes ad Cameram ultro sint remissæ.

Neque per Pacem Religionis.

Eam itaque Judicii aulici cum camerali concurrentem jurisdictionem usque adeo omnibus fuisse perspectam, ut nullus tam audax fuerit, ut illam negaret, sed potius, ut ex Gaillio *lib.* 1 *obs.* 29 *n.* 3. Mynsing. *cons.* 94. *n.* 4. aliisque pateat, tanquam indubitata Imperii regula sit habita, donec anno 1590 Cæsar iis, qui adversus Pacem Religiosam premebantur, competentibus juris remediis adstitit. Tunc primum aliquos, quorum violentia coercebatur, aut eorum patronos, dicere ausos, cessare, in caussis præsertim Religionis, Cæsaris jurisdictionem.

Praeclare hos refutat Petrus Heigius, Augustanæ Confessionis scriptor, in suis *Quæst. civil. & Saxon. q.* 9 *n.* 1 *& seq.* ubi ait: *quis ergo dicere audebit, Imperatorem talem potestatem cameralibus dedisse, ut semetipsum ea spoliarit? manet certe verum, Imperatorem fontem jurisdictionis majorem penes se servasse; maxime subsecuta observantia. Nec video, si constare Imperatoris authoritatem volumus, quomodo aliud sine violatione ejusdem dici queat; maxime quod Judicium camerale non ideo, ut Imperatoriæ Majestati derogaretur, sed molestiarum judicialium sarcina minueretur, ab Imperatore introductum, contrarium effectum minime debet parere, multo minus contra ipsum constituentem, & authorem interpretandum. --- Sit igitur primum Imperatoris fastigii & praeminentiæ argumentum, ne quis Cameram in consortium Imperii assumptam opinetur, sed jurisdictionis exercitium, salva Majestate Cæsaris, illi concessum sit, & hoc insuper credat, unum se in Imperio Cæsarem habere & venerari debere.*

Et vero neque per Pacem Religiosam ullo modo ea Cæsari adempta fuit potestas, in controversis Religionis negotiis judicandi,

di, non quidem ſuper ipſa Religione, ſeu fidei articulis, ſed in cauſſis fractæ Pacis, aut gravaminum, quando pars una alteram turbat aut impedit in Religionis ſuæ exercitio; prout poſt ictam etiam 10
illam pacem demonſtrant acta in cauſſa Colonienſi, Argentinenſi & Exempla.
Aquisgranenſi, aliisque, in quibus Cæſar imploratus officium ſuum interpoſuit. Imo tantum abeſt, ut in Pace Religioſa ea Cæſari poteſtas ſit adempta, ut non obſcure ſit tributa, præſertim *Art.* 18, ubi Cæſar ſe obligat, quod invaſo contra vim inferentem auxilium & patrocinium præſtare velit. Cumque ſub ipſa erectione Pacis Religioſæ Lutherani Reſervato Eccleſiaſtico ſe opponerent, Ferdinandus autem Rex non cederet, ſed ex plenitudine poteſtatis Cæſareæ eidem inſiſteret, acquieverunt Proteſtantes, & ultro profeſſi ſunt, non eſſe ſuum, Regiæ Majeſtati formam & menſuram præſcribere. Ubi vero poſtea de hoc puncto, uti etiam de libertate Religionis, Statuum ſubditis concedenda, Lutherani controverſiam moviſſent, Cæſar illam ſententia ſua diremit.

Eadem ſuprema poteſtas Cæſari aſſerta non ſolum confeſſione Proteſtantium, eorumque gravaminibus ad ejusdem Judicium aulicum frequenter poſt Pacem etiam delatis, ſed variis etiam Imperii Receſſibus. Sic R. J. de anno 1566 graviter quidem injungitur, ut R. J.
contra Pacem Religionis gravatis Camera aſſiſtat, mox tamen additur, cognitionem eam & executionem competere Cæſari, tanquam capiti, ac judici ſupremo, qui recuſari non poſſit, etiam in propria cauſſa judicans. Illius eſſe partes, quoslibet ſecundum Pacis Religioſæ & Profanæ placita defendere, nihilque intermittere, quo tranquillitas in Imperio conſervetur.

Ex quibus omnibus manifeſte patet, Cæſarem ejusque Judicium aulicum nil niſi ex officio ſuo & jurisdictione, ſibi competente, egiſſe, dum preſſæ Donawerdana in civitate Religioni imploratus adſtitit, neutramque partem in ejusdem exercitio turbari, ſed Pacis Religioſæ normam ſervari voluit.

Quid? licet quis fingeret, Cæſari non competere jus, Ordines Donavverda agnovit.
ad Aulicum ſuum tribunal evocandi, id tamen pro his ſolummodo caſibus intelligendum foret, quibus partes forum illud declinarent, minime vero gentium pro illis, quibus ipſæ forum acceptant, & Cæſari jurisdictionem veluti prorogarent.

Jam vero dici nullatenus poteſt, cauſſam Donavverdanam contra *invitos & declinantes* in aula Cæſarea fuiſſe ſuſceptam, cum civitas ſtatim initio & poſtea ter comparuerit, exceptionem fori declinatoriam nunquam oppoſuerit, ſed agnoſcendo jurisdictionem

Cæſaris in cauſſa principali litem ſit conteſtata. Quod ipſe Dux Wirtenbergiæ & Nordlinga, litteris ad Donavverdanos datis, ipſis objecerunt.

Cum itaque innata ſit Cæſareæ Majeſtati ſupremi Judicis poteſtas, cumque illa neque per erectionem Cameræ, neque per leges Imperii unquam ſit erepta, ſed jugi uſu & obſervantia etiam poſt Pacem Religioſam in religioſis æque cauſſis ac profanis ſemper obſervata, citando, cognoſcendo, judicando, exequendo, & in hac, de qua loquimur, cauſſa Donavverdana a parte utraque ultro agnita, dubium circa forum competens hujus cauſſæ nullum relinquitur.

Videant hic Proteſtantici ſcriptores, quo Majeſtatem Cæſaream, & Imperii Capitis, ſupremique Judicis auctoritatem detrudant. Imperatoriæ poteſtatis vindices ſe ferunt. Jus ſacrorum apud Catholicos liberaliter Cæſari ex Lutheri diſciplina largiuntur alienorum donatores, ſed in Proteſtantes, Religionis turbatores, omnem ipſi jurisdictionem adimunt. Convellant, deſtruant, vi etiam armata, Catholicos ritus, cives ad ſuas inventiones cogant, rapiant Eccleſias & bona Eccleſiaſtica. Hic nihil poteſt ſumma in terris Majeſtas; nulla illi jurisdictio. Sola Camera hic ſceptrum rotat. Sed cur ſola? ut Proteſtantici ſpoliatores & invaſores Eccleſiarum, ſi a Camera condemnentur, *Reviſores* ſibi faventes poſſint petere; ab his, ut tribunalia eludantur, ad Comitia negotium traducatur. Ubi omnia pacifice tranſigenda; invaſori nempe relinquenda ſpolia, cum ſumma tranquillitate & quiete, & ex interdicto *uti poſſidetis* confirmanda iterum iterumque Pax Religioſa. Hic erat aſpectus Germani orbis illa ætate, hæc conſilia, hæ artes Proteſtantium, ante Pacem Weſtphalicam, in qua confirmanda rurſus fuit Pax Religioſa, & relinquenda in manibus Proteſtantium plurima bona Eccleſiaſtica, quæ contra Pacem Religioſam Catholicis eripuerant.

II Ad ſecundam. Notorium crimen.

Quod jam alteram exceptionem de neglecto *Proceſſus Judicialis Ordine* ſpectat, imprimis in notoriis atque manifeſtis, quæ a reo nulla tergiverſatione celari poſſunt, non requiritur tam exactus ordo judicii; ſed ſufficit publica ac certa notitia Judicis, præſertim ſupremi. Ad quid enim tot ambages, ſi omnia ſunt manifeſta? atqui in caſu noſtro crimen Lutheranorum, nempe turbatio Religionis, invaſio, vis armata, ac proin fractio pacis erat notoria ac manifeſta, neque negari ullatenus poterat.

Dein falſum omnino eſt, nullam adhibitam formam judicii. Actor erat Epiſcopus Auguſtanus, reus Donavverdana civitas, ambo Status

Status Imperii, immediate ſubjecti Imperatori, tanquam judici. Actor obtulit libellum accuſationis cum ſpecie facti evidentis, & petitione, ne porro vis fiat, aut ritus Catholici turbentur contra Articulum IV, XI & XVIII Pacis Religioſæ. Legitime citatus reus Pragam ad Cæſareum tribunal. Comparuit ille abſque ulla exceptione fori; litem eſt conteſtatus; audita illius exceptio; judicata frivola. In re notoria ac manifeſta non requirebatur ulterior probatio actoris. Quid ergo deerat, quo minus a judice, ex integro inſtructo, ferretur ſententia, reum incidiſſe in pœnam violatæ Pacis Religioſæ, adjuncto mandato, ne Donavverdani contra Abbatem, ejus conventum, vel Catholicos propria vi vel auctoritate quidquam tentarent: aut in ſepulturis, ſupplicationibus, aliisve ceremoniis iisdem moleſti eſſent in poſterum. Quid æquius ſtatui poterat? Ordo ſervatus.

Quid Lutherani? Mandato Cæſaris ſpreto, armata manu, diſtrictis gladiis Catholicum ſupplicantium agmen invadunt, labara diſcerpunt, Chriſti Crucifixi imaginem confringunt, lapidum grandine Catholicos in ædem ſacram fugere compellunt. (Imo Thuanus ad annum 1607 ſcribit, non modo pulſatos injurioſe fuiſſe cantores, ſed etiam in turba aliquos occiſos aut graviter ſauciatos) Præſul Auguſtanus, ut ſacra jura ſuæ Diœceſis defendat, querelam rurſus ad Cæſareum tribunal defert. Factum novum ac inſolens erat rurſus notorium. Fit altera citatio adverſus Donavverdanos, *ad videndum, ob contraventionem priorum proceſſuum, ſe incidiſſe in pœnam conſtitutionis, præſertim banni*, (ob fractam Pacem non tantum Religioſam, ſed etiam Profanam) repetito mandato, *de non turbando & non offendendo ſub pœna banni & beribanni, & amiſſionis omnium privilegiorum.* Furor & contumacia.

His legitime communicatis, Donavverdanus Magiſtratus in populum, qui coerceri non potuerit, culpam turbarum illatæque violentiæ rejiciebat. Cæſar igitur, ut inſolentiam compeſceret, Bavariæ Ducem, poteſtate illi delegata, dat defenſorem Pacis, quietis, & auctoritatis ſenatoriæ. Additis clementiſſimis ad ſenatum litteris, quibus cauſſam ſignificat, cur id faciat.

Sed ecce! contemptis iterum mandatis Cæſareis, ejusque clementiſſima proviſione, conjuratur in Abbatis, Religioſorum, & delegatorum capita, ſi ſupplicantium agmen duxerint. Fit ſeditio; corripiuntur arma; diſturbatur ſupplicatio; delegati contempti re infecta abire coguntur.

Hac iterata contumacia ad Cæſarem nuntiata, perſpectaque facinoris, notorii ac permanentis, evidentia, ad aſſerendam Cæ-

ſaris

ſaris authoritatem, & arcenda ſimilia facinorum exempla, cum nulla reſipiſcendi ſpes appareret, tandem pronuntiatum, eos in pœnas jam ante denuntiatas re ipſa incidiſſe, earumque executionem Bavariæ Duci eſſe ſuſcipiendam.

Quid jam in hoc rerum proceſſu, in tam aperta culpa, toties iterata, in tanta contumacia, aliud pronuntiaret Cæſar? quæ alia judicii forma requirenda? Profecto ex his, quæ in publica orbis luce ſunt acta, aperte conſtat, quam falſo quidam Proteſtantici ſcriptores ſparſerint, & hodiedum dicere non vereantur, accuſatos non fuiſſe auditos, absque cauſſæ cognitione ab executione ſumptum exordium; mox banno fulminatum. Veriſſime Adlzreitterus: *quid ad formam judicii, ultra ea, quæ adbibita ſunt, addi debuerit, nemo facile reperiet: cum præceſſerit accuſatio, dies dicta ſit reis, iidem vadimonium obierint, cauſſam dixerint, crimen fuerit non manifeſtum modo ſed etiam permanens.* Atque hinc

12 Ad tertiam de cauſſa ipſa.

Quantum ad tertiam exceptionem de *meritis ipſius cauſſæ*, ex dictis hactenus ſatis liquet, juſte omnino, ad amuſſim conſtitutionum Imperii, atque ad omnes æquitatis leges, Cæſarem dixiſſe ſententiam. Si enim urbs ab antiquiſſimis temporibus ſemper fuit Catholica, & non niſi Smalcaldicis armis ad Religionem mutandam impulſa: mox a Carolo V Imperatore priſtinis ſacris reddita, civibus ſacramento etiam ſe ultro obſtringentibus ad ſervandas deinceps Romanas leges. Si etiam poſt Tranſactionem Paſſavienſem ex mera gratia Lutheranis conceſſa extra urbem Eccleſia, illi vero ſeditione mota ipſum etiam templum Parochiale ſenatu invito & repugnante invaſerunt, atque paulo poſt Catholicos inde omnino exturbarunt, addito tamen promiſſo ſolenni, ſe in S. Crucis Parochia nunquam turbaturos ſacra Catholica.

Urbis exceſſus.

Si nihilominus poſt Pacem etiam Religioſam innumeris eosdem preſſerunt moleſtiis: ſi funera comitari, ſi crucis imaginem tædasque præferri, ſi ſacrum Viaticum cum campanulæ ſigno ac lumine ad ægros deferri, ſi ritus funebres in urbe inſtitui vetuerunt. Si civium matrimonia, ſi Baptiſmi adminiſtrationem non niſi per Luthericos Præcones fieri præceperunt, repugnantibus, quorum permulti erant, ſenatoribus & civibus Catholicis. Si contra comitiale etiam edictum inſtigantibus Præconibus ſenatus conſultum conceptum, quo jus civitatis adimeretur iis, qui more Catholico atque a Catholicis ſacerdotibus Sacramenta perciperent.

Si denique ritus ac ceremoniæ Catholicæ armata etiam manu, vi illata, contra iterata Imperatoris mandata, toties ſunt diſturbata

ac

ac proculcata; quis dubitare amplius poterit, aut ire inficias, non modo Pacem Religiosam sæpius ruptam, sed Pacem etiam Publicam, seu Profanam, tot pœnarum minis circumseptam, gravissime fuisse violatam?

Jubet Pax Religiosa *art.* 3, Catholicorum jura, ritus, ceremonias servari integra: *art.* 10, ne ad alterutram Religionem quis cogatur: *art.* 14, ut, ubi utriusque Religionis homines sunt comixti (uti Donawerdæ) pacifice & quiete inter se vivant, nec altera pars alterius Religionis exercitia, ceremonias, ritusve impediat turbetve. Primo vero statim articulo severe prohibetur, ne quis cujuscunque status aut conditionis, *ob quamcunque caussam, aut quocunque prætextu, alterum invadere aut armis aggredi audeat.* Idem *art.* 18 repetitur, ne quis alteri propter Religionem quamcunque molestiam inferat. Num has pacis conditiones servarunt Lutherani Donawerdæ? minime gentium. Patet ex authentica urbis historia, quam sancte servarint. Contra pacem.

Patet, quam falso asserant Protestantici quidam scriptores, Donawerdanos non nisi ad sui defensionem egisse. Quid ergo defenderunt? quis in eorum sacra offendit? quis turbavit? nemo sane. Catholici ubique ab avita sua possessione sunt extrusi, lepusculi illius modo, qui erinaceum in foveolam suam, precarium velut hospitem, admisit, sed spinarum aculeis ab hospite isto ingrato e cubiculo suo fuit extrusus. Jure suo se egisse dicunt. quo jure? possessionis, reponunt. itane vero? tempore Pacis Religiosæ major adhuc & consulum, & senatorum, & civium pars erat Catholica. Nullo ergo possessionis jure se tueri possunt. Postea vero, sicut etiam antea, a Catholicis semper fuit reclamatum. An violentæ usurpationes possessionis nomine veniant?

At nulla, inquiunt, Abbati animarum cura, nulla jura parochialia competunt. Falsum hoc. Nam imprimis certa urbis regio ad templum S. Crucis tanquam suum parochiale spectabat. Deinde, quando Protestantes Catholicos ex principali urbis parochia extruserunt, fidem dederunt, se in templo S. Crucis nunquam eorum sacra turbaturos.

Sed de veteribus sacris id intelligendum fuerat, reponunt, non vero de novis ritibus & ceremoniis. Quos novos ritus, quas ceremonias dicitis? supplicatio, ajunt, antea non procedebat per urbem *explicato* vexillo, sed convoluto. Verum, præterquam, quod Thuanus testetur, more veteri *labaro explicato* processum, sit ita: quod metu injuriæ a paucis annis vexillum convolutum per urbem fuerit deportatum: quid tum? solebant Catholici non solum in suis civi- Novitas ritus nulla.

tatibus, sed in iis quoque, quæ mixtæ sunt Religionis, supplicantium agmini vexillum explicatum præferre. Vetat autem Pax Religiosa absque limitatione, ne pars altera alterius ritus aut ceremonias impediat aut turbet. Modo novi isti homines de novitatibus nihil dicerent, cum apud ipsos omnia novitatibus scateant. Nova Religio, novi ritus, novæ ceremoniæ, nova templorum facies, novus concionandi, jejunandi, orandi, & cantandi modus, novus modus administrandi baptismum, pœnitentiam, cœnam &c. celebrandi nuptias, ordinandi ecclesiæ ministros, homines uxorios, novum decretum, ut omnes Catholici a senatu sint exclusi, nullus ad officium publicum admittatur. Novum edictum de abrogandis Catholicis ritibus sepulturæ, de non præferenda Cruce, lumine, de efferendis extra civitatem Catholicorum funeribus: novum senatus præceptum de Catholicorum liberis a Lutherano præcone baptizandis, & matrimoniis celebrandis &c. &c.

Hæc omnia, & quidem post initam Pacem Religiosam, decernere, de novo introducere, novare, innovare, mutare, antiquare, instaurare, ipsis impune sit licitum, etiam in mixtis urbibus. At vero, si Catholici, quos tamen antiquissima possessio omni munitione securos deberet reddere, Donawerdæ, mixtæ religionis civitate, in supplicatione consueta vexillum evolvere attentarent, proh quantum crimen! coitionibus, sclopis, mucronibus, bipennibus, sudibus, fustibus, lapidatione, vi publica, invasionibus armatis plectendum. Digna enim vero tot unionum, conjurationum, motuumque materia. De cætero, quod dixi, Thuanus, Classicus Protestantibus auctor, negat, novo more modove institutam supplicationem. *Ex more*, inquit, *explicato labaro, cum omni sacri Collegii choragio sequente &c.* idem auctor testatur, Abbatem obsistentibus Lutheranis dixisse, de prisca consuetudine nihil mutari posse, stare sibi libertate uti, & morem antiquum servare. Id ipsum Judicium Aulicum & iteratum Cæsaris edictum loquitur: idem Religionis ex antiquo dominantis ratio, & consuetudo universalis, non complicatis sed explicatis vexillis per urbes supplicationes deducendi.

Cum igitur Catholici, licet antiquissima Religionis suæ possessione vallati, Lutheranos, quos bona gratia, & quietis amore initio toleraverant, nunquam in religionis suæ exercitiis turbarint, hi vero nullo suo jure, sed per conniventiam meræ facultatis admissi, mox in antiquos possessores, benefactores suos, insurrexerint, templo parochiali spoliarint, sacramentorum Catholicam administrationem interdixerint, varios Reli-

Religionis ritus prohibuerint, Catholicos a ſenatu & officiis excluſerint, multisque aliis moleſtiis preſſerint, ac denique ſupplicationem conſuetam armata manu toties diſturbarint, omniaque Cæſarea mandata toties contempſerint, profecto meridiana luce clarius pateſcit, Lutheranos multifaria prævaricatione ruptæ Pacis Religioſæ, quin & Profanæ reos, a ſupremo ſuo judice jure meritiſſimo fuiſſe condemnatos, ac punitos.

Sed neque injuſta, aut a Cæſarea poteſtate, vel imperii uſu & conſtitutionibus aliena fuit *executio* ſententiæ: quod ultimum adverſæ exceptionis caput. Nam prout ex eliſione primæ exceptionis liquet, Cæſari ceu ſupremo Judici competebat jurisdictio, non modo in utrumque Imperii ſtatum, ſibi immediate ſubjectum, tanquam partes, ſed etiam in eorum cauſſam, Pacem Religioſam & Profanam concernentem. Quare, ut conſectaneum eſt, debebatur ipſi pariter jus exequendi. Nam illius eſt ſententiam exequi, qui eam tulit: præſertim ſi jure ſupremi Principis eandem tulit. 13 ad quartam. Executio ad Cæſarem.

Et certe, quod, erecto etiam Camerali judicio, Cæſari uti cognitio ita *executio* integra ſit conſervata, perſpicuum eſt ex Comitiis VVormatienſibus anni 1521, quæ diſerte declarant, quod omnia, quæ Imperii negotia, cauſſas, pacificationes, earumque executionem, tuitionem, concernunt, & quæcunque a pacificationum juriumque tuitione dependent, aut ad hanc conducibilia eſſe poſſunt, apud neminem alium, niſi apud Imperatorem, aut in ejus abſentia apud *Regimentum* Imperii, ut vocabant, ſint agenda. Soluto dein Regimento illo temporaneo, ſubſtituta quidem illi eſt Camera, denuo ſuſcitata. Cæſaris tamen jurisdictio per hoc nullatenus eſt acciſa, ſed Camera concurrentem ſolummodo jurisdictionem loco Regimenti obtinuit. Quare R. I. de anno 1521 ſtatutum, ut executio pœnæ, in proſcriptos latæ, ad Imperatorem aut Cameram pertineat. Rurſus R. I. de anno 1559, ubi indicia ſufficientia adſint, poſſe ac debere Imperatorem aut Cameram cum citatis ocius ad declarationem banni ejusque executionem procedere. Et anno 1564, Cæſaris tanquam capitis eſſe, etiam nemine agente, per ſe ipſum pios & inſontes defendere atque protegere. Idem habetur in pluribus aliis receſſibus & Cameræ ordinationibus.

Imo etiam poſtquam executio Circulorum Ducibus fuit communicata, nequaquam penitus illam Cæſari ereptam docent non modo ſcriptores Catholici, ſed plures etiam Proteſtantes. Certe in R. I. anno 1570, § weiters als auch ꝛc. habetur: ſi Statui cuidam, adverſus Religioſam & Profanam Pacem gravato a Duce ſui aut alio-

rum Circulorum in tempore non ſuccurratur, ſed negligentem ſe exhiberet, uni vel pluribus proximorum Circulorum Ducibus executionem demandandam ab Imperatore. Cum itaque Dux VVirtembergiæ non modo proſcriptæ civitatis cauſſam acriter propugnarit, ſed proceſſus quoque adverſus eandem habitos, tanquam irritos, & Imperii conſtitutionibus contrarios, conſtanter improbarit, ut oppreſſis ſuccurratur, executionem Duci Bavariæ, ceu Duci proximi Circuli, recte demandatam fuiſſe colligunt Apologetæ Catholici. Qui dein jure ſuo, Duci Circuli ratione expenſarum & ſumptuum competente, uti potuerit. Quare Adlzreitterus: *Cæſar, inquit, qui ſummam habuit poteſtatem cauſſæ cognoſcendæ & judicandæ, jus quoque habuit pœnæ exequendæ, inconſulto Sueviæ Comitio, quod nec vocari in judicium, nec ſedere inter judices debuit.* Sane ex eo, quod executio fuerit ordinarie committenda Ducibus Circuli, non ſequitur, quod Cæſar non potuerit extraordinarie ſaltem concurrere.

Quod autem Cæſar hoc negotium cum Proteſtantibus non peculiariter communicaverit, inde eſſe, quod nullo ad id jure fuerit obſtrictus, & illi, velut communis omnium cauſſa verteretur, capita & conſilia contulerint, uſque adeo, ut Cæſaris jurisdictionem negaverint. De cætero non apparere ipſorum præjudicium, niſi pœnas, ob ruptam multoties Pacem de inquieta & contumace civitate ſumptas, injuriam ſuam interpretentur; quod tamen credi nequeat, niſi uſurpationes, invaſiones, & rapinas in Imperio toties damnatas approbent.

14 Non fuit aſpera. Executionem etiam nimis celeriter ſuſceptam, & aſpere exercitam criminantur. Quam vero hoc falſo, ex Relatione Hiſtorica liquet. Nec pilus capitis cuiquam motus. Falſum, quod executor ultra ea, quæ in mandatis habebat, fuerit progreſſus; quod præcones Lutherani urbe fuerint exacti; mens male conſcia flagellum fuit. Falſum, quod civis ad Catholicam Religionem fuerit compulſus, ne quidem rogantes admiſſi, donec congruam animi ſui atque conſilii rationem redderent. Falſum proin etiam, quod ſtatus eccleſiaſticus & civilis ex integro fuerit illico mutatus. Religio manſit libera. Parochiale templum ipſi Prædicantes fuga evacuatum pro derelicto habuerunt. Magiſtratus ex ſenatoribus utriusque Religionis conſtitutus.

VVurmius quidem & Smitius conſules Monachium ſunt evocati, at neutiquam Religionis cauſſa, ſed ut rationem reddant, cur Cæſaris edicta ſuppreſſerint, & turbarum duces ſe præbuerint. De cæ-

cætero Maximilianus ipse veniam culpæ proscriptis apud Cæsarem exoravit, ut quilibet sub vite & ficu sua securus degeret. Et asserere se poterat civitas in pristinum libertatis statum, modo expeditionis sumptus ex usu Imperii executori persolveret.

Sed neque præcipitatam fuisse eam executionem dicere poterit, qui apud animum suum expenderit, quanta longanimitate Cæsar in hac caussa processerit, quanta usus clementia, quot lenibus remediis, quot præcautionibus paternis, quot monitionibus, quamdiu exspectarit, ut pervicaciam mansuetudine tandem frangat. At eluserunt illi diu promissis, quæ non sunt servata. Traditi quidem duo turbarum incentores, sed reliqui complices quæstioni subtracti; promissa a quibusdam supplicationi libertas, sed mox novo tumultu & armata grassatione facta posteriora prioribus pejora. Neque præpropera.

Cum objiciunt, parvulam illam circumstantiam, an Catholici cum explicato aut complicato vexillo procederent, non esse rem banno dignam, non attendunt, in quo stet caussæ principalis ratio. Non propter eam rem solam lata est proscriptionis sententia. Multa alia multo gravissima vertebantur in caussa: Catholicorum ab avita possessione detrusio; invasio parochiæ, cum media adhuc pars tum civium tum senatus erat Catholica; interdictum Catholicis sacramentorum ministerium, exequiarum, nuptiarum, sacræ cœnæ, cultusque Divini ritus: ad præconum Lutheranorum fermentum, intentata media capitis diminutione, compulsi Catholici: e senatu proscripti: interdictum, ne per urbis forum deducatur supplicatio, hujusque ad extremas plateolæ lutulentæ angustias relegatio, vis publica & armata toties illata: fractatoties Pax Religiosa & Profana: mandata Cæsarea toties elusa atque contempta, contumacia denique inflexibilis, & refractaria, in tot coitiones, conjurationes, tumultus, rebelliones, & armatos furores effusa, non leve credo momentum fuerant. Caussæ illius.

Denique si tam levis momenti res vertebatur, sola nempe illa vexilli ratio, cur tantas tempestates concitarunt Lutherani? cur in re tantilla non paruerunt mandatis Imperatoris? cur ad tumultus, ad conjurationes, ad arma, ad violentas adeo invasiones convolarunt? cur totum velut Protestantium corpus tantopere commoverunt? cur ob circumstantiam adeo exilem, prorsus innocuam, atque ad nullius offensionem spectantem, tantam calamitatis procellam in caput suum conciverunt. Sed quid ego calamitatem appello? ivit per hanc procellam civitas ad salutis viam, quam perdiderat, ad veræ felicitatis decus, ad libertatem filiorum DEi, ad posterorum civium florentisque deinceps urbis municipalis laudem & commenda-

dationem multo maximam. Non inscite ille : *periisset, ni periisset.*

Neque illa, quæ hactenus contra Donawerdam ex aliorum relatione historica, scriptorumque Catholicorum apologiis disserui, aliter, nisi pro illius temporis statu, dum Lutherano fermento jactabatur, intelligenda esse contestor ; neque alium in finem, nisi ut veritas contra varias Protestantium criminationes vindicetur. Alia enim longe laudatissimæ hodie est civitatis ratio, quæ, ex integro Catholica, sub magni Catholici Principis suavi regimine feliciter acquiescit.

## ARTICULUS III

### *Unio Protestantium, Liga Catholicorum.*

15 Comitia Ratisbon. RUdolphus interea Cæsar Imperii *Comitia* anno 1608 *Ratisbonam* indixerat, Præside Ferdinando, postea Imperatore ; qui Cæsaris nomine quatuor deliberationis capita proposuit. 1. Quæ vires, quibusque stipendiis, Turcicæ in Hungariam irruptioni sint opponendæ ? 2. Quænam in Camera emendanda ? 3. Quæ ratio pacandi Belgium, ne Imperium exinde detrimentum incurrat ? 4. Quomodo corrigenda res nummaria ?

Protestantes, Donawerdana proscriptione irritati, ferme triplo plura addiderunt. Nempe 1. Donawerdanos restituendos in integrum. 2. Cameram emendandam. 3. Nullas in aula Cæsaris lites esse tractandas. 4. Præsides & assessores pari in Camera numero ex Protestantibus æque ac Catholicis esse constituendos. 5. Visitationes ordinarias omittendas in posterum. 6. Ecclesiasticos a judicio repellendos. 7. Catholicis Episcopis nulla inter Imperii Proceres subsellia & prærogativas concedenda. 8. Funera ac sepulcrorum jura promiscue habenda Catholicis ac Protestantibus. 9. Ex Imperio proscribendam omnem auctoritatem & jurisdictionem Romani Pontificis. 10. Formam juramenti fiduciarii esse mutandam. 11. Imperii placita non votorum numero, sed sapientia stare oportere.

16 Unio Protestantium. Hæc, cum iniquiora visa essent Catholicis, quam ut concedi possent, Protestantes re omni infecta comitiis excesserunt : ac paulo post *Alchbusii* conveniunt, ubi *unione* inter se inita, vi extorquere decernunt, quæ fuerant negata. Jamque in morem apud eos abierat, ut, quoties Cæsar auxilia contra Turcas peteret, illa negarent, nisi varia ipsis concederentur, quæ indulgeri non poterant.

Cre-

Crevitque audacia ob devexam Rudolphi ætatem, & cum Mathia fratre diſſidia.

Aſchhuſianæ unionis caput dixere Fridericum IV Palatinum ſeptemvirum. Atque ut arctiore adhuc fœdere colligarent ſeſe, *Halam* Suevorum rurſus convenere, ibique novam Reipublicæ formam, datis ad Cæſarem minacibus litteris, poſcebant: tractisque in partem ordinibus Batavicis, tum Daniæ regis, tum Franciæ arma, quæ ab Henrico IV in Germaniam parata ferebantur, reſpiciebant.

Catholici, cum adverſum ſe unionem illam percuſſam ſatis intelligerent, inierunt inter ſe mutuæ ſocietatis fœdus, ſi quæ vis inferretur. *Unionis defenſivæ* ſeu *Ligæ* datum nomen. Id anno 1609 initum Monachii, inter Maximilianum Ducem, Leopoldum Archiducem, Argentinenſem & Paſſavienſem Epiſcopum, atque Herbipolenſem, Auguſtanum, Ratisbonenſem, Epiſcopos, præpoſitum Elvacenſem & abbatem Campidonenſem. Primaria cauſſa fœderis, quod Acatholici indies nova in bona Eccleſiaſtica, adverſus Pacem Religioſam, decreta conarentur extorquere. Maximilianus fœderis princeps renuntiatus. LigaCatholicorum.

Anno 1610 Fridericus V patri in ſeptemviratu Palatino ſuccedens, ut dignum unionis caput ſe probaret, Leopoldum Archiducem in Alſatia, & Epiſcopos Bambergenſem & Herbipolenſem invaſit. Acceſſit Aquiſgranenſis tumultus, quem parte VII recenſui, actum quoque de extrudendis Halberſtadio Epiſcopo & Canonicis.

Atrocius anno 1611 ſævitum Pragæ a ſectariis in Religioſos. Monaſteria expilata. 14 Franciſcani trucidati: nulla Imperatoris, in urbe præſentis, reverentia. Deſierat nempe ab hominibus, Divini humanique juris contemptoribus, obſervari Cæſarea Majeſtas, ob diſcordiam, inter Rudolphum & fratrem Mathiam palam gliſcentem: ut adeo neceſſe fuerit, ut Leopoldus Archidux copias ſuas pro Rudolpho opponeret adverſus exercitum, quem Mathias ex Hungaria & Auſtria adduxerat. Turbæ Pragenſes.

Septemviri cum cernerent, Cæſaream dignitatem ob ſenium & valetudinem Rudolphi vileſcere, perſuaſerunt ei, ut pro Rege Romanorum eligendo in annum ſequentem Comitia indiceret. Unito-Proteſtantes autem Rotenburgi ad Tuberam collecti, turbandi cauſſas inquirebant; invitatis etiam ad unionem ſuam Helvetiis. Inter ipſos Catholicos hoc anno turbatum. Ratenavius, Archiepiſcopus Salisburgenſis, ſalinas Halæ divitis, quæ per canales, a Maximiliano per ſpatium medii diei conſtructos, etiam Traunſteinio aquas,

aquas, ſale imprægnata, ſuppeditant, prohibita lignatione turbaverat, & Ferdinandum, Maximiliani fratrem, a præpoſituræ Bertelgadenſis poſſeſſione, capto oppido, armata manu dejecerat, pendente lite in Romana curia, cui præpoſitura illa immediate eſt ſubjecta.

17 Turbæ Salisb. Conatus eſt Maximilianus per litteras, legatosque Præſulem a violentis conſiliis abſtrahere, admonito etiam de vi illata Pontifice ac Cæſare Rudolpho. Minime ſiquidem opportunum tempus viſum, bellum cum Eccleſiaſtico Præſule gerere, quo atræ nubes aliunde in gravem tempeſtatem coibant in Religionis perniciem. Sed cum pacati conatus apud Antiſtitem, Proteſtantium, ut credebatur, flabellis ſuccenſum, nihil proficerent, copias armatas oſtentat, ut periculi metu hominem ad animi æquitatem revocet. Quum ne ſic quidem pertinaciam frangeret, rogatus a cathedrali Canonicorum collegio, quod plures injurias ſibi ac provinciæ a Præſule illatas querebatur, Titmaningam, Salisburgenſis ditionis oppidum, occupat.

Qua re territus Archiepiſcopus, quamvis multo Salisburgi eſſet ſtipatus milite, convaſato ærario & Eccleſiæ theſauro, Carinthiam verſus fugam intendit. Collegium Metropolitanum arrepto mox gubernaculo Maximilianum Salisburgum invitat, magnaque cum honoris ſignificatione receptum rogat, ut aliquot equitum alas ſibi commodet, quæ gazam ablatam recuperent. Equites igitur inſecuti, Antiſtitem cum pretioſis ſarcinis Salisburgum reducunt, & capitulo tradunt, quod, poſtquam ille in manibus Nuntii Apoſtolici ſponte dignitati renuntiavit, alium elegit. Ratenavius vero in arce Salisburgenſi decenter habitus, quinquennio poſt (anno 1617) pie obiit. Maximilianus vero rebus compoſitis domum reverſus, Pontificem & Cæſarem de re tota per legatos edocuit, qui expeditionem laudarunt.

Obitus Rudolphi. Anno ſequenti 1612 Rudolphus II Imperator e vivis exceſſit, Imperii 35, vitæ 59, glorioſus prioribus annis; inde in torporem quendam ſubſidens, hominum fugitans, domique abditus, multa a Turcis, Proteſtantibus, ſubditis ſuis, & fratre ipſo perpeſſus. Cœlebs ſemper, Religionis & litterarum, præſertim Mathematicarum, amator eximius, meliorique Reipublicæ ſtatu digniſſimus.

*Videantur Brachelius in hiſt. hujus temp. Adlzreitterus in annal. Boicis, Khevenhyller. Struvius. Thuanus. Londorp. Maſenius in Contin. Broveri annal. Ignat. Schwarz. Lymn. Lunig. Theatr. Europ.*

Arti-

# ARTICULUS IV.

## *Relatio hiſtorica & genealogica controverſiæ Juliacenſis.*

Cum anno 1609 absque liberis obiiſſet Joannes Wilhelmus, Ju- 18
liæ, Cliviæ ac Montium Dux, Comes Marchiæ, & Ravenſpergæ, Dominus Ravenſteinii &c. ob multitudinem competitorum graves ortæ ſunt controverſiæ, quin & bella, pluries ſuſcitata. Juvat rem altius aliquantum deducere.

Status antiquus.

Provinciæ memoratæ olim ſingulæ ad ſingulos Comites ſpectabant. Julia dein anno 1356 a Carolo IV, Montes 1389 a Wenceslao, & Clivia 1417 a Sigismundo, in ducatus erectæ. Julia, Montes, & Ravenſperga, ſive per Cæſarum privilegia, ſive per jus feudale illarum provinciarum, ſive per nuptias, & pacta dotalia (de hoc enim acriter diſceptatur) inter ſe conjunctæ fuerant, uti etiam Clivia & Marchia inter ſe. Et quidem priores illæ, jam prius unitæ, pervenerant ad *Wilhelmum* anno 1475, qui, cum ex priore conjuge liberos nullos ſuſcepiſſet, occaſionem dedit, ut in provincias illas plures Germaniæ Principes ſpes ſuas & vota intenderent. Eos inter erat *Albertus Saxo*, (Albertinæ, regnatricis hodie ſtirpis parens) bellis Pannonicis, Burgundicisque Cæſari apprime commendatus.

Saxo.

Illi igitur Fridericus III Imperator anno 1483 diploma Græcii dedit, quo ducatum Juliæ & Montium eidem in feudum promiſit pro caſu, quo Imperio aperirentur (wann uns und dem Heil. Reich ledig werden 2c.) Confirmatum fuit hoc diploma anno 1486 a Maximiliano Rege, ut videlicet Julia & Berga, in defectu maſculorum hæredum, ad Domum Saxonicam immediate tranſeant.

Maria.

Cum autem poſtea idem Wilhelmus ex Sibylla Brandenburgica, uxore altera, filiam ſuſcepiſſet *Mariam*, anno 1496, 3 Februarii a Maximiliano Imperatore diploma impetravit, quo (ſi Wilhelmus nullum filium ſuſciperet) Maria, ejusque hæredes maſculi, ſucceſſionis & feudorum capaces redduntur, idem privilegium, ſi Maria decederet, ad ejus ſororem & maſculos ejusdem hæredes extenditur.

Clivia juncta.

Maria hoc diplomate inſtructa nupſit *Joanni* III Cliviæ Duci ac Marchiæ Comiti, additaque pacta dotalia, ut Mariam ſequerentur in dotem Juliæ ac Montium comitatus. Impetratumque rurſus a Maximiliano Cæſare anno 1498 decretum, quo priora repetebantur. Ut autem Cæſar Alberto Saxoni de ſumptibus, pro Domo

Austriaca impensis, satisfaceret, Frisiam utramque, summa provinciæ totius voluntate, eidem attribuit (*teste Lucio Veronensi*).

Anno 1508 2 April. Spiræ expeditum rursus est solenne diploma, a Wilhelmo petitum; cujus eadem est sententia, quæ priorum, ut scilicet, eo absque masculis decedente, ex speciali gratia *Maria* succedat, aut ea mortua ejusdem soror ac legitimi masculi. Sequenti anno 1509 Ulmæ iteratum denuo privilegium, adjecta clausula, ut, quæ antehac ab Imperatore Friderico pollicitationes, seu *exspectantiæ*, quas vocant, datæ fuissent, Mariæ ejusque filio masculo hæredi fraudi ac detrimento ne essent, (*teste eodem Lucio*).

Anno 1516 Cæsar nepoti suo Carolo (postea Imperatori hujus nominis V) potestatem concessit, ut de utroque Ducatu, Juliacensi & Bergensi, ac Comitatu Ravenspergico Joannem Clivensem, Mariæ Juliacensis maritum, avi Imperatoris nomine investiat. Quod tamen Carolus V Imperator primum anno 1521 non avi sed suo nomine Bruxellis fecit.

19 Wilhelmus. Ex Joanne III Clivensi & Maria Juliacensi natus est *Wilhelmus*, primus tot provinciarum (a parentibus unitarum) hæres, cum tribus filiabus, Sibylla, Anna, & Æmilia. Anna collocata fuit Henrico VIII Angliæ Regi, sed mox ab eo repudiata. Sibylla. *Sibylla* vero primogenita Joanni Friderico, qui postea Saxoniæ Elector fuit, his pactis dotalibus anno 1526 erectis: ut, si Wilhelmus sine masculis liberis decederet, aut ejus liberi hæredes non habeant, Sibylla, ejusque hæredes in omnia ditionum jura succedant. Petitaque est a Carolo V Cæsare confirmatio. Hæc autem primum anno 1544 est secuta. Atque ex pactis istis dotalibus derivant suum jus Principes Saxoniæ Ernestinæ stirpis.

Wilhelmi nuptiæ. Wilhelmus igitur in tot ditiones absque controversia succedens, a Carolo Egmondano insuper Geldriæ institutus hæres, ut hanc adversus Carolum V defenderet, cum Gallo societatem iniit, electa in sponsam Navarræa: sed a Cæsare Carolo superatus bello, anno 1543 pacem rogavit, quæ concessa Venlonæ ea conditione, ut Geldriam Carolo cederet, ipse vero de reliquis provinciis investiretur, omniumque privilegiorum, quæ alii Cæsares contulissent, firmamentum acciperet.

Actumque, ut omissa Navarræa, *Mariam* Austriacam, Ferdinandi Romanorum Regis filiam duceret. Nuptiæ celebratæ anno 1546 Ratisbonæ. Secutum a Carolo Cæsare diploma, quod, in hac re maxime notandum, alii deinceps Cæsares repetierunt. Illius hæc summa:

Gui-

Guilielmo Duci Juliacensi &c. & Mariæ Austriacæ conjugi peculiare hoc privilegium a Cæsare conferri, ut, *si Guilielmus ex Maria conjuge legitimum hæredem masculum non habeat, aut, si illi, quos haberet, absque aliis deinde hæredibus masculis decederent, in ditiones ac provinciarum jura succedant filiæ; aut, si earum nulla tempore casus supervivat, succedant earum legitimi masculi hæredes.* Diploma.

Hoc privilegium iisdem verbis suo diplomati insertum Ferdinandus I Imperator anno 1559 Augustæ, deinde Maximilianus II anno 1566 itidem Augustæ confirmavit.

Wilhelmus autem ex Maria Austriaca sex liberos suscepit, duos filios & quatuor filias. Ex his Carolus Fridericus in ipso juventutis flore anno 1575 Romæ immatura morte ante patrem decessit: postquam Neapoli Romam rediens in febrim malignam incidit. Hujus præclari Principis laudes & pia mors descriptæ extant in Epistola Gregorii XIII, qua patrem ejus Wilhelmum consolatur. 20 Liberi.

*Joannes Wilhelmus* filiorum alter, patri Guilielmo 1592 defuncto in ditionibus paternis successit. Cum autem infirma plerumque esset valetudine, ducta primum Jacoba Badensi, deinde Antonia Lotharinga, ex neutra parens, anno 1609 obiit, ac provincias suas disputationi reliquit. Joannes Wilhelmus.

*Maria Eleonora*, primogenita, ejus soror, nupsit anno 1573 Alberto Friderico, Borussiæ Duci (Alberti Brandenburgici, Teutonici olim ordinis Magistri filio) Mortua est illa anno 1608 ante fratrem Joannem Wilhelmum, relicta tamen filia *Anna*, *Joanni Sigismundo Electori Brandeburgico collocata*, ex qua Domus Electoralis Brandenburgica propagata jus in Borussiam & Ducatus Juliæ, Cliviæ &c. derivat. Eleonora.

*Anna* secundo genita collocata fuit *Philippo Ludovico Comiti Palatino*, *Duci Neoburgensi*, quæ post mortem fratris Joannis Wilhelmi in vivis superstes fuit, & jam filio Wolfgango Wilhelmo ornata, proxima omnium ad has ditiones videbatur. Anna.

*Magdalena* tertia filia Joanni Bipontino data, ex quo etiam ipsa filios suscepit. Quarta *Sibylla* Carolo Austriaco Marchioni Burgoviæ nupta, jura sua Wolfgango Wilhelmo certis pactionibus cessit, consentiente Ferdinando II Cæsare. Magdalena. Sibylla.

Post mortem Joannis Wilhelmi anno 1609 Brandenburgenses & Neoburgici possessionem ditionum, quantum pars utraque poterat, arripiebant, eam rem graviter ferente & vetante Rudolpho Cæsare. Cum autem Saxones, Cæsareis & Hispanis ex Belgio copiis adjuti, jus suum persequerentur, & Archidux Leopoldus contro- 21 Competitores.

versas provincias nomine Cæsaris in fidem suam ceu sequester usque ad litis decisionem recipere conaretur, expugnato Juliaco, Brandeburgus & Neoburgicus Tremoniæ seu Dortmundæ eodem anno 1609 pactionem inter se inierunt, ut, salvo utriusque jure, ditiones illas velut communes possiderent, junctaque opera adversus omnes alios competitores tuerentur. Recuperabant etiam Gallicis & Hollandicis auxiliis per Mauritium Nassovium Juliacum, Unito - Protestantibus interim in Alsatiam irrumpentibus.

Sed non diu tenuit ea rerum communio, anno 1613 dissoluta. Brandenburgus ope Batavorum & unionis Protestanticæ, Juliaco, Emmerico, Resio &c. præsidia imposuit, tentato etiam Düsseldorpio: Neoburgicus vero, socia Hispanorum & Catholicæ ligæ opera, Düsseldorpio, Duisburgo, Wesaliæ &c. Tentata sæpius conventio: aliquando frustrata, aliquando confecta, sed ob diversas, tum in Civilibus tum in Religionis rebus incidentes, controversias pluries interrupta.

## ARTICULUS V.

### *Observatio in hanc caussam Juliacensem &c.*

22 COmplures equidem erant anno 1509, quo Joannem Wilhelmum defunctum esse diximus, provinciarum illarum competitores, uti Bullionii, Nivernenses, Manderscheidii. Sed quia hi remotiore nexu ultimum possessorem contingebant, a lite destiterunt. Quatuor igitur præcipue erant partes litigantes: ac proin quatuor quæstiones oriebantur.

*Prima*: an in eas provincias succedant Saxoniæ Duces? *Secunda*: an Marchiones Brandenburgici, ex Maria Eleonora primogenita descendentes? *Tertia*: an Comites Palatino-Neoburgici, ex Anna orti? *Quarta*: an pro numero filiarum dividenda hæreditas; quod volebant Bipontini, ex Magdalena, tertio loco genita, descendentes?

Non est equidem aut conditionis meæ, aut voluntatis, in caussa tam ardua, tot scriptorum calamis celebrata, aliquid pronuntiare: alienum tamen non fuerit ab hoc *eruditionis apparatu*, quam brevissime referre rationum momenta, quæ in hac caussa, toto orbe celeberrima, in variis libris sunt publicata, absque ullo (ut per se patet) præjudicio quorumcunque juris.

§ I.

## § I.

### *Argumenta pro Brandeburgica caussa.*

IMprimis ergo Domus Electoralis Brandeburgicæ hæc aliaque afferuntur caussæ merita, ab Hermanno Schwedero *in Theatro Hist. Prætension.* Puffendorf. *Hist. Brandeb. lib.* 4. *synopsi univers. success. Elect. Brandeb. in Duc. Cliviæ, Juliæ* &c. Provincias equidem istas, inquiunt, esse feuda Imperii, sed *promiscua*, in quibus etiam fœminæ possint succedere; nam regiones Inferioris Germaniæ quoad successiones uti jure Francorum, vi cujus post masculos extinctos ordo succedendi devolvatur ad fœminas. Et quidem obtinere hic jus Primogenituræ, pro more veteri, instituto majorum, & Principum providentia, in his partibus dudum introductæ, ut videlicet ditiones illæ omnes perpetuo inter se *unitæ* maneant (uti Dux Wilhelmus disposuit, & Ferdinandus I confirmavit) & obveniant primum masculo primogenito, hoc autem liberos non habente, aut ejus successione deficiente, ad alteram lineam masculinam, & sic deinceps devolvantur: masculis autem non extantibus, aut absque liberis discedentibus (prout in casu nostro contigit in persona Joannis Wilhelmi) succedat filia primogenita cum sua progenie utriusque sexus: hacque penitus extincta, filiam secundo genitam & ejus liberos ordo succedendi tangat. 23 Feuda promiscua.

Exstare hanc in rem exempla complura, quæ demonstrent, eum succedendi modum observatum, atque post mares extinctos successisse filiam primo genitam: imo non aliter, nisi per conjugia provincias illas, ad totidem dominos antea pertinentes, fuisse successu temporum conjunctas. Sic jam sæculo XIV unitam fuisse Marchiam cum Clivia per matrimonium Adolphi IX Marchiæ Comitis cum Margaretha Clivensi: Comitatum Ravenspergæ cum Bergensi per nuptias Margarethæ Bergensis cum Ottone Ravenspergensi: Montes, & Ravenspergam cum Julia per Gerhardum Juliacensem & Margaretham Montensem, ac denique Juliam, Montes, & Ravenspergam cum Clivia & Marchia per conjugium Mariæ Juliacensis cum Joanne Clivensi. Exempla.

Neque dici posse, fœminas illas speciali Cæsarum Privilegio fuisse habilitatas ad successionem in feudo; nam vel auctoritatem Cæsaream non intervenisse semper, vel per eorum diplomata non fuisse habilitatem collatam aut capacitatem succedendi, sed præsuppositam, utpote quam jam ante ex ipsa ratione & indole harum 24 Filiæ non habilitatæ.

 ditio-

ditionum, secundum jus Francorum a Majoribus haustam, accepissent, sed præcise declarasse atque rata habuisse, & confirmasse hac jura, jam antea legitime quæsita, & in eventum competentia. Neque ad alium finem Wilhelmum Juliacensem petiisse diploma a Cæsare pro filia sua Maria, aut hujus filium Wilhelmum Cliviæ ac Juliæ ducem pro filiabus, nisi ut Cæsar jus quæsitum Mariæ confirmet, declaret, & norit, cui Investituram conferre debeat, qualemque vasallum sit habiturus, si per fœminas ad alias familias feudum transferatur.

Hinc in contractu matrimoniali, anno 1496 inito, cautum, ut Mariam Juliacensem Julia & Montes dotales sequantur. Quod additum de Cæsaris auctoritate sive consensu impetrando, non factum propter aliquam inhabilitatem, sed quia sunt feuda Imperii, super quibus Cæsar Investituram debet concedere.

Sic pluribus in locis receptum longæva consuetudine, ut vasallis propter urgentem æris alieni necessitatem liceat distrahere feuda, requirendum tamen dominum, ut consensum adhibeat.

Hinc factum, ut Maximilianus I in diplomate anno 1509 exspectantiam, a Friderico III patre concessam Saxonibus, pronuntiaverit irritam, quia conditio concessionis defecerit, cum Dux Wilhelmus non sine liberis, sed relicta filia Maria decessurus fuerit: proinde neutiquam futurum, ut ipsius obitu feuda devolvantur ad Imperium.

De cætero Maximilianum I Cæsarem non modo non asserere, Juliam & Montes esse feuda masculina, verum etiam plane contrarium, quod sint fœminea, aperte demonstrasse in diplomate per Saxones impetrato. Neque (ut inquiunt) Arnoldus Egmondanus filium Adolphum (Caroli patrem) potuisset exhæredare, neque Geldriam in Carolum Burgundum transferre, nec in iis filia Burgundi, & gener Maximilianus succedere, si fœminæ non fuissent capaces successionis.

25 Diploma unionis. Vocasse quidem quandoque Cæsares filiarum *masculos* hæredes; sed ea verba non *restrictive* intelligenda, nec ad exclusionem fœminarum extendenda esse, idque constare ex diplomate unionis Ferdinandi I ex pactis dotalibus Prutenicis, Neoburgicis, & Bipontinis, præterquam, quod per masculos etiam fœminæ possint intelligi, Pacta dotal. eo magis, quod Sigismundus Imp. cum anno 1417 Cliviam in ducatum erexit, Adolphum & ejus hæredes ac successores legitimos dignitate ducali perpetuo gaudere voluerit, absque distinctione inter hæredes: & Ferdinandus I Imp. pactum unionis confirmans,

statue-

ſtatuerit, *ut provinciæ illæ unitæ maneant*, *quamdiu ſucceſſio hæredum Wilhelmi in deſcendente linea duraverit.* In pactis etiam Prutenicis conventum, ut Eleonora in ſolidum ſuccedat, & poſt ipſam ejus hæredes: hæc autem pacta confirmata eſſe a Maxim. II & acceptata a Neoburgicis, qui renuntiarint juri ſucceſſionis, quamdiu ex Eleonora primogenita hæredes ſuperſint, & primum iſtis omnibus extinctis jus ſuccedendi ſibi reſervaſſe.

Cum igitur Maria Eleonora inter filias *Wilhelmi* fuerit primogenita, manifeſtum eſſe, poſt extinctos absque liberis ejusdem fratres, ad eam jure primogenituræ, ejusque deſcendentes, omnes unitas eas provincias fuiſſe devolutas, jure videlicet Francorum, in illis vigente, atque uſu ac more a Majoribus accepto.

Accedere, quod in pactis dotalibus, anno 1572 a Wilhelmo & Maria pro Eleonora, Pruſſiæ Duci nupta, erectis, expreſſe cautum fuerit, ut, ſi nullos maſculos hæredes (Wilhelmus & Maria Eleonora parentes) eſſent relicturi, aut filii ſine hæredibus decederent (prout in caſu ſubſtrato contigit) tunc Maria Eleonora, ejusque *hæredes* in univerſum jus illarum omnium ditionum ſuccedant, vi obtenti in hanc rem & confirmati privilegii Cæſarei. Et majoris adhuc claritatis gratia additum: ſi caſus eveniret, ut Carolus Fridericus, & Joannes Wilhelmus ſine liberis decederent (prout poſtea deceſſerunt) univerſalis hæreditas ad Mariam Eleonoram ejusque conjugem Albertum Fridericum, Pruſſiæ Ducem, eorumque hæredes pertineret. Hæc autem pacta dotalia confirmata fuiſſe a Maximiliano II Cæſare, & a ſororibus Eleonoræ rata habita.

Denique, licet Eleonora fuerit præmortua, reliquiſſe tamen filiam & ex ea nepotes, qui una ſint cum Eleonora perſona, ac jure repræſentativo ſuccedant. *L. Lucius de hæred. inſtit.*

## § II.

### *Argumenta pro cauſſa Neoburgica.*

HÆc potiſſimum referam ex *Diſſertatione* Lucii Veronenſis *enucleata de ſucceſſione in jura & ditiones Juliæ*, *Cliviæ*, *Montium*, *Marchiæ &c.* ejusque Apologeta, & adjectis *Notationibus* Lycangeli Argyrandri, volumine integro, contra Prætenſionem Brandeburgicam potiſſimum deducta. 26

Atque imprimis dicunt, Juliam, Cliviam, Montes &c. non eſſe feuda promiſcua, ſed filias ultimi poſſeſſoris ab agnatis maſculis fuiſſe excluſas; ſic non extantibus in Theodorici IV Cliviæ Sunt Maſculina feuda.

comitis

comitis linea masculis, *Aleidem* ejus filiam anno 1200 non successisse, sed patruum Arnoldum.

Probatur exemplis, Anno 1218 postquam Adolphus IV Montium Comes in bello sacro ad Damiatam cecidisset, ejus filiam *Margaritham* exclusam fuisse ab S Engelberto patruo, coloniensi antistite, crudeliter postea interempto. Ita exclusam *Irmingardim* a patruo Theodorico X a Cliviæ comitatu anno 1309. Hujus Theodorici filiam *Margaritham*, a Joanne Theodorici fratre, licet parens in testamento filiam nominarit hæredem, anno 1328. Defuncto autem Joanne absque liberis, exclusis Irmingardi & Margaretha ejus neptibus Cliviam ad Imperium recidisse, a Carolo IV Cæsare libera deinde voluntate in feudum concessam Adolpho Margarethæ filio, prætérito Engelberto ejusdem primogenito, manifesto argumento, nullum jus fuisse Margarethæ, Theodorici filiæ, alioquin nec ipsa, nec ejus primogenitus potuisset excludi.

*Isabellam* quoque Marchiæ comitis filiam non successisse patri Engelberto, sed successionem ad patrui Adolphi lineam translatam. Denique anno 1423 *Joannam*, Wilhelmi Ducis Juliacensis filiam unicam, quam Reinoldus frater hæredem scripserit, ab Adolpho agnato, Duce Montensi, Sigismundi Cæsaris auctoritate exclusam.

Ex his autem arguunt, feuda illa non fuisse promiscua seu fœminea; alioquin jure Francorum, deficientibus in eadem linea masculis, debuisse succedere filiam, ejusque liberos, donec extincta tota prima linea ad alteram agnatorum transeatur. Quod cum factum non sit, non viguisse in illis provinciis prætensum ejusmodi jus Francorum, aut feudum promiscuum.

Privilegiis habilitationis, Imo nunquam in iis successisse fœminas sine speciali Cæsaris privilegio: ipsosque Imperatores diplomatis suis satis demonstrasse, feuda illa esse *recta*, *propria*, ac *masculina*, nullamque fœminam in iis posse succedere, nisi speciali privilegio habilitatam.

Ita *Sigismundum* Imperatorem, cum exclusa Joanna, Guilielmi Juliacensis Ducis filia unica, Adolphum agnatum de eo ducatu Budæ anno 1425 investiret, explicate addidisse, quo jure id faceret: nempe Adolphum *proximum esse hæredem, qui de clypeo, & progenie mascula, defunctos Juliæ Duces attingeret.* Hac enim loquendi formula, bis repetita, Imperatorem utique jura successionis *masculæ* apertissime designasse: maxime, cum subjunxerit:

Diplomat. Sigis. *ita, ut ipse & ejus hæredes feudales, masculini sexus, ducatus & Principatus Juliæ &c. a nobis & S. R. I. deinceps hæreditarie, & semper tanquam recta Ducalia feuda habeant &c.*

Neque

Neque excipi posse, hanc Adolphi investituram sub- aut obreptitie esse obtentam a Cæsare, ignorante, in provinciis Belgicis & adhærentibus vigere jus Francorum, & Reinoldum instituisse hæredem *Joannam* superstitem sororem. Nam præsumendum nullatenus esse, Imperatorem in caussa tunc nota & agitata, rebus non satis expensis de Imperii feudo disposuisse, præsertim cum ipse in diplomate suo testetur, *se caussa probe expensa, de consilio multorum Principum, e tribunali, sub sua & Imperii corona, de certa scientia, Adolpho feudum Juliæ conferre.* Deinde in ipso Sigismundi diplomate haberi, quod Arnoldus Egmondanus, Joannæ memoratæ nepos, (qui Juliam invaserat) ter fuerit citatus a Cæsare ad dicendam caussam ob injustam invasionem. Minus adhuc dici posse, per mares etiam fœminas intelligi, præsertim ubi de feudis agitur, quæ regulariter sint masculina, ac talia in dubio præsumenda, maxime, si sint feuda imperii; nisi videlicet speciale privilegium habeatur pro fœminis, quo habilitentur.

Aliam adhuc observationem hic adducit Argyrander Lycangelus (*Wolfgangus Michael Silbermann, Cancellarius Neoburgicus*) adversus caussidicum Brandeburgicum, qui evincere volebat, quod *Joanna*, Wilhelmi Ducis Juliacensis filia (cujus mater Geldriæ hæredem se ferebat) succedere debuerit fratri in Juliacensi ducatu, ejusque dein filia Maria, Joanni Egmondano nupta, horumque filius Arnoldus Egmondanus: qui tamen jura sive in Geldriam, sive in Juliam, Carolo Audaci Burgundiæ Duci oppignoravit, ac deinde vendidit. Hanc autem alienationem fieri potuisse, a caussidico illo propugnari, utpote, qui contendat, dominos Juliæ, Cliviæ, Montium, sive per actum inter vivos, sive per ultimam voluntatem, de provinciis suis potuisse libere disponere. Ex quibus proin sequatur, jura illa, etiam in Juliam, ad Caroli Burgundi filiam Mariam, atque ab hac ad ejus hæredes Austriacos legitime fuisse translata. Si vera sint igitur principia hujus caussidici, Juliam non ad Brandeburgicos, sed ad Austriacos, Mariæ Burgundicæ descendentes pertinere; vel saltem ad Saxones, in quorum favorem Maximilianus I jure in Juliam cesserit. Neque ex posterioribus Cæsarum diplomatibus aliquid Brandeburgicis juris accrescere, cum ea secundum illum caussæ patronum sint meræ declarationes juris jam antea competentis. Neoburgicos vero se facile ab ista exceptione expedire, negando, illa feuda esse promiscua, adeoque aliquid unquam juris Egmondanis in Juliam ex Joanna Juliacensi competiisse: id, quod Imperator Sigismundus diplomate suo declaraverit, Arnol-

dum Egmundanum, contumacem invaſorem, etiam banno feriens.

Friderici, *Fridericum III* Imperatorem anno 1442 eandem proſcriptionem Arnoldi Egmondani Francofurti repetiiſſe, quod ducatum Juliæ & Geldriæ ex fœminea ſucceſſione affectaret. Eundem Cæſarem anno 1483 per diploma Græcii promiſiſſe Alberto Saxoni ducatus Juliæ & Montium, in eventum, quo per mortem Wilhelmi Juliacenſis, tunc improlis, Imperio aperirentur; licet ſatis conſtaret, Carolum Egmondanum ex Joanna Juliacenſi ſuos natales arceſſere.

Maximiliani, *Maximilianum I*, poſtquam anno 1486 eandem Saxonicis Principibus promiſſionem renovaſſet in caſum, quo per defectum maſculorum hæredum Imperio ducatus illi fierent aperti, cum dein Wilhelmus Juliacenſis interea filiam Mariam ſuſcepiſſet, eandem Auguſtæ anno 1496 rogatu patris habilitaſſe, liquido conteſtatum, *ſe id facere ex ſpeciali gratia & favore, atque plenitudine Cæſareæ auctoritatis, filiam Guilielmi Mariam capacem, habilem, dignamque feudis reddere, uti etiam ejusdem Mariæ hæredes maſculos.* Idem privilegium extenſum ad ſorores & earum maſculos, ſi Maria ſine maſculis decederet. Hæc autem verba plane fore fruſtranea, imo falſa, ſi jam veteri receptoque more feudum fuiſſet promiſcuum, & Maria jam ante ejusdem capax. Quin imo Maximilianum Cæſarem in eo diplomate habilitationis expreſſim dicere, ſi Wilhelmus absque *maſculo* hærede decederet, ejus feuda ad Imperatorem & Imperium reditura. Idem repetitum in confirmatione anni 1498, rurſusque anno 1508 ad preces Wilhelmi Mariam aliasque ejusdem filias, atque legitimos eorum maſculos ſingulari privilegio feudorum *capaces* & *habiles* redditas.

Hæc verba adeo eſſe perſpicua, ut nulla ratione ad nudam declarationem capacitatis & habilitatis præexiſtentis trahi poſſint. Profecto *capacem habilemque reddere* non eſſe idem, ac *habilitatem jam ante competentem declarare*: facere id *ex peculiari gratia & plenitudine poteſtatis Cæſareæ*, non eſſe idem ac, *antiquo more Francorum*: *rogatum ſe hoc præſtare, ne feuda alio recidant*, non eſſe idem, ac, *ut ſciat dominus, quem vaſallum ſit habiturus.* Præterquam, quod ſcire tunc Imperator nullatenus potuerit, quos vaſallos ex iis eventibus eſſet habiturus, præſertim ſi fœminæ viris ex aliena familia (uti poſtea contigit) eſſent nupturæ.

Si antea jam jure Francorum Maria habilitatem competentem & præexiſtentem habuiſſet, quid periculi, ut ducatus iſti poſt deceſ-

cessum Wilhelmi sine masculo hærede, *aperti* fierent, & ad Imperium reciderent, prout ex sua & Wilhelmi mente memorat Maximilianus Imperator? sin autem in eo fuerit, ut hæc feuda *aperta* fierent, atque ad imperium reciderent, quomodo habilitatem jam antea competentem Maria habuit?

Si habilis & capax Maria, ad quid tot preces Guilielmi, tot confirmationes habilitationis? ad quid specialis gratia, ex plenitudine potestatis Cæsareæ concessa? si fœminæ per se capaces, ad quid tot proscriptiones, primum Arnoldi, dein ejus nepotis Caroli Egmondani? cur Maximilianus Cæsar anno 1496 in suo diplomate eundem Carolum, Geldria non contentum, sed Juliæ etiam inhiantem, ita compellasset: *Nec tu, nec tui majores in eum ducatum quidquam juris habuere*? cur in tot fœminarum exclusionibus, in tot Cæsarum diplomatibus, in tot pactis dotalibus, nulla unquam mentio juris Francorum, feudi promiscui, habilitatis filiarum præexistentis? cur unus Maximilianus I septem omnino diplomatis masculam feudorum istorum qualitatem confirmasset? quæ omnia ab Argyrandro Lucii Veronensis notatore exhibentur.

*Carolus V* Imp. anno 1544 confirmans pacta dotalia Saxonica, quibus de Sibyllæ successione agebatur, hæc verba inseruit: *Habeat Sibylla, ejusque ex Joanne Friderico Saxone hæredes masculi, exspectantiam ad feuda Juliacensia &c. ita tamen, ut ratio feudorum prædictorum non mutetur, eaque post mortem Sibyllæ ad ejus & Joannis Friderici masculos feudales hæredes, ut antehac dictum est, devolvantur.* Quibus ex verbis testatissimum esse dicunt, Carolum V & masculam feudi qualitatem agnovisse, & eam per filiæ unius aut alterius habilitationem de cætero neutiquam voluisse tollere. Talem enim tamque claram masculorum expressionem firmare regulam in contrarium de non expressis, præsertim in materia feudali. Caroli V.

Cum dein Wilhelmus Dux Cliviæ, Juliæ &c. (Sibyllæ, de qua diximus, frater) anno 1546 nuptias celebraret Ratisbonæ cum Maria, Ferdinandi Romanorum Regis filia, a Carolo V (quod maxime notandum) diploma obtinuit, hujus argumenti: ut videlicet, *si Wilhelmus ex Maria Austriaca legitimum masculum hæredem non relinquat, aut illi, quos relinqueret, absque aliis deinde masculis hæredibus decederent, in ditiones ac provinciarum jura succedant filiæ Wilhelmi & Mariæ, si supersint, aut si*

*earum nulla tempore casus supervivat, earum legitimi hæredes masculi succedant.*

Neque dici poteſt, in Cæſaris hoc diplomate nullam fieri mentionem *habilitationis*, aut diploma tantum eſſe declarationem habilitatis. Nam Cæſar addit: ut *ad feuda accipienda habiles, & capaces ſint*, dicitque, ſe *ex ſpeciali gratia* id facere.

Idem privilegium diplomati ſuo inſertum anno 1559 Auguſtæ confirmavit Ferdinandus I, & anno 1566 itidem Auguſtæ Maximilianus II.

27 Solicitudo obtinendi privilegiũ.

Neque tantum (inquiunt) ſummos Imperatores ditiones illas pro feudis *rectis* habuiſſe, quorum fœminæ ſint incapaces: ſed varios etiam alios Principes. Sic in pactis dotalibus Joannis Clivenſis & Mariæ Juliacenſis conventum, ut a Cæſare privilegium *habilitatis* obtineretur. Idem ſtatutum in ſponſalibus Annæ Clivenſis cum Lotharingo. Idem ſentire Saxones, videlicet, in dubio omnia feuda, præſertim vero feuda Imperii pro maſculinis, rectis, ac propriis præſumenda. Primario beneficiorum Regalium fini & origini, atque Aureæ Bullæ formulis recipiendi feuda repugnare, ſi fœminæ Imperii feuda, & vi illorum votum & ſeſſionem in Imperii Comitiis obtineant.

Atque propterea Wilhelmum Juliacenſem pro ſua Maria & ejus ex filia nepotem Wilhelmum, Cliviæ ac Juliæ Ducem, pro ſuis filiabus apud Carolum V, Ferdinandum I, Maximilianum II & Rudolphum II tam anxie & operoſe laboraſſe, ut gratiam iſtam obtinerent. Inde ſollicitudinem illam Alberti Friderici Ducis Boruſſiæ & Mariæ Eleonoræ ejus conjugis, ut pacta dotalia Prutenica ab Imperatore confirmentur.

Neque abſtare, quod Adolphus Cliviæ Dux anno 1418 aliique privatis pactionibus, aut teſtamentis conditis conati ſint decedentibus filiis ſubrogare filias; aut etiam fœminina ea feuda facere: id enim probare, prius non fuiſſe talia. Deinde ejuſmodi pacta non fuiſſe firma, demonſtrari per tot ſucceſſionum exempla, tot Cæſarum diplomata, Principum in ſucceſſione pro certis fœminis impetranda ſollicitudinem. Neque etiam privatis ejuſmodi pactis in præjudicium domini feudorum, aut contra naturam eorum, quidquam ſtatui poſſe. Conjunctiones earum provinciarum factas Cæſarum auctoritate, vel fœminas certas pro certo caſu ſpeciali privilegio habilitando, vel earum maritis propter eorum merita feudum conferendo, poſtquam ad Imperium recidit.

Adducunt deinde Lucius & ejus Apologetæ veteres Hiſtoricos, qui

qui masculinam feudorum qualitatem testentur, uti Pontum Heuterum, Gerardum Scheurensem; atque ex his, quæ dicta sunt hactenus, ita colligunt: fœminam nullam ad ea feuda admissam, nisi fuerit peculiari privilegio a Cæsare habilitata: quando vero ea habilitatio non accesserit, fœminas, ultimi possessoris filias, fuisse a masculis alterius lineæ a successione exclusas, Aleidam ab Arnoldo: Margaritam Montensem ab Engelberto: Irmingardim a Theodorico: Margaritam Marcanam a Joanne: Isabellam ab Adolpho: Joannam ab altero Adolpho, luculento argumento, non vigere in his provinciis Jura Francorum, quæ ab adversario allegantur.

Neque dici posse, ex sola conniventia, aut ultronea conventione hæc facta; cum nullatenus præsumendum sit, integras provincias in alterius manum jactatas; neque ejusmodi conventio exstet: &, si exstaret, absque consensu Domini directi foret invalida. Quin imo paterna quandoque dispositione filias ad successionem fuisse designatas, ab ea nihilominus exclusas, ut in testamento Theodorici X & Reinoldi &c. supra memoratis exemplum præluceat. Non conniventia id factum,

Accedere tot Imperatorum per duo sæcula diplomata, infeudationes, earumque formulas, quibus haud ambigue qualitas horum feudorum masculina prodatur. Præsto esse ipsa pacta dotalia, quæ ipsis Principibus contrahentibus infirma sint visa, nisi Cæsarum authoritate robur accipiant.

Horum igitur privilegio singulari succedere quandoque potuisse filias, sed certis conditionibus, quibus earum habilitatio fuerit circumscripta. Primam autem conditionem fuisse, ut hæredes masculi nulli superessent, ut in Maximiliani I, & Caroli V Diplomatibus expressum. 2 Ut in solidum una, eaque natu major, & non in partes singulæ succedant, ut habetur ex altero diplomate Ferdinandi I, dato Augustæ anno 1559 21 Junii, eodem nempe anno & die, quo Carolinum privilegium confirmavit, ut videlicet primo succedant Wilhelmi filii, eorumque masculi hæredes; 2. Illis deficientibus filiæ, earumque hæredes masculi; 3. Ut ea, quæ succederet, filia, tantum ad hæredes suos masculos possit feuda transferre. Juxta diplomata Maximiliani I, Caroli V, Ferdinandi I, &c.

Ex quibus conditionibus inferunt, filiæ habilitatæ filiam absque novo & speciali privilegio succedere non posse. Idque expresse confirmari non modo tot Cæsarum diplomatis, sed etiam exemplo Sibyllæ, Joanni Friderico Saxoni nuptæ. Nam neque maritum illius, neque patrem, neque socerum, eam (exceptis allodialibus) successionis capacem credidisse, nisi novum Cæsaris privilegium accedat; li-

cet Maria ejus mater fuerit habilitata. Ac proin neque Annam Brandeburgicam in ditiones Juliæ &c. poſſe ſuccedere, licet ipſius mater Maria Eleonora fuerit habilitata.

28 Neque conſuetudine. Idque *nec ex antiqua* illarum regionum *conſuetudine*: talem enim non fuiſſe, ſed excluſis filiabus agnatos propiores maſculos ſucceſſiſſe, compluribus exemplis eſſe oſtenſum. Et licet ea fuiſſet conſuetudo, ei Cæſarum auctoritate, & tot Principum conſtanti voluntate & obſervantia fuiſſe derogatum.

*Neque ex antiquo jure feudi promiſcui*; nam tale nec receptum, nec agnitum, ex Cæſarum ac Principum auctoritate conſtare, ipſius etiam patris Alberti Friderici. In Belgicis Provinciis de tali jure Francorum conſtare, non autem de iſtis Germaniæ provinciis. De iſtis jam Carolum IV Imperatorem anno 1356 pronuntiaſſe, quod ſint feuda maſculina: item Sigiſmundum ejus filium in ſuo diplomate. Alienum autem a vero eſſe, quod ullus Imperator pacta dotalia ita confirmarit, ut colligi poſſit, ea feuda declarari promiſcua, aut fœminas univerſim, aut Annam Mariæ Eleonoræ filiam in ſpecie habilitari.

Neque ex *reſervationibus filiarum*; nam has vel nullas fuiſſe, vel de facto, non de jure, vel circa allodialia, materna, aut melioramenta factas. *Neque ex tacita Cæſarum confirmatione*; cum aperte contradicant. *Neque ex jure ſtatutario* illarum provinciarum; cum tale exhiberi non poſſit circa bona feudalia. Imo Wilhelmum Ducem in ordinatione feudali expreſſe vetare, ne feuda maſculina absque gratia (a Principe conceſſa) fœminis conferantur. *Neque ex Hiſtoricis*; nam iſtos non convenire in teſtimoniis de qualitate illorum feudorum. Dein plures Cæſares & Principes eſſe, qui affirment, maſculina eſſe, quam Hiſtoricos, qui id negent.

Nec jure primogenii. *Nec jure Primigenii*; nam obſtare exempla & Cæſarum auctoritatem. Falſum eſſe, quod Maximilianus I & Ferdinandus I confirmarint dotalia pacta Julio-Clivenſia anni 1496; ſtatuiſſe quidem Ferdinandum, *ut maneant unitæ provinciæ, quamdiu ſucceſſio hæredum Wilhelmi in deſcendente linea duraverit*: ſed Ferdinandum eadem die & loco explicaſſe, quos hæredes intelligat, nempe 1. filios, 2 ſorores filiorum, 3. earum hæredes maſculos. Atque hinc Mariam Eleonoram, ante fratrem Joannem Wilhelmum defunctam, non reliquiſſe hæredem, privilegio Cæſaris comprehenſum, Annam vero Neoburgicam, ſecundo genitam, adhuc viventem poſt mortem fratris, ſecundum Cæſarea diplomata debuiſſe in ſolidum ſuccedere, & reliquiſſe hæredem, vi privilegii ſucceſſionis capacem, nempe Wolfgangum Wilhelmum. Unde neque *ex pactis dotalibus* quidquam

quam pro Anna Eleonoræ filia erui; nam pactis Prutenicis constitui quidem, ut si masculi deficerent, Eleonora succedat, ejusque ex Borusso hæredes: additum tamen illico, id intelligendum secundum tenorem privilegii Cæsarei. Per hoc autem tantum habilitari sorores, earumque masculos hæredes. Ac proin in solidum successuram fuisse Mariam Eleonoram, tanquam primogenitam, si supervixisset fratri, ejus etiam filios, si quos reliquisset, non autem filiam, de se incapacem, & nullo privilegio habilitatam: tunc enim jus primogenii devolutum ad Annam Neoburgicam Eleonoræ sororem viventem & habilitatam, ejusque dein filium, pariter habilitatum.

Neque pactis dotalibus.

Denique *neque ullo privilegio novo* Annam Brandeburgicam fuisse habilitatam. Sed neque ex dispositione *juris communis* eam potuisse succedere: cum hic versemur in materia feudali, quæ certis qualitatibus affecta est. Hinc nihil evinci ex *L. Lucius de hæred. instit.* quæ loquitur de casu, quo dispositio a libera disponentis voluntate dependet, non autem, ubi de feudo agitur, cujus non omnes liberi sunt capaces, si sit rectum ac proprium.

Colligit deinde Argyrander in synopsin ultra 100 argumenta pro caussa Palatino-Neoburgica, & qualitate masculina feudorum in provinciis controversis; *primaque* classe exhibet catalogum fœminarum Principum, earumque hæredum, quæ in defectu Cæsarei privilegii a successione exclusæ sunt, ut Aleidæ Clivensis, Margaritæ Montanæ, Irmengardis Clivensis, Margaritæ Marcanæ, Theodorici Parvesii, & Ottonis Arculeii, filiorum Irmengardis, Engelberti Marcani Margaritæ filii, Joannæ Juliacensis, ejusque filiæ Mariæ Arculeiæ, hujusque successionis Egmondanæ.

29 Synopsis argumentorum.

In *secundam* classem refert fœminas, quæ Cæsarum concessione peculiari ad feuda sunt admissæ, sed certis conditionibus & restrictionibus, uti Mariam Juliacensem ex privilegio Maximiliani I, Sibyllam Saxonicam, ex privilegio Caroli V & Ferdinandi I, filias Wilhelmi, Ducis Juliæ, Cliviæ &c. ex privilegio Carolino, Ferdinandeo, Maximilianeo.

Classem *tertiam* conficit ex Principibus fœminis, quæ, licet propiores fuerint decedentibus feudi possessoribus, præteritæ nihilominus fuere ab Imperatoribus. *Quartam* ex investituris, a Cæsaribus feudi dominis collatis, cum expressa mentione *feudi recti*, uti a Sigis. Frid. III, Max. I, Carolo V, Ferdin. I, Max. II, Rud. II. *Quintam* ex iis Principibus, qui recurrerunt ad Dominum feudi super determinanda qualitate feudi, uti Guil. Juliac. Joan. II Cliv. Joan. III Cliv. Saxoniæ elect. Sibylla Sax. cum nobilitate Juliac. *Sextam* ex iis, qui recurrerunt ad dominum feudi super determinanda unione provinciarum.

*Septi-*

*Septimam* ex pactis dotalibus, in quibus fit mentio concessionis Cæsareæ, uti Saxonico-Clivicis, Prutenicis, Neoburgicis, Bipontinis, Burgaviensibus. *Octavam* ex oppositionibus adversus introductionem feudi promiscui attentatam: uti adversus sanctionem Adolphi, rejectam a fratre Gerardo, Sigismundo Imp. &c. adversus attentata Egmondanorum a Sigis. Frid. III, Max. I, Car. V, adversus pacta Julio-Clivica, adversus sensum Mariæ Eleonoræ tunc adhuc viventis &c.

*Nonam* ex præsumptionibus pro feudis masculinis, uti ex ratione & natura feudi, & fine ejusdem. Ex ratione feudi Regalis seu Ducalis. Ex attestatione Caroli IV de solido feudorum more. Ex archivo Clivensi. Ex diversitate investiturarum in feudis promiscuis. Ex jure statutario illarum ditionum. Ex datis exspectantiis in eventum deficientis lineæ masculæ, a Frid. III, & Max. I. Ex reluitione ejusmodi exspectantiarum. Ex consensu reliquorum in hac caussa prætendentium, uti Saxonum, Neoburg. Bipont. Burgav. Marcan. Bullion. Ex transmissione juris Burgavici ad Domum Neoburgicam, a Ferdinando II Cæsare approbata. Ex solutis partis adversæ argumentis. Ex persolutis 50000 aureorum Maximiliano I pro obtinenda habilitatione Mariæ Juliacensis. Tantam enim summam neutiquam fuisse expendendam, si illa jam ante fuisset feudorum capax.

Præsumptiones.

Pergit deinde Lucius Veronensis ejusque *Hyperaspistes* (*Albertus Curtius*) probare, in solum Wolfgangum Wilhelmum, Ducem Palatino-Neoburgicum omnia jura cadere, ex mente & verbis privilegii Cæsarei. Requiri enim 1. *Ut filii omnes, eorumque hæredes masculi decesserint*: quod factum anno 1609. 2. *Ut sorores aliquæ sint, quæ hæredes masculos habeant*: quales erant Anna Neoburgica, & Magdalena Bipontina. 3 *Earumque natu major in solidum succedat*. Quibus characteribus Anna Neoburgica, tempore mortis fraternæ natu major, ejusque filius designetur. Contra vero Annam Brandeburgicam, Eleonoræ filiam, non esse filium Wilhelmi, nec filiam, nec filiarum masculum hæredem. Ergo Carolino diplomate esse exclusam.

Pro Neob.

Non posse a tribus & ultra sæculis vel unicum exemplum produci, quo probetur, in illis ditionibus fœminam ullam Principem, sine expressa Cæsaris habilitatione, & obtento desuper peculiari privilegio, successisse. Posse vero Neoburgicos compluribus indubitatis exemplis demonstrare, exclusis primogeniti filiabus successisse patruos, aut agnatos.

Non posse ex ulla infeudatione Cæsarea deduci fœmineam feudorum qualitatem verbis expressam, ut alioquin moris sit in feu-

dis fœmineis, etiam minoris æstimationis. Posse contra continua serie a Cæsare Sigimundo, Frid. III, Maxim. I, Carolo V, Ferd. I, Max. II, Rud. II demonstrari, ditiones illas agnitas in ipsis infeudationibus tanquam feuda *recta*

Non posse ullum apicem produci, quo sanctio Adolphi de anno 1418, aut pacta connubialia anni 1496, aut recessus inter duces de successione fœminarum confirmentur. Posse vero ostendi expressis Cæsarum verbis, petitioni illi Principum a Cæsaribus non aliter delatum, quam, ut in defectum masculorum filiæ ac filiarum masculi hæredes succedant, immutata nullatenus feudi natura & qualitate, idque verbis Max. I, Caroli V, Ferd. I, Max. II; illos vero antiquos, qui has ditiones prætenso titulo qualitatis fœmineæ aut promiscuæ occupaverant, habitos esse ab Imperatoribus feudi dominis invasores & bannitos, uti Egmondanos. In feudis etiam secundariis illarum ditionum, ut Geneppensi, peculiari Cæsaris privilegio opus fuisse, ut fœminæ possint succedere. Idem in majoribus.

Nam Mariam Juliacensem peculiari privilegio Max. I, atque ex speciali gratia ad humilem instantiam patris VVilhelmi Ducis feudorum capacem redditam; alioquin ad Imperium relapsura fuisse, juxta expressa verba Maximilianei privilegii, magno conatu patris, & sumptu soceri impetrati. Sibyllam Saxonicam, Mariæ habilitatæ filiam non fuisse capacem successionis, donec novum habilitationis diploma a Carolo V obtineret. Idque persuasum sibi habuisse maritum Electorem, parentem, matremque. Igitur nec Annam Electricem Brandeburgicam absque tali privilegio potuisse succedere; licet mater ejus Leonora quoad personam suam fuerit habilitata. Neque ex pactis Prutenicis seu Borussicis dotalibus posse jus aliquod accersiri; nam pacta illa se fundare in privilegiis Cæsareis, non vero in sanctione Adolphi, a Cæsaribus nunquam approbata, de qua in illis pactis nec mentio. Sibylla Saxonica.

Sed neque ex pactis dotalibus Neoburgicis, anno 1574 initis; nam in his placuit quidem, *ut, si Eleonora, Ducissæ Borussiæ, major natu filia, in casum deficientium masculorum succederet, Annæ* (secundo genitæ filiæ) *& ipsius hæredibus rata sit pecuniæ summa,* (25000 aureorum) *quemadmodum pactis Prutenicis & alias ordinatione provisum.* Et infra: *alias vero, si filia nostra major etiam sine legitimis hæredibus decederet, filia nostra Anna, tanquam post Mariam Eleonoram major natu, aut ejus defunctæ legitimi hæredes in ejus vestigia succedant.* Et renuntiationis Neoburgicæ hæc summa: Pacta Neoburgica.

Renuntiamus paternæ & maternæ hæreditati in ſolidum &c., ita tamen, ut ſi Illuſtriſſimi Principes Carolus Fridericus & Joannes Guilielmus, noſtri dilecti fratres, abſque hæredibus maſculis decederent, noſtro D. Marito, nobis & noſtris ſucceſſoribus, iis, quæ prædictis pactis reſervata ſunt, nullo modo renuntiemus.

Verum hæc omnia intelligenda ſecundum pactiones Prutenicas, has vero ſecundum diplomata Cæſarea, ad quæ ſe referant: diplomata autem illa ſatis exprimere quales hæredes Eleonoræ ſint intelligendi, nempe maſculi, quales nullos habuerit. Et hinc Duces Boruſſiæ adverſus hanc renuntiationem proteſtatos anno 1579, eo quod omiſſa ſit Eleonoræ, ejusque hæredum mentio &c. Palatinum vero adverſus hanc proteſtationem viciſſim eſſe proteſtatum, reſervatis ſibi omnibus juribus ex Cæſareo privilegio ſibi competentibus.

Diſſertatio Linkii. Addunt denique diſſertationem Joannis Georgii Link J. C. in qua ait, omnes fœminas in feudis admitti, ſi indefinite conventum ſit, ut admittantur: ſecus, ſi certæ perſonæ nomen expreſſum: tunc enim jus ſuccedendi non egredi perſonam illam. Wolfgangum Wilhelmum non magis avunculo ſuo Joanni Wilhelmo ſuccedere, quam avo materno Wilhelmo, cum in feudo antiquo quis non ultimo defuncto, ſed primo acquirenti ſuccedat, cauſſamque ſuam non ab ultimo, ſed a primo habeat. Eum igitur ratione privilegii ſucceſſionis, & juris primogenituræ, atque majoratus, & conſuetudinum communium feudalium in unitis per unionis privilegium ditionibus, tanquam maſculum, & ſeniorem in deſcendenti Wilhelmi linea ſolum ſuccedere debere.

## § III.

### *Argumenta pro cauſſa Bipontina.*

30 Ducatus Juliæ, Cliviæ, Montium, & Comitatus Marchiæ ac Ravenſpergæ &c. feuda eſſe *recta*, propria, maſculina, ſentiunt Neoburgici, Bipontini, Saxones: negant ſoli Brandeburgici, ut dictum hactenus. At vero feudis hiſce unum ſolum hæredem ſuccedere ex privilegio unionis ſentiunt Brandeburgici, Neoburgici, Saxones; negant Bipontini, dicuntque: eas provincias inter ſorores judicio familiæ erciſcundæ fuiſſe dividendas. Nam

Æqualitas gradus. Omnes 4 ſorores, ut per ſe patet, æquali gradu a primo acquirente, & ab ultimo poſſeſſore Joanne Wilhelmo, diſtare; omnes proin ſecundum Juris Communis diſpoſitionem æqualiter debere ſuccedere. Rurſus: æqualiter omnes ad feuda a Carolo V fuiſſe

fuisse habilitatas anno 1546, hanc habilitationem fuisse confirmatam a Ferdinando I anno 1559; & hinc jus primogenituræ & unionis non subsistere; cum sit intelligendum secundum privilegium Carolinum, quo omnes Wilhelmi filiæ in defectum masculinæ successionis æqualiter vocantur, earumque legitimi masculi, absque distinctione lineæ. Nam vocatos esse primo filios Wilhelmi, eorumque legitimos hæredes masculos: secundo filias Wilhelmi indefinite: tertio filiarum legitimos hæredes masculos, nulla primogenituræ facta mentione. Cum igitur per Carolinum privilegium omnibus sororibus æquale jus sit acquisitum, non potuisse illas postea eodem privari. Et hinc contra renuntiationes filiarum tot protestationes & contra-protestationes. Et ita etiam sensisse Neoburgicos, & Burgavios, cum Maria Eleonora primogenita adhuc viveret.

Omnes habilitatæ æqualiter.

Postquam autem Eleonora obiit ante fratrem, & filium nullum reliquit, exspirasse jus Eleonoræ, neque transmitti potuisse in Annam filiam, Joanni Sigismundo Electori Brandeburgico nuptam; cum ea nunquam fuerit habilitata ad succedendum in his feudis masculinis, ac proin successionis sit incapax. Neque succedere potuisse filios Annæ, cum non potuerit in filios transferre jus, quod ipsa non habuit, & per Carolinum diploma non sint vocati Wilhelmi ex nepte pronepotes, sed Wilhelmi filiæ omnes, & earum filii. 31

Jus Leonoræ exspirasse.

Cum igitur extincto jure Borussico, Sibylla Burgavia improlis decesserit, ad solos Palatinos, Neoburgicum & Bipontinum, jus fuisse devolutum; cum utrinque sorores fratri supervixerint, & masculis hæredibus jam fuerint ornatæ; hos enim designari per diploma Carolinum, quod hic pro norma habendum, & reliqua illi superstruantur. Vocari nempe illo post defectum stirpis masculæ Wilhelminæ filias & earum masculos.

Neque novum fore, si provinciæ illæ dividantur; nam ab antiquissimis temporibus fuisse divisas, & ad totidem pertinuisse dominos: sicut igitur Cæsarum favore conjungi potuerint, sic eodem etiam potuisse disjungi, & ad naturam suam pristinam redire: ut eo plures Cæsar & Imperium Romanum vasallos habeat. Brandeburgicos & Neoburgicos fecisse divisionem ditionum, non obstante decreto unionis. Cur ergo non aliæ etiam filiæ in partem divisionis venirent? Plura alia a Wilhelmo Duce aliisque Majoribus fuisse statuta circa religionem conservandam, & tamen non esse observata; cur ergo sola illa unio ditionum servanda, præsertim cum ipsi possessores eandem jam sæpius disciderint?

Verum contra hæc opponunt competitores reliqui, unionem provinciarum, a Principibus earum factam, & a Ferdinando I Imperatore & Max. II approbatam, confirmatamque; nec Carolum V aliter filias omnes habilitasse, nisi ut primogenita ex illis sine filiis decedente succedat altera in solidum, & sic deinceps. Idem colligi ex pactis connubialibus Neoburgicis & Bipontinis, in favorem Eleonoræ primogenitæ factis. Nunquam illas Principes fuisse renunciaturas, & primum in defectum Eleonoræ sibi jus reservaturas, si omnium sororum par fuisset conditio.

Unio.

## § IV.

### *Argumenta pro caussa Saxonica.*

32 PRioribus competitoribus contradicit Domus Saxonica, tam Albertinæ quam Ernestinæ stirpis, ex diversis tamen nonnihil principiis. Nam, ut supra in Relatione Historica memoratum, anno 1483 Albertus Animosus, Marchio Misniensis & Dux Saxoniæ, propter præclara in Belgicis & Hungaricis bellis collecta merita *exspectantiam*, ut vocant, feudorum Juliacensium & Montensium accepit a Friderico Imperatore, in eventum scilicet, si per obitum Wilhelmi Ducis Juliacensis (qui tunc improlis erat) feuda illa Imperatori & Imperio, vel alias (*e. g. per feloniam*) aperta fierent. Quod postea anno 1486 & 1495 a Max. I confirmatum fuit.

Exspectantia.

Cum igitur anno 1511 Wilhelmus moreretur, relicta unica filia Maria (quam Max. I ad feudum habilitaverat) hujus maritus Joannes Clivensis Juliæ & Montium possessionem arripuit, protestante Saxone. Cæsar partem utramque Augustam citavit; sed caussa indecisa ad proxima comitia fuit remissa. Nec ibi quidquam definitum. Quin imo postea Carolus V Joanni Clivensi infeudationem contulit; exceptionem nullitatis interponente Saxone. Cui responsum, id factum salvis ipsius juribus. Varii dein congressus habiti, anno præsertim 1525, at sine fructu. Clivensis mansit in possessione. Saxo incassum jus suum urgebat; nisi quod præscriptionem possessorum impediisse videatur.

Protestatio.

Quare, ut eo certius Domus Saxonica jura sua consequeretur, Princeps Electoralis, ex stirpe Ernestina, Joannes Fridericus, anno 1526 duxit *Sibyllam*, Joannis Clivensis & Mariæ Juliacensis filiam, eo pacto nuptiali, ut, si contingeret, ejus parentes nullos masculos hæredes relinquere, aut hos sine hæredibus decedere, Julia, Clivia, Montes, Marchia, Ravensperga &c. Sibyllæ ejusque conjugi,

Sibylla.

Pacta.

jugi, atque utriusque de corpore hæredibus obtingant, salvis cæteroquin Saxoniæ juribus in casum aperturæ. Atque hæc pacta a Carolo V anno 1544 sunt confirmata. Qui tamen biennio post Wilhelmo & Mariæ Austriacæ ejus conjugi aliud privilegium dedit, ut videlicet, in defectum filiorum & masculorum hæredum, filiæ earumque masculi hæredes succedant. Wilhelmi autem stirpe mascula anno 1609 extincta, Saxones rursus casum aperturæ suæque infeudationis adesse contendebant.

33 Fundamentum, quod sint masculina.

Atque imprimis cum Neoburgicis, Bipontinis, & Burgavicis in eo contra Brandeburgos conveniebant, quod feuda illa non sint promiscua sed *recta*, *propria*, *masculina*, neque huic qualitati feudi quidquam derogari per hoc, quod in certis casibus ex singulari provisione & indulgentia Domini directi in fœminas reciderint, imo ex hoc ipso confirmari haud obscure masculinam conditionem, quod speciali provisione & gratia opus sit, ut fœmina possit succedere, atque post ejus mortem ad masculos revolvatur; adeoque nec nomen suum nec naturam mediante fœmina immutet.

Itaque tametsi a parte adversa multi casus exhiberentur, quod ditiones illas fœminæ possedissent, ex eo tamen qualitatem feudi fœminei probatam non fore, ita, ut deinceps etiam fœminæ in defectum masculinæ stirpis admitti possent. Sed hoc ex Cæsaris infeudationibus, & aliis fide dignis documentis probari debere; nimirum quod ab antiquo fœminis cum qualitate feudorum fœmineorum, collatæ fuissent. Quod hactenus probatum non sit.

Ex diplomatis.

Multo potius autem probari posse, quod a Cæsaribus & S. R. Imperio rationem habuerint feudi *recti*, *vexillati*, *proprii*, ac *masculini*. Sic jam anno 1425 Adolphum fuisse a Sigismundo Imp. hoc pacto investitum, ut ipse & ejus hæredes feudales masculini sexus semper tanquam recta, Principalia feuda ditiones illas habeant. Quemadmodum jure Principali feudorum receptum. Post mortem autem Adolphi non ad ipsius filias sed ad alios feudorum capaces devenisse. Similem investituram pro se suisque feudalibus hæredibus accepisse Gerardum Ducem a Friderico III Imp. anno 1448, sic pariter investitum ab eodem Cæsare Wilhelmum Gerardi filium. Eadem ratione inauguratos etiam Cliviæ Duces, & Marchiæ Comites: prout manifestis documentis publicis & Cæsareis infeudationibus sit expressum.

Ex iis porro esse perspicuum, feuda illa esse *vexillata*, ut adeo Duces Juliæ & Montium in Comitiis sessionem & votum habeant. Atqui in dubio omnia alta, Principalia, & vexillata Imperii feuda

pro masculinis esse habenda: ad quæ filiæ, etiam in defectum masculorum, absque peculiari providentia & habilitatione neutiquam admitti debeant.

Atque hinc ab Imperatoribus Friderico III, Max. I &c. concessionem gratiosam Domui Saxonicæ factam in eum eventum, si per mortem Wilhelmi Ducis, ex defectu masculini hæredis, Juliæ & Montium feuda aperirentur Imperio: uti etiam a Carolo V pacta dotalia Sibyllæ & Joannis Friderici ita esse confirmata, ut ratio feudorum non mutetur, & post mortem Sibyllæ ad masculos ejus hæredes devolvantur. Quæ nisi ita essent, frustraneam fuisse tantam sollicitudinem Wilhelmi Juliacensi & Joannis Clivensis apud Max. I & Carolum V pro habilitatione filiarum.

34 Responsio ad exceptionem. Respondent deinde Saxones in sua deductione ad Argumentum petitum *ex Historicis*, quod neque ex Cæsareis diplomatibus, neque ex Archivis publicis, sed vel ex propriis excogitatis, vel ex vana informatione aliorum historicas narrationes conscripserint. Vidisse illos, per nuptias quandoque ditiones fuisse conjunctas, atque ex eo mox arguisse, feuda illa esse promiscua, quin indagarent, quare, quomodo, quibus pactis, & cujus beneficio aut privilegio fuerint conjunctæ, quæ ex diplomatibus, infeudationibus, atque documentis publicis Archivorum sint petenda.

Sed neque *consuetudinem*, quæ forte vigeat in Geldria, aut aliis etiam Belgii provinciis, posse extendi ad ditiones istas Germaniæ controversas; cum consuetudo strictissimæ sit interpretationis, nec de loco ad locum producenda, sed in specie, ut inquiunt, specialissima probanda, & (ut Baldus ait) tantum habeat de potentia, quantum probatur de usu.

Cum itaque feuda illa sint masculina, post mortem Wilhelmi Juliæ Ducis anno 1511 evenisse casum, quo Domus Saxonica, ex concessione & promissione Friderici III & Max. I, succedere debuerit in ducatibus Juliæ & Montium; cum eo tempore feuda illa masculina Imperio fuerint aperta, nec sine præjudicio Domus Saxonicæ Maria, Wilhelmi filia, potuerit ad illa habilitari. Atque hoc eo patentius elucere, quod eventualis ea feudorum collatio non fuerit gratuita, sed omnino *remuneratoria*, ad compensanda videlicet præclara merita, & expensas, ab Alberto Duce in Belgio, Burgundia, & Hungaria in Imperatorem & Imperium factas.

Jus Sibyllæ. Hoc Saxonum jus stabilitum adhuc magis fuisse per pacta dotalia Sibyllæ, Joannis Clivensis & Mariæ Juliacensis filiæ, quæ Joanni Friderico, Saxoniæ tunc Principi Electorali, nupta, ex confir-

matione

matione Caroli V dotales eas provincias Juliæ, Cliviæ, Montium, Marchiæ &c. ad maritum ac maſculos hæredes attulerit in caſum, quo Wilhelmi ejus fratris maſcula progenies deficeret. Cum igitur hæc anno 1609 in Joanne Wilhelmo extincta ſit, gemino titulo, & *exſpectantiæ* datæ, & pactorum nuptialium ad Domum Saxonicam jura illarum ditionum fuiſſe rurſus devoluta: ac proin rurſus in præjudicium tertii, & contra diplomata Friderici III, Max. I, & contra ſua propria, Carolum V filias VVilhelmi & Mariæ Auſtriacæ habilitaſſe: cum poſt mortem Joannis VVilhelmi, utpote Imperio aperta, ad Domum Saxonicam devolvi debuiſſent.

Neque dici poſſe, jura illa per præſcriptionem fuiſſe extincta, licet Joannes Clivenſis, ejusque filius ac nepos centum prope annos in poſſeſſione fuerit. Nam poſſeſſionem iſtam, utpote armis a Joanne Clivenſi arreptam, tot proteſtationibus, implorationibus, ſupplicationibus, petitionibus apud ſupremum feudorum dominum, atque in Comitiis Imperii interpoſitis, impetitam, ac toties interruptam, nec quietam, nec continuam, nec bona fide fuiſſe animatam; præterquam, quod propter continua bella, aliaque impedimenta judicialiter agendi præſcriptio currere non potuerit. Nulla præſcriptio.

Sed neque objici poſſe, conceſſionem Friderici III Imp. fuiſſe irritam, ob defectum conſenſus Electoralis, aut quod capitulationibus Cæſareis cautum ſit, ut non fiat eventualis feudorum promiſſio, ſed ea aperta patrimonio Imperii uniantur. Nam hanc diſpoſitionem primum cœpiſſe per capitulationem Caroli V, prius autem Imperatoribus fuiſſe integrum, feuda aperta conferre, ut ex ipſa Aurea Bulla *tit.* 5 & 7 perſpiciatur. Quare Friderico III & Maximiliano manus neutiquam fuiſſe ligatas, quo minus Domui Saxonicæ gratiam *exſpectativam* conferrent. Dein ſi Maximilianus I & Carolus V (etiam poſt capitulationem) potuerint ea feuda conferre quibusdam Principibus fœminis, feudorum de ſe incapacibus, cur non Principibus viris, eorum capacibus? Exſpectantia valida.

Nec majoris eſſe roboris exceptionem illam, qua dicunt, ſequentes Imperatores non fuiſſe ligatos Friderici III ſponſione, cum is deceſſerit, antequam feuda aperirentur, per *text.* 1 *feud.* 3 & 2 *feud.* 35, imo Friderici & Maximiliani promiſſionem penitus exſpiraſſe, poſtquam Carolus V Joannem III Clivenſem infeudaverit; quod facere debuerit, ne alias Joannes Galliæ ſe jungat. Præſertim cum dubium fuerit, an per extinctionem maſculinæ ſtirpis feuda illa fuerint aperta: nec faciendam uni gratiam cum alterius injuria. Merita Saxonum, teſte Heutero *lib.* 5 & 7 *Hiſt. Belg.* aliunde ſatis 35 Aliæ exceptiones.

tis fuisse compensata, & gratiam exspectationis rursus sublatam: prout Maximilianus I reversalibus litteris promiserit, ratione hujus exspectantiæ Saxonibus, alia via satisfacere. De cætero non minora fuisse Domus Clivensis & Juliacensis merita.

Responsio. Hæc enim omnia nihil relevare contendunt Patroni caussæ Saxonicæ. Feudum *laicum*, ab antecessore feudi Domino directo promissum, a successore debere conferri promissario, licet promittens decesserit ante aperturam. 2 *feud.* 26 §. 2: textus autem allegatos 1 *feud.* 3 & 2 *feud.* 35 loqui de feudis Ecclesiasticis & bonis Ecclesiæ. Imo etiam 1 *feud.* 3 manifestam fieri distinctionem inter feuda Ecclesiastica & Laica, atque horum collationem promissam a successore omnino executioni dandam.

Infeudationem Joannis Clivensis Domui Saxonicæ nullum potuisse afferre præjudicium, cum ea non solum ob- & subreptitie sit obtenta, sed etiam cum clausula *salvo jure tertii* collata: maxime, cum ipse Cæsar Carolus V anno 1521 9 Sept. litteris ad Electorem & Saxoniæ Duces scriptis declararit, eam Clivensis investituram Domus Saxonicæ juribus nihil derogare debere, se ea in caussa, quod justum esset, definiturum. Clivensem interim investiendum fuisse, ne partibus Gallicis accedat. Feuda illa non esse promiscua, sed omnino recta, propria, ac masculina, alias abunde fuisse probatum: ac proin casum exspectantiæ evenisse: nullam igitur Clivensis futuram fuisse injuriam, si Domus Saxonica secundum æquissima promissa fuisset investita. Merita Domus ejusdem Saxonicæ erga Imperatores & Imperium esse indubitata. Ex clausula autem generali de meritis Domus Clivensis nihil admodum probari, cum ea clausula omnibus passim privilegiis inseri soleat.

Exceptiones contra Sibyllam. Sed neque ea, quæ contra jura Ernestinæ stirpis opponuntur, esse solida; dum scilicet partes adversæ dicunt, ex pactis dotalibus Sibyllæ & Joannis Friderici Electoralis Saxoniæ Principis, a Cæsare licet approbatis, nihil erui, eo quod ejusmodi pacta & conventiones sint strictæ interpretationis, & ad casus in iis non expressos non extendendas; jam vero pacta nuptialia Sibyllæ ad eos tantum casus esse restricta, si Joannes & Maria *nullos masculos hæredes* relinquerent, aut *isti nullos hæredes* relinquerent, neutrum autem ex his casibus evenisse; cum ex eo matrimonio natus sit Wilhelmus, & ex Wilhelmo Carolus Fridericus & Joannes Wilhelmus. Quamobrem conditionem substitutionis, in pactis nuptialibus expressam, penitus esse extinctam.

Addi-

Additam insuper in declaratione Cæsareæ confirmationis eam conditionem, ut, nisi usque ad tempus eventualis successionis Religionis dissidia componantur, Elector Joannes Fridericus ejusque hæredes incolas Juliæ, Cliviæ, &c. in Religione Catholica penitus absque molestiis relinquant. Quam conditionem nisi ratam habeant, Cæsaream confirmationem nullam fore. Uti etiam, ut Elector ejusque hæredes omnia jura & prætensiones ad aliqua Geldriæ bona abdicent, eaque Cæsari, tanquam Geldriæ Duci, cedant. Ut silentio prætereatur illa conditio, si conjugium inter primogenitum Electoris filium & Eleonoram Ferdinandi Regis filiam successum habeat. Hanc autem conditionem non esse impletam.

Denique licet hæc omnia subsisterent, omne tamen successionis jus Ernestinæ stirpis per proscriptionem Electoris Joannis Friderici fuisse extinctum: ac propterea eodem tempore Wilhelmo, Cliviæ ac Juliæ Duci, privilegium successionis filiarum a Carolo V fuisse impertitum.

Hæc, inquam, non esse solida, contendunt Saxones Ernestini; nam conditionem, pactis Sibyllæ nuptialibus appositam, ad extinctionem masculinæ stirpis Julio-Clivensis fuisse relatam, sive dein illa in primo aut secundo, aut ulteriori gradu contingeret. Nam parentes Sibyllæ præ oculis habuisse primo hæredes suos masculos, eorumque masculam progeniem, hac vero extincta filias suas & earum hæredes masculos.

Banno solum Joannem Fridericum Electorem fuisse tactum, non autem Sibyllam conjugem, ac proin huic ejusque masculis hæredibus jus succedendi in solidum accrevisse; præterquam, quod Elector anno 1552 in omnia pristina jura fuerit a Cæsare restitutus. Non autem fuisse necessarium, ut jurium Julio-Clivensium specialis mentio fiat; cum genus includat omnes species. Confirmata etiam alias sæpius a Cæsaribus jura Saxonica, ac proin etiam jus in illas provincias. Cæterum, postquam Gustavus Samuel Leopoldus Dux Bipontinus anno 1731 decessit, si (quod DEus avertat) stirps Neoburgica deficeret, nullum habilitationis privilegium amplius obstiturum, quo minus domus Electoralis Saxonica ex infeudatione, a Friderico III aliisque Imperatoribus Alberto Animoso, ejusque hæredibus feudalibus promissa, succedat.

Verum hæc omnia, quæ de plurium Principum juribus controversis hactenus retuli, non ex meo sensu, sed ex diversis hac de caussa scriptoribus descripsi, non alio fine, quam aliqualis eruditionis gratia, salvo per omnia cujuscunque jure.

## § 5.

### *Prosecutio relationis historicæ de caussa Juliacensi.*

36 Gesta post 1609. POstquam Joannes Wilhelmus Juliæ, Cliviæ &c. Dux, animo & corpore infirmus Princeps anno 1609 absque liberis obiit, Brandeburgus, quod dixi, & Neoburgicus in possessionem provinciarum se ipsos immiserunt, reclamante Saxone, atque ad illius preces, missis pœnalibus mandatis, vetante Cæsare. Cumque hæc nihil proficerent, misit Leopoldum Archiducem, Argentinensem tunc & Passaviensem Episcopum, cum copiis, quarum ope provincias controversas in depositum sequestre usque ad caussæ definitionem recipiat.

At possessores per Tremoniensem conventionem uniti, communemque ditionum omnium administrationem inter se pacti, Hollandicis ac Gallicis quoque auxiliis adjuti, vi armata recuperant oppida, quæ Leopoldus occupaverat, exclusis Saxonibus, quos in partem possessionis admitti Cæsar jusserat. Quapropter Rudolphus II anno 1610 Electorem Saxoniæ, ejusque fratres & agnatos investivit, salvo tamen jure aliorum. (teste Burgoldensi *ad instr. pac. p.* 1 *disc.* 32 § 7) quod idem repetitum a Mathia 1613, a Ferd. II 1621, a Ferd III 1638 & 1641. Voluisse quidem fertur Elector Brandeburgicus in conventu Jütterbacensi Saxones in tertiam possessionis partem anno 1611 admittere, sed Anna uxore & Neoburgicis reclamantibus nihil actum.

37 Bellum. Neque inter possessores diu concordia stetit. Sed anno 1613 ventum ad arma: hinc Batavis, inde Hispanis evocatis. Tentata anno sequenti pax: sed cum convenire inter eos non posset, bellum recruduit, ad annum usque 1629 protractum. Quo, transactione Düsseldorpii tentata, Neoburgicus Cliviam elegit. Verum, quia Batavi eum sibi vicinum nolebant, anno 1630 *Hagæ Comitum* in id conventum, ut Brandeburgo Ducatus Cliviæ, & Comitatus Marchiæ obtingeret: Neoburgico vero Ducatus Juliæ & Montium, cum Dynastia Ravensteinensi, Winnenthalensi &c. Ravensbergæ vero Comitatus utrique esset communis.

Divisio.

Novum bellum. Tametsi autem hæc transactio ad 28 annos fuerit per pactum adjectum extensa, propter comunem tamen illam *Ravensbergæ* administrationem novæ lites oriebantur, anno præsertim 1644; quare anno sequenti *Duisburgi* novus conventus habitus, ubi Brandeburgus factam anno 1630 divisionem impugnabat. Vicini pecus grandius uber habere visum. Cumque Neoburgicus transactioni standum

dum diceret, ille conventu soluto, copiis armatis in Montensem Ducatum immissis, Ravenspergæ Comitatum extorquet.

In tractatione pacis Westphalicæ omnes competitores caussam suam strenue urgebant. Sed quia difficile erat, rem adeo arduam definire, ad processum juris ordinarium, aut pacificam transactionem ineundam remissi sunt.

Verum Brandeburgo armis agere placuit. Quippe anno 1651 Neoburgici ditiones aggressus, mandato Cæsaris jussus a violentis consiliis absistere, atque rem in statu *uti possidetis* relinquere, ad annum usque 1663 quievit. Eo autem novam divisionem urgens, sacros homines ditionibus suis ejecit. 38 Tertium bellum.

Tandem anno 1666 cum Philippo VVilhelmo Duce Neoburgico perpetuum successionis hæreditariæ pactum iniit: cujus præcipua hæc sunt capita. Pactum de succedendo.

Domus ambæ desistant a lite successionis hæreditariæ, tamdiu hactenus qua armis, qua juris ambagibus, agitata: rogantque, ut Cæsarea Majestas processus, ea super re ventilatos, abroget, irritetque. Adversus reliquos autem competitores statuunt, seu armis, seu juris ordine viribus unitis sua jura defendere. Pars utraque pleno omnium provinciarum titulo utatur. Damna illata æqua portione ferat. Brandeburgus Cliviam, Marchiam, & Ravenspergam, Neoburgicus vero Juliam & Montes possideat: quibus accessit Ravensteinium pro Meursiæ Comitatu, Brandeburgicis remisso. Statuta successio *reciproca*, si domus alterutrius masculi hæredes deficerent.

Imperator Leopoldus hanc transactionem & pactum mutuum de succedendo ratum habuit, *salvo tamen aliorum jure.* At vero Saxoniæ Principes in comitiis Ratisbonensibus protestati, rogabant Cæsarem, ut confirmationem retractet; transactio, tanquam injusta, & VVestphalicæ Paci contraria, rescindatur, & partes ex ejusdem præscripto ad viam juris ordinariam remittantur. Brandeburgus vero & Neoburgicus declararunt, se per eam transactionem & pactum successionis reciprocæ domui Saxonicæ nihil velle præjudicare. Saxo protestatur.

Obtinuerunt nihilominus Saxones, ut ratione harum provinciarum nullum in comitiis Imperialibus votum ad litis usque decisionem admitteretur. Cæterum tempore illo, quo conventio ista fuit inita, magna adhuc pars Clivensium ditionum Batavorum præsidiis tenebatur: sed eas dein Gallus occupavit, & anno 1674 Brandeburgo restituit. Et hæc quidem de statu politico.

## § 6.

### *Relatio Historica de Religione.*

39 Quod vero ad statum Religionis pertinet, fuit ille per hæc dissidia, & Acatholicæ professionis possessores, miserandum in modum devastatus. Floruit sane Religio in his provinciis quam spectatissime, ad bonorum solatium, donec tota malorum lerna per Germaniam sese diffudit. Joannes & Maria optimi Principes, sed mature nimium subducti. Post eos Guilielmus filius Catholicæ quidem Religionis ad supremum usque spiritum retinentissimus, qui tamen ad suffocandas omnes scintillas non suffecit.

Sub Wilhelmo.

Pacta Venlonensia.

Primis juventæ ausibus cum Carolo V, ut Geldriam servaret, commissus statim intellexit, quanto id Religionis periculo factum esset. Igitur *pactis Venlonensibus* utrinque præcipua Religionis cura fuit. Atque anno 1543 in has Cæsaris victoris leges lubens consensit, ut omnes suas ditiones & subditos in Catholica fide conservet, & nullam penitus innovationem, aut mutationem faciat, aut fieri permittat: & si quid jam per ejus subditos aut alios mutatum esset, ipse cum omni diligentia, ut tollatur, curet. Quæ omnia Ducis manu & sigillo firmata sunt.

Secuta est paulo post confirmatio pactorum nuptialium Saxonico-Clivicorum, sed ea conditione, ut, si interim de Religionis caussa non conveniretur, & Electori Joanni Friderico grave esset, ditiones ea conditione possidere, ut in sua antiqua Religione omnino permaneant, tunc prædicta Cæsareæ Majestatis confirmatio infructuosa & inutilis sit, ac Elector ejusque hæredes propterea jus nullum ad provincias habeant.

Anno 1554 edictum ab eodem Wilhelmo adversus eos, qui tum temporis *Sacramentarii* & *Fanatici* dicebantur, editum est: ut videlicet omnes, qui tenent, quod in SS. Altaris Sacramento verum corpus & sanguis Christi non substantialiter, sed tantum figuraliter, vel mystice adsit, illi non ferantur, sed ex ditionibus exbanniti bonis spolientur; uti etiam concionatores & doctores non debite & legitime vocati. Tumultuante dein Belgio adversus Regem Catholicum, curas suas adhuc magis intendit, ne quid inde mali afflaretur.

Pacta nuptialia.

Quin ut deinceps etiam provinciis consulatur, pactis connubialibus anni 1572 sedulo cautum est, ut, si contingeret, Mariam Eleonoram in illis succedere, nulla novatio inducatur, sed potius in antiqua Catholica & Apostolica Religione permaneant, & contra-

traveniri neutiquam permittatur : idque ab Alberto Friderico ejusque hæredibus, dum ſubditi homagium eis præſtant, firmiter ipſis promittatur, & litteris ac ſigillis muniatur. Ecce! quibus pactis & conditionibus alligatum ſit jus Brandeburgicum in eas provincias: & quali ſtatu fuerint, dum ad filias Wilhelmi pervenerunt.

Equidem a novis poſſeſſoribus de Religione Ordinibus patriæ binis litteris anno 1609 primum Duisburgi, dein Düſſeldorpii cautum fuerat, ut Romana Catholica & aliæ Chriſtianæ Religiones, ſicut paſſim per Imperium Romanum, ita & in his provinciis, *pro ut defacto in uſu & publico exercitio ſunt, ſic deinceps continuentur &c.* Cum autem tunc temporis ſolius Catholicæ Religionis exercitium publicum in ſingulis ditionum locis eſſet, exceptis paucis, in quæ ſub extrema tempora Guilielmi Ducis ejusque filii, contra juſſa Principum, magiſtri novarum Religionum irrepſerant, factum eſt ut conniventia & æmulatione novorum Principum, quorum alter erat Reformatæ, alter Auguſtanæ confeſſionis, novi magiſtri certatim contra pacta & promiſſa ſuperiora introducerentur. **Non ſervata.**

Poſtquam vero Wolfgangus Wilhelmus Dux Palatino-Neoburgicus, relicta confeſſione Auguſtana, anno 1614 Düſſeldorpii Catholicam majorum fidem publice eſt profeſſus, ducta in matrimonium Magdalena, Maximiliani Bavariæ Ducis ſorore, multo quam antea diligentius eo cœpit intendere, ut (quod Wilhelmus ſocer ſtatuerat, quod in pactis connubialibus conventum, quodque ipſimet novi poſſeſſores initio ſancte promiſerant) Catholicæ Religionis exercitium in iis locis, ubi antea fuiſſet, curate obſervaretur; dimiſſis ejectisque, qui contra pacta hactenus introducti fuerant, aut irrepere conabantur. Idque ideo magis, quod in pactis connubialibus tam Boruſſicis quam Neoburgicis, quibus Ducis Wilhelmi filiæ elocatæ ſunt, & unde jus ſuum utrique in has provincias deducunt, expreſſe, ut dictum, cautum conventumque fuit, ut, ſi forte harum ditionum hæreditas ad filias perveniret, nihil in iis circa Religionem innovaretur, ſed ubique antiqua, & vera Catholica Religio ſine obſtaculo omni ſancte coleretur & retineretur. 40 **Zelus Neoburg. poſt converſionem.**

At vero Brandeburgici contra exiſtimabant, non obſtare pactis nuptialibus, nec ſponſioni Ordinibus datæ, ſi aliarum etiam Religionum, quæ in Imperio toleratæ ſunt, cultores introducerentur; modo id ſine damno & injuria Catholicorum fieret, & illi inter hos quiete & pacate vivant. Ecce! quomodo Proteſtantes jure ſimultanei utantur, quando res ſua agitur. **Brandeburgi contraria ſtudia.**

Hæc igitur ſententiarum diverſitas crevit inter Principes poſſiden-

dentes, postquam provincias inter se partiti sunt. Quantum enim Brandeburgici pro cultu religionis promiscuo ubique introducendo laborabant, tantum contra nitebatur Palatinus, ut unitatem & decus solius Catholicæ juxta pacta & conventa conservaret.

Hollandorum crudelitas.

Contentio ista eo usque processit, ut se Status ordinum Hollandiæ immiscerent, atque ad Neoburgicum deterrendum a proposito, per vicinarum urbium Rheinbergæ & Orsoyæ præsidia Parochos, & Religiosos, quotquot possent, ex Ducatibus Juliacensi & Montensi captivos abducerent, duraque ac diuturna aliquot annorum custodia detinerent; in qua etiam nonnulli squalore consumpti sunt. Quo fiebat, ut, plerisque Catholicis Parochis metu diffugientibus, eorum subditi diu divini cultus exercitio carerent, multique interea infantes sine baptismo, adulti vero sine pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentis obirent.

Igitur Neoburgicus, ut se suosque his difficultatibus expediret, post missas ultro citroque litteras & legationes cum Burgstorffio Brandeburgi delegato anno 1647 Düsseldorpii super Religione ejusque exercitio ita transegit, ut Ecclesiæ earumque bona & proventus iis restituerentur, qui ea anno 1609 possedissent; exercitium vero Religionis ad illum modum haberetur, quo anno 1612 fuisset. Ea dein transactio ab Electore confirmata est, missique ab utroque Principe deputati Duisburgum executionem orsi sunt. Orsi, inquam, cum enim Brandeburgici a promiscuo Religionis usu nollent recedere, primas litteras reversales in sensum suum de Religionis omnimoda libertate detorquentes, re infecta discessum est.

41 Annus normalis.

Neoburgicus autem, cum haud multo post Pax VVestphalica ad exitum esset perducta, quoniam particulares transactiones non procedebant, ad illius observantiam confugit, & pro Religione restituenda annum normalem 1624 in Pacis instrumento præscriptum, assumere coactus est.

Bellum 1651.

Sed necdum quies. Nam Elector Brandeburgicus anno 1651 cum Electore Saxoniæ dies aliquot collocutus, Cliviam profectus est, præmissis copiis, quas e præsidiis suis eduxerat, & aliis subsequi jussis. Quatuor ferme erant millia, quibus Sparrium præfecerat. Mox Cliviæ mandatum publicatum, & in aliquot locis Juliacensis & Montensis Ducatus publice affixum est. Significabat eo Elector Ordinibus earum provinciarum & aliis inquilinis, venire se in has terras, ut juxta pacta & promissa majorum privilegia & libertatem earum, adversus varias Neoburgici injurias, in pristinum locum & vigorem restituat, atque ad hoc sibi uno vel altero lo-

Edictum.

loco occupato opus esse, ubi pedem figat. Neminem igitur hoc debere secus, ac ipse sentiat, interpretari. Mandat dein, ne quis deinceps Neoburgico contributiones ullas pendat, aut subsidium consilio vel facto ullum præstet, sed se unum suosque hæredes respiciant. Additæ minæ, si quis huic edicto obniti, aut Neoburgicum quovis modo juvare perseveraverit, se eum ablatis omnibus privilegiis pro hoste ac rebelli habiturum.

Hoc edicto evulgato miles Electoris eodem die arcem Angermondam vi armata aggressus est, cæsis primo impetu aliquot civibus: sed cum arx fortius, quam speraverat, resisteret, expilato vico & templo adjacente, vicina loca populantur, atque ad ipsas ferme Düsseldorpii munitiones progressi, villam Principis, abductis inde omnibus armentis & pecoribus, despoliant, adjecta comminatione, se propediem majori cum exercitu, & apparatu affuturos.

Interea Elector purgandi sui caussa ad Cæsarem miserat Blumenthalium, qui conquestus est, Neoburgicum ex ditionibus Juliacensibus, in quarum fruitionem nullo suo jure, sed solo pacis amore admissus sit, fere alterum tantum possidere, eoque intendere, ut suam ipse portionem augeat: Ravenspergam contra transactionem anni 1629 multos annos totam retinuisse: nec unquam veram pacem colere, aut judicis sententiam voluisse exspectare. Neque novissimam transactionem anni 1647 ab eo observatam. Auditum dicere, se armis acturum. Augustanæ & Reformatæ Religionis cultores exactos; atque Ordinibus Hollandicis occasionem datam, talionis legem in sacerdotes Catholicos exequendi, quos Elector ex eorum manibus vix eripere potuerit. Notam esse ipsius cum Duce Lotharingiæ singularem amicitiam, & cum vicinis ecclesiasticis Principibus colloquia. Juniorem etiam Neoburgicum aperte declarasse, ne unicum quidem pedem in Clivensi agro Electorem retenturum. Jure igitur suo egisse Brandeburgicos, ut suarum defensionem ditionum in tempore respicerent, atque imminenti tempestati præverterent. Prætextus.

Hanc legati querimoniam Neoburgicus publicato scripto protinus ita confutavit, ut pleraque negaret, ac temeritatem legati Brandeburgici coargueret, qui aures Cæsaris tam falsis criminationibus implere non erubuisset. Ex actis in hac caussa apud aulam Cæsaris ventilatis apparere, Neoburgicum priorem vacantium earum provinciarum possessionem cepisse, & non nisi pacis gratia Brandeburgicum in communionem admissum, nihilque hactenus Confutantur.

&

& etiamnum magis optare, quam ut res tandem judicio finiatur; quod Brandeburgici, haud dubie ex diffidentia caussæ, semper protraxissent. Transactionem anni 1629 sanctissime a se observatam, neque de comitatu Ravenspergensi plus obtinuisse quam duas Dynastias, reliquis duabus Electori relictis. Transactionem autem illam a Brandeburgicis ruptam, dum anno 1647 & nunc rursus armatas copias in Ducatum Montensem immiserint, eumque hostiliter sint populati, contra omnia divina ac humana jura, contra publicas Imperii constitutiones, ac nuperam pacem VVestphalicam. Reliqua accusationis capita de minis ac suspectis machinationibus, de exactis iis, qui Augustanæ aut Reformatæ Religionis sunt, tanquam vana & falsa, atque a malevolis hominibus Electori imposita, indigna esse responsione: & quantumvis vera essent, non propterea licitum fore Electori, sibi ipsi jus dicere, & continuo illud armis ac bello persequi.

42 Cæsaris mandatum.

Ad has querelas Cæsar respondit, non videri ejus momenti, ut propterea ad majorem provinciarum ruinam Elector Neoburgicum hostiliter invadat, ac novo per Imperium bello occasionem injiciat. Satis provisum esse constitutionibus Imperii & nupera pacificatione, quomodo hujusmodi controversiis vel jure vel amica compositione obviam iri debeat. Itaque Electorem recte atque ordine facturum, si legibus Imperii, & litteris dehortatoriis, ad eum missis pareat: copias ex provinciis Neoburgici deducat, omniaque in statum pristinum reponat, controversias vero arbitrio comissariorum, qui a se jam anno 1649 nominati, atque ab ipsis acceptati sint, componi sinat. Eodem die mandatum dedit ad ordines & subditos Juliæ & Montium, abrogato edicto Brandeburgico, ut in fide & officio erga Neoburgicum maneant, donec caussa aut via juris, aut amica compositione terminata fuerit.

Epistola ad Electorem

In eandem sententiam scripsit Electori paulo copiosius, actum esse contra sanctiones Imperii, & Instrumentum pacis; quo § *ult.* cautum, ut *nulli omnino Statuum Imperii liceat jus suum vi vel armis persequi: sed siquid controversiæ sive jam exortum sit, sive posthac inciderit, unusquisque jure experiatur, secus faciens reus sit fractæ pacis.* Et circa controversiam Juliacensem in specie *art.* 4 ita loquitur instrumentum: *quia vero etiam caussa Juliacensis successionis inter interessatos, nisi præveniatur, magnas aliquando turbas in Imperio excitare posset, ideo conventum est, ut ea quoque pace confecta ordinario processu coram Cæsarea Majestate, vel amicabili compositione, vel alio legitimo modo, sine mora dirimatur.*

Act-

Actum insuper esse (ut epistolam Cæsaris interpretatur Argyrander, Lucii Veronensis Notator) contra jura communia, commissionem Cæsaream, placita & promissa Brandeburgica, Cæsaris auctoritatem, dictamina prudentiæ, merita caussæ propriæ, (cum suspicionem ingerat diffidentiæ juris) adversum viciniam, ob diffidentiam & metum incussum, denique adversus pacem publicam &c.

Inter hæc Neoburgicus, ut adversus vim illatam provincias suas defendat, vicinorum Principum auxilia respexit, misso Philippo Wilhelmo filio in Belgium ad Archiducem Leopoldum, & Carolum Ducem Lotharingiæ; Egonem vero Fürstenbergium (cujus sororem nuper in matrimonium acceperat) Viennam ad Cæsarem ablegavit. Per suas autem ditiones militem conscribit, cui (adjuncto etiam, quem filius adduxerat ex Lotharingia) præfecit Reuschenbergium Baronem. Armantur utrinque copiæ.

Jamque acies adversæ stabant, frequentioribus velitationibus collisæ; cum Principum colloquio pacificatio cœpta est, ac dein per legatos Cæsaris, Hazfeldium & Aneranum ad exitum perducta Cliviæ 11 Oct. 1651 in hunc modum: ut religionis controversia decidatur per Commissarios Cæsaris, jam dudum designatos, Episcopum scilicet Monasteriensem & Ducem Brunsvicensem: iisque bini utrinque adjungantur, ex parte quidem Electoris Augustus Dux Anhaltinus & Henricus Comes Nassovius, ex parte Neoburgici vero Episcopi, Paderbornensis & Osnabrugensis: qui collato consilio disquirerent, an status Religionis in his provinciis ad observantiam anni 1624, juxta pacem Monasteriensem, an vero ad annum 1609, juxta pacta Principum sit reducendus, & quomodo hæc pacta (quæ tot tricas excitarunt) sint intelligenda. Pax. Conditiones.

Quodsi propter suffragiorum paritatem Commissarii nihil possent statuere, Imperator, adhibitis aliquot Imperii Proceribus in consilium pari ex utraque religione numero, vel in proximis comitiis per eosdem totam controversiam decidat; eique judicio sine ulteriori contradictione standum, vi pacis Westph. Interim vero omnia restituantur in statum, quo ante hos motus fuere. Nec quisquam ob religionem turbetur. Neuter alteri sub quocunque prætextu bellum inferat, idque sub pœna violatæ pacis, & amissione omnium jurium in has ditiones. Controversias autem omnes, deinceps orituras, ad amicam compositionem, aut judicialem sententiam remittant.

Denique dimittantur utrinque captivi & copiæ, præter eas, quæ ad custodiam corporis, aut locorum præsidia sunt necessariæ;

neque fraudi cuiquam ſit, alterutri per hos motus conſilio vel ope adſuiſſe. Reliqua autem, quæ ſtatum Politicum concernunt, ita permaneant, ut diverſis transactionibus inter Principes conventum fuit: ſine præjudicio tamen ac fraude omnium, qui ſucceſſionem Juliacenſem prætendunt. Neque hæc etiam conventio longam ætatem tulit; nam anno 1663 Brandeburgici rurſus, ejectis quoque Patribus Capucinis, Catholicos vexare cœperunt; donec anno 1666 mutuum ſucceſſionis pactum fuit conceptum.

Atque hæc, quæ dicta ſunt hactenus, de cauſſa Juliacenſi, ex variis Partium litigantium deductionibus, Schwedero, Lucio Veronenſi, ejusque apologetis, atque ex Adolpho Brachelio potiſſimum excerpta, quamvis temporibus disjuncta, hic conjungere & ſub unum aſpectum dare viſum, ut qualicunque eruditione juris ac hiſtoriæ tyronibus ſubſerviam. *Videantur etiam de hac cauſſa Londorp. ſuppl. Sleidani contin. Julius Montenſis. Struvius. Hübner. Daniel Keller.*

## ARTICULUS VI.

### *Colloquium Ratisbonenſe primum.*

INeunte ſæculo XVII convenerat inter Maximilianum I Ducem Bavariæ, & Philippum Ludovicum Ducem Neoburgicum, Lutheranæ ſectæ addictum, ut colloquium de Religione Ratisbonæ inſtitueretur. Reſpuere id Præcones, tergiverſari, ac diſſuadere. Verum cum Dux fidem dediſſet, invitos mandato adegit.

Adfuerunt igitur ex Saxonia Ægidius Hunnius, cum pluribus aliis, a Marchione Anſpacenſi Wicknerus, a Duce Wirtembergico Andreas Oſiander, aliique, ex Palatinis Jacobus & Philippus Hailbrunneri cum ſex aliis. Collocutores vero, qui arenam ingrederentur, delecti Jacobus Hailbrunnerus & Hunnius, reliquis ſeu conſultoribus, ſeu ſuppetiis, in ſubſidiis collocatis.

Diſputantes.

Ex parte Catholicorum collocutores a Maximiliano deſignati Albertus Hungerus & Jacobus Gretſerus, Ingolſtadienſes Profeſſores; cum autem hic catharro & raucedine laboraret, additus tertius Adamus Tannerus S. J. qui potiſſimum certamen ſuſtinuit. Præcipue vero congreſſum hunc illuſtrarunt præſentia ſua ipſi Duces Sereniſſimi, Maximilianus cum Alberto fratre, & Philippus Ludovicus cum Wolfgango Wilhelmo filio.

Lutherani Doctores primum Neoburgi ad Danubium congregati, inter ſe deliberarunt, quibus armis certamen iſtud, quod exſpe-

exſpectatione ſuſpenſam habebat Germaniam, quibusque artibus ſuſciperent. Placuit autem, ſolam Scripturam controverſiarum omnium judicem ſtatuere, nec alia argumenta, niſi inde deprompta audire: excluſa forma ſyllogiſtica, libera & diffluente oratione diſceptare; ne videlicet conſtringi, ſed vaga garrulitate vim probationum poſſent more ſuo eludere. Lingua autem vernacula totum negotium volebant confici, ut ſyllogismorum robur ſic facilius evaderent. Atque ita præparati Ratisbonam profecti ſunt.

Convenere in aula curiæ Ratisbonenſis 28 Nov. 1601: dictæ a Ducibus diſputationi leges: forma ſyllogiſtica, vel alia in logicis approbata argumentandi ratione uterentur. Agerent modeſte, placide, clare ac perſpicue. Ad interrogata reſponderent diſerte affirmando, vel negando, aut diſtinguendo, ſine evagatione ad prolixas diſſertationes, explicationes &c.

Sed Lutherani, ſtatariæ pugnæ uti inſueti ſic impatientes, nihil horum ſervarunt, in verboſas vitilitigationes contra Principum mandatum prolixe effuſi. Theſes autem 12 poſuerunt de ſacra Scriptura, ceu unica, & adæquata credendi vivendique regula. Gretſerus vero omnibus duodecim hanc oppoſuit: *S. Scriptura eſt quidem norma infallibilis, verum nec ſola nec unica; ſed præter hanc neceſſario admitti debent Traditiones & Definitiones Eccleſiæ.* Addiditque, judicem generalem, legitimum, & ordinarium omnium controverſiarum, quæ poſſunt oriri in negotio Religionis, eſſe Romanum Pontificem; ſive ſolus definiat aliquid, ſive cum Concilio Generali. Hunc judicem ſemper eſſe infallibilem, quando ex Cathedra definit ut Pontifex.

Catholicis initio propugnantium, Lutheranis opponentium partes fuerant delatæ; & quidem forma dialectica Principum juſſu id erat perficiendum; ſed nullum iſtos mandatum coercere poterat, quo minus extra orbitam ſaltarent, & longas orationes, quas Neoburgi conceperant, Notariis ex charta ad calamum dictando omnium patientiam fatigarent, negotiumque a ſcopo deducerent.

Tandem vero Hunnius hunc ex pharetra ſua Syllogismum excuſſit: *Si Eccleſia ſuperſtructa eſt ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, id eſt, ſupra doctrinam eorum, ſequitur, quod extra doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum nullum aliud ſit figendum Eccleſiæ novi teſtamenti fundamentum: ſed prius eſt verum. Ergo & poſterius.* Hunnius.

Hailbrunnerus vero iſtum: *qui reprehendit & punit eos omnes, qui a ſcripto DEi verbo recedunt, & ad dextram vel ſiniſtram* Hailbrunnerus.

 *deflectunt,*

*deflectunt, is hoc ipso facto perspicue testatur, scriptum verbum esse unicam normam, ad quam cultus omnis conformari debeat: atqui DEus in veteri testamento reprehendit & punivit eos omnes, qui a scripto suo verbo recesserunt. Ergo DEus hoc facto suo testatur, scriptum verbum unicam debere esse normam Religionis & cultus.*

Negata fuit in utroque syllogismo *Major* seu prima propositio; quia præter scriptum habetur etiam verbum divinum traditum, quod una cum scripto est norma Religionis. Dein requiritur insuper infallibilis judex, qui declaret, in quibus libris contineatur verbum DEi, quomodo sit intelligendum, & secundum illud pronuntiet; sicut in humanis præter Corpus Juris requiritur judex, qui authentice leges interpretetur, & secundum illas sententiam ferat; alias enim quilibet ad leges posset se referre, & contentionum nullus esset finis.

Lutherani Doctores, cum negatam illam in utroque Syllogismo propositionem *Majorem* probare debuissent, illam certam manifestamque clamantes, totos se ad probationem *Minoris* exprompserunt, more suo fuse evagantes, & Notariis ad calamum dictantes, ut dein popello suo, prout factum postea, fucum possent illinere.

Postquam hunc in modum per octo sessiones cum sectariis, sine ordine sine lege pugnantibus, jurgatum potius quam disputatum fuit, ad alia illis, quam negata, probanda dilapsis, altera supererat colloquii pars, qua nostri arguerent, illique responderent.

Tannerus igitur, forma Syllogistica ad amussim servata, necessitatem, præter legem scriptam, judicem, qui caussam rite cognoscat, atque ad rectum legum intellectum sententiam pronuntiet, agnoscendi intulit. Sed ordo teneri non potuit, Hunnio rursus extra oleas saltante, atque in verbosas ambages diffuso.

Tandem, cum Tannerus necessitatem agnoscendi judicis urgeret, respondit, etiam in sua Ecclesia præter Scripturam alium haberi judicem, jussusque illum edicere, DEum nominavit. Reposuit Tannerus, quamvis DEus in sacro codice leges ferat, nunquam tamen fore, ut controversiæ finiri possint, nisi visibilis judex agnoscatur. Sicut caussæ forenses finiri nunquam possent, licet quis Justinianum judicem appellaret; partibus videlicet leges perpetuo in suam partem trahentibus.

Ad Verbi dein ministros Hunnius descendit, quorum sententiam infallibilem dicebat, si Scripturis sit conformis. At hoc modo quemlibet rudissimum rusticum infallibilem fore, monstrabatur. Et

quid?

quid? ſi diverſarum Eccleſiarum miniſtri contrarias in ſententias abeant? Tunc in ultimo ad finem mundi judicio cauſſam definiendam dixit. Sed quid hoc aliud eſſet, repoſitum, quam deſperare, & ex Eccleſia inextricabilem labyrinthum facere, atque defectum providentiæ Chriſti erga ſuam Eccleſiam arguere?

Cum importune inſtarent, ut noſtri traditiones in ſpecie nominarent, celebrationem Paſchatis edixerunt, adeo ſacram SS. Patribus, ut cum S. Epiphanio & S. Auguſtino Quarto-decimanos pro hæreticis haberent. At Hunnius eo proterviæ fuit prolapſus, ut celebrationem Paſcatis ad cultum divinum pertinere negaret. Cum vero urgeretur, ut libros Scripturæ, exempli gratia, Evangelium S. Matthæi, canonicos eſſe ex ſola Scriptura absque recurſu ad traditionem probaret, audiendam hic Eccleſiæ teſtificationem aſſeruit, non tamen *traditionem non ſcriptam* proprie appellari poſſe, rem ipſam concedens, de voce inepte ac frivole diſputans. Faſſus etiam, eſſe quædam fide divina credenda, quæ tamen in S. Scriptura non legantur, non tamen ſpectare ad Articulos fidei, leviſſima loquacitate ſecum ipſo pugnans.

Tannerus verſipellem propterea appellavit; at ille ad Bavariæ Ducem converſus, Sereniſſime & Illuſtriſſime Princeps, ajebat, affecti ſumus injuria, dum verſipelles appellati ſumus. Verum ille: *vos Romanum Pontificem appellaſtis Anti-Chriſtum, quæ eſt inſignis injuria, quæ redundat in omnes Catholicos.* Qua Principis voce repreſſus conticuit, id ſolum recoquens, ſe ſcapham ſcapham appellaſſe.

Indigniora hæc erant, quam ut Principum aures audire poſſent, cumque manifeſte appareret, nullis inſolentes iſtos rabulas legibus coerceri nec quidquam ad rei ſubſtantiam pertinens exſpectari poſſe, ſed multis & prolixis ex charta lectionibus tempus inutiliter teri, finem colloquio imponere viſum.

Nihilominus tamen quantas neſcio victorias, ex hoc colloquio reportatas, gens Prædicantium effrons divulgaverat, typis etiam germanicis ſparſas. Corrupta Protocolli acta publica, fraudes, mendacia, fabulæ, calumniæ congeſtæ per publicas pagellas volitabant. Evocatum Roma Gregorium de Valentia in ſubſidium Gretſeri & Tanneri, ne hiſcere quidem amplius audentium: in ultimas anguſtias ab Hunnio conjectos, nodum ab eo objectum ſolvi non poſſe confeſſos, quin Tannerum eo compulſum mentiebantur, ut publice, Papam eſſe Anti-Chriſtum fateretur, eamque confeſſionem ſua manu firmaret. Duos Jeſuitas ex hoc colloquio ita fuiſſe convictos, ut illico Papismum, ductis uxoribus, ejurarint, duos

 alios,

alios, sociorum exemplum sequi recusantes, subita cæcitate percussos: Catholicorum templa omnia Ratisbonæ propediem clausum iri, triumphare Protestantes, Papistas, ignominiæ impatientes, passim deficere, omnia ad Lutherum inclinari.

Bavariæ Ducem duos Jesuitas, Gretserum & Tannerum in carcerem compegisse. Alius *tauro* inclusos scripsit. Statutum esse Maximiliano, Jesuitis pulsis, Protestantes introducere. Hæc aliaque multa a Protestantibus per Europam cumulatis pagellis plenisque libellis sparsa mendacia atque calumniæ fidem apud credulum vulgus invenerunt. Quæ res nostros permovit, ut Apologiam scriberent, & acta omnia illius Colloquii ex authentico Protocollo collecta typis committerent.

## ARTICULUS VII.

### *Colloquium Ratisbonense secundum.*

CONradus Vötterus S. J. complures libellos ediderat, qui perfectam Lutheri ideam exhibebant. Alius eorum repræsentabat Lutherum *castum*, alter *veridicum*, tertius *devotum* &c. Philippus Hailbrunnerus Lavinganæ Scholæ Theologus, ut Lutherum defenderet, edito libello, sublestæ fidei Vötterum accusavit. At Vötterus, minime solitus manere debitor, apologiam pro se scripsit, qua Hailbrunneri fraudes & convitia fideliter detexit. Hunc librum cum *Anatomia Lutheri*, a Joanne Pistorio, viro doctissimo, ad Catholicam Ecclesiam reverso, scitissime confecta, Maximilianus Dux Bojariæ ad Philippum Ludovicum, Ducem Neoburgicum misit. Quæ res superiori, quod dixi, Ratisbonensi colloquio occasionem dedit. Illo propter convitia & extravagantes Hunnii & Jacobi Hailbrunneri illusiones abrupto, Dux Bavariæ cum fratre Alberto, & Dux Neoburgicus cum filio Wolfgango Wilhelmo, ad aulam Episcopalem se receperunt, perspecturi, an Vötterus Lutheri textus germana fide citarit.

Jacobus & Philippus Hailbrunneri fratres, e tot centuriis 14 duntaxat locos sibi in libris Lutheri monstrari petebant. Vötterus coram iis, quos dixi, Principibus aliisque e nobilitate Proceribus, omnes textus locosque, quos adversarii nominabant, ad litteram in Lutheri libris palam exhibuit, Hailbrunneris nec mutire ausis, atque crimen falsi, quod Vöttero intorserant, in se retortum cum pudore cernentibus.

Post-

Poſtquam autem fidem ſuam demonſtraverat, interrogavit ex Philippo Hailbrunnero, quo loco Jeſuitæ ſcripſiſſent, gravius peccatum eſſe matrimonium quam fornicationem? reſpondit fraudulente, id de matrimonio perſonæ, voto ſolenni caſtitatis ligatæ. Deprehenſus pariter S. Hieronymum & Bellarminum corrupiſſe.

Quæſivit porro Vötterus, quo jure Jacobus ſcripſiſſet, docere Jeſuitas, quemcunque hæreticum Principem eſſe tyrannum? nominaret unicum, qui hoc docuiſſet. Reſpondit, aliquos Papiſtas cum Gulielmo Roſſeo hoc docere, Papiſtarum autem & Jeſuitarum eandem utique eſſe doctrinam. Mirati ſunt omnes inſolentiam impudentis reſponſi, ſimulque effrons crimen falſi, quod per atrocem calumniam Jeſuitis impegerat falſarius.

Scripſerat idem Jacobus Hailbrunner famoſum libellum, quem *Speculum Jeſuitarum* appellaverat, quem probroſis in Societatem mendaciis & calumniis impleverat. Inſtitit Vötterus, ut aut probaret, quæ effutiiſſet, aut calumniatorem ſe fateretur. Reſpondit, hæc non a ſe fuiſſe inventa, ſed ex aliis deſcripta. Poſtulatus tamen fontem, ex quo hauſiſſet, ne unum quidem auctorem nominare potuit.

Similiter mendacii convictus fuit, dum *Indicem* quendam *Expurgatorium* Jeſuitis tribuit. Cum autem Vötterus ſex graviſſimas calumnias, quibus Lutherus Catholicam doctrinam infamaſſet, exhibere vellet, inſpicere Lutheri libros & textus, quos Vötterus citaverat, detrectavit, ad alia properandum cauſſatus: at malo ſuo; nam Inficiatus, quod Lutherus ſe ipſum Chriſtum dixiſſet, clariſſimis id verbis expreſſum *Tom.* 1 *Wittenb.* § 2 *fol:* 96 legere debuit. Ubi Lutheri verba exſtabant: *ego ſum Chriſtus.*

Sed nihil ita impudentibus licet alias hominibus pudorem incuſſit, ac turpiſſimæ Lutheri ſordes, quas Vötterus in *Luthero Caſto* objecerat. Nam cum negaſſet Philippus, illas in Lutheri libris inveniri, Vötterus Tomum octavum Jenenſem § 1 *fol.* 215 in menſa explicitum eidem loco allegato legendum offert, pudore ſe a lectione abſterreri proteſtatus. Hailbrunnerus igitur cœpit legere, ſed vix ultra unam progreſſus lineam conticuit, rubore ſuffuſus. Coactus pergere in lectione ſcurrilis Magiſtri, unam adhuc alteramque lutulentam olidamque phraſin legit, Principum præſentiam veritus, pinguiores adhuc, qui ſequebantur, bolos præteriit.

Lutheri doctrina.

Subjecit Vötterus, hunc librum ultimum Lutheri partum eſſe, uno ante mortem anno in lucem editum, qui proin non prima imperfecta,

perfecta adhuc spiritus lineamenta, sed viri jam plene illuminati consummatique effigiem utique exhibere deberet.

Ad eos dein locos progressi sunt, qui Mahometem magis quam Christianum scriptorem redolent; dum Lutherus in illis abdicandi conjugem aliamque ducendi potestatem indulget, & in pluribus circa ipsum SS. Trinitatis Mysterium cum Alcorano sentit.

Interrogavit Vötterus, vir festivus, quid de illa Lutheri prophetia sentirent, qua 70 Saxonicis consiliariis prædixit, fore, *ut sua* (Lutheri) *stercora adorarent*? an ad litteram, vel de stercorea doctrina sit intelligenda? & an sit impleta? Quæsivit porro, cur ipsorum judex non pronuntiaret in fidei controversia, inter Hunnium & Huberum tantopere agitata?

Vulgaverat Vötterus librum, in quo 174 mendacia Philippo Hailbrunnero objicit; qui ne de uno quidem ex omnibus se purgare potuit. Sic finitum hoc alterum Colloquium, vel, ut appellabatur, *Post-Colloquium*; quia velut Appendix prioris erat. Primi discessere Hailbrunneri ex acie saucii ac laceri. Vötterum & Hylinum ejus socium, Cathedralis Ecclesiæ concionatorem, Principes ad cœnam invitarunt, sed excusatione noctis ingruentis, cum singularis humanitatis & gratiæ signis dimissi sunt.

Quamvis autem par illud fratrum nobile penitus victum convictumque recesserit, sparsum nihilominus per pagellas publicas, Conradum Vötterum de 12 criminibus falsi, contra Lutherum commissis, coram quatuor Principibus convictum fuisse. Eundem conclave ingressum a Duce Neoburgico his verbis fuisse salutatum: *Tune es ille nebulo, tam in Lutherum injuriosus*? eaque voce Principis exterritum in genua coram illo procidisse, atque a Bavariæ Duce in exilium fuisse ejectum.

Mendacia Lutheri.

Alii sparserant, Conradum jussum, 12 suos Lutheros cum vero Luthero comparare, atque sua, an Lutheri verba scripsisset, exhibere: digressum vero velut ad apportandos domo libros nuntiasse per alios, se illos invenire non posse: at vero missos a Maximiliano Duce, qui libros & Vötterum coram sisterent; collatis autem, quas ipse, & quas Lutherus scripsisset, sententiis, patuisse fraudes impostoris, Luthero, quæ vellet per crimen falsi, impingentis. Ita malarum artium convicto, atque acerrime reprehenso, gravissime a Duce interdictum, ne tale quid deinceps auderet.

Addebant alii, Vötterum in hoc colloquio tam arcte ab Hunnio fuisse constrictum, ut non haberet, quod reponeret, sed a Bavariæ Duce audire debuerit hæc verba: *Conrade Völtere, alieni scripti*

*ſcripti tam infida corruptio non eſt opus honeſti viri: intelligimus tandem has tuas tuorumque ſodalium artes*: Hunnio vero tactis leniter humeris arriſiſſe & applauſiſſe. Hæc fabulari placuit, cum tamen Hunnius huic cum Vöttero colloquio non interfuerit, imo nulla, dum viverent, illis notitia aut ſermo intercesserit. Hæc videlicet ſunt arma gentis Prædicanticæ, quibus veritatem opprimat, & apud credulum vulgus plauſum captet. Noſtri ſincera rei geſtæ narratione mendacia & calumnias confutarunt.

Certe Wolfgango Wilhelmo Principi ita ab hoc congreſſu ſecta deſipuit, ut converſo ad indagandam veritatem ſtudio, eandem poſtmodum cum ſubjecto ſibi populo ſit amplexus; quamvis multæ gravesque difficultates ſe ſe opponerent. Ipſa etiam in urbe Ratisbonenſi, ubi colloquium fuerat habitum, 53 brevi ad Majorum fidem redierunt. Paulo poſt Philippus Hailbronnerus Lavingæ publicam diſputationem habuit. Ad eam acceſſit Theologiæ Dilinganæ Profeſſor; ſed loquendi copiam obtinere non potuit. Cum autem Lutherani id timori ſuorum Doctorum adſcriberent, anno ſequenti Dilingenſes ad argumentandum invitati comparuerunt.

## ARTICULUS VIII.

### *Converſio Ducis Neoburgici, novique Palatinatus. Colloquium Tertium.*

WOlfgangus Wilhelmus, Philippi Ludovici, Ducis Neoburgenſis ex Anna Juliacenſi filius natu maximus, quamvis a prima ætate Luthericis imbutus eſſet principiis, & adverſus Catholicam Religionem, quam propterea exoſam habebat, præjudiciis; poſtquam tamen in utroque colloquio Ratisbonenſi Præconum ſuorum fraudes & prævaricationes coram audiiſſet & inſpexiſſet, ſuſpectam habere eorum doctrinam cœpit, legensque libros Catholicos, Petri præſertim Caniſii Catechismum, aliam multo ideam, atque Præcones impreſſerant, in mente concipere.

Magno dein apparatu Monachium profectus, editâ clam Profeſſione fidei, duxit Magdalenam, Wilhelmi V filiam, Maximiliani ſororem, eosque conjunxit Epiſcopus Euſtadianus ſub veſperum in ſumma Eccleſia B. M. Virginis, diſſimulatis ceremoniis, quæ alterutrius Religionis aſſeclas potuiſſent offendere. Sponſa dein duos ex noſtris Patres ſecum Neoburgum duxit, Antonium Welſerum, & Jacobum Reihingum, illum a ſacris confeſſioni-

bus, hunc a concionibus ſibi & marito futurum. Conceſſus a Philippo Ludovico iſtis privatim habendis in ſuprema arce locus, quem Epiſcopus Euſtadianus conſecravit.

Cum autem Wolfgango difficile accideret, Religionem, quam aſſumpſerat, diu diſſimulare, cum bona parentum venia, comitante conjuge, & duobus, quos dixi, ſocietatis noſtræ ſacerdotibus, Düſſeldorpium abiit, ubi a Præcone Lutherano, quem in aula ſua hactenus toleraverat, interpellatus ipſo feſto Pentecoſtes die 1614, jam annum fluxiſſe, ex quo ad Sacramentum cœnæ, ne paſchate quidem, acceſſiſſet, reſpondit, proxima die Dominica ſe acceſſurum. Ea reſponſione, mirum, quantum Præco & Lutherani triumpharint. Sed breve erat gaudium; nam die Dominica proxima SS. Trinitatis, edita publica profeſſione fidei ex formula Tridentini, SS. Euchariſtiæ Sacramentum e manibus Proepiſcopi Colonienſis, Pontificali habitu ornati, accepit, frendentibus Lutheranis, & gaudio exultantibus Catholicis. A prandio dein Chriſmatis Sacramento publice fuit confirmatus; atque ſequenti die Feſto Theophoriæ nudato capite cereum ardentem manu geſtans devotiſſime proceſſionem eſt comitatus.

Pater Philippus, ubi inaudiit, graviſſime rem tulit; ſed nec monita ejus nec minæ fregerunt animi conſtantiam, probe memoris, obediendum eſſe magis DEo quam hominibus. Verum vix trimeſtri elapſo patre mortuo turbis iſtis domeſticis Wolfgangus liberatus eſt. Neoburgum inde 1615 reverſus, amandato Jacobo Hailbrunnero, concionatore aulico, ſacellum palatii ſacerdotibus S. J. tradidit, Religionis cauſſam in comitiis provinciæ potenter egit, ſingulos adortus, quos conjunctos expugnare non poterat, quibusdam etiam, quos contumacia magis induraverat, aula exactis, & officio motis.

Matris abitus.

Mater ad arcem Höchſtadianam diſceſſit, fratrum vero alter Solisbacum, alter Hilpolſteinium, ditionem, teſtamento patris deſignatam. Wolfgangus vero expeditior publico edicto Religionem commendavit; ſed ſubditos errori pertinaciter inhærentes expertus, dici non poteſt, quanto labore conſtiterit, donec zizania penitus evelleret. Societati Jeſu, ut opus converſionis felicius ſuccederet, Collegium Neoburgi fundavit, attributis cœnobii fundis, quod Nobiles Virgines Neoburgi, & Eichenbrunnæ Patres Benedictini ante Lutheri tempora poſſederant. Utrumque deſertum, vaſtatum, profanatumque diſſipatis bonis jacuit. Diſpoſitionem hanc Wolfgangi Ducis Paulus V Apoſtolica auctoritate ratam habuit.

Con-

Conſtructum igitur Collegium & Gymnaſium in loco diruti cœnobii, quod Parthenon incoluerat, traditumque templum, quod Philippus Ludovicus Lutheranis uſibus ædificaverat. Secutum mox ingens rei Catholicæ incrementum; quod, ut efficacius promoveretur, Wolfgangus Lutheranos Præcones abdicavit, prævalente ejus conſtantia Provincialium contumaciæ. Parochias interim, donec aliter provideretur, noſtri adminiſtrabant. Collegium.

Non ſufficiebat Collegium Neoburgenſe, recens conſtructum, tantæ meſſi; unde, cum Ducis Neoburgenſis provincia, quam *novum Palatinatum*, aut etiam *Palatinatum Neoburgicum*, ab urbe principe appellant, in tres Epiſcopatus excurrat, Auguſtanum, Euſtadianum, & Ratisbonenſem, vocata ſunt in ſubſidium vicina Collegia, Dilinganum, ut agrum Höchſtadianum, Lavinganum (in quo plurimum pertinaciæ occurrebat) & Gundelfinganum, excoleret. Ingolſtadienſi Richardivilla (*Reichertshoffium*) cum Manchinga & adjectis pagis commiſſa: Euſtadiano Monhemium cum adjacentibus 24 pagis: Ratisbonenſi excurrens in Palatinatum ſuperiorem regio, pagis & oppidis frequens; ut adeo paucos intra annos prælongum illum ad Iſtrum tractum, cum excurrente in Noricum ditione ſacris avitis reddiderint.

Magnum, apud eruditos præſertim, tanto operi momentum addidit colloquium ſeu concertatio Jacobi Kelleri, rectoris Collegii Monacenſis cum Jacobo Hailbrunnero, cujus jam inde a colloquio Ratisbonenſi multa cum Gretſero, Tannero, Heiſſio, Kellero fuerat dimicatio. Famoſus præ reliquis erat Hailbrunneri liber, quem *Papatum Acatholicum* inſcripſerat; contra hunc Kellerus diſſertationem edidit, qua 60 crimina falſi, propudioſa mendacia 238, calumnias 51, ignorantias craſſiſſimas 91 contineri in libro illo demonſtravit. Negavit ille & Kellerum mendacem & calumniatorem proclamavit. Kellerus objicit crimina falſi.

Profectus eſt proin hic Neoburgum, petiitque, ut occaſionem ſibi faceret Dux, qua ea, quæ objeciſſet, in libro Hailbrunneri comprehendi oſtenderet. Wolfgangus, ut veritas detegeretur, Præconi, ut tempore indicato compareat, præciſe mandavit. Ille tergiverſari, quærere effugia, excuſare; negotium moram exigere, qua ſe præparet, cum aliis conferat; volumine integro ſe Kellerum confutaturum. At Dux, mora & præparatione non eſſe opus reſpondit; ſciturum ipſum, quid ſcripſerit, quosque auctores allegaſſet: aliud non agi, niſi, ut inſpectis fontibus, an recte citaſſet,

an secus, exhiberetur: Kelleri esse, ut ostendat crimina falsi, mendacia, calumnias, inscitias, quas objecisset.

Quanquam igitur Præco, male sibi conscius, vehementer expallesceret, formidaretque congressum cum adversario, declinare tamen illum non poterat. Itaque 1 Julii 1615 in aula palatii perampla convenere Dux cum conjuge, ambo adversarii, arbitri, judices, pari ex utraque Religione numero; dati utrique parti Theologi subsidiarii, & Notarii publici.

Cum itaque Kellerus plura mendacia & calumnias ob oculos poneret, rei evidentia convictus, aliud, quod reponeret, non habuit, quam, virum se esse honestum: nunquam eam sibi fuisse mentem, ut mendacia vellet, aut documenta falsa allegare; neque se tam ad verba, quam ad sensum & sententiam respexisse: certe dolo aut fraude a se scriptum nihil.

Quando a Kellero opponebatur quidquam, ita manifeste falso allegatum, ut nec verba nec ulla sententia in auctore citato reperiretur, in typographum culpam rejecit, aut ex aliis se id descripsisse dicebat. In diem crastinam etiam sæpius, cum deprehensus respondere nil posset, provocabat. Sed cum altera die omnes, qui pridie, magno numero in aula essent præsentes, solus aberat, qui maxime petebatur, Hailbrunnerus, valetudinis excusatione usus.

Cum autem neminem inveniret, qui profligatam caussam defenderet, pudore suffusus postridie comparuit; sed pessime vapulavit, non minus secum ipso, quam cum adversario luctatus. Inter alia quippe, cum jussus fuisset quondam, a se allegatam, sententiam S. Gregorii in libro exhibere, fateri coactus est, eam a se fuisse mutatam, verum id nequaquam a se factum veritatem immutandi consilio, consequenter crimen falsi a se nullum fuisse commissum; cum dolo malo nihil sit factum. Responsum profecto, quo omnes falsarii judicia possent eludere.

Ad tertium deinde congressum citatus, morbum doloremque capitis iterum obtendit, summisque precibus, ne in arenam iterum prodire cogatur, rogavit. Non adquievit Princeps, sed ut sequenti saltem die compareret, mandavit. At incassum omnia. Fugæ quippe quantumvis grande dedecus, minus videbatur ulteriore sui prostitutione.

Quare Princeps acta hujus colloquii, prout a Notariis conscripta fuerant, conferri atque a judicibus utriusque Religionis signari voluit. Quamvis autem hæc publice coram Principe & plurimis testibus essent peracta, scribarumque publicorum fides accederet,

ret, ausi nihilominus Præcones typis vulgare, Hailbrunnerum ita se purgasse, ut Kellerus convictus magno suo probro conticuerit. Quæ caussa fuit, cur Kellerus omnia acta typis publicis vulgaret, non modica sectæ ignominia.

Hailbrunnerus pudorem non ferens, primum Höchstadium ad Wolfgangi matrem, inde vero in Wirtembergiam profectus, in solatium incursæ ignominiæ Superintendens, ut vocant, fuit creatus, atque bilem omnem in Kellerum, omnesque, qui Neoburgensi concertationi præsentes fuerant, evomuit, acta ipsa publica, ipsius etiam Ducis Wolfgangi manu signata, subleſtæ fidei accusavit. Kellerus gemino libro calumniatori respondit, primum inscripsit, *Extremam Hailbrunneri unctionem;* alterum: *Hailbrunneri, animam agentis, ultimum sudorem.* Et vere; nam paulo post anno 1618 interiit.

Severius multo Lutherani animadverterunt in Nicolaum Crellium, Cancellarium Dresdensem; cum enim is conaretur sectam Calvinianam in Misniam introducere, anno 1601 publice plexus est capite. Crellius.

## ARTICULUS IX.

### *Synodus Constantiensis.*

ANno 1609 Jacobus Fuggerus Episcopus Constantiensis ex tota sua Diœcesi amplissima Synodum convocavit, de fidei morumque doctrina cognituram. Consederant in ea 18 mitrati Præsules, cum ingenti Cleri, Regularis æque ac Sæcularis frequentia. Constitutiones seu Decreta Synodalia in quatuor partes sunt distributa, atque anno 1701 rursus prælo commissa. Summa duntaxat aliqua capita brevissime attingam.

### *Pars I Constitutionum Synodalium.*

*Titulus I* Tractat de Religione & *fide Catholica.*

II Exhibet *Professionem fidei* Catholicæ ex Formula Tridentini.

III Agit de *libris prohibitis*, hæreticis videlicet, vel de hæresi suspectis, amatoriis, obscœnis, famosis, superstitiosis. Vetantur etiam obscœnæ, petulantes, famosæ imagines, aut picturæ. Nullus liber edatur sine approbatione Episcopi, Vicarii, aut alterius deputati. Officinæ Bibliopolarum visitentur. Ne Catholici ad scholas sectariorum mittantur, neque alio prætextu diutius apud eos morentur.

 IV Pro-

IV Prohibetur ſub excommunicatione ferendæ ſententiæ ſuperſtitio, magia, ſortilegium, divinatio &c.

V Septem Eccleſiæ Sacramenta in concionibus & Catechismo diligenter explicentur, cum conſuetis ſacris ceremoniis decore, prompte & reverenter adminiſtrentur, ſine labe Simoniæ, aut ulla mercede conventa, vel exactione indebita. Pro ſuſtentatione tamen ſufficienti aliquid exigi poteſt; cum de altari vivere debeant, qui ſerviunt altari. Sacra Euchariſtia, aqua Baptismi, Chrisma & olea ſacra ſub diligenti clauſura in vaſculis mundis cuſtodiantur. Claves non penes æditos, ſed curatos occluſæ aſſerventur.

Chrisma & olea ſacra ſingulis annis ab Eccleſia Cathedrali petantur; veteribus novo igne Sabbati ſancti vel alio exuſtis, & cineribus in ſacrario depoſitis. Si anno necdum abſoluto oleum inciperet deficere, affundatur non conſecratum, minori tamen quantitate, quam ſit reſiduum conſecratum.

VI Tractatur in ſpecie de Baptismo, qui infantibus ſine mora in Eccleſia eſt conferendus. Neque nobilium baptismus ultra paucos dies differatur. Si infans ob periculum mortis domi ſit baptizatus, ceremoniæ omiſſæ poſtea in Eccleſia ſuppleantur. Examinet autem prius Parochus baptismum, privatim collatum. Infans expoſitus, licet alligatum habeat teſtimonium baptismi, baptizetur ſub conditione. Patrinus ſit unus tantum, vel unus & una: ſint Catholici, maturæ ætatis. Si nobiles plures adhibeant, duo tantum ſint patrini, reliqui teſtes, qui nullam ſpiritualem cognationem contrahant. Regulares non adhibeantur. Parochi librum baptizatorum, parentum, patrinorum habeant. Baptiſterium ſit lapideum & bene clauſum.

VII Parochi populum moneant de ſuſcipiendo ſacramento confirmationis. Minores ſeptennio regulariter non admittendi. Præmittatur confeſſio. Patrinus ſit unus tantum, a parocho inſcriptus libro.

VIII Paſtores animarum frequentem commendent *Euchariſtiæ* uſum. Paſchalis communio non fiat extra templum parochiale, ſine Epiſcopi, Vicarii, aut parochi licentia. Nemo accedat ſine prævia confeſſione. Publici peccatores conſuetudinarii non admittantur. Accedant ſeorſim mares, poſtea fœminæ. Parvuli non admittantur, niſi parocho conſtet de inſtructione.

Hoſtiæ renoventur ſingulis menſibus ſaltem ſemel, veteribus in communione Miſſæ ſumptis. Si aliquæ corrumperentur, comburantur, & cineres in ſacrarium reponuntor. Ardeat ſemper lampas.

pas. Duæ minimum Hoſtiæ ad ægrum portandæ, ne vacuum vaſculum reportetur. Ad incendium Sacramentum non exportetur, ſed in Eccleſia adoretur.

IX Sub dio in altari portatili, in oratoriis privatis, aut ædibus nemo *Miſſam* celebret ſine Epiſcopi licentia, in ſcriptis obtenta: neque capite cooperto. Non habens copiam confeſſarii, ſi ex officio celebrare teneatur, eliciat contritionem de peccato gravi, & propoſitum confitendi, quam primum poterit. Quando duo officia cantantur, utrumque integre abſolvatur.

Miſſæ nec ante auroram, nec poſt meridiem, niſi ex cauſſa jure permiſſa, nec etiam ſub concione celebrentur. Miſſa ſolennis defunctorum diebus feſtis & Dominicis non dicatur. Quando elevatur S. Hoſtia, nihil cantetur. Miſſæ ſtato tempore dicantur. Primitiæ ſine virginibus & ſponſa celebrentur. Vetantur choreæ & alia ludicra.

X Declaretur populo neceſſitas *Pœnitentiæ*; quænam illius partes. Sacerdotes ſingulis minimum 14 diebus confiteantur, inferiores Clerici ſingulis ſaltem menſibus. Parochi & concionatores populum ad frequentem confeſſionem adhortentur. Prægnantes & periculoſe ægrotantes in tempore confiteantur, & medici eos de hoc moneant. Ad mortem damnatis Euchariſtia præbeatur, ſed non ipſo die ſupplicii.

XI Nullus ſacerdos confeſſiones audiat, niſi ab Epiſcopo aut ejus Vicario ſit *approbatus*. Excipitur articulus mortis, quo approbatus haberi non poſſit. Tunc autem quivis ſacerdos ab omnibus quoque cenſuris, a quocunque reſervatis, abſolvere poteſt. Superiores Religioſorum hortatur Synodus, ut in deſignandis confeſſariis majorem eruditionis & prudentiæ rationem habeant.

In privatis domibus & cubiculis confeſſiones mulierum ne audiantur, neque in ſacriſtia, ſed loco aperto. Confeſſarii in imponendis pœnitentiis ſint prudentes & diſcreti. Sigillum ſtricte ſervent. A caſibus Sedi Apoſt. reſervatis, ſi ſint occulti, abſolvere poteſt Epiſcopus & ejus Vicarius, ab hæreſi ſolus Epiſcopus.

Caſus autem *Reſervati* in Diœceſi Conſtantienſi ſunt 1 *reſpectu Clericorum*: fornicatio cum filia confeſſionis. Revelatio confeſſionis. Celebratio in Eccleſia interdicta, altari non conſecrato ſcienter: in altari portatili ſine licentia: ſine ſacris veſtibus, & a ſacerdote non jejuno. Miniſtratio non ordinati. Ordinatio furtiva, aut per ſaltum facta, aut extra tempora, ante legitimam ætatem. Suſceptio ordinis ſacri in cenſura. Sepultura excommunicati, vel tempore interdicti.

2 *Re-*

2 *Respectu Laicorum*: Matrimonium vivente conjuge, vel ante certificationem de illius morte: clandestinum. Sponsalia non servata. Machinatio in mortem conjugis, si mors sequatur. Baptizatio propriæ prolis extra casum necessitatis, vel ejusdem in baptismo aut confirmatione susceptio.

3 *Clericis & Laicis communes*: Homicidium voluntarium, physice vel moraliter deliberate patratum. Procuratio abortus vel sterilitatis. Incendium Ecclesiarum, domorum, aut segetum, malitiose factum. Furtum rei sacræ. Bestialitas. Coitus cum infideli: cum moniali: cum consanguineis aut affinibus usque ad secundum gradum inclusive. Adulterium. Raptus. Perjurium in judicio. Pollutio Ecclesiæ vel Cœmiterii per sanguinis aut seminis effusionem. Immunitatis Ecclesiasticæ violatio. Falsificatio monetæ, vel litterarum Curiæ Episcopalis. Percussio parentum enormis. Abusus rerum sacrarum ad magicas artes. Rebaptizatio. Violenta injectio manuum in personam Ecclesiasticam.

Addit Episcopus declarationem, datque licentiam omnibus confessariis, *laicos* a prædictis casibus reservatis absolvendi, si delicta sint occulta: excepto tamen homicidio voluntario, & majori excommunicatione judiciali. Similiter dat facultatem absolvendi *Clericos* ab omnibus casibus reservatis occultis, excepto homicidio, majore excommunicatione, bestialitate, coitu cum moniali, revelatione confessionis, &, si quis ab alieno Episcopo, aut furtive per saltum, vel extra statuta tempora, aut ante legitimam ætatem sine dispensatione ordinatus esset. Quibus casibus, etiamsi occulti essent, Clerici a solo Episcopo vel ejus pœnitentiario absolvi possunt. Per hæc tamen Episcopus nihil omnino iis, qui peculiaria privilegia vel ab eo, vel a Sede Apost. habent, quoad forum conscientiæ adimere intendit.

XII Extremæ unctionis Sacramentum, Marci 6 insinuatum, & per Jacobum Apostolum promulgatum, parochi diligenter ægrotis ministrent, etiam sensibus destitutis, modo antea honestæ fuerint vitæ, & tempore paschali communicaverint. Pueris doli incapacibus, furiosis, supplicio capitali mulctandis non detur. Si ad ægrum deferatur, sonus campanula non fiat, & minister veste chorali indutus, sine lumine cum aqua benedicta sacerdotem sequatur; nisi simul deportetur Eucharistia.

XIII Suscepturi *sacros Ordines* examini se subjiciant, etiamsi graduati in Jure vel Theologia existant. Coram Vicario, emissa professione fidei, reverentiam, obedientiam & fidelitatem jurent

Epi-

Episcopo, Vicario, & Officiali. Beneficium curatum adeptus, ante approbationem se non immisceat, sed mox Constantiam eat, & examen pro cura subeat: idque toties, quoties de nova cura provisus fuerit.

XIV *Ordinandi* debitis *qualitatibus* sint instructi: baptizati, confirmati, legitime nati, liberi, carentes irregularitate, censura &c. Initiandus subdiaconatu debet in Academia vel publico Gymnasio absolvisse rhetoricam, dialecticam, & duobus integris annis studuisse Theologiæ morali cum fructu debito. Nullus ad majores Ordines admittendus sine beneficio, pacifico, & sufficienti. Titulus patrimonii pro arbitrio Episcopi admittitur; contineat 1000 aut ad minus 800 florenos Imperiales, sub sigillo magistratus. Interstitia, quantum fieri potest, observentur. De cantu etiam examinentur.

XV *Sponsalia* sunt promissio & repromissio futuri matrimonii. Non fiant in angulis, sed coram aliquot testibus in domo aliqua honesta per verba de futuro, præsente etiam parocho, si fieri possit.

XVI *Matrimonium* clandestinum est nullum, & graviter peccant ita contrahentes. Fiant trinæ proclamationes: si tamen probabilis esset suspicio, matrimonium malitiose impeditum iri, fieri potest una vel nulla. Supplendæ tamen ante matrimonii consummationem. Qui præsens tacuit, postea non admittatur ad accusandum matrimonium. Ne conjungantur extra Ecclesiam sine facultate Episcopi vel Vicarii. Præmittatur confessio.

Sine consensu parentum inita matrimonia sunt quidem valida, regulariter tamen illicita. Graviterque prohibetur parochis, ne coactas nuptias conjungant, prout etiam aliis, ne liberos vel subditos ad nuptias cogant, aut cum hæreticis contrahantur. Abusus tollantur.

Recensentur hic impedimenta matrimonii, impedientia & dirimentia, uti error personæ & conditionis servilis. Votum solenne in Religione, & simplex etiam in Societate JEsu, contrahendum dirimunt. Cognatio spiritualis & naturalis. Crimen conjugicidii, vel adulterii cum promissione matrimonii. Cultus disparitas, quando contrahit fidelis cum infideli. Vis aut metus gravis & injustus. Ligamen. Ordo sacer dirimit contrahendum: clandestineitas, publica honestas, orta ex sponsalibus & matrimonio rato. Defectus consensus, aut rationis affinitas, impotentia andecedens, raptus. Votum simplex & sponsalia de futuro faciunt matrimonium illicitum, non tamen invalidum.

Cauſſæ omnes matrimoniales ad conſiſtorium Epiſcopi ſpectant, ut adeo nullus decanus aut parochus ſe immiſcere debeat, ſed ad conſiſtorium referre. Neque transactioni hic eſt locus, ſed ſecundum canonicam ſeveritatem procedendum.

XVII *Lectiones Theologiæ*, ſaltem moralis, ſuperiores monaſteriorum & collegiorum haberi curent, eæque diligenter frequententur; atque eæ materiæ tractentur, quæ in praxi ſunt magis utiles ac neceſſariæ.

XVIII Nec minus eſt neceſſaria *prædicatio verbi divini*; nemo autem hoc officium ſibi uſurpet, niſi legitime vocatus & approbatus a ſuis ſuperioribus, moribus & doctrina præcellens. Conciones habeantur ſingulis dominicis feſtisque diebus in omnibus eccleſiis, quæ rectorem habent. Tractetur de fide Catholica, ſacramentis, miſſa, obſervatione mandatorum &c. A quæſtionibus difficillimis & perplexis abſtinendum, prout etiam a reprehenſione ſuperiorum magiſtratuum, & aliorum concionatorum. Populus conciones diligenter accedat, & attente audiat.

XIX Commendatur plurimum *catechiſmi* ſeu doctrinæ Chriſtianæ traditio, ſingulis dominicis inſtituenda &c.

XX *Divina officia* peragantur ex ordine Breviarii & Miſſalis Conſtantienſis, ad uſum Romanæ Eccleſiæ accommodati. Itaque ceremoniis Romanis omnes utantur. Cantus muſicus ita adhibeatur, ne devotionem potius impediat, aut audientes ad tripudium excitet. Commendatur uſus aquæ benedictæ, cereorum, cinerum, palmarum; fructuum benedictiones, litaniæ item, & *proceſſiones* publicæ, Conſtantiæ tempore aliquo intermiſſæ, reſtaurentur.

XXI *Sacræ reliquiæ* in locis & vaſis honeſtis aſſerventur, populoque non ab æditituis & laicis, ſed a clericis exhibeantur. Dubiæ & ſuſpectæ ſeparentur, & in alium locum honeſtum reponantur. Abuſus omnis tollatur. *Sacris imaginibus* debitus honor exhibeatur, qui refertur ad prototypon. Sunt illæ plebi inſtar librorum, erudientes & ad virtutem incitantes. Non approbatæ autem aut minus decenter pictæ ex eccleſiis omnino auferantur. *Sanctorum cultum & invocationem* Eccleſia Catholica ſemper probavit. Alius tamen longe cultus eſt latriæ, quem DEo Domino noſtro deferimus, alius, quo ſanctos colimus & tanquam interceſſores noſtros invocamus.

XXII

XXII *Indulgentiarum* usus in ecclesia est antiquissimus. Ignotæ & suspectæ ne publicentur, donec ab Ordinario sint approbatæ. *Purgatorium* esse omnis sacra tradit auctoritas, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, præsertim Missæ sacrificio, juvari.

XXIII *Dies festi* non ad otium & ingluviem, sed ad cultum divinum sunt instituti. Enumerantur festa diœcesis Constantiensis, inter quæ festum S. Conradi, & S Pelagii martyris, patronorum: 4 B. V. Purificationis, Añuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, SS. Angelorum Custodum, tunc institutum, post octavam SS. Apost. Petri & Pauli celebrandum. Accessit postea festum immaculatæ Conceptionis B. V. & ejus sponsi S. Josephi. Officinæ opificum & mercatorum his diebus sint clausæ, nec nundinæ permittantur. Sæculares nihil circa festa mutent, sine Ordinarii, aut, si periculum in mora, decani vel parochi consilio & assensu.

XXIV *Jejunia* Ecclesiæ stricte serventur, & statis diebus *abstinentia* a carne. Qui evidentis morbi, aut alterius justæ caussæ excusationem habent, licentiam a Vicario Generali, aut propter moræ periculum a parocho suo in scriptis accipiant, de medici consilio. Dispensatus privatim cibum sumat. Die cinerum ludicra & comessationes tollantur.

XXV *Scholæ* latinæ & germanicæ in oppidis erigantur, & idonei magistri præficiantur, qui pueritiam rudimentis Catholicæ fidei, juxta formam catechismi minoris Petri Canisii instruant. Scholæ visitentur.

XXVI Clericorum *seminarium*, magnopere exoptandum, necdum propter difficultatem temporum erigi potest; commendatur tamen omnibus statibus, ut rationem ineant, quibus mediis tam salubre opus institui possit.

## *Constitutionum Synodalium Pars II.*

*Titulus I.* Commendatur *vita & honestas clericorum*, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque rebus omnibus nihil, nisi grave, moderatum, pietate ac religione plenum præseferant. In oppidis veste thalari utantur, colore nigro. Multa alia recensentur, quæ ad decorem & ædificationem pertinent. Potator in publica taberna prima vice decem florenis, altera decem dierum carcere puniatur, tertia vero officio & beneficio pri-

vetur. Excipiuntur tamen honeſta convivia. Qui choreas ducunt, aut larvati incedunt, aut noctu vagantur, per menſem ab officio ſuſpendantur, & fructibus beneficii priventur. Ne mimos aut ludiones in conviviis agant, aut ſpectaculis profanis interſint; negotiationibus ſæcularibus ſe non immiſceant, cauponariam ne exerceant, vina menſuratim vendendo per ſe ipſos. Tempus ab officiis divinis vacuum clerici impendant ſtudiis, ſacris lectionibus, pietatis & caritatis officiis. Medendi artem non exerceant.

II Qui *dignitates* in Eccleſia obtinent, reſideant. *Decanus* non in univerſum clerum Conſtantienſem, ſed tantum in clerum Eccleſiæ Cathedralis ſuo modo jurisdictionem obtinet. *Canonici* in choro pſallant, proceſſionibus interſint, ſuperioribus obediant. Gratiæ exſpectativæ in Eccleſiis collegiatis tolluntur. Præbendæ ſcholaſticæ Canonicis junioribus non dentur, niſi actu in ſtudio aliquo generali exiſtant, & ſingulis annis teſtimonia morum & ſtudiorum capitulis ſuis mittant. Canonici, qui ſunt ſacerdotes, niſi ad certas Miſſas ſint obligati, præcipuis feſtivitatibus, & ſaltem ſingulis menſibus, prævia confeſſione celebrent; cæteri vero confiteantur & communicent.

III *Decani rurales* certis regiunculis ſunt præfecti, paſtores velut paſtorum, ut eos juvent exemplo, conſilio, verbo & opere, viri prudentes, docti, vitæ probatæ, multæque experientiæ. Eliguntur a confratribus, & ab Ordinario confirmantur, præſtito fidelitatis juramento.

Bis aut ſaltem ſemel quot annis capitulum congreget, vitam, mores, doctrinam confratrum examinet, minores exceſſus corrigat; graviores vero ad Ordinarium deferat. Decanus cum Camerario, aut alio ex deputatis ſingulis annis viſitet eccleſias, ſacriſtiam, vaſa, paramenta, ædes. Minora reforment, majora deferant. Clerico mortuo, cum Notario & Camerario inventarium conficiat, obſignet, arreſtet, eccleſiis viduatis interim provideat, & fructus beneficii percipiat. Clerici Decano reverentiam & obedientiam præſtent, ad capitulum vocati compareant, refractarios denuntiet.

IV *Camerarii*, ærario Capituli præfecti, Decanis impeditis ſubſtituuntur, ſine quorum conſilio aut juſſu nihil faciant. De cenſibus & mulctis Capitulo rationem reddant: jura Epiſcopalia exigant: ædes parochiales & beneficiales quot annis inſpiciant.

V *Parochi* alienis parochianis extra caſum neceſſitatis ſacramenta non miniſtrent ſine licentia proprii parochi. Cultui divi-

no

no & animarum saluti invigilent, ægros visitent. Dies festos, jejunia, supplicationes, anniversaria e suggestu promulgent. Bona ac jura Ecclesiæ defendant. Quinque separatos libros habeant, in quibus baptizatorum, confirmatorum, communicantium, matrimonia contrahentium, & defunctorum nomina inscribant.

VI *Vicarii*, sive perpetui sive temporales, sine Ordinarii consensu non assumantur, nec amoveantur, nisi quis de speciali privilegio edoceat. Quia parochorum vices gerunt, eadem de illis intelligenda veniunt. Prælati, capitula, monasteria, & alii, quibus parochiales ecclesiæ incorporatæ sunt, Vicariis suis ex fructibus Ecclesiæ de congrua provideant, unde se decenter sustentare, & jura diœcesana solvere valeant. Quod si non fiat, Ordinarii est supplere defectum & congruam determinare. Caveant vero Vicarii, ne minori portione se contentos fore promittant.

VII *Sacellani* & alii clerici munus suum diligenter obeant: singulis mensibus confiteantur, Prælatis & parochis suis obediant, & correctionem admittant.

VIII *Clerici peregrini* atque ignoti non admittantur ad Missam celebrandam aut sacra ministranda, nisi ab Ordinario sint approbati, & de hac approbatione authenticas litteras ostenderint. Si se ingerant sine istis, Fiscalis contra eos per censuras procedat. Apostatæ & fugitivi monachi non tolerentur.

IX Clerici curati *non residentes* fructus non faciunt suos, sed fabricæ aut ecclesiæ sunt applicandi, etiam alia declaratione non secuta. Nec tempore pestis oves suas deserant. Ad Ecclesiam parochialem non assumatur, nisi sit sacerdos, aut infra annum presbyter ordinari possit, & personaliter residere velit. Secus beneficiis privetur. Parochi non absint ultra hebdomadem sine licentia Decani, aut Vicarii Generalis ad longius tempus. Absentia autem nulli concedatur festis solennioribus, aut ultra bimestre, & nisi interea Vicarium deputaverit. In cathedrali & collegiatis Canonici non absint ultra tres menses, salvis tamen cathedralis Ecclesiæ statutis, privilegiis & consuetudinibus, auctoritate Sedis Apost. roboratis. Dispensationes perpetuæ de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis nulli suffragentur, temporales prius ab Ordinario recognoscendæ. Excusantur tamen a residentia, qui Romano Pontifici aut Episcopo suo obsequium exhibent: qui jura & negotia suæ ecclesiæ persequuntur: aut studiorum caussa cum licentia absunt &c.

X In recitandis *horis canonicis* utantur Breviario Romano. Te-

Tenentur ad illas omnes in sacris constituti, & quicunque beneficium habentes, sub pœna peccati mortalis & restitutionis fructuum. Matutinum & Laudes præmittantur Missæ. Iter aut levis morbus non excusat.

XI *Libros* clerici habeant convenientes, uti Biblia sacra, Catechismum Romanum Concilii Tridentini, & Petri Canisii, Concilium Tridentinum, Statuta synodalia, summam casuum conscientiæ Cardinalis Toleti, manuale Navarri, theologiam pastoralem Binsfeldii, controversias, institutiones, meditationes Costeri & Vincentii Brunii, opuscula Ludovici Granatensis, libellum Thomæ de Kempis: pro concionibus Eckium, Nauseam, Hoffmeisterum, Eisengrinium, Costerum, Feuchtium, Canisium, Schererum &c.

XII *Jus patronatus* est jus præsentandi Episcopo, aut alteri, qui jus instituendi clericum idoneum habet, ad beneficium vacans. Unde præter præsentationem patrono nihil juris competit. Laici, quibus variare permissum, intra 4 menses, Ecclesiastici vero intra 6 menses præsentent. Idem de eo, qui jus nominandi habet. Secus pro ea vice jus providendi ad Ordinarium devolvitur. Institutos sub pœna amissionis jus patronatus propria auctoritate non amoveant, nec beneficium diminuant, aut onerent. Jus patronatus non vendant, licet cum re temporali, cui est annexum, transeat. Beneficiati patronis reverentiam exhibeant, nec conquerendi caussam suppeditent; alias patroni eos ad Ordinarium deferant.

XIII Sine canonica *institutione* nullum beneficium obtinetur. Nec cura animarum exerceatur ante approbationem & investituram. Ab inferiore institutus nihilominus pro cura examinandum Ordinario se sistat, & commissionem curæ accipiat. Ante institutionem ex cancellis promulgetur, ut de vita & moribus cognosci possit. Juramentum fidelitatis, & obedientiæ deponat, uti etiam nihil alienandi, sed alienata recuperandi.

XIV *Resignatio beneficii* non facienda sine legitima caussa: nec aliter, nisi in manus Papæ, vel Episcopi, vel Vicarii illius, aut collatoris, qui de jure potest illam recipere. Quæ pure & simpliciter fiunt, recipi possunt ab Ordinario. Factæ sub conditione juri contraria, aut in favorem alicujus, puræ censeantur. Non tamen prohibentur preces, modo non sint obligatoriæ.

XV *Pluralitatem beneficiorum* curatorum aut alias incompatibilium damnant Canones. Recensetur dispositio Tridentini. Dispensatio ad plura curata non admittenda.

XVI

XVI. *Simonia* committitur pacto & mente, cum aliquid temporale datur pro spirituali, aut vicissim, aut etiam quando per temporale quis obligare intendit ad dandum spirituale, licet hanc pravam intentionem externe non prodat Si autem quis post collationem beneficii aliquid sponte offerat titulo gratitudinis, non committit simoniam.

XVII *Concubinatus* & consortium suspectarum mulierum gravissime prohibetur, quales sunt juvenes, cultæ, procaces, otiosæ, impudentes, vel mali nominis. Statuuntur pœnæ in concubinarios, fornicatores &c.

XVIII *Usura* jure naturali, divino, canonico, & civili est prohibita, nihil proin præter sortem capitalem exigi potest. Attamen ratione damni emergentis & lucri cessantis est licitum, etiam lucrum ex mutuo quærere. Non licet dare frumentum aut vinum sub pacto, tempore messis minori pretio recipiendi; nec dare corruptum, ut postea melius recipiatur: nec monopolia erigere &c.

XIX *Ecclesiæ, capellæ, & oratoria* non erigantur sine consensu Episcopi. Collapsa aut ruinosa reparentur sumptibus fabricarum, aut eorum, qui de jure vel consuetudine obligati sunt: in defectum horum parochiani reparent. Ecclesiæ consecrentur, pollutæ reconcilientur. Ubi Ecclesia communis est Catholicis & hæreticis, & polluta reconciliari non possit, super altari portatili consecrato celebretur sacrificium. Qui violenta sanguinis, aut voluntaria seminis effusione, aut sepultura hæretici aut excommunicati ecclesiam polluerit, aut cœmeterium, præter alias pœnas omnes reconciliationis expensas solvet.

Ubi asservatur Evcharistia, lampas perpetuo ardeat. In medio Ecclesiæ erecta sit magna crucis imago. Adsit vas aquæ benedictæ. Omnia bono ordine sint composita. Viri & mulieres non stent aut sedeant promiscue, sed separatim ex utroque latere. Altaria tela cerata, aut ex panno grassiore, deinde duabus lineis albis mappis tegantur, quarum superior sit oblonga; super has viridis tela sit constrata.

XX Vasa, vestes, & paramenta sacra, ad profanos usus ne convertantur; sed, si non amplius pro Ecclesia possunt esse usui, comburantur, & cineres in sacrarium mittantur. Sacra supellex sit munda ac nitida. Calices, patenas, vasa sacrorum oleorum, soli sacerdotes, aut clerici majorum Ordinum lavent, uti etiam purificatoria & corporalia prima ablutione, dein aliæ personæ honestæ abluant. Ablutio a clericis facta in piscinam seu sacrarium effundatur.

XXI

XXI Cum *Ecclesiarum bona* non humani sed divini juris sint, clerici illa diligenter conservent & defendant. Nihil alienetur. Defunctorum clericorum hæredes successori in beneficio omnia scripta, registra, & instrumenta gratis tradant, licet defunctus aliquas in iis conficiendis expensas fecisset. Singulis annis inventarium visitetur: ædes canonicales reparentur. In aliis Ecclesiis parochi & beneficiarii ædes suas conservent, & si opus, restaurent; nisi alii ad hoc teneantur. Vicarii etiam aliquid contribuant. Ædes beneficiales non locentur, nisi personis honestis. Sylvæ non excidantur, nisi ad moderatam necessitatem. Culpa præstetur ab eo, qui illam commisit, aut ejus hæredibus. Subjungitur decretum Tridentini, quo eos excommunicat, qui bona aut jura Ecclesiarum gravant.

XXII Qui *decimas* non solvunt, excommunicentur. Decimæ etiam *novales* pertinent ad parochum, licet alius *antiquas* percipiat. Vicarius eas non percipit, sed ii, quibus Ecclesia est incorporata. *Oblationes* a parochianis fiant quatuor saltem principalioribus festivitatibus, Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. V. M.

XXIII Præter parochum, qui est præcipuus *procurator fabricarum* Ecclesiasticarum, assumendi sunt duo de communitate, qui singulis annis rationem reddant administrationis. Si facultates fabricæ sufficiant, dari potest his procuratoribus aliquod salarium. Litteræ, instrumenta, pecunia asservetur in cista sub trium clavium custodia, quarum unam habeat parochus, reliquas duas duo procuratores alii.

XXIV De *bonis patrimonialibus* clerici sive per actum inter vivos, sive per ultimam voluntatem disponere possunt, sicut alii proprietarii. Circa *bona Ecclesiastica*, uti fundos, jus decimandi, jurisdictiones &c. clericis nullum jus competit, nisi prudentis administrationis. De bonis, ex bonis Ecclesiasticis *acquisitis*, uti de fructibus & redditibus beneficialibus, clerici ex antiquissima consuetudine diœcesis liberam testandi facultatem habent, illisque ab intestato succeditur. Monentur tamen, ut piarum caussarum sint memores. Bona *quasi patrimonialia*, hoc est, illa, quæ clericis separatim obveniunt ratione ministerii, e. g. ex celebratione Missarum, concionum &c. tam ex testamento, quam ab intestato ad hæredes possunt transmittere.

Concubinarum & aliarum turpium personarum ne mentio quidem fiat in testamento, &, si quid illis esset relictum, in pios usus convertatur. *Executores* Ordinario, tanquam supremo hujus-

modi

modi teſtamentorum executori, rationem reddant. Reprobatur conſuetudo & ſtatutum, ultra certam ſummam piis cauſſis non legandi. Per hæc, quæ de clericorum teſtamentis & ſucceſſionibus ab inteſtato dicta ſunt, Epiſcopus non vult derogare privilegio ſuo, certis quibusdam clericis ſuccedendi, uti etiam clericis illegitime natis, niſi licentiam teſtandi in ſcriptis obtinuerint.

XXV Pro *exequiis & ſepulturis* nihil exigatur, quod ſimoniam aut avaritiam ſapiat. Piæ tamen conſuetudines, pro fabrica & miniſtrorum commodiori ſuſtentatione aliquid recipiendi, non improbantur. Pro defunctis parochus preces & ſacrificium offerat. Concio funebris non excurrat in laudes defuncti, ſed in hortatione fidelium ad bonam mortem verſetur. Infideles, hæretici, ſchismatici, publice excommunicati, nominatim interdicti, manifeſti uſurarii, ſuicidæ &c. in loco ſacro ſepeliri non debent, nec pro iis exequiæ celebrari. Cœmeteria ſint clauſa, ne pecora ingrediantur. In medio magna crucis effigies ſit erecta. Nihil in cœmeteriis plantetur aut feratur; nec telæ lineæ ibi ſiccentur, nec ruſtici confabulentur, aut laborent. Adſit locus honeſtus pro oſſibus mortuorum reponendis.

XXVI *Immunitas Eccleſiaſtica* accurate ſervetur. Nemo ſæcularium clericum multare aut punire præſumat, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ſed delinquentes ad Ordinarium deferantur. Si clericus enormiter deliquiſſet (committendo crimen, quod de jure canonico depoſitionem, de jure civili pœnam capitalem meruit) & vehemens fugæ ſuſpicio adeſſet, permittit Epiſcopus, ut ſæcularis Magiſtratus honeſto eum arreſto detineat, donec Ordinario extradi poſſit. Idem, ſi in laico habitu fuiſſent deprehenſi.

Clerici ad ſæcularia tribunalia non trahantur. Si clericus eo citetur, non compareat, neque reſpondeat. Jus aſyli ne violetur, qui hominem inde violente abſtraxerit, ipſo jure eſt excommunicatus. Sunt tamen plures, qui aſylo non gaudent, ut publici latrones, agrorum populatores, viarum obſeſſores &c. Clericorum domus non minus quam Eccleſiæ ipſæ gaudent jure aſyli.

## *Conſtitutionum Synodalium Pars III.*

I *Regulares* Epiſcopo, tanquam totius Diœceſis Capiti reverentiam exhibeant, atque obedientiam in iis, in quibus juxta SS. Canones & Tridentini decreta præſtare debent. Superiores Religioſos ſuos vagabundos inquirant, & ad monaſterium reducant.

reducant. Curam animarum non exerceant, niſi prius ab Epiſcopo vel ejus Vicario fuerint examinati & approbati. In iis, quæ ad curam animarum ſpectant, Epiſcopo ſunt ſubjecti, qui in parochiis delinquentes puniet, aut in monaſterium remittet. Subjunguntur plura de Regulari diſciplina, de votis Religioſis, victu, veſtitu, ſilentio, clauſura, choro, capitulis, adminiſtratione bonorum, de mittendis junioribus Religioſis ad publicum aliquod Gymnaſium: obſervandis cenſuris & interdictis, etiam Diœceſanis &c.

II *Electio Prælatorum* fiat per vota ſecreta, ita, ut nomina eligentium nunquam publicentur. Abſentium vota non admittantur. Electioni præſint duo vel tres ſcrutatores Prælati, aut alii in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, cum teſtibus & Notario; nulli autem laici. Electus poſt examen confirmandus & benedicendus ab Epiſcopo, ſi illi ſit ſubjectus.

III Aſſignantur 36 regulæ ſalubres pro *Monialibus*, earumque diſciplina Religioſa.

IV *Domus Religioſæ*, uti hoſpitalia, xenodochia, orphanotrophia, leprodochia, quarum cura ad Epiſcopum ſpectat, rationem eidem reddant adminiſtrationis, ſive ſæculares ſive eccleſiaſtici ſint procuratores. Piæ fundationes in alios uſus ne convertantur. Bonis moribus & animarum ſaluti invigiletur a præpoſitis.

V Novæ *confraternitates* ne inſtituantur, ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ aut Epiſcopi. Finis earum major devotio, pietas, probitas. Epiſcopo, ſi petat, quot annis adminiſtrationis ratio reddatur.

## *Conſtitutionum Synodalium Pars IV.*

I *Jurisdictio Eccleſiaſtica*, divina ordinatione inſtituta, Conciliorum, Pontificum, SS. Patrum teſtimoniis, ipſorumque adeo Imperatorum legibus ſtabilita eſt. Judicium Eccleſiaſticum celebretur Conſtantiæ in ambitu Eccleſiæ Cathedralis. Conſiſtorium habeatur omni die hora nona, in quo omnes cauſſæ Eccleſiaſticæ tractentur, exceptis Dominicis & feſtis ac ſtatis feriis, quæ hic recenſentur.

II *Cauſſæ Eccleſiaſticæ* aliæ ſunt *mere ſpirituales*, uti illæ, quæ fidem, Sacramenta, & eorum adminiſtrationem, Eccleſias & ceremonias Eccleſiaſticas concernunt. Unde cauſſa hæreſis, blasphemiæ, ſimoniæ, matrimoniales, & ſimiles ad forum Eccleſiaſticum pertinent. Aliæ *ex ſpiritualibus dependent*, uti ex matrimonio cauſ-

fa

ſa divortii, ſævitiæ, taxæ dotis, legitimationis: cauſſæ ſpoliationis loci ſacri, ſacrilegii &c.; quorum cognitio & punitio ad Epiſcopos ſpectat, ſive ab eccleſiaſticis, ſive a ſæcularibus patrentur.

Cauſſæ *Mixtæ* ſunt Beneficiales, juris patronatus, decimales, fundationum, jurium, redituum eccleſiaſticorum. Cauſſæ teſtamentorum & legatorum ad pias cauſſas: cauſſæ contra clericos intentatæ; cauſſæ viduarum & miſerabilium perſonarum, & eorum, quibus adminiſtratio juſtitiæ eſt denegata: cauſſæ prorogatæ jurisdictionis & ſimiles, quas ſacri canones non niſi in foro eccleſiaſtico cognoſci ac decidi volunt. Atque his ſtandum, non obſtantibus quibuscunque ſæcularium in contrarium attentatis.

*Nota, per cauſſas Mixtas a ſynodo non intelligi eas, quæ ſunt mixti fori, in quibus datur jus præventionis, ſed intelliguntur cauſſæ eccleſiaſticæ, quæ aliquid temporale involvunt, nihilominus tamen privative ad forum eccleſiaſticum ſpectant, præſertim ſi temporale a ſpirituali ſeparari nequeat, ac propterea illos in ſolo foro eccleſiaſtico tractari ſynodus imperat, vetatque, ne clericus laicos contra jurisdictionem eccleſiaſticam invocet, aut procuret eorum auxilium.*

Judices Conſiſtoriales absque mora partibus juſtitiam adminiſtrent. Sicut autem laici cauſſis eccleſiaſticis ſe immiſcere non debent, ita neque eccleſiaſtici cauſſis ad forum laicum ſpectantibus. Cauſſæ taxæ dotalis & debitorum, quæ 10 florenos non excedunt, ſummarie tractentur.

III *Perſonæ Judicii Eccleſiaſtici* ſint Vicarius & Officialis præſides, Sigillifer, Fiſcalis, Advocati, Notarii, Procuratores, Commiſſarii, ſcribæ, nuntii, & pedelli, omnes Catholici, juris periti. Partes ultra taxam ſtatutam ne graventur. Pauperibus vero gratis adminiſtretur juſtitia.

IV Citationes, monitoria, edicta, & alii *Proceſſus* judicum, per decanos, & parochos partibus intimentur, & quidem absque mora, & ſine impenſis. Traduntur modi inſinuandi decreta judicialia, ſi difficilis eſſet acceſſus.

V *Excommunicatio* major ab omnibus divinis officiis, precibusque publicis, ab ingreſſu Eccleſiæ, quo tempore res divina peragitur, a ſacramentorum participatione, & Chriſtiana ſepultura excludit, ab omni item electione, activa & paſſiva, beneficio, & officio cujuscunque ordinis, ita, ut, ſi illa exerceant, irregularitatem incurrant; ſimiliter ab omni poteſtate ſpirituali, & actibus

legitimis, quibus homines inter ſe communicant; ab omni denique participatione bonorum operum Eccleſiæ.

Incurritur autem aut *ipſo jure*, vel *ab homine*. Hæc caute impingenda, nec niſi ob graves cauſſas, & in caſu contumaciæ; neque tunc, ſi mulcta pecuniaria, captione pignorum, aut ſuſpenſione a beneficio & officio procedi poſſit. Si vero quis in excommunicatione inſorduerit, in eum tanquam de hæreſi ſuſpectum procedendum.

*Suſpenſio* ab uſu ordinum, officii & beneficii excludit, ſub reatu peccati mortalis & irregularitatis. Alia jure ipſo, ſicut excommunicatio, alia ab homine infligitur per ſententiam, pro caſu, quo alia remedia non ſufficiunt.

*Interdictum* eſt cenſura, qua vel generaliter vel ſpecialiter aliqua provincia, civitas, aut Eccleſia, vel perſona interdicitur, ut Miſſæ ſacrificium, aliaque officia divina celebrari non poſſint.

VI *Abſolutio* a cenſuris per ſe petenda eſt ab eo, qui illas intulit, aut ab eo, qui poteſtatem ab inferente accepit, uti Vicario, Pœnitentiario &c.: nec ante, quam ſatisfactio fuerit præſtita. Exhibenda autem abſolutio in ſcriptis & litteris authenticis.

VII *Appellatio* ab Interlocutoria in cauſſis criminalibus clericorum, viſitationis & correctionis morum, tanquam frivola rejiciatur; ſicut etiam aliæ, ſine legitima cauſſa interpoſitæ. A ſententia Epiſcopali fiant ad Metropolitanum Moguntinum; nunquam autem ad judices ſæculares.

VIII Pro *Viſitatione* Diœceſis Conſtantienſis in quatuor partes dividitur, Sueviam, Algojam cum adjacente Sylva Brigantina, in Briſgojam cum vicina Sylva Hercinia, & in Helvetiam: in quibus præter decanos rurales, quatuor ſpeciales Viſitatores conſtituentur, qui ſingulis annis aſſignatam ſibi provinciam viſitent, ut intra duos annos tota Diœceſis viſitetur. Sint præterea Conſtantiæ duo Viſitatores Generales, ad quos reliqui referant, illi vero ad Epiſcopum. Viſitatores neminem ſumptibus ſuperfluis gravent, moderato victu, & ſumptibus viſitationis neceſſariis contenti. Hos autem Prælati & parochi prompte ſuppeditabunt; cum ad *procurationes* obligentur.

IX Cum ſingulis annis, ut præſcribit Tridentinum, *Synodus* celebrari non poſſit, quoties tamen fieri id poterit, eſt præſtandum. Tenentur autem etiam exempti intereſſe. Conſtituuntur executores ſtatutorum Synodalium Vicarius Generalis, Officialis, Sigillifer, Fiſcalis, Viſitatores, Decani rurales, ſuperiores Cathe-

dralis

dralis & Collegiatarum Eccleſiarum, atque Monaſteriorum; qui ſtatuta iſta Synodalia obſervari curent. Declarationem autem eorum ſibi reſervat Epiſcopus, omniaque Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjicit.

Subjungitur Formula Vulgaris lingua germanica, complectens ea, quæ in hac Synodo de matrimonio ſunt ſtatuta, cum Profeſſione Fidei, & Formula dandi titulum menſæ.

Ejusmodi Concilia Diœceſana pluribus aliis in locis, uti Auguſtæ, Brixinæ &c. fuerunt celebrata, ſed quia eandem ferme materiam, easdemque propemodum ordinationes continent, ab iis recenſendis ſuperſedendum putavi.



# CAPUT II.

## *STATUS GERMANIÆ* SUB MATHIA CÆSARE.

RUdolpho Cæſari demortuo eodem anno 1612 Francofurti ſuffragiis omnium Electorum (excepto Brandenburgico) ſuffectus eſt *Mathias*, Rex Hungariæ & Bohemiæ, defuncti germanus. Qui ſedem Imperii Praga Viennam mox reduxit, & anno ſequenti *Ratisbonenſia Comitia* celebravit. In his uniti Proteſtantes (qui etiam *Correſpondentes* dicebantur) in antiquas querimonias effuſi, mutationem Aureæ Bullæ, novam juris dicundi rationem, pluraque alia poſtulabant, uti, ne major votorum numerus prævaleat &c. Hæc niſi addicerentur, negabant, ſe ad alia proceſſuros. Catholici multo plura contra Proteſtantes ſunt conqueſti. 43 Comitia Ratisbonenſia.

Has inter querelas & comperendinationes nuntiatur grave periculum Pannoniæ a Turcis, quorum clientelæ ſe *Gabriel Bethlemus*, Transſylvaniæ Regulus ſubjecerat. Quare Cæſar poſtulat communi omnium ſaluti neceſſaria ſubſidia. Negant pro more Acatholici, niſi votorum facti compotes. Addixere Catholici triginta menſium Romanæ expeditionis contributionem, & poſt varias altercationes tandem etiam illos in vota ſua traxerunt. Qui privatum Unionis ſuæ Comitium Heilbrunnæ habuerunt, & anno 1615 Norimbergæ, præſentibus Galliæ, Angliæ, Daniæ, & Batavorum le- Diſſidia.

 gatis;

gatis: rurſusque Heilbrunnæ anno 1617, ubi Unionem & fœdera priorum annorum confirmarunt, novaque cum exteris inierunt.

*Lundorpius* p. 1. cap. 1 & 2 in *form.* 4.

Quam rem cum Mathias Cæſar in magnum incendium erupturam proſpiceret, gravibus eos litteris ad diſſolvendas id genus pactiones & uniones eſt cohortatus: Catholicos pariter *Ligam* ſuam diſſoluturos. Conſtituendam rempublicam communi omnium ordinum conſilio & unione, ne in factiones diſciſſa, ſoluta membrorum compage, exterorum injuriæ pateat, & exitialibus bellis ruinam ſibi accerſat. Fruſtra omnia. Veteri jam quiritandi inſtituto datis Heilbrunna, ubi erant congregati, ad Cæſarem litteris, poſtulant Donawerdæ reſtitutionem, inter partes Religionis cauſſa diſſidentes æquilibrium, ut lancem ſuam, quo vellent, inclinare poſſent: aliaque plura, quæ eorum animos, arma potius quam quieta conſilia reſpicientes, palam prodebant.

*Lundorpius cap.* 3.

Primum in Bohemia erupit incendium, quod mox in Auſtriam, Moraviam, Sileſiam, Luſatiam propagatum, traxit in partes Europæos reges, Imperii principes, liberas civitates, reſpublicas, Europam prope univerſam.

44 Cura de ſucceſſore.

Mathias, ſenio jam & infirma valetudine fatiſcens, animo proſpiciebat, quantum in diſcrimen Imperium adduceretur, ſi ipſe, nullo ſucceſſore delecto, turbatis adeo rebus decederet. Ex Maximiliani II ſtirpe maſcula tres adhuc ſupererant in vivis Principes, Mathias ipſe Cæſar, Maximilianus Ordinis Teutonici Magiſter, & Albertus Belgii Princeps: ſed omnes tres ætate jam devexa, & ſpe prolis orbi. Ex Ferdinandi I poſteris aderant Caroli Styriæ Ducis filii; interque hos ſenior *Ferdinandus* Archidux. In hunc inclinabat Mathias: lubentes aſſenſere Maximilianus & Albertus, nec diſſenſit Philippus III Rex Hiſpaniæ. Horum igitur omnium voluntate in Ferdinandum, quem Mathias Cæſar in filium adoptaverat, Auſtriacæ ditiones ac jura certis pactionibus ſunt collata.

Ferdinandus deſtinatur.

Bohemici ordines anno 1617 a Mathia Pragam evocati, paucis primum refragantibus, poſtea vero ſilentio comprobantibus, majore ſuffragiorum numero Ferdinandum legunt regni ſucceſſorem, ornantque regalibus inſignibus magna celebritate: ea tamen adjecta conditione, ut vivente Mathia nullam regiminis partem aſſumat, poſt illius mortem autem omnia jura ac privilegia Bohemis confirmet.

Reddebant hæc Fridericum Palatinum Septemvirum ſollicitum, ne per Ferdinandi, Principis apprime Catholici, ſucceſſionem Proteſtantium unitorum conſiliis obex ponatur. Quare apud Electorem

rem Moguntinum & Brandeburgicum vehementer inſtat, ut eos a Ferdinandi electione abſtrahat. Mens ejus erat, ad Maximilianum Bavariæ Ducem Imperii coronam deferre, ut eum a Domo Auſtriaca divellat, & Proteſtantium unioni conciliet, ſi eorum favore ad Imperii faſtigium eveheretur, eorumque opera adverſus Auſtriacos indigeret. Eam ob rem Monachium excurrit ad Maximilianum: qui tamen a tantis conſiliis alienum omnino ſe oſtendit, eo præſertim Imperii ſtatu, quo ordines ob Religionis diſſidia, abjecto parendi obſequio, in privatas factiones abeant. Hac ſpe dejectus Fridericus, juvenis adhuc, & rerum experientia necdum ſubactus, ad Regem Daniæ, Mauritium Naſſovium, Sabaudiæ Ducem, coronam Imperii circumtuliſſe fertur.

Conatus Friderici.

Cæſarem hæc non latebant; quare, ut Ferdinandum patruelem majori potentia firmaret, indictis Hungariæ Comitiis Poſonium, cum regni ordinibus egit de eo in regem cooptando. Quamvis autem Acatholici vehementer obſiſterent, probitatem Principis & Religionis zelum veriti, in Cæſaris nihilominus ſententiam Ordines ivere, & Ferdinando, Bohemiæ jam regi, Hungarici quoque regni diadema inſigni cum gratulatione impoſuerunt. (*Anno* 1618).

Ferdinandus Rex Hungariæ.

Inter hæc Philippus Epiſcopus Spirenſis Udenhemium munierat (*Philippoburgum* a munientis nomine deinceps appellatum) at interceſſit Fridericus Elector Palatinus, & munitionem diruit. Sed Cæſaris auctoritate reſtauratum munimentum. 45

Philippoburgum.

Sub idem tempus Maximilianus Bavariæ Dux *Mindelhemium* ditionibus ſuis adjecit. De ea dynaſtia diuturna lis inter Fuggerum, uxorio nomine Comitis Schwarzenbergii hæredem, & Maxelrainium. Hic, litis apud Cæſarem porro perſequendæ impos, jus ſuum omne Maximiliano ceſſit. Diſceptata tamen fuit ea ceſſio, quod facta eſſet in potentiorem. Sed Maxelrainii impotentia viſa fuit cauſſa ſufficiens cedendi. Tandem Fuggerus quoque anno 1618 pro ære haud levi jus ſuum Bavaro tranſcripſit; cui dein Cæſar clientelarem totius dynaſtiæ jurisdictionem confirmavit.

Mindelhemium.

Accidit eodem anno caſus Melchioris *Cleſelii* S. R. E. Cardinalis, præcipui Cæſaris adminiſtri, ex infima ſorte rara ingenii felicitate, & in rebus agendis dexteritate ad eas dignitates evecti. Accuſatus is de noxiis in publicum molitionibus, & præſertim, quod inter Auſtriacos Principes diſcordiarum ſemina jactare tentaſſet, Pontificis aſſenſu a Ferdinando & Maximiliano ab aula remotus, ac cuſtodiæ datus eſt. Romam inde avocatus, ſuisque ſacerdotiis relictus in patriam reverſus obiit: documentum præbens, ſacratis homi-

Cleſelii caſus.

hominibus non eſſe ſaltandum extra ſuas oleas. Mathias Cæſar ægre initio tulit, ſe inſcio Cardinalem abductum, ſed ubi cauſſas intellexit, viſus eſt factum comprobare.

46 Initia belli. Anno eodem 1618 cœptum *bellum tricennale*, ortum primo in Bohemia. Altiori aliquantum a tempore repetenda ejusdem ſemina. Cum Rudolphus Imperator anno 1609 a fratre Mathia Pragæ obſideretur, Bohemos in auxilium vocavit. Præſto erant Catholici, negabant Acatholici, niſi nova pro ſectis ſuis templa exſtruere *Utraquiſtæ* permitterentur. Coactus neceſſitate Rudolphus diplomate (*litteras Majeſtatis* appellant) ſua eis poſtulata addixit.

Litteræ Majeſtatis.

*Brunovienſes* hac conceſſione abuſi, in alieno ſolo, monaſterii nempe, fanum ædificant. Antiſtes illico *nuntiationem novi operis* objicit, vetatque progredi. Mathias appellatus diem dici jubet Brunovienſibus, & interim ab opere jubet deſiſtere. At illi, animati Pragenſium *Conſervatorum* promiſſis (qui privilegiis conſervandis permiſſu Rudolphi erant deſignati) molem ad faſtigium perducunt.

Brunovienſe templum.

Mathias litteris Rudolphinis examinatis anno 1616 pronuntiavit, nullatenus Acatholicis eſſe conceſſum, alienum fundum invadere, illique inædificare; invito fundi domino. Et alioquin ædificium ſolo cedere. *Clauſtro-grabienſes* ſimilem ædem moliti ſunt in ditione Archiepiſcopi Pragenſis; qui eandem diruit. Brunovienſes vero juſſi a Rege fanum claudere & claves tradere, Conſervatorum auctoritate freti parere detrectabant.

Cum autem quidam ex contumacibus dati eſſent in cuſtodiam, Conſervatores (quod Regni legibus vetitum) in cœtum coacti, privilegia, quæ ſibi fingebant, vel armis tueri ſtatuunt. Rex graviter eos eſt dehortatus ab ejusmodi conventiculis, & inquietis machinationibus. At illi frequentia in Collegium Carolinum comitia indicunt, præcones etiam ſuos ad Evangelii & privilegiorum tuitionem populum ex cathedris animare jubent.

Coitio. Tumultus.

Hac tuba conciti in arcem armati aſcendunt, *Slabatam, Martinizium*, & *Fabritium*, regios Miniſtros, cum pro Rege dicere vellent, violente apprehenſos, ex arcis feneſtra in ſubjectum vallum per 45 pedum ſpatium præcipitant, ſequente in eos pilarum grandine. At ſingulari DEi beneficio vita ſtetit. Oritur tota tri-urbe tumultus. Catholici defenſionem parant. Comes *Turrianus* ſeditioſorum princeps jubet eos quieſcere. Conjurant ſectarii; militum delectus habent; exercitum ſub ſigna cogunt. Miniſtri regii conjecti in vincula, ſpoliati fortunis: occupata arx Carlſteinia, in qua

Miniſtri Cæſaris dejecti. Furor. Rebellio.

quæ regia corona cum gaza aſſervabatur. Arcis præfectus dejectus officio. In alienos uſus verſi cenſus regii : graves provinciis indictæ collectæ. Qui in regis fide perſtabant, ad eam exuendam adacti. Societas JEſu proſcripta ex Bohemia, ſequentibus brevi exemplum ſectariis in Moravia & Sileſia.

Et quamvis auſi fuerint, apologia in lucem edita, datisque ad Cæſarem litteris, tanta facinora defendere; rebus nihilominus ſuis diffiſi, confeſtim legatos miſerunt ad unitos Germaniæ principes, ad Sileſios, Moravos, Luſatios, qui rogarent armorum ſocietatem, ad Hungaros ablegatus, Viennam retractus, datusque in vincula. Jeſuitæ ex tota Bohemia exturbati, vaniſſimo obtentu, quod privilegiorum abolendorum ſuaſores fuiſſent, & domi clam magnum armorum apparatum ad opprimendos ordines feciſſent. Quas calumnias ſectariorum exules manifeſte confutarunt.

Cæſar arma juſſit ponere, oblata, ſi parerent, ſpe veniæ. Surdis omnia. Fridericus Elector Palatinus eorum cauſſam commendavit Saxoni & Brandeburgo. Bohemi vero, externis auxiliis aucti, de novo rege creando conſilia agitant. Miſſi legati ad Saxonem, Palatinum, Sabaudum. Budviſio obſidionem admovent. Cæſar geminum agmen immittit : alterum ſub *Carolo Longovallio comite Bucquoio*, Belga, ſub *Henrico Duvallio comite Dampierio*, Lotharingo, alterum. Hic caſtris ad Novam Domum poſitis, cum deditionem fruſtra poſtulaſſet a civibus, inde movens Turriani copias cædit, captisque aliquot oppidis, Viennam regreſſus, ſoli Bucquoio exercitum reliquit. Is haud procul Budviſio cum Bohemis pugnam commiſit, quæ quinque horas tenuit. Cæſi e Cæſareis 400, capti 200, velut in triumpho Pragam ducti. Ex Bohemis totidem ferme deſiderati. Bucquoius noctu campo excedens Crumlavium occupavit.

47 Cæſar veniam offert.

Bellum.

Pugna.

Bohemi interea, ut apparatum bellicum Cæſaris retardarent, animum pacis cupidum præferebant. Repoſuit ille : redirent ad officium; neque enim ſalva Majeſtate poſſe ſe cum armatis ſubditis paciſci. Sed erant illis arma quiete potiora, præſertim, poſtquam *Erneſtum comitem Mansfeldium* cum aliquot armatorum millibus acceperunt a Proteſtantibus Germaniæ; qui conſcripto alio adhuc exercitu Cæſari minas intentant, niſi Bohemis religionem permitteret liberam.

Mansfeld.

Facile adverterat Catholicos, tot motibus univerſam Germaniam involutum iri. Quare, ut religioni, in ſummum diſcrimen adductæ, proſpicerent, fœdus, anno 1609 cœptum, inſtaurant anno 1619, delectus Maximiliano Duci commiſſi.

Liga.

Pilſna. Impedire tamen nullatenus poterant, quo minus Mansfeldius Pilſnam, urbem ex integro Catholicam, quam olim Ziſca non potuit, expugnaret: proſcriptus propterea a Cæſare.

Sileſii. *Sileſii*, Bohemorum ſucceſſibus audaciores, liberam religionis copiam & ipſi poſtulant; quæ cum differretur, copias ſuas rebellibus Bohemis jungunt, inito cum illis fœdere.


48 Auſtriaci. Proteſtantes etiam in Auſtria magno numero parendi obſequio ſe ſubtraxerunt, negantes auxilia, niſi plena religionis libertas ſibi concederetur: quin imo non votis modo & deſideriis Bohemis favebant, ſed re ipſa quoque; nam Anaſſini, quaſi limites Auſtriæ defenſuri, ſylvæ Bohemicæ fauces, disjectis in transverſum arboribus, occuparunt, erecta etiam munitione, non tam hoſtem, quam Cæſarianos tranſitu prohibituri. Cumque Cæſar juberet, ut Bucquoii copiis liberum commeatum relinquerent, ſe Cæſareis jungant, & annonam præbeant, ut pateret, quo eorum conſilia tenderent, omnia detrectarunt.

Dum ſic plurimi ex Auſtria ſuperiore & inferiore hoſti faverent, facile fuit Bohemis, in ipſa Auſtriæ viſcera penetrare, ſub comite Schlickio, qui 4000 armatis ſtipatus, cæſis mille Cæſareis, opimas prædas agebat, & non nulla Auſtriæ oppida & monaſteria diripiebat.

Mathias Cæſar, tot undique malis preſſus, cum Turriano, Bohemiæ directori, per Wallenſtenium inducias fruſtra obtuliſſet, 13 Cal. April. anno 1619 obiit, Imperii 7, ætatis 62, relinquens ſucceſſori Imperium resque Germaniæ undique turbatas, quia ſcilicet piiſſimus Imperator religionem everti non ſinebat. Atque ut eam ſartam tectamque in anteriori etiam Auſtria atque ad Rhenum ſervaret, magnopere incumbebat, ut Friburgi in Brisgovia collegium Societati JEſu ædificaretur: quod negotium poſtea Leopoldus Archidux, Ferdinandi II frater, feliciter abſolvit, attributis aſceterii Oelenbergenſis, S. Morandi, & S. Udalrici, penitus jam pridem deſertis & diſſipatis bonis in fundationem.



CAPUT



# CAPUT III
## DE
# STATU GERMANIÆ
## SUB
# FERDINANDO II
*Uſque ad annum 1630.*

## ARTICULUS I.

*Incrementa motuum Bohemicorum.*
*Electio Ferdinandi in Imperatorem, Friderici in Regem.*

BOhemi audita Mathiæ Cæſaris morte, licet Ferdinandus pacem 49
& privilegiorum confirmationem ipſis offerret, multo audacius bellum proſequebantur, animo certi, repudiare regem, quem antea delectum ritu ſolenni throno inauguraverant, ac regni diademate coronarant. Diſplicuit dynaſtis & populo, ex integro *Rerum*
ferme in novas credendi vivendique leges abrepto, principis ſane *ſtatus.*
optimi religio, quam in Bohemiam revocaturum formidabant.

Animum addebant promiſſa a Sileſiis, Moravis, Hungaris, quos magnam partem idem contagium corripuerat, in belli eventum auxilia: quibus communi ope defectio ſuſtentetur. Spes pariter inflabant, Auſtria in partes ſciſſa, partem potiſſimam cum Bohemis ſociiſque fœdere colligata: Gabriel Bethlemus in Hungaria tumultuans, ſpondensque ſuppetias: erupturum propediem ab unitis Proteſtantibus bellum in Germania: acciſæ Auſtriacorum copiæ: ærarium tot funerum bellorumque ſumptibus exhauſtum, nec facile nervis inciſis, & occluſa ſcaturigine, reparandum: Hiſpani vires longinquæ, parumque firmæ, cum novis & ipſe bellis quotidie implicetur.

Adhæc favebat rebus novandis ipſum interregnum, quo gubernaculum ſit penes Palatinum & Saxonem, Imperii Vicarios, ſuæ religionis Principes: novum, quem eligerent, regem cum valido venturum exercitu præſagiebant; ex Anglia, fœderato Belgio, omni-

que Germania a principibus Evangelicis, quibus inviſa ſit & potentia & religio domus Auſtriacæ, affuturum militem.

Progreſſus Bohemorum.

His ſpebus cum turgerent Bohemi, comes *Turrianus*, eorum archiſtrategus, eas urbes, quæ per Moraviam Auſtriaco adhuc præſidio tenebantur, invaſit, Olomucium, Lipnicium, aliasque, ac ſuæ poteſtatis fecit. Inde in Auſtriam inferiorem irrumpit, atque ad ipſa Viennæ ſuburbia ducit exercitum. Erat in urbe rex ipſe Ferdinandus, & Auſtrii proceres utriusque religionis factionibus inter ſe diſſidebant: cives non pauci cum Turriano conſpirabant, provinciales iisdem ſtudiis tenebantur. Nunquam anguſtior res Auſtriacis.

At animum non deſpondit Ferdinandus, DEo ac cauſſa nixus. Quin a Chriſti e cruce pendentis effigie ſurgens P. Villerio, ſuo de Societate JEſu confeſſario, diſſerte affirmavit: brevi affore divinam opem, nec ſua eum ſpes fefellit. Nam Turrianus omiſſo Viennæ obſidendæ conſilio, ad ipſam Bohemiam defendendam a directoribus ſeu Conſervatoribus fuit avocatus.

Bucquoii victoria.

Quippe *Bucquoius*, copiarum Auſtriacarum ductor, Budvicium obtinens, atque exercitu octo ferme millium inſtructus, abſente Turriano liberioribus excurſionibus Bohemos infeſtabat, quin obviam progreſſus Mansfeldio, ad internecionem prope eundem cædit, captis vexillis 14, multoque apparatu bellico. Mansfeldius via ferro aperta evaſit. Victoriæ præmium fuit revocatus ex Auſtria Turrianus, metus Bohemis injectus, & capta aliquot propugnacula.

50 Conſultatio Bohemorum.

Inter hæc ordines Pragæ collecti, quam reipublicæ formam deinceps inducerent, conſultabant, regiamne, an optimatum, an vere omnino liberam ſeu democraticam. Horrebant monarchicam, quos rerum novandarum cupiditas, aut jugi impatientia accenderat. Libertatem ipſa nominis dulcedo, & exemplum Helvetiorum ac Batavorum inſpirabat. Pluribus regem eligi placuit, circumſcripta tamen poteſtate, ad Poloniæ atque Britanniæ normam: nec alium, niſi qui ſit gratus multitudini, propriisque viribus regnum pro dignitate tueri poſſit adverſus Auſtriacum. Reduci hoc pacto jus vetus Bohemorum, quibus regem legere, non dari aut naſci conveniat. In quem autem collimarent, nec promptum nec expeditum. Ex Bohemiæ proceribus non facile inveniendum, qui invidiam excedat, ſpretos videri, quotquot præterirentur. Extero propterea ſi ſceptrum offerendum: cuinam? an Palatino ſeptemviro? an Daniæ regi? an cuidam ex Saxoniæ ducibus? Placeret

reli-

religio. An duci Bavariæ, aut Subaudiæ. Sed diſplicet ſacrorum cultus.

Dum ita Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, atque Luſatiæ ordines de rege cooptando deliberant, diemque electioni figunt, legatos ad Septemviros mittunt, qui monerent, ne Ferdinandi, tanquam Bohemiæ regis, atque adeo Electoris, ulla ratio habeatur Francofurti: ut qui in poſſeſſionem ejus regni nunquam veniſſet. Optabat etiam Palatinus moras interregni longiores, rebus turbandis perquam idoneas. Componenda ante diſſidia, ajebat: rectius eligi, cui pacatum Imperium tradatur. Sed nihil ea aut Bohemorum, aut Palatini exceptio reliquos Electores movit, quo minus ad præfixam a Moguntino, collegii ſeptemviralis decano, diem convenirent, nihil noxium magis Imperio accidere poſſe cenſentes, quam ſi flagrantes tot inter turbas rectore careat. Neque excludi poſſe Ferdinandum a voto Bohemico; cum non alia opus ſit poſſeſſione, quam ut rex per ſolennem inaugurationem coronam, cui ſeptemviralis dignitas ſit annexa, conſecutus fuerit.

Aderant igitur Francofurti ad conſtitutam diem tres Electores Ferd.Imp. Eccleſiaſtici, uti etiam rex Ferdinandus per ſe ipſos, reliqui tres per legatos, electusque eſt in Imperatorem omnium ſuffragiis, die 28 Auguſti 1619 *Ferdinandus II*, atque inſequentis menſis initio a Moguntino ſub ſolenni Miſſæ ſacrificio Imperialibus inſignibus de more ornatus.

Bohemi acerbe ferentes, conteſtationis ſuæ, adverſus Ferdinandum a ſe interpoſitæ, nullam eſſe rationem habitam, majoribus ſuffragiis eligunt *Fridericum* Electorem Palatinum, decretaque Frid.Rex. mox ad eum legatio. Nec dubitavit ille acceptare coronam, ſibi ultro oblatam. Condita etiam lex, quæ perduellionis reum pronunciat, qui adverſus abdicationem Ferdinandi, aut electionem Friderici mutiret.

## ARTICULUS II.

### *Capitulationis Cæſareæ Ferdinandi II ſynopſis.*

I PRomittit, quod velit & debeat defendere rem Chriſtianam, 51
Sedem Romanam, Pontificiam ſanctitatem, & Eccleſiam Chri- Advocatus.
ſtianam, tanquam ejusdem advocatus; in Imperio tueri pacem, eccleſiæ.
concordiam, & jura: omniaque ſecundum ordinationes, privilegia, & antiquas conſuetudines dirigere.

Proteſtantici tamen Electores non conſentiunt, nec volunt Cæſarem obligatum, ut Sedem Romanam & Pontificem defendat. (ex quo ſane apparet, quomodo Acatholicus Imperator primum articulum capitulationis Cæſareæ ſemper *conſuetum eſſet obſervaturus*)

II Servare Auream Bullam, Pacem Publicam & Religioſam, aliasque Imperii ordinationes, & ſanctiones, eaque pro neceſſitate de conſilio Electorum aliorumque ordinum emendare, prout Imperii bonum exiget. (Leges.)

III Nationem Germanicam, ſacrum Romanum Imperium, Electores, præcipua ejusdem membra, aliosque principes, comites, dominos, ac ſtatus, in ſuis prærogativis, dignitatibus, juribus &c. illæſos relinquere: ipſisque regalia, ſuperioritatem, libertates, privilegia, pignora, jura, bonas conſuetudines, abſque ulla contradictione confirmare, atque protegere, ſalvis tamen cujusque juribus. (Jura.)

IV Permittere, ut ſex Electores conventus habere poſſint ad conſultandum pro exigentia de rebus Imperii, gravaminibus &c. pro tenore Aureæ Bullæ: nec id in malam partem accipere, confirmare Electorales uniones in genere, & Rhenanos in ſpecie, utpote jam alias a prioribus Imperatoribus in omnibus punctis approbatas. (Conventus.)

V Omnia ſubditorum, nobilium & communium fœdera, ſeditiones, ac violentias contra Electores, aliosque, ſuſceptas aut ſuſcipiendas, tollere ac prohibere, atque cum conſilio & ope Electorum aliorumque ordinum curam intendere, atque, ut decet, interdicere. (Seditiones.)

52 VI In negotiis Imperii nullas confœderationes cum externis, aut in ipſo Imperio inire, niſi conſultis ſex Electoribus, majorisque eorum partis conſenſu obtento. (Fœdera.)

VII Opem præſtare, ut cuilibet Electori, principi, aliisque, eccleſiaſtici aut ſæcularis ſtatus, injuſte ablata reſtituantur: omniumque bona ac jura tueri. (Reſtitutio.)

VIII De rebus Imperii abſque conſenſu Electorum non tantum nihil alienare, oppignorare, aut onerare, ſed eo etiam maxime intendere, ut jam alienata, aut abrepta ad Imperium reducantur: ac proinde inquirere, quo jure nitantur alienationes aliquot ditionum & feudorum in Italia & alibi: captamque informationem intra annum ad cancellariam Moguntinam mittere: atque omnia in his cum conſilio & auxilio Electorum ac ſtatuum ordinare: ſalvis tamen omnium juribus ac privilegiis. Et, ſi ipſemet Cæſar aliquid, ad Impe- (Alienatio.)

Imperium pertinens, abſque juſto titulo poſſideret, ad Electorum requiſitionem, reſtituere.

IX Cum vicinis Chriſtianis potentiis pacem colere: nec militem exterum in Imperium introducere, ſine conſilio & conſenſu ſtatuum, aut ſaltem ſex Electorum. Si ab uno vel pluribus ex ordinibus peregrinus miles in Imperium duceretur, ſerio inhibere. Si autem Cæſar ratione Imperii, aut ipſum Imperium invaderetur, omni ope ſuccurrendum fore. Pax.

X Electores aliosque ordines conventibus Imperialibus, taxa cancellariæ, exactionibus, & contributionibus, ſine neceſſitate & juſtis cauſſis, non onerare. In caſibus quoque conceſſis comitia & contributiones ſine conſenſu ſex Electorum non indicere. Neque comitia extra Imperium Germanicæ nationis celebrare. Neque contributiones & ſubſidia, a ſtatibus addicta, ad alium finem impendere. Contributio.

XI Officia Imperialia in aula & Imperio nobilibus Germanis committere, cum omnibus honoribus, dignitatibus, proventibus, & juribus, iisdem annexis. Officia.

XII In ſcriptis & Imperii tractationibus non alius ſit uſus, niſi linguæ Germanicæ aut Latinæ; exceptis iis locis, in quibus alia lingua communis vigeret. Lingua.

XIII Status & ſubditos Imperii non citare extra fines Germaniæ, aut a ſuis ordinariis ſuperioribus avocare. Citatio.

XIV Electorum ſubditi a judicio Rotwilano exempti ſunto.

XV Cum adverſus concordata nationis Germanicæ, cum Pontifice & Sede Romana inita, per gratias exſpectativas, reſcripta, annatas, reſervationes, & diſpenſationes, in præjudicium eccleſiarum, libertatis, & jurium patronatus, continuo agatur, apud ſuam Sanctitatem & Sedem Romanam, de Electorum & ſtatuum conſilio inſtandum, ut concordata, pacta, privilegia, & libertates obſerventur. Concordata.

XVI Abrogare magnas illas mercatorum ſocietates, quæ, velut monopolio erecto, magna damna per uſuras intulerunt. 53 Uſuræ.

XVII Sine conſenſu Electorum non erigere nova telonia, vel augere.

XVIII Quibus ab Imperatoribus certa telonia cum conſenſu Electorum ſunt conceſſa, cum ea reſtrictione, ut Electores eorumque ſubditi, aut aliæ perſonæ ſint exemptæ, reverſalibus litteris promittant, ſe nullum ab iis vectigal exacturos.

XIX

XIX Cum Rhenus in magnum præjudicium Electorum tractus Rhenani, & commercii, navibus armatis, ex Belgio advectis, & alias ſit oneratus, non requiſitis, imo obſiſtentibus Electoribus, Cæſar cum Electoribus rationem inibit, quomodo hæc gravamina tolli queant.

Telonia.

XX Si quis deinceps nova telonia peteret, aut antiqua augeri, Cæſar nullas ad Electores litteras commendatitias ei dabit.

XXI Si quis in ſuo principatu aut ditione novum telonium absque Cæſaris gratia & Electorum conſenſu erigeret, per mandata ſine clauſula adigendus, ut tale attentatum intermittat, nec permittendum, ut quisquam pro ſuo arbitrio novum telonium erigat, aut antiquum augeat.

XXII Si Electores ratione teloniorum actione pulſarentur, illa neque in judicio aulico, neque camerali, aut alio ordinario, ſed coram ſolo Cæſare inſtituatur.

Judicia.

XXIII Cum vectigalia Electorum ad Rhenum per varias exemptiones fuerint acciſa, id in poſterum ne fiat.

XXIV Si Elector aut princeps ob læſa regalia, privilegia, ac jura, cum alio lite committeretur, proceſſibus juris liberum curſum relinquere.

XXV Nulli in ſe vel poſſeſſionibus vim inferre, nec pati, ut inferatur, ſed jure experiri, omnibusque juſtitiam adminiſtrare.

Bannum.

XXVI Non concedere, ut deinceps quisquam, non auditus, aut ſine cauſſa banno aut heribanno feriatur. Sed proceſſus ordinarius, & conſtitutio Imperii de anno 1555 in reformatione cameralis ordinationis obſervanda.

XXVII Contributiones civitatum, in aliorum manus delapſas, ad Imperium reducere; niſi cum conſenſu Electorum eſſent alienatæ.

Feuda.

XXVIII Si feuda deinceps Imperio aperiantur, nemini illa concedere, aut in eum eventum promittere, ſed principatus, comitatus, ditiones, civitates, Imperio incorporatas ad ejusdem & Imperatorum ſuſtentationem retinere, donec illud rurſus ad meliorem ſtatum fuerit redactum, ſalvis tamen cujusque juribus.

XXIX Curam intendere, ut feuda Imperii diligenter conſerventur, ac proin in debitis caſibus petantur ac renoventur.

XXX Si Cæſari feuda, aut dominia, Imperii jurisdictioni ſubjecta, per hæreditatem obvenirent, conſuetas contributiones ex iisdem Imperio pendet.

Acquiſita.

XXXI Si cum conſilio & auxilio Electorum aliorumque ordinum Cæſar aliquid acquiret, Imperio attribuet. Si vero Cæſar abs-

abſque conſenſu Electorum & ſtatuum aliquid ſuſciperet, non teneantur illi præſtare auxilium. Et nihilominus Cæſar recuperata, quæ ad Imperium pertinere dignoſcuntur, eidem reſtituet.

XXXII Cum hactenus res monetaria multas in Imperium difficultates & inordinationes invexerit, & etiamnum invehat, cum Moneta.
omni diligentia Cæſar in id incumbet, ut accedente cōnſilio Electorum & ſtatuum in conſtantem ordinem reponatur, adhibitis mediis, quæ anno 1603 & prioribus comitiis opportuna ſunt viſa.

XXXIII Abſque præſcitu Electorum nemini deinceps jus monetandi concedere: eosque, qui abſque conſenſu Electorum privilegium monetandi adepti, eoque abuſi ſunt, illo omnino privare, præſertim vero apud civitates, quæ non immediate Imperio, ſed ſtatibus ſubjectæ ſunt, illud revocare: & etiam alias minoribus ſtatibus talia aut alia ſublimia privilegia non concedere, abſque aſſenſu Electorum, multo minus in horum præjudicium.

XXXIV Cæſar nullam hæreditariam ſucceſſionem in Imperiali Succeſſio.
dignitate pro ſe aut ſuis poſteris prætendet, aut procurabit, ſed ſeptemviris liberam electionem permittet, uti etiam jus, quotiescunque neceſſitas Cæſaris aut Imperii utilitas ſuaſerit, eligendi Romanorum regem, vivente etiam Imperatore, imo etiam eo invito, ſi precibus Electorum abſque ſufficienti cauſſa ſe opponat.

XXXV Vicarios Imperii, prout Aurea Bulla, jus Pontificium, 54
aliæque leges exigunt, in juribus ſuis quietos relinquet, quantum Vicarii.
ad Imperii negotia ſpectat: nec permittet, ut ea in controverſiam adducantur. Si quid contra attentatum fuerit, irritum eſto.

XXXVI Quæ a duobus Vicariis Imperio vacante ſecundum Auream Bullam & Imperii ordinationes acta ſunt, rata habebit & confirmabit.

XXXVII Promittit, Romanam regiam coronam recipere, uti Aula.
etiam Cæſaream, omniaque quoad hoc, quæ convenit, facere, aulam in Germania potiſſimum, quantum fieri poteſt, figere, ad omnium ordinum ac ſubditorum honorem, utilitatem ac bonum: omnesque Electores ad coronationem, & officiorum ſuorum miniſterium advocare.

XXXVIII Nullum reſcriptum, mandatum, aut aliud quid edere, aut ab aliis edi permittere, adverſus A. B. Imperii ordinationem, Pacem Religioſam & Profanam, ejusque obſervantiam, & alias leges, jam latas, aut de conſilio Electorum ac ſtatuum in poſterum ferendas. Quæ autem in contrarium eſſent edita, aut adhuc edenda, caſſa & irrita ſunto.

XXXIX Cæsar omnibus ordinibus eorumque legatis benevolas aures & celerem expeditionem præstabit. Feuda & litteras feudales juxta priorem tenorem absque cunctatione extradet. In rebus arduis Imperii mox initio Electorum consilio utetur. Arcanum, & aulicum consilium suum non ex solis Austriacis, sed aliis quoque Germanicæ nationis principibus, comitibus, nobilibus, aliisque honestis viris constituet, ut singulis sincera & expedita justitia sine discrimine administretur.

Judicium aulicum.

XL Judicio suo aulico certum ordinem & jurisdictionem, cum revisione veteris, conficiet, & in proximis comitiis Electoribus tradet. Eumque singulis aut alternis annis cum Moguntino, ceu archi-cancellario, visitabit. Et præcipue Electorale consilium de expedienda justitia, Norimbergæ nuper conceptum, exequetur.

Officiales.

XLI Cum deceat, Electores, tanquam intima membra, & præcipuas columnas Imperii, peculiari consideratione observare, eorum officiales hæreditarios munere suo in aula Imperatoris fungi absque impedimento permittet. Et si certis de caussis ea provincia Cæsaris officialibus esset aliquando demandanda, Electoralibus nihilosecius officialibus totum emolumentum cedat, acsi ipsimet ministeriis suis essent functi.

XLII Ut Cæsaris tam arcanum, quam aulicum consilium hujus capitulationis notitiam habeat, Cæsar eam exhibebit, adstringetque ad curatam ejusdem observantiam.

XLIII Hæc omnia & singula Cæsar sub sacramenti religione Electoribus promittit firmiter ac fideliter servare, nec illis unquam quomodolibet contravenire. Atque in horum fidem sex litteras, sigillo suo munitas Electoribus, singulis singulas, tradidit: Francofurti 28 Aug. 1619 Romani Imperii I, Hungarici II, Bohemici III.

## ARTICULUS III.

### *Principes dehortantur Fridericum a corona Bohemica, sed frustra.*

55 Dehortatio.

DUx Bavariæ, aliique principes amice Fridericum sunt dehortati a turbatis adeo consiliis: apud animum suum expenderet, quanta injuria Bohemi Ferdinandum regem suum legitimum repudiassent; quam inania sint, quæ eidem opponerent. Idem ipsi aliisque principibus posse contingere. Nullum regem coronæ securum fore, si illius possessio in subditorum arbitrium conjiciatur. Et, si in leges

aut

aut pacta deliquisset rex, quid suo eum judicio subjicerent? deferrent caussam ad Imperii principes, admitterent arbitros, nihil recusare Ferdinandum, sua conscientia fretum. Videret proin, quantam labem famæ suæ aspergeret, occupando aliena: quantamque procellam in caput suum conciret. Non omissuram profecto Domum Austriacam tantam patrimonii sui partem omni virium contentione retrahere. Quid, si bello cadat? amissurum etiam propria. Facile bella sumi, non deponi, nisi cum victori libuerit. Attritæ licet ipsi videantur Ferdinandi vires, vastam tamen adhuc esse Austriacæ domus potentiam, multas clientelas, prævalidos socios. Omne Catholicum nomen surrecturum, ut Romanorum Imperatori, ut Imperii capiti, ut Ecclesiæ Protectori succurrat.

Maximilianus Bavariæ Dux, sapientiæ fama celebratus princeps, sublimi prospiciens animo futuras calamitates, atque consanguinei principis miseratione motus, peculiares ad eum litteras dedit, monuitque amice, etiam atque etiam consideraret, quanta in pericula turbasque se ipsum conjiceret, totamque Germaniam. Absque ingenti hujus concussione non posse invadi regnum Bohemiæ. Quin totam Europam Christianam ituram in partes belli: quanto sanguinis humani profluvio! Non defuturum interea Ottomannum, qui ex mutuis Christianorum cladibus victorias metat, atque Hungariam saltem, Germaniæ propugnaculum, aut per se ipsum, aut per Bethlemum Gaborem, sibi obnoxium, abripiat, atque inde in Germaniam erumpat. Vestigia Turcicæ tyrannidis, quæ fixa jam sint in Transylvania, Valachia, atque Moldavia, cæteris provinciis debere esse terrori. Hæc si non moveant Electorem, Imperii columnam, cui maxime cordi esse debeat salus Reipublicæ, se ipsum saltem respiceret, nec nimium fortunæ fidat, cui tam familiare rapere, quæ donavit, quam donare, quæ rapuit. Non defore adversario manus, quibus noceat. Visurum in acie totius amplissimæ Domus armatas clientelas, totque hostes, quot Austriaci amicos habent. Quid, si socii fidem fallant? quid si ex eventu consilia sua metiantur, & prostratum destituant, rerum suarum satagentes? Unam infelicem pugnæ aleam posse spes, fortunasque omnes evertere. Non esse fortassis Bohemorum multos a Ferdinando usque adeo alienos, quin possint ad mentem & obsequium redire. Ejusce caussæ exemplum, cum ad omnes reges ac principes pertineat, credibile esse, ne ab ipso quidem socero, Britanniæ rege, approbatum iri.

Ducis Bavariæ

Et re ipſa Jacobus Angliæ rex magnopere genero diſſuaſit, ne turbis Bohemicis ſe ingerat; longe ſatius eſſe, mediocri fortunæ acquieſcere, quam ſpebus incertis tantis creſcendi periculis, ſe, familiam, poſterosque ſubjicere. At Fridericus, princeps ſua indole non malus, miniſtrorum quorundam adulantium ſuſurris, & renidentis coronæ illecebroſo lenocinio pellectus, calamitati ſuæ

56 magnis paſſibus imminebat. Regium nomen, gloriæ avida, & pe-

Fruſtranea. riculorum contemptrix ætas, Britannus, filiæ, genero, & nepotibus non defuturus, amici principes Unionis, favor & ſtudia Batavorum, Corporis Evangelici mens ad ſe inclinata, ſpes occultæ ab aliis, Bohemorum, Moravorum, Sileſiorum, Luſatiorum aperta ſuffragia, viresque collectæ, Bethlemi denique, Tranſylvaniæ principis, cum Bohemis fœdus, & invaſa Hungaria, præcipitem in ruinam impulerunt.

Reſcripſit tamen Maximiliano, in quo magnum in utramque

Reſpondet. partem momentum eſſe noverat, ob regionum etiam vicinitatem, ſe publica tranquillitate nihil quidem habere antiquius; ſed neque fraudi eſſe debere, ſi nulla machinatione quæſitum, ſed divinitus de cælo miſſum diadema recipiat. De Ferdinandi abdicatione curæ Bohemis fore, ut eam orbi Chriſtiano probent. Eos paratos fuiſſe nuper collegio Electorali facti ſui rationem reddere, ſed ne admiſſos quidem ad dicendum. Nihil quidem ſibi eſſe cum Bethlemo negotii, mirum tamen non fore, ſi Hungari, religionis cauſſa multa perpeſſi, ad ejus auxilia reſpiciant; documentum daturi, quantum interſit, reges inita cum ſubditis pacta ſervare. Demum ſperare ſe a Maximiliano, fore, ut cauſſæ Bohemicæ ſe non immiſceat, & externum militem tranſitu per terras ſuas prohibeat.

Mox Heidlberga, quam poſtea ſemel duntaxat in fuga vidit,

Apologia. cum uxore & liberis diſceſſit, profectusque Pragam novo ritu inauguratur throno: ad liberos etiam illius protenſo ſucceſſionis jure. Atque ut principibus orbique omni occupati regni rationem redderet, apologiam edidit: id nimirum ſibi eſſe propoſitum, ut primum tueretur religionis & conſcientiæ libertatem, adverſus jugum

*Lundorp.* Pontificium, & politicam dominationem; deinde arceret populo-

*Act. publ.* rum afflictiones, & iniquas ſubſidiorum exactiones, obtentu belli

*p. 2. c. 4.* Turcici ſolitas extorqueri, utque tabulas Rudolphinas in religionis autonomiam ad uſum revocet. Denique ne regnum, quod electione deferri oporteat, hæreditaria ſucceſſione occupetur.

ARTI-

# ARTICULUS IV.

*Cæſar undique preſſus fœdus init cum Duce Bavariæ.*

INterea Ferdinandus Cæſar peracta coronatione Francofurto profectus Viennam, quo per plures inſidias venit, præter Bohemiæ jacturam, turbatæ Hungariæ triſti nuntio percellitur. Simulque uniti Proteſtantes primum Rotenburgi ad Tuberam, dein Norimbergæ congregati, præſente ipſo Friderico, Unionis capite, haud obſcure minabantur, Bohemorum defenſionem ſe ſuſcepturos, niſi Cæſar ac Bavarus, Catholicæ Ligæ dux, arma ponerent, & Catholici principes delectus intermittant. Poſtulabant inſuper, tribunal Spirenſe & aulicum in formam a ſe præſcriptam redigi: bona poſt Tranſactionem ab Acatholicis abrepta Eccleſiis, poſſeſſoribus relinqui. Atque hæc omnia intra bimeſtre ſpatium confecta volebant. 57

*Curæ Ferdinandi.*

Cæſar tot undique difficultatibas preſſus, cum cerneret, Hungariam rapi a Tranſylvano, Bohemiam, Sileſiam, Moraviam, ac Luſatiam a Palatino, Auſtrios factionibus collidi, & cum Bohemis ire in fœdera, minitari unitos per Imperium Proteſtantes, omniaque infida aut infeſta eſſe, præter paucos, quos haberet Catholicos, in omnem partem animum verſabat. Principibus Unionis manſuete reſcripſit, viſurum poſtulata ipſorum, poſtquam res domi ſuæ compoſuiſſet, coronam Bohemicam, per ſummam injuriam ſibi detractam, non poſſe negligere. Sperare, neminem tam iniquum in ſe fore, ut impediat, ne ſua repetat.

Cum autem bellum grave evitari non poſſe facile appareret, & propter tot defectiones turbasque vires propriæ non ſufficerent, exteras circumſpexit, decreta, ſuo & Catholici fœderis nomine, legatione ad ſummum Pontificem, Galliarum ac Hiſpaniarum reges, atque Saxoniæ ſeptemvirum: admonito quoque officii ſui Palatino, ut injuſte ablata reſtituat.

Præcipue vero oculos reflexit in Maximilianum Bavariæ Ducem, conjugis ſuæ fratrem; quem uti proxima affinitas & ſanguinis nexus, ita jam ab eo tempore, quo ſimul uterque Ingolſtadii ſcientiarum diſciplinis vacabat, morum ſimilitudo, atque amicitiæ & amoris neceſſitudo ſibi arcte adſtrinxerat. Principem hunc, quem ob ſingularem prudentiam, religionis ſinceritatem, rerumque agendarum uſum, Catholici jam ante fœderis ſui ducem delegerant, ingens in omnem partem, ob regionum etiam opportunitatem, emolumentum ſibi allaturum Cæſar videbat. Quare a co-

ronatione Monachium digressus, & octiduo ibidem subsistens, consilium cum eo contulit, & pactum, quo ei libera Catholici fœderis directio commissa est, in hæc capita confirmavit.

Pacta. 1 Maximilianum, prout ipse pro rerum ac temporum ratione utile duxerit, Cæsari ac fœderatis Catholicis contra eorum hostes pro viribus opitulaturum.

2 Cæsarem, ejusque domum, nullam cum hostibus pacis tractationem, inscio & invito Duce, neque Ducem vice versa, initurum.

3 Ducem ad belli sumptus, instar aliorum Catholicorum Imperii ordinum, ratam portionem collaturum. Si quid præterea, rebus poscentibus, contulerit, aut majoris notæ damnum propter auxilium Cæsari præstitum, acceperit, Cæsarem cum universa sua domo ad hoc refundendum, sub hypothecaria cautione bonorum omnium, fore obligatum. *Adlz. p. 3. l. 4. n. 26.*

4 Si contingeret, Ducem quidquam de suis ditionibus per talem expeditionem amittere, Cæsarem ejusque domum tantundem repositurum.

5 Quidquid de provinciis Austriacis Dux ejusque hæredes ac successores hosti armis eripuerint, id omne, cum universis emolumentis juribusque, loco pignoris retenturos, cum jurisdictione absoluta, ad usque sumptuum extraordinariorum & damnorum refusionem.

Ab his tamen excepta sunt telonia, salinæ, fodinæ, & si quæ alia ad principis fiscum, sive, ut vocant, bona cameralia pertinent.

## ARTICULUS V.

### *Acta Conventus Norimbergensis.*

### § I.

### *Cæsaris ad illum legatio.*

58 CUm Protestantes uniti, seu *Correspondentes*, in eo, quem dixi, conventu Norimbergensi congregati essent, Cæsar comitem Hohenzolleranum ad eos legatum misit, qui coram proponeret propensum Cæsaris ad pacem & veram concordiam animum, omniaque cujuscunque status privilegia ac jura conservanda. Quod Bohemiam spectet, nullam sane a Ferdinando turbis occasionem datam, nullius jura aut privilegia læsa, quin ad illa sarta tecta conservanda *Lund. p. 2. c. 5.*

servanda

ſervanda ſe obtuliſſe. Arma primum a Bohemis arrepta. Imo etiam induciarum tempore Cæſareos hoſtiliter invaſos. Neque religionem impetitam illius regni, paratumque adhuc eſſe, neminem propterea turbare, ſed omnia illius jura & conceſſiones, a prædeceſſoribus regibus factas, illibatas relinquere, avocatisque ſuis copiis plenam tranquillitatem reducere, modo Bohemi ad officium redeant, &, ut fidos ſubditos decet, regem ſuum obſequio colant. Sperare proin Cæſaream Majeſtatem, Correſpondentes Cæſareæ huic animi ſui declarationi plus fidei habituros, quam vanis rebellium querelis, aut turbidis malevolorum pacisque oſorum relationibus, atque malignis ſuſurris: potiusque ad reparandam, uti in Bohemia, ita etiam in Germania concordiam, prout ſtatus Imperii decet, collaboraturos.

Legatio Cæſaris.

## § II.

### *Unionis Reſponſio, & Poſtulata.*

Correſpondentes ad hæc reſponderunt, grates ſe Cæſari habere pro tam benevola mentis ſignificatione, nihilque magis optare, quam, ut averſi religionis utriusque conſortium animi in ſinceram concordiam coaleſcant; quod fore ſperant, ſi voluntati tam pronæ opus ipſum reſpondeat. A quadraginta jam ferme annis ordines Evangelicos contra Pacem Religioſam & Profanam, contraque jura ac libertatem plurima perpeſſos, a Romanis Imperatoribus, Rudolpho maxime & Mathia, remedia rogaſſe. Promiſſum quidem ſingulis ferme in comitiis ac legationibus a Cæſaribus gravaminum levamen: ſed optimam eam mentem a Catholicis ordinibus & miniſtris Cæſareis aut ſufflaminatam aut omnino fuiſſe everſam. Cumque poſt mortem Mathiæ Catholicorum delectus, ac peregrini militis tranſitus omnium oculis obſervarentur, nulli Correſpondentibus vitio vertendum, ſi defenſioni & ſecuritati ſuæ in Reipublicæ ſtatu tam turbido conſulant.

59 Reſp. Unitorum.

Lund. l. c.

Cum autem Cæſarea ſua Majeſtas tam promptam voluntatem exhibeat, petere ſe, ut ſtatuum Evangelicorum gravamina, quibus jam dudum onerati eſſent, quantocius tollantur; cauſſæ religionis in judicio aulico non tractentur; ſtatibus Imperii ſui arbitri (*Auſtregæ*) absque oneroſis Cæſareis delegationibus, inhibitionibus, aut cauſſarum avocatione, relinquantur. Inquiſitiones Cameræ in cauſſas Evangelicorum, & periculoſæ interpretationes Aureæ Bullæ, maxime circa ſucceſſionum jura, aboleantur. Provinciale judicium

Poſtulata Unionis.

Suevi-

Suevicum non extendatur; nec liberi ſtatus Imperio ſubtrahantur. Feudalibus *Inveſtituris* nulla lis moveatur, nec forma mutetur. Executiones extra circulos nemini committantur. In rebus arduis, præſertim quæ ad principatus, comitatus, & dominia Imperii pertinent, utriusque religionis ordines, neutri parti addicti, adhibeantur. Judicium aulicum ad normam, in capitulatione Cæſarea præſcriptam, conſtituatur. Promiſſa a Rudolpho & Mathia reſtitutio Donawerdæ executioni mandetur. Juſtitia denique omnibus æqualiter absque omni perſonarum aut religionis diſcrimine adminiſtretur: Catholici ad amolienda Evangelicorum gravamina adigantur. Delectus inhibeantur. Copiæ conſcriptæ dimittantur. Miles exterus ex Imperio eliminetur.

Hæc niſi protinus fiant, unitos Correſpondentes ad ſui defenſionem, a DEo & natura conceſſam, fore paratos, facturosque id, quod ex uſu eſſe perſpexerint. Quod Bohemicos motus attineat, eos ſibi fuiſſe ingratos, eo magis, quia Evangelici Bohemiæ ſtatus, a Rudolpho II per *litteras Majeſtatis* in communionem Pacis Religioſæ ſint aſſumpti. Cur autem conſilia bellica pacificis Correſpondentium conatibus prævaluerint, ſe loco ſuo relinquere. Interea, cum metui poſſit, ne tandem ſedes belli in Germaniæ viſceribus figatur, conſtitutum ſibi eſſe, arma prius non ponere, ſed cujuscunque ſtatus Evangelici jura & ditiones defendere, comprehenſo etiam moderno Bohemiæ rege, præſertim ſi accideret, ut hæreditariæ ejus provinciæ invaderentur, aut detrimentum ſub quocunque obtentu paterentur.

Rogant igitur Reges, Electores, principes, comites, & urbes correſpondentes Imperatorem, ne per arma ac bella Imperium, ac regnum Bohemiæ, præcipuum ejusdem membrum, porro impetatur: nec exteris magis aliisque malevolis aures præbere, quam tot Imperii ordinibus. (*Signatum Norimbergæ* 28 *Nov.* 1619).

## § III.

### *Unionis legatio ad Bavarum.*

60 SEquenti menſe Decembri idem Norimbergenſis Correſpondentium conventus legationem miſit cum ſeverioribus adhuc poſtulatis, quorum hæc eſt ſumma: Bohemiæ regem, Electores, principes, comites, atque civitates correſpondentes, libenter intellexiſſe, Bavariæ Ducem aliosque Catholicos ordines parare quidem arma, ſed quæ non ad inferendam vim, ſed defenſionem duntaxat ſpectarent,

rent, periculoſis iſtis Reip. temporibus, quæ extremam patriæ per- *Lund. l. c.*
niciem minari videantur, niſi mature occurratur gliſcenti malo. *c. 7. Adlz.*
Eodem omnes ſe eſſe animo. Continuo quidem ſe quiritari de gra- *l. c. n. 29.*
vaminibus illatis, ſed incaſſum. Differri enim perpetuo promiſſa a
Cæſare remedia. Cerni Catholicos quotidie armari ferro. Exteras
legiones Germaniæ ſe jam infudiſſe. Non vanum eſſe rumorem,
Proteſtantes deſtinari ad lanienam. Nullam ſane ab Hiſpanis æqui-
tatem exſpectandam. Has eſſe cauſſas, cur ipſi, cum ſuam ſalu-
tem & religionem inſuper habere nequeant, capere debuerint con-
ſilia juſtæ propugnationis.

In Imperii judiciis, quoties de ſacris ritibus, de rebus ad reli- Legatio ad
gionem pertinentibus, de ſacroſanctis poſſeſſionibus res eſt, judi- Ducem
cum ſubſellia, majore Romanenſium numero inſeſſa, Catholicorum Bav.
commodis ſua vota librare. Juſtiorem cauſſam obrui multitudine
ſuffragiorum, quæ non ponderentur, ſed numerentur. Æquali ex
utraque religione judicum numero æquilibrium eſſe oportere. Plura
addita de peregrino milite a Germaniæ finibus arcendo, de patri-
monio eccleſiarum Acatholicis relinquendo, de Donawerda reſti-
tuenda, de ſparſis libellis, de aliis gravaminibus, quæ niſi bimeſtri
ſpatio tollantur, Evangelicos juris ſui rationem inituros. Catego-
ricam igitur reſponſionem ſuper his ſe exſpectare. Fruſtra hæc ad
futura comitia rejici; cum enim ab his nihil hactenus præter com-
perendinationes ſit impetratum, certum ſibi eſſe, ab iis deinceps
abſtinere: donec poſtulatis ſuis ſit factum ſatis &c.

## § IV.

### *Reſponſio Bavariæ Ducis.*

MAximilianus reſpondit, ſibi gratum fuiſſe intelligere pacatos 61
Correſpondentium animos, ſtudiumque amicitiæ. Omnino *Lund.* l. c.
ejusdem ſe eſſe mentis, nec quidquam, niſi ineluctabilis exigat ne- *Adlz.* n.
ceſſitas, contra moliturum. Exitialem calamitatem, quæ immi- 31 & ſeq.
nere videatur, privatis quorundam cupiditatibus deberi. Catho- Reſponſio
licos ſumpſiſſe arma, ſed nemini nocitura, niſi quis ultro ſibi velit Max.
noceri. Contextum orationis, a legato propoſitæ, multum a co-
mitate exordii diſcedere. Quid enim ſperandum a *poſtulato*, ut in-
tra bimeſtre res tantæ conficiantur, quæ pluribus annis confici non
potuerint? Et quid illud, niſi confeſtim introducatur nova judicio-
rum forma, par utrinque judicum numerus, eccleſiaſticorum ſpo-
liorum uſurpatio, Donawerdæ poſtliminium, peregrini militis ex-

terminatio, omnium, quæ hucusque ab Acatholicis motæ sunt, litium optata decisio, nisi per sponsores satisdetur, si res ad comitia differatur, Protestantes juris sui rationes esse expedituros? id profecto non esse, amice velle agere, sed cogere, & minaciter imperare. Se tamen benignius eam legati orationem interpretari: longe abesse a Correspondentium principum humanitate, a patriæ caritate, & publicæ salutis cura, ut velint e vestigio prosilire ad arma, nisi protinus fiant imperata.

Pax violata. Cæterum Catholicis velut in re comperta, quæ orbi universo palam sit, eam alte impressam esse sententiam, mox a constituta Pace Religionis Protestantes cœpisse ejus leges violare: id hodieque versari in omnium oculis: palpari ecclesiarum sacrarumque possessionum usurpationes: palpari rerum angustias, in quas Catholici sint redacti; non latere, quam multa Acatholicorum molitionibus facta sint deteriora. Credere se, Catholicorum gravamina esse manifesta, Acatholicorum vero aliter se habere. Horum enim postulata repugnare consuetudini, longo usu in Imperio receptæ, antiquæ possessioni partis alterius.

Æquilibrium. Sed & illud, quod affertur de æquilibrio judiciorum, non maturaturum exitum caussarum, sed potius majoribus difficultatibus implicaturum. Actorem etenim, quantumcunque injuriarum accepisset, vix unquam in tali suffragiorum æquipondio quidquam opis consecuturum, sed usurpationem rei alienæ tamdiu triumphaturam, quamdiu res in æquilibrio sit hæsura.

Werda. Quod Donawerdam spectet, jam sæpius Protestantibus datas rationes, videlicet pignoris tantum loco teneri: ubi sumptus, in ea compescenda facti, fuerint redhibiti, nihil moræ futurum, quo minus in statum pristinum reponatur.

Gravamina. Quis caussarum definitiones remoretur, ex eo posse argui, quod haud paulo plures a Catholicis, qui suis se possessionibus a Protestantibus exutos conqueruntur, quam ab Acatholicis in singulis Imperii comitiis soleant moveri: quæ ad eam usque diem cum pendeant, facile esse statuere, utra partium sit læsa enormius. Cæterum Catholicos semper fuisse & etiamnum esse paratos, consiliorum & factorum suorum rationem reddere.

Libelli. Si sparsi in vulgus libelli & rumusculi in censum venire debeant, Catholicis ordinibus quotidie majorem suspicandi ac diffidendi materiem præberi, quando ex variis codicillis audiunt, jam confectos esse indices Archiepiscopatuum, aliorumque sacerdotiorum, quæ certis hominibus sint destinata: quando in Acatholicarum

earum legionum vexillis conſpiciunt & legunt, quæ eccleſiarum ſpolia cuique tribuno, centurioni, imo legionario, ceſſura ſint in prædam aut ſtipendium: cum clam in circulis & palam in foro jactatur, eccleſiaſticos cum ſuo capite eſſe tollendos. Pronum ſane eſſe, Catholicos inde colligere, ratum eſſe Evangelicis, ſua poſtulata humano ſanguine imbuere.

Catholicos certe, quorum cauſſam ipſe nequeat deſerere, talibus conſiliis nullam dediſſe anſam. Non feciſſe delectus, niſi Bohemicis turbis & Proteſtantium exemplo coactos: prius tam domeſticum quam exterum militem viritim, manipulatim, agminatim vidiſſe intra fines Imperii ſuis capitibus imminere, agere prædas, incubare Catholicis regionibus, quam de ſui tutela, nedum de ulla vi inferenda cogitarent. Quod proin dicerent, Catholicos primos arma ſumpſiſſe, ſecus omnino ſe habere. Non defuiſſe quidem jam pridem ipſis cauſſas ſe armandi, cum cernerent, novis in dies injuriis eccleſias affici, ſuis poſſeſſionibus ſpoliari, ſed credidiſſe eos, omnia prius conſiliorum moderatione, quam armis eſſe tentanda. Uniti primi ad arma.

Herbipolenſem equidem epiſcopum paulo maturius feciſſe aliquem apparatum, ſed poſt turbas Bohemicas, poſt peregrini militis graſſationes & occupata contubernia, poſt famam, quæ paſſim vulgaverat, velle Proteſtantes litem cum epiſcopo, a legitimo judice brevi terminandam, ad aliud tribunal avocare & dirimere, imo pro ſuo arbitrio dare executioni cum ingenti epiſcopatus damno & injuria. Jam ante eum vidiſſe, a Proteſtantibus comportari arma, annonam, cæterumque belli apparatum: meminiſſe etiam, paucis ante annis, cum nimia ſecuritatis fiducia delectum militum omiſiſſet, aliquot centenorum millium ducatorum damnum ſe accepiſſe.

Oportere principes univerſim omnes atque ordines, ſive eccleſiaſticos ſive ſæculares, meminiſſe ſuæ obligationis, qua juramenti vinculo ad bonum principatuum, jura, privilegia, ac fines tutandos ſint obſtricti. Quodſi eccleſiarum antiſtites, caſtrorum inſueti, complicatis ulnis, debeant eſſe otioſi ſpectatores ſui exitii, nihil diſtaturos a proſcriptis, quorum facultates cujusvis direptioni ſint publice expoſitæ. Si abfuiſſent adverſus eos conſpirationes, minæ, arma, expilationes, a ſacris hominibus, divino cultui intentis, nullum fore armorum metum. Militem poſſe legi ab omnibus principibus, ſed juxta leges Imperii. Has violaſſe, qui laceſſiverit, qui vim fecerit, qui provocarit ad defenſionem. Cur Catholici ad arma.

Supervacaneum esse referre, quam inique Catholicorum aliqui a Correspondentibus sint habiti, & adhuc habeantur: quid sint passi a suppetiis, quas Acatholici miserint in Bohemiam adversus illius regem legitimum. At si Catholicus princeps militem scribat, si contineat intra suos fines, si de suo præstet annonam & stipendia, nullum esse querelarum finem. Cæsarem traduxisse in Bohemiam copias: sed etiam Protestantes. In Cæsaris exercitu fuisse exterarum gentium milites: sub signis autem Correspondentium fuisse Italos, Gallos, Wallones, Batavos, Scotos.

De Bavarico apparatu sic rem habere: Bohemicos motus, Austriacas copias, Correspondentium arma, merito curas sibi injecisse, ne qua vis Bavariæ fieret aut circulo Boico (cujus ipse caput esset). Ex Bohemiæ incendio finitimam Bojariam periclitari visam, Habitos proin delectus, uti tenues, ita sumptuosos, ex ipsa Westphalia, quod propior miles ad aliorum stipendia jam defluxisset. Ubi autem Bohemici tumultus crevissent: ubi gemini fuissent in Germania exercitus: ubi Bethlem Gabor, Turcæ fiduciarius, in Hungariam irrupisset, jamque Viennam usque flammas, ferrum, sævitiem extendisset, jactassetque, patere claustra, quibus sui Majores penetrassent in Boicam: cum Correspondentium equites in Eustettensi episcopatu hospitia victumque extorquerent, prædas agerent, quingentos equites Hungariæ & Bohemiæ regis profligassent, oportuisse tandem curas intendere, augere vires, seque ad tam manifesta pericula comparare.

Denique Correspondentium postulata non esse ejusmodi, quæ tam festinatam ac decretoriam definitionem admittant, ut bimestri spatio, cum reali cautione securturæ executionis, possint finiri, neque Catholicos ordines a se cogi, ut tanta celeritate, & juris sui jactatione illa probent. Non enim esse cogitandum, ipsos ita prodigos fore suæ libertatis, ita incurios religionis, & rerum suarum negligentes, ita meticulosos aut ignavos, ut servilem in modum ad alienum arbitrium flecti possint: & obtorto collo ad caudinas veluti furcas rapi. Ad animum revocent Correspondentes, quid futurum esset, si quidquam tale ab ipsis peteretur. Cur ergo corporis unius membra tam diverso jure censeantur? Catholicos nunquam esse aversatos benignum agendi modum, qui legibus Imperii sit constitutus, nec unquam eo progressos, ut Correspondentes ulla vi aut periculorum metu lacesserent, & adhucdum esse paratos, ut mutua caritas, & amica pacis compositio ad amussim constitutionum Imperii, ad avertendum civile bellum, ineatur.

Catholicos frustra arctari.

Exhibet

Exhibet deinde Lundorpius in *Actis Publicis* illius temporis *part. 2 cap. 7 in forma quarta editis* Correſpondentium *Replicam*, in qua tamen parum novi affertur: videlicet, Correſpondentes in omnibus Imperii, & circulorum deputationibus, aliisque conventibus gravamina ſua fruſtra propoſuiſſe, ſuumque armorum apparatum ad nullius offenſionem pertinere, ſed ad defenſionem duntaxat, & conſervationem tranquillitatis publicæ in Imperio. Neque ſe Catholicis ordinibus velle leges præſcribere, ſed indicare, quomodo diſſidia componi queant, ne communis omnium patria per belli calamitates in exitium detur. Sperare igitur, intra duos menſes de armorum depoſitione, inhibitione delectuum, & ablatione gravaminum, decretoriam reſponſionem ſecuturam: cum firma ſpe, ſereniſſimum Ducem, pro ſua prudentia & amore pacis, ad optatum effectum deducturum. Pergunt deinde ſinceram ſuam voluntatem, pacis omnino amantem, pulcris omnino verbis declarare: repetunt poſtulatum ſuum modeſtum de retinendis bonis eccleſiaſticis ablatis, utpote omni juri conſentaneum; de pari in judiciis Imperialibus numero, aſſeſſorum, viſitatorum, & reviſorum, utriusque religionis.

Replica Proteſt.

Reſpondit ad hanc legatorum *Replicam* Dux; delectus & tranſitus Catholicorum militum, a conſtitutionibus Imperii permiſſos, nemini fuiſſe noxios. Poſtulata, ut Catholici arma priores deponant, delectibus abſtineant, gravamina ocius tollant, & quidem cum ſatisdatione & cautione reali, intraque duos menſes abſolutam reſponſionem edant, peregrina aliquantum ſibi videri, eo magis, quod minæ adjici videantur, niſi hæc omnia protinus fiant. Repetuntur ferme reliqua, in ſuperiori deductione relata. (29 *Dec.* 1619).

Duplica.

## § V.

## *Apologia Ligæ Catholicæ.*

HÆc Norimbergenſia Correſpondentium poſtulata dux Bavariæ Catholicis ordinibus communicavit, qui, Herbipoli congregati, 5 Martii 1620 reſponderunt, mirari ſe magnopere, qua ratione fieri potuerit, ut Correſpondentes, qui pacis amorem verbis tam ſpecioſis præferant, tam acerba poſtulata, & dictatoria velut mandata, ad Catholicos ordines, dignitate præcellentes, neminemque, præter Cæſarem, in temporalibus recognoſcentes, dirigere auſi fuerint, adjectis etiam comminationibus armatæ executionis, niſi ocius Catholici in ſua vota deſcenderent. Quæ ſane inter liberos ſtatus 62

Apologia Catholicorum.

 agendi

agendi ratio non modo sit inimica, sed a constitutionibus etiam Imperii omnino aliena, atque ad nihil aliud tendat, quam ut vetustæ consuetudines & fundamentales Imperii leges penitus subruantur, & in exitialem ruinam præcipitetur res publica.

Cæsares equidem eo curas intendisse, ut sublatis gravaminibus atque dissidiis, pax alma & concordia inter ordines reducatur: de peculiaribus vero promissis Cæsareis, Protestantibus factis, nihil sibi constare. Quod vero Catholici gravaminum levamen sint remorati, tantum abesse, ut potius in omnibus Imperii conventibus, & ubi ubi se dabat occasio, celerem eorum expeditionem rogarint, idque tanto impensius, quo difficilius ipsis acciderit, juribus & bonis sibi ablatis diutius carere, nihilominus tamen pressisse dolorem, nec unquam eam cogitationem suscepisse, ut sibi ipsis jus dicerent, aut per viam executionis adversus alios ordines privata auctoritate procederent.

Objici vero sibi nullatenus posse, quod bellicis apparatibus initium, aut Correspondentibus arma induendi caussam dederint; cum *Lundorp.* *p. 2 c. 9.* facto ipso notorium sit, jam sub ipsis motuum Bohemicorum initiis a Protestantibus conscriptas militares copias, maximo vicinorum incommodo aliquamdiu fuisse retentas, ac postmodum in Bohemiam missas, adversus suum Imperatorem, legitimumque regem Bohemiæ, ut ab avito throno deturbetur. Jam diu, antequam Catholici ullum militem legerent, a quibusdam Correspondentibus armatas copias ex Batavia per Catholicorum ditiones, absque dominorum requisitione traductas. Coloniensem, Monasteriensem, Paderbornensem, Moguntinum, Wormatiensem, Spirensem, Herbipolensem, Eustadianum agrum, aliasque Catholicorum terras, ecclesias & monasteria devastasse, eorumque subditos, debitæ solutionis loco, verberibus, expilatione, aliisque violentis exactionibus, adeo graviter vexasse, ut earum transitus ab hostili irruptione nihil distaret. In Moguntinis centum ruricolas, quod sua defendere niterentur, immaniter ab iisdem trucidatos. In episcopatibus Wormatiensi, Spirensi, Herbipolensi, Eustadiano, expilatos pagos, multorumque millium florenorum damnum datum. Quin etiam a termino resolutionis, duci Bavariæ dato, non desiisse Correspondentes Catholicorum provincias cum armatis copiis pertransire, hospitationes militum extorquere, absque ulla apud dominos territoriales insinuatione, aut damnorum reparatione.

Catholici armis invasi.

Hæc aliaque plura cum Catholici inermes sint passi, facile apparere, quis armorum apparatibus caussam dederit. Quis vitio illis

illis verterit, si ad sui subditorumque tutelam delectus facerent? maxime cum Correspondentium arma identidem aucta etiamnum circumsonent, ut iniqua sua postulata extorqueant, & Catholicis ordinibus pro arbitrio leges præscribant, judicia Imperii confundant, ecclesiarum bona abrepta retineant, atque adversus Imperii constitutiones jura publica evertant.

Ordinationem judicii Cameralis per Recessus Imperii omnium ordinum suffragio firmatam, atque per modum sanctionis pragmaticæ receptam, non posse ab aliquibus duntaxat statibus, dissentientibus reliquis, dissentiente ipso summo capite, immutari. Reliqua pariter Catholicorum postulata, in Pace Religiosa, ab omnibus ordinibus jurata, manifeste fundari. Non posse proin exortas ea super re controversias ab aliquibus tantum decidi, sed ad totum Imperii senatum deferendas. Cameræ mutatio.

Demum addunt, Catholicos, qui nihil magis optent quam pacem, nullaque re ordines Correspondentes læsissent, sperare, ab inquietis & violentis consiliis destituros, ac potius animos ad constantis pacis decus, non modo verbis, sed opere ipso translaturos; secus si faxint, & minas suas exequi pergant, neminem justum rerum arbitrum Catholicis culpæ daturum, si vim injustam ad sui tutelam repellant.

## ARTICULUS VI.

### *Observatio de his dissidiis & bellorum caussis.*

TUmultuum bellorumque, quæ Germaniam universam in extremam prope ruinam præcipitarunt, caussas pars altera in alteram, ut fieri consuevit, rejecit. Scelera, credo, mortalium vindicem DEI manum concitarunt, odia, livores, ambitio, habendi cupiditas, libidinum eluvies, sacrorum injustæ contrectationes, usurpationes, nundinationes, & contemptus. Hæc ubi mensuram oppleverant, redundarunt in pœnas. Peccaverat, sicut populus, sic & sacerdos: junctaque opera attraxit cœlestes iras. 63

Permisit igitur DEus ultor, doctrinæ, quæ integra semper constansque perstiterat, oppugnationem, qua nihil ad malorum cumulum auctius, nihil acerbius ad vindictam. Hæc mentes infecit, turbavit judicia, concussit regna, avertit subditos a dominis, membra a suo capite, sacra profanis miscuit. Ab orbe condito Novatoribus proprium, canere classicum, ciere Martem, sursum deorsum *Adlz.* l. 5 n. 3.

sum regna vertere. Bellum Rusticum, Smalcaldicum, Helveticum, Gallicum, Belgicum documento sunt. Lutherus, Zvinglius, Calvinus, eorumque apostoli, haud parce ligna comportarunt, ad inflammanda incendia.

Crescendi spatium dedere Catholicorum principum dissidia. Auxilio fuerunt, qui minime debuerant: fuere tamen, æmulatione, ambitione, ratione status politica melioribus consiliis prævalente. Hinc itum in Transactionem Passaviensem, & Pacem Religionis. Qua factum, ut sacrarum possessionum detentio, credendique licentia firmaretur. Sed neque hæc servata. Grandiores in ecclesia strages editæ. In Confessionistarum prohibitam societatem venerunt alii. Non potuit sacrarum opum, jam partarum, spoliis tam multorum orexis satiari. Facta sunt nova. Quisquis patrimonium Christi defenderet, rapere dicebatur, vim inferre, qui repeteret. Et de possessione recuperanda vel hiscere crimen erat.

Interea Catholici plerique, ut mansuetæ oves, vellera sibi detrahi, opes auferri, accidi potentiam, inviti ferebant: ferebant tamen, reclamantes, nihilque magis abhorrentes, quam bellum. Metuebant nihilominus ecclesiarum detentores legem repetundarum, & ne iis detractis ad pristinam mediocritatem, sibi agnatam, reciderent. Igitur, quia non tantum ritibus, sed opibus etiam, male partis, cautum volebant, noluerunt repeti. Hic scopulus & cardo rerum Spiræ, Wormatiæ, Augustæ, Ratisbonæ, Francofurti, & ubi ubi erant comitia.

Accessere uniones, societates, fœdera, unionibus violenta consilia, & abjectum parendi obsequium, consiliis alluvione vires, viribus audacia, per conventus Fridbergenses, Heidelbergenses, Aschusianos, Heilbrunnenses, Norimbergenses &c. roborata. Ab his ausibus ad facta descensum: sed callide. Ubi metu irruptionis Ottomannicæ indicebantur comitia, negare subsidia, quiritari, aliud agere, minari discessum, ni ocius iretur in eorum postulata, spolia probentur, judicia turbentur, Catholici minuantur, ipsi augeantur, Majestatis nervi incidantur, & quidquid lubitum, obtinerent.

Tandem a minis ventum ad manus, ad tumultus Bohemicos, a Protestantium pluribus non perfunctorie nutritos, ad motus Hungariæ, ad Austriæ turbas, ad Correspondentium factiones, ad bella civilia, ad extremas Germaniæ calamitates.

ARTI-

# ARTICULUS VII.

## *Belli apparatus. Friderici condemnatio. Pacificatio Ulmensis.*

CAtholici interea, cum cernerent, Correſpondentium vires per delectus & fœdera in dies augeri, & ipſi, ne imparati obruantur, rem ſedulo agendam rati, militem conſcribere ſtrenue pergunt, Maximilianus maxime Bavariæ dux, Catholici exercitus archiſtrategus. 64 Apparatus.

Vehementer ea res diſplicuit tum Correſpondentibus reliquis, tum præſertim Friderico Palatino, non vane ſuſpicanti, fore tandem, ut adverſarium patiatur. Quare litteris ad eum datis ſignificat, ſe non videre, cur tantos faciat belli apparatus, quandoquidem Proteſtantium miles nihil ſpectet, niſi defenſionem adverſus domeſticas & exteras Catholicorum copias. At ducem minime latebant Correſpondentium magni delectus, vires, conſilia, fœdera cum exteris, miſſæ in Bohemiam ſuppetiæ, prædæ de Catholicis actæ, noxii tranſitus, contubernia imperata, graves vexationes, & pericula majorum, ni tempeſtive occurratur. Et quidem nuper admodum Correſpondentes, ut rebellionem foverent, Bohemis miſere nova Weſtphalorum auxilia: quibus acceſſere præter eos, quos Hollachius jam ante adduxerat, ter mille Batavi veterani, quorum vices in Batavicis præſidiis ſupplerunt quatuor Anglorum millia. Marchio autem Durlacenſis 10000 peditum, & 1000 equites ſub ſignis habebat: inter quos permulti ex Francia & Helvetia.

Contra vero Maximilianus ex Belgio, Suevia, Franconia, Bavaria, Alſatia, aliiſque provinciis Rhenanis, potentem exercitum collegerat. Hiſpaniarum rex Cæſari 3000 equitum, & 20000 peditum addixerat, ſuis ſumptibus ad uſque belli exitum alenda. In Auſtria quoque conductus erat miles, & ex Italia exſpectabatur.

His viribus inſtructus Cæſar, tentatis incaſſum clementiæ remediis, Friderici acta damnavit, graviter incuſans Bohemorum ſub Mathia Cæſare contumaciam, vim illatam regiis vicariis, aliiſque proceribus, dejectos ſua dignitate atque officiis regios miniſtros, uſurpata regni munia, intruſos directores, ſpretam Mathiæ oblatam clementiam, fœdera adverſus regem inita, vocatos in auxilium hoſtes exteros, contemptam oblationem confirmationis privilegiorum, delectus toto regno habitos, tractos ad defectionem Moravos, Olomucium, Prinam, Pilſam, unaque regia inſignia occupata, optimates fidei regi debitæ & juramenti religione ſolutos, mo- 65 Cauſſæ belli. Adl. n. 6.

nachos ad apostasiam allectos, propagatam in Austriam rebellionem, Viennam ipsam oppugnatam, regem, ne in collegio septemvirum suo voto potiretur, gravissime appetitum, tandem velut exauctoratum regno exutum, orbis ludibrio expositum, corruptos Hungaros, Bethlemum evocatum ad Hungariæ & Austriæ perniciem, vastatas ferro, igne, direptionibus hæreditarias provincias, jactas in Cæsaream ac Regiam Majestatem atroces calumnias, eversas veteres regni leges, novam regendi formam erectam; regni incubatorem ex Imperio, eumque Cæsaris clientem, esse repertum, qui insuper habitis Cæsaris, Electorum, aliorumque principum dehortationibus, perduellionem Bohemorum foveret, qui legitimi regis abdicationem probaret, qui diadema illi, quem regem ante fuerat professus, detractum sibi assumeret, Bohemos juramento in sua verba obligaret, atque ista quidem obtentu vindicandæ religionis.

Hujus damnationis edictum misit Cæsar ad Franciæ, Angliæ, Daniæ, aliosque reges ac principes, simulque petivit, ne damnatæ caussæ, sed justitiæ patrocinium auxiliumque præstent. Id enimvero ad omnium principum salutem dignitatemque pertinere; quibus non expediat pati, ut tam perniciosum exemplum in alios derivetur.

Sed tantum abfuit, ut Fridericus hisce moveretur, ut Moravos præterea atque Silesios in sua verba adigeret, idem exigeret a Lusatiis; qui tamen tristem eventum veriti, jusjurandum initio detrectarunt. Saxoniæ autem Elector Joannes Georgius, quamvis comes Schlickius, Bohemorum legatus intercederet, negavit, se quidquam moturum adversus Cæsarem aut quietem Imperii.

Urebat etiam Fridericum Bohemosque, præter acceptas a Bucquoio leviores clades, quod Electores, celebrato Milhusii conventu, graviter eosdem sint adhortati, ut a regno Bohemiæ belloque abstineant: majora indies tum Hungariæ, tum Imperio creari pericula ex rerum in Bohemia mutatione: Ferdinandum legitimum esse regem, dudum ante electum, receptum, renunciatum, coronatum, & fiduciario juramento cultum ab ordinibus, a septemviris, Imperatore, & exteris regibus agnitum, ad regis Romanorum electionem vocatum, atque ad eligendi votum admissum; non potuisse proin amoveri.

66 Castra. Sed animos auxit fiducia Correspondentium; qui tamen cum magnos Catholicorum apparatus cernerent, haud paulo mitius sentientes, pacis consilia Ulmæ congregati inibant: maxime, ubi Bavarus, qui stativa Dilingæ habuerat, castra Lavingam inter & Güns-

burgum posuit. Correspondentium copiis, quæ prope Ulmam castra metabantur, Friderici nomine præerat Onolsbacensis marchio, qui conspecto periculo de pace agere cœpit, id obnixe contendens, ut nuperis Correspondentium querimoniis satisfiat, & caveatur a Catholicis, neminem principum proscriptionis, si ferretur, executionem suscepturum. Quibus rejectis in hæc capita conventum, arbitratore Galliæ rege.

Nullus principum, ordinumque Protestantium unitorum ullum principem ordinemve Catholici fœderis, sub quocunque prætextu, quacunque ratione lædat, sive in sacris sive profanis: pari securitate gaudeant vicissim Protestantes: & utrinque pax sancte colatur. Miles utrinque ex vicinia abducatur, nec alius succedat. Si quis militem per alienos fines velit deducere, id ea lege fas sit, ut territorialem dominum tempestive præmoneat, ac nullum subditis damnum inferat. Hac pactione Bohemi, & annexæ provinciæ, non comprehendantur. Gravaminum & damnorum ventilatio in aliud tempus differatur. (*Ulmæ 3 Julii 1620.*) Pax Ulmensis.

## ARTICULUS VIII.

### *Variæ Principum litteræ & consilia.*

AD eam, quam dixi, pactionem Ulmensem Correspondentes metu compulsi sunt, cum Spinolam ab Alberto archiduce ex Belgio in Germaniam cum exercitu missum intelligerent, ne duos inter exercitus in angustias redigantur. Hinc ad Joannem Georgium Saxoniæ Electorem, qui neutram eo usque partem assumpserat, supplices litteras dederunt, ut officium suum interponat, ne peregrini ejusmodi militis, ad ruinam Germaniæ, adversus capitulationem Cæsaream, Imperii constitutiones, atque religionem Evangelicam, introducti, toleretur audacia. Respondit Saxo, credere se, id genus copias ab Alberto subsidio missas, ne hæreditariæ Domus Austriacæ provinciæ passim diripiantur; cum Bohemia & Hungaria jam defecerint, utraque Austria seditiones omni conatu moliatur, inferior insuper a Bohemis sit occupata, & miserandum in modum devastata. Existimare Austriacos principes, fas sibi esse tueri suum patrimonium, quod alii invadere sibi licitum putant. Sibi id unum relictum solatium, quod in tantis rerum turbis nullam partem habeat, nullamque intermiserit industriam, monitiones, preces, ut quietiora ineantur consilia. 67 Lundorp. c. 19.

Saxo in Lusatios.

Eodem ferme tempore Cæsar Saxoni executionem adversus rebelles Lusatios commisit. Archidux vero Albertus, Belgii princeps, suo & Hispaniarum regis nomine Mauritio, Hassiæ landgravio, significavit, militem ex Belgio missum non aliud sibi habere propositum, quam provincias Austriæ hæreditarias defendere ab injuria; petere proin, ut ea consilia vel promoveat, vel neutrarum saltem partium se fore declaret. Hoc si fecerit, nullum ipsius ditiones passuras detrimentum. In eandem sententiam Ambrosius Spinola scripsit ad Durlacensem, & urbem Francofurtensem, se venire cum exercitu Cæsareæ Majestati subsidio adversus Palatinum, Bohemici regni direptorem, atque adversus rebelles Domus Austriacæ subditos: de cætero nemini nociturum, nisi quis ultro lacessat.

Similiter Cæsar ad principes circuli Saxoniæ inferioris, Luneburgicos, Brunsvicenses, Mechlenburgicos, & Pommeranos, scripsit, quamprimum exortæ ubique seditiones, rebelliones, ac turbæ aliquantum sint sopitæ, se Imperii comitia indicturum, atque omnem operam eo collaturum, ut utriusque partis gravamina amica transactione componantur. Plura dein queritur adversus usurpatum Bohemiæ regnum, subditos ad defectionem sollicitatos, fœdera cum exteris icta, Turcas etiam & Tartaros in perniciem Christianæ rei evocatos: petitque, ut non modo nullam rebelibus opem ferant, sed ad eos potius comprimendos Cæsari succurrant.

Saxo partes Cæsareas sequebatur equidem, & auctoritate sua utrumque Saxoniæ circulum (exceptis Brandeburgicis & Anhaltinis) ita continebat, ut aperte saltem in arma non ruerent, & executionem etiam in utramque Lusatiam, a Cæsare sibi commissam, acceptavit; nihilominus tamen, tum ab istis, tum a Correspondentibus vehementer sollicitatus, nolebat initio, ut Fridericus ac rebelles proscriberentur, antequam in Electorum conventu id esset approbatum. Qua de re Lundorpius in *Actis publicis part. 2 cap. 22* complures exhibet Cæsaris epistolas, ad Moguntinum, Saxonem, Bavarum &c. uti etiam Moguntini ad Cæsarem, quibus supplicat, ut Spinolæ tanquam Cæsareo commissario executio delegetur, prout ea Saxoni ac Bavaro fuerat demandata.

Cum subin Correspondentes apud eundem Moguntinum querelam deponerent, quod Spinola adversus Ulmensem transactionem copias armatas in Germaniam adduceret, quæ Palatinatum videantur invasuræ, respondit is, Albertum Belgii principem Ulmensi tractatu non esse comprehensum, neque ad Ligam Catholicam pertine-

tinere; non posse proin illi, aut Spinolæ, ejus belliduci, leges præscribi, eo minus, quod Albertus eas copias miserit, ad Domus suæ jura & provincias adversus apertos ejusdem hostes defendendas.

*Videantur Londorp. Ludolph. Kevenhüller. Brachel. Mercur. Gall. Struv. Caraffa in Germ. sacr. Meyer de bello Boh.*

## ARTICULUS IX.

### *Austria superior a Bavaro ad Cæsaris obsequium reducta.*

MAximilianus Bavariæ dux, cum per transactionem Ulmensem, & marchionem Spinolam, ad Rhenum excubantem, rei Catholicæ satis prospectum cerneret, omnibus viribus, prout conventum fuerat, Cæsari adversus Bohemos, aliosque rebelles assistere decrevit. Supra triginta armatorum millia tunc sub signis habebat. His cum vicaria potestate legatum præfecit *Joannem Therclasium Tillium*, rei militaris apprime gnarum. Nihil igitur cunctandum ratus, in Austriam superiorem movit, ut per eam debellatam sibi viam ad Bohemos sternat. 68

Clauserant Austrii Anassini, ducta ad utramque ripam catena, Danubii alveum; Lincium quoque, aliaque loca præsidiis firmaverant, milite bellique apparatu provide instructi. Ducto igitur per Straubingam, Brunovium, & Oenum diviso agmine, Passavio imminebat Maximilianus; cum Austrii celeritate perculsi legatos ad eum mittunt Scherdingam, rogatum, ut exercitum ab Austria abstineat, quæ nihil peccasset in Bavariam. Missi a duce Lincium, superioris Austriæ urbem principem, qui nuntiarent ordinibus, nisi resipiscant, voluntate Cæsaris ab ipsis proscriptionis sumendam pœnam. Cogitarent, suas cum Bohemis conspirationes, tumultus, occlusa adversus Cæsareum edictum claustra provinciæ, frænatum Danubium, abdicatos Cæsareos magistratus, extortas ad bellum collectas, decimum quemque de plebe armatum, prohibitos Cæsareos, ne militem conducerent, transitum & annonam principis sui copiis negatam, invasam arcem Lincensem, usurpatam totius provinciæ gubernationem, vexatam obsidionibus & direptionibus inferiorem Austriam, monasteria, oppida, arces, pagos, in Cæsaris fide constantes, Bohemos in obsidenda Vienna, auro, tormentis, nitrato pulvere, annona adjutos, præfractam adversus Cæsarem, dominum suum, in detrectando obsequio contumaciam, aliasque manifestæ perduellionis gravissimas injurias.

Atque ad harum pœnas repetendas Imperatorem suas commisisse vices duci Bavariæ cum summa potestate, nisi pacis veniæque a Cæsare impetrandæ consilium amplectantur, præsidium Lincio deducant, urbem, arcemque dedant, vias patefaciant, fœderibus cum Cæsaris hostibus percussis renuntient, eorumque tabulas abolitas Maximiliano tradant, eidemque tanquam Cæsaris vicario sacramento caveant, futuros se in potestate Cæsaris, fide & obsequio, qui sine mora paruerint, recipiendos in gratiam, donec Cæsar, caussa cognita, vel generalem omnibus, vel singulis privatim admissorum veniam concesserit. Qui vero fuerint contumaces, vi ad officium redactum iri. Rebellionis auctores non eodem, quo reliquos, loco futuros. Deliberationi dies quinque indulgeri; quibus elapsis bello extorquendum parendi obsequium.

At illis frustra prorogationem termini petentibus, Dux Haslangum, supremum vigiliarum præfectum, cum 3000 peditum & 2000 equitum præmisit, monitum, abstineret populatione. Verum illi, cum magno labore per sylvam, grandibus arboribus, cancellatim inter se commissis, obseptam, penetrassent, pluresque milites a rusticis, vias eas obsidentibus, fuissent cæsi, ira accensi, ubi in plana ventum est, flamma in tecta, ferro in homines sævierunt. Doluit princeps miserorum sortem, sanxitque pœnam capitis, si quis deinceps ignem ædibus subjecisset. Unde in aliquot, ejus noxiæ compertos, gladio, in alios laqueo animadversum.

Valuit utraque severitas, ut ordines, exorata fidei publicæ securitate, miserint, qui Duci promitterent, se in ejus potestate futuros. At ubi ad tradendas arces & oppida munita ventum, vim experiri ausa, ferro ac tormentis sunt expugnata. Welsium venienti portas aperuit, & novo Cæsari sacramento se adstrinxit. Secutum est Lincium, ubi Dux ab ordinibus congregatis honorifice est exceptus.

Sed ubi ad deditionis leges ventum, illi multa excusare, alia inficiando refellere, jura omnia atque privilegia, a Cæsare Maximiliano II concessa, salva velle, precari, ne provincia extero milite prematur: ut religionis libertas sarta tectaque maneat, ne cogantur fœdus cum Bohemis abolere, secuturam enim ex rupta fide infamiam: generalem denique perpetuamque præteritorum oblivionem poscere.

Dux conditionum insolentia offensus, moræque pertæsus, renuntiari jubet, ni ocius postulatum juramentum exsolverent, aliis modis ad officium cogendos, quod de juribus & privilegiis dixissent

ſent, pertinere ad Cæſarem, qui id, quod ex uſu foret, ſit decreturus. Fœdus cum Bohemis ne vereantur reſcindere; non enim futurum dedecori revocare, quod turpiter & ignominioſe rebellibus promiſſum eſt. Nondum vero rei communi expedire, ut provincia milite præſidiario deſtituatur.

Tandem Bohemici fœderis tabulas tradiderunt. Miles, quem legerant, ſub Maximiliani ſigna tranſiit, ejus loco Bavaricus præſidiis impoſitus. Provinciæ arma, & bellicus apparatus Lincium comportata. Juratum denique in verba Cæſaris, adjecta ſponſione, ſe morem geſturos Bavariæ duci Maximiliano, quoties Cæſaris nomine quidpiam imperaret, quo uſque Cæſar ab ipſis proprio nomine exigeret. Tandem præfectura provinciæ Herberſtorffio, & 500 equitum turma a Maximiliano commiſſa.

Cum hæc fama in Auſtriam inferiorem detulit, proceres, deſperatis Bethlemi, Mansfeldii, ac Bohemorum auxiliis, utpote, quos propria pericula occupabant, prudenter rati, ſatius eſſe, Cæſaris clementiam implorare, quam hoſtium arma experiri, dicto ſacramento in gratiam a Cæſare ſunt recepti. Atque hoc pacto tota Auſtria Maximiliani celeritate, prudentia, ac virtute breviſſimo temporis ſpatio ad fidem & obſequium domini ſui fuit reducta.

Hæc dum proſpere adeo geruntur in Auſtria, interceptæ ſunt hoſtium litteræ, quibus nuntiabatur, Bohemos magnas propediem in Auſtriam miſſuros ſuppetias: forti proinde eſſent animo, & tantiſper Bavarum diſtinerent. Quare rebus in Auſtria compoſitis, viſum Maximiliano, non exſpectare bellum continuandum in Auſtria, ſed illius ſedem in hoſtico figere, videlicet in Bohemia, ubi & origo & caput turbarum verſaretur.

Interea ad alteram extremam Germaniæ partem, ad Rheni nimirum tractum, marchio Ambroſius Spinola, Alberti archiducis, Belgarum principis dux militiæ, ac Cæſaris commiſſarius, munere ſuo gnaviter fungebatur, cum exercitu 23000 armatorum. Is Rheno, nemine prohibente, transmiſſo, a Mauritio Haſſiæ landgravio, id temporis ad reſiſtendum imparato, liberum per Cattos tranſitum impetrarat: poſtea in Palatinatum movens, atque Oppenhemio, Baccaraco, Crucinaco, Alteshemio occupatis, ſuperiorem Germaniam a metu Correſpondentium liberavit. Atque id inſuper ab expeditione iſta Burgundica accedebat commodi, quod Proteſtantium copiæ, in defendendo Palatinatu affatim occupatæ, Bohemis ſuppetias ire nequibant; quo facilior Maximiliano in Bohemia res erat futura.

Spinola in Palatinatum.

Arti-

## ARTICULUS X.

### *Expeditio Bohemica.*

69 MAximilianus, licet vix quidquam Bohemiæ citra vim componendæ spei superesset, præmisit tamen tum ad Fridericum, tum ad Bohemiæ ordines & socias provincias, demandatæ sibi a Cæsare executionis litteras, cum amico consilio, ut se tandem, resque suas vel sero respicerent. Superesse Cæsaris clementiam, noxæ deprecatione impetrandam. Ad quæ ita responderunt, ut ostenderent, se bellum paci præhabere. Stimulabat fiduciam Bethlemus, Hungariæ rex nuper a rebellibus Protestantibus renuntiatus; qui ad ipsum Maximilianum minaces scripserat litteras, se ferro & igne Bavariam vastaturum, si Cæsaris partes porro sequeretur. Indigna responso visa barbaries, illius loco partem copiarum in Hungariam Cæsari misit suppetias.

Difficilis fuit militi profectio in Bohemiam, per hostium insidias, viarumque anfractus impedita. Cibariorum vero inopia multo erat infestissima, dum miles per plures dies impransus & incœnatus permansit: quippe annonam ab ipsa usque Bavaria ingenti labore ac sumptu pro utroque, tam Cæsareo quam Boico exercitu, necesse erat advehere; neque enim ex Austria, quæ ipsa esuriebat, aut ex Bohemia, quam hostis exhauserat, exspectari quidquam poterat: & quo remotius a Danubio discedendum, eo fiebat vectura ex hostium quoque insidiis difficilior ac periculosior, quæ res ducem coegit, maturare bellum, & quocunque loco hostis sui copiam faceret, prælio decernere. Bohemi contra nusquam pedem figere, omnemque pugnæ occasionem studiose devitare, ea spe freti, hostiles exercitus per hyemem fame conficiendos aut ad eam depellendam ultro e Bohemia migraturos.

Et reapse fuit hic supremos inter duces belli aliquis sententiarum conflictus. Bucquoius Cæsarei dux exercitus contendebat; periculosum admodum esse ad ipsum Bohemiæ umbilicum penetrare, & totam fortunam unius pugnæ discrimini committere. Satius esse, imminente jam bruma, exercitus separari, & alterum in Moraviam, necdum exhaustam, in hyberna concedere, ut Austriæ atque Hungariæ sit vicinior, ac Cæsar securior; alterum vero exercitum in Bohemia subsistere, fugientis hostis vestigia legere, & quæ a tergo relinqueret, occupare, donec in angustias conjectus, opportunam prælio occasionem præbeat.

Ma-

Maximiliano vero, celeritate utendum rato, firma ſtabat ſententia, univerſas vires, antequam inedia, morbis, hyemisque injuriis decreſcant, ad rei cardinem quantocius impendere: Pragam, regni, bellique caput, abſque mora petendam: qua debellata, prona forent cætera: eo conveniſſe Fridericum, optimates, ordines: ſupereſſe in ea Catholicos, Cæſari fidos. Lentum nimis arduumque fore bellum, ſi per ſingulas urbes, arces, oppida circumferre oporteat copias, hyeme præſertim áppetente, in tanta annonæ advehendæ difficultate, morbis inter milites jam graſſantibus. Eundum igitur quamprimum in hoſtem, nec ullum ei ſpatium reſpirandi concedendum, neque alibi, quam ad Pragam inquirendum, ad ejus defenſionem omnes Bohemiæ vires concurſuras, unoque ibi conflictu bellum finiri poſſe.

Divino quodam conſilio ea heroi magnanimo injecta cogitatio. Indicta expeditio Pragenſis, via tamen obliqua, ut conſilium hoſtes lateat, intercepta in itinere plura oppida & loca munita. Miſſæ Cæſari ad avertendos ab Auſtria Hungaros auxiliares copiæ. Adacta ad deditionem Budna. Bragadizium a Bucquoio occupatum. A copiis, quas Maximilianus tutandæ Bavariæ reliquerat, Mansfeldius irruptionem tentans, repulſus in Bohemiam cum prædatore milite. Piſca direpta a noſtris. Bucquoius a Mansfeldio, Pilſæ deditionem & reditum ad Hiſpanos ſimulante, deluſus. Arx Grunberga ab Haslango, Anglorum & Scotorum ſuppetias prævertente, intercepta, præſidiariis ad Boica ſigna receptis. Bucquoio, ab Anhaltino Friderici legato invaſo, ſubventum a Tillio. Riſenburgum Hollandico præſidio ſtratagemate ereptum. Recepta ex Bavaria octo millium armatorum ſubſidia, pro ægris in Boicam remiſſis. Tauſſium & Glatovia ſubacta. Haslangus, ſupremus excubiarum præfectus, cum febri maligna correptus, lectica Bavariam verſus veheretur, ab Hungaris captus, in hoſtium caſtris extinctus, vir genere, virtute, rebusque pro patria & religione geſtis præclarus.

Quo autem magis lues maligna in exercitum ſæviebat, eo magis properandum ratus dux, cum Pragæ jam immineret, a Friderico legatum accepit, per ſpeciem officioſæ ſalutationis, re autem ipſa, ut conquereretur, ſuum principem eo deveniſſe infelicitatis, ut cum proprio ſanguine, ejusdem ſtirpis agnato, cui in nuperis comitiis Cæſaream dignitatem conciliare voluerit, cogatur bello colliſi. Quin potius familiari colloquio & amica transactione diſſidia componerentur? Locum modumque rei tam ſalubri de-

deſignaret. Oblatam eſſe nuper a Cæſare veniam : jucundum ſibi fore , intelligere , qua ratione quibusque conditionibus id liceat interpretari.

Senſit Maximilianus , moras quæri , donec hyemis inclementia , annonæ penuria , morbisque imminutis viribus , hoſti fieret opportunior. Reſpondit nihilominus perquam humaniter : ſe cum Friderico Electore ſumma fide egiſſe , atque diu ante prædixiſſe eam belli tempeſtatem ; ſeque non affectu ſequiore , ſed Cæſaris voluntate , ob cauſſas a ſeptemviris Milhuſii vulgatas , tam moleſtam ac periculoſam adverſus Bohemos ipſumque Fridericum provinciam ſuſcepiſſe. Non equidem averſari ſe colloquium , ſed vehementer metuere , ut fruſtra ſit futurum. Certum etenim eſſe Cæſari , nullam pacis mentionem admittere , niſi ante omnia ablatum diadema reſtituatur. Atque hanc eſſe & fore deinceps legem cujuscunque conventionis.

Spe fruſtratus Fridericus cogitabat Bavarum aſtu intercipere nocte concubia , ſed errante per tenebras & ſylvas milite , diei exortus periculum diſpulit. Crebræ dein velitationes expeditionem morabantur , atque Bucquoii cunctatio , priſtino ſuo conſilio adhucdum inhærentis. Sequebatur tamen cum exercitu ſuo Bavaros ; ne longius ſejunctus hoſtibus ad ictum pateat.

Decretorio prælio de Bohemiæ corona ſtatuere , in votis erat Maximiliano. Sed hoſtis in caſtris , opere & natura præmunitis , ſe continebat , & excurſionibus dundaxat noſtros pro opportunitate laceſſebat. Miſſili glande vulneratus tunc Bucquoius. Aquaviva , Neapolitanæ legionis tribunus , & Teuffelius Auſtriacus chiliarcha in hoſtium manus venerunt. Marcus comes Fuggerus , fortiſſimus juvenis , pila grandiore necatus. Sed vices redditæ hoſti , cæſus acri velitatione cum multis aliis comes Donavius , Hollachii legatus : reportatum ſignum Friderici prætorianum : triginta curruum commeatus , interempto Hungarorum præſidio , ereptus.

Hoſtis , ubi per exploratores accepit , noſtros , Launa occupata , Pragam movere , caſtris ſuis egreſſus , quanta potuit celeritate ad eam tutandam accurrit , præmiſſo Turriano cum duodecim peditum millibus , & aliquot equitum turmis. Anhaltinus cum reliquis copiis eſt ſubſecutus , nusquam prælii facta copia. Pragam ubi pervenere , *Montem album* occuparunt , in eoque munire caſtra cœperunt , atque hoſtem haud procul abeſſe intelligunt.

Ar-

# ARTICULUS XI.

## *Pugna Pragenſis.*

MOns Albanus haud magno intervallo, modice acclivi, leniter affurgens, a Praga diſcedit. In ſupercilio eminet ſuburbanum palatium regium, cum ſaltu adſito, (*ſtellatum* appellant a ſtellæ forma) hunc fati ſui locum Bohemi elegerant, magnaque celeritate corona cingere aggreſſi ſunt. 70

Ea nocte, quæ octavam Novembris diem præceſſit, ne quies daretur hoſti, Bucquoii juſſu Gaucherius Burgundus, vetus ac ſtrenuus Belgicæ legionis tribunus, cum expedita manu ad hoſtes laceſſendos mittitur. Is pagum monti vicinum, ab Hungaris equitibus inſeſſum, magno tumultu aggreditur. Major quam pro numero vincentium, ſtrages edita, juvantibus tenebris. 500 cæſi, 1000 equi abducti; reliquos in vicina caſtra fuga abſtulit. Is terror hoſtibus illatus, ſequentis diei victoriam acceleraſſe creditur.

Dies ubi illuxit, vocati in conſilium duces exercitus catholici diverſa ſentiebant. Bucquoius Pragam recta petendam exiſtimabat, Maximilianus e veſtigio hoſtem intra ſua caſtra, necdum omnino firmata, invadendum. Diſceptationi interceſſit Mottæus, qui hoſtium ſepta coram inſpexerat. Non eſſe adeo munita, ut ſuperari nequeant. Tormenta quidem primo aditu infeſta fore, ſed feſtinatione extra eorum jactum poſſe evadi: plus ab iis nocumenti fore, ſi Pragam eatur. Carmelita quoque, Dominicus Aragonius, hortator prælii & ſponſor victoriæ acceſſiſſe traditur.

In hanc itum ſententiam. Teſſera a Maximiliano data, *ſancta Maria*: cujus imago prætoriano vexillo præferebatur. Mox inſtructa acies, quæ quadratam formam referebat. In dextero cornu ſtabant legiones Cæſareæ ſub ducibus Tüeffenbachio (Bucquoii adhuc ex vulnere ægri legato) Gaucherio, Mottæo, Montecuculo, Verdugo, Breinero, Avendaino, Spinello. Lævum cornu Bavari conſtituebant, ducibus Tillio, Bauro, Florevillæo Lotharingo, Enneterio, Crazio, Schmidio, Rovillæo, Herlebergero, Harſello, Papenheimio, Wartembergio. Maximilianus rei ſummæ erat intentus. Poloni equites extra ordinem in ſiniſtra parte imperium exſpectabant.

Bohemica acies tenſum arcum cum duplici nervo parallelo referebat. Poſt principia collocabant Hungarorum turmas, ſub Streiffio & Stubnavio. Peditatui, qui 37 cohortibus conſtabat, impe-

rabant Turrianus junior, Hollachius, Schlickius, Hohenlous, Caplirus. In saltu erat legio Anhaltini, Joannis Ernesti Saxonis Vinariensis, & prætoriana. Equitatus 54 turmas habebat, sub Anhaltino juniore, Stirumio, Stubenvollio &c. Hungarorum octo millia fuisse traduntur, a Bethlemo & Protestantibus submissa Bohemis. Armatorum par ferme utrinque numerus. Toti autem exercitui Friderici nomine præfuit Christianus Anhaltinus princeps.

Paulo post meridiem datum pugnæ initium, horrenda tormentorum vi. Successit acerrimus cominus dimicantium conflictus, & anceps per horæ dimidium pugna; cum intercepto Breunero cedere ejus legionem, unaque Tüeffenbachianam (urgente maxime Anhaltino juniore, supremi archistrategi filio) jamque fluctuare ex ea parte aciem nuntiatur Tillio: cum missus continuo Crazius cum Bauriana & Liechtensteinia legione, pugnam restituit. Mox victor Anhaltinum pellit, quem saucium atque equo delapsum Verdugus capit.

Turbatam ea re Bohemorum aciem Hungarorum fuga destituit. Immissi in fugientes Poloni equites, qui magna parte ferro trucidata, reliquos in Moldavam egerunt præcipites. Bohemi, tanta exercitus parte nudati, confusisque ordinibus remissius jam pugnantes, cum nostrorum impetum non ferrent, qua cuique via patebat, fugam arripiunt, renuntiante Anhaltino, cum sistere eos non amplius posset, ut Brandisium, haud procul a Praga dissitum, se recipiant, rursusque colligant. Sed in tanta rerum confusione imperium a paucis exaudiebatur; pauciores executi sunt.

Atque ita unius horæ spatio magnus exercitus Protestantium, qui ex Germanis, Anglis, Batavis, Scotis, Hungaris, Bohemis, Moravis, Silesiis, & Austriis quibusdam rebellibus, coaluerat, fusus fugatusque DEo auspice, præclaram ad posteritatis memoriam Catholicis reliquit victoriam, & quidem die octava sanctorum omnium, quæ erat dominica, qua legebatur Evangelium: *reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO.*

Lotich. l. 7 c. 9.

Numerus cæsorum non omnino compertus, variantibus in eo scriptoribus. Sunt, qui novem millia aut trucidata aut Moldava hausta scribant. Capti Anhaltinus & Turrianus juniores, ducum ipsorum filii, Styrumbius, Rheingravius, Schlickius comites, dux Vinariensis, tribuni, centurionesque permulti. Vexilla militaria ultra centum erepta, tormenta majora decem (quorum tria Cæsareis, septem Bavaris cessere) apparatus bellici, curruum, impedimentorum magna copia.

Ex

Ex Catholicis vix ultra ducentos eo prælio desiderati feruntur, sauciis pluribus: quos inter Godefridus comes Papenheimius, inter cadavera repertus, magno hostium in futurum malo convaluit.

Fridericus Elector, intellecta clade, ex arce regia primo Pragam veterem profugit, exactaque ibidem inter tremores nocte, cum conjuge & liberis, multisque dynastis Bohemicis, Uratislaviam in Silesiam fugam præcipitavit, regiæ possessionis brevi gaudio veluti in scena perfunctus.

## ARTICULUS XII.

### *Fructus victoriæ Pragensis.*

VIctoriam, divino munere partam, fuga, quam dixi, Palatini, 71
& Pragæ deditio mox secuta est: nemine jam auso resistere, Ingressus
postquam regni vires uno lapsu prociderant. Et quidem Praga mi- Pragensis.
nor, trans Moldavam in Ratschinum montem assurgens, regia, metropolitana ecclesia, sacris monumentis, sanctorum exuviis, ædium majestate, aliisque rebus visendis præcellens, ultro ad Maximilianum claves misit, imperata facturam pollicita. Is vero omni direptione & injuria capitis pœna militi interdixit. Exemplum Praga vetus ac nova, quamvis cunctantius aliquantum, secutæ sunt.

Dux regiam per Ratschinum ingressus, sacra in æde gratiarum vota DEo persolvit. Frequentes subin, qui in urbe remanserant, ordines conveniunt supplices, religionis libertatem, privilegiorum confirmationem, immunitatem a militari præsidio, præteritorum amnestiam, præeunte verba Popelio, precati. Ducis nomine paucis respondit Preisingius, Landishutanus prætor. Jussi ponere arma, renuntiare fœderibus, tradere eorum tabulas, neminem nisi Ferdinandum Cæsarem regem suum agnoscere: adacti in ejusdem verba sacramento. Postulata ad eundem Cæsarem remissa.

Cleri tum primores duci, cum a re divina rediret, a reliquis discreti, victoriam gratulati, oblato codicillo supplicarunt, ut in Cæsaris tutelam receptis ecclesiarum possessiones postliminio redderet. Jussi bene sperare, justam eorum caussam Cæsari commendatum iri. Post clerum nobiles, qui sacra Romana constanter retinuerant, seorsim auditi, contestati sunt illi, se nihil unquam in Cæsaream Majestatem molitos, sed multitudine obrutos nequiisse

ſe obſiſtere. Orare proinde, ut hujusce conteſtationis ſuæ peculiaris ad Cæſarem fiat mentio. Reſponſum benigne, rationem eorum habitum iri.

Pauci ſane erant Catholici, religione in calamitoſum omnino ſtatum redacta. Illata ab Huſſitis detrimenta Lutherani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ, Picarditæ in immenſum auxerant. Sacerdotes poſſeſſionibus exuti, eccleſiarum patrimonia profanis manibus contrectata, templa, monaſteria paſſim impie habita, ſacri homines ſpoliati, oppreſſi, proſcripti, Societas JEſu per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam velut oſtraciſmo fulminata: Catholici ſæculares dignitatibus & officiis privati, nulloque ferme loco habiti. Ædes metropolitana S. Viti, aris everſis, conculcatis celebratiſſimis ſanctorum reliquiis, Chriſti & ſanctorum imaginibus in fruſta comminutis, Calviniſtarum conventiculis ſuperiore anno attributa. Nec defuit ſacrilegio cœleſtis ultio. Quidam eo in templo principe per ludibrium tripudians repente exanimis concidit. Alter, Joannis Nepomuceni ſepulcro ad contemptum inſultans, illico corruens horrendos inter dolores eadem hora animam exſpuit.

Acatholicorum, prout in varias ſectas erant ſciſſi, ita diſſona plane erat vox, aliis in alios rebellionis culpam conjicientibus. Tradiderunt tamen duci ſex authographa initi adverſus regem ſuum fœderis, quo nempe Bethlemo, Auſtriæ Anaſſinæ, Moravis, Sileſiis, & utrique Luſatiæ ſeſe devinxerant. Addita triginta directorum volumina, quibus acta ſua conſcripſerant. Miſſa hæc omnia una cum juramenti præſcripta formula ad Cæſarem.

Forma juramenti.

Erat illa hujus argumenti: ſe gravi crimine offendiſſe Imperatorem, legitimum, hæreditarium, coronatum, ſacro ritu inunctum, atque ab Imperio agnitum & receptum ſuum regem, quod ab ipſo arreptis armis deſciviſſent. Id ſe dolere, & ex animo factum nolle: deinceps autem præter Ferdinandum II Imp. neminem pro legitimo Bohemiæ rege habituros: ſed eum unum veneraturos debita obſervantia, obſequio, ea, qua a ſubjectis atque clientibus fieri oportet, fide & probitate: ſe præterea omnibus, quæ ſecus haberent, promiſſis, juramentis, fœderibus, conſociationibus, cum quibuslibet, adverſus eundem contractis, abnunciare, eadem reſcindere, abolere, extinguere.

Hæc omnia erectis in cœlum digitis ſolenni ſacramento confirmarunt: & per tabulas publicas, ſigillis ſuis propriis & ſubſcriptionibus munitas ad perpetuum fidei monumentum, tradiderunt. Regium inſuper Bohemiæ diadema, cum gemmarum theſauro, quem

quem in curia veteris Pragæ ſepoſuerant, D. Wenceslai ſacrario, quod eſt in æde principe, reddiderunt. Auditi dein duo ex Anglia legati de pace, ad quam Maximilianus ſe magnopere propendere oſtendit.

Ad ſacra mox, Machabæorum exemplo reſtauranda, converſa ſtudia. Reducti cum archiepiſcopo clerici: revocata Societas JEſu, ignominioſe ejecta: repurgata templa: inſtaurata altaria: cultus divinus, quoad fieri poterat, priſtino nitori redditus. Sacra reſtituta.

Actis denique pro feliciter geſtis ſolennibus DEo gratiis, Maximilianus Monachium rediit. Venienti obviam progreſſus Guilielmus pater Erdingam, ſenectutem ſuam pientiſſimam magno gaudio ſolatus. Landishuti vero exceptus eſt ab Eliſabetha conjuge & fratre Alberto. Prohibuit vero, quacunque tranſibat, omnem gratulationum pompam. 24 Nov. Monachium ingreſſus, recta contendit ad baſilicam B. V. gratiisque ſolenniter perſolutis, demum in palatium ſuum abiit. Reditus Maximiliani.

Ex Bohemia diſceſſurus regnum Cæſaris nomine adminiſtrandum commiſit principi *Liechtenſteinio*, copiis vero Bavaricis militiæ ducem præfecit Tillium, quouſque Cæſar aliud ſtatueret. Is autem datis geminis ad Maximilianum litteris victoriam eſt gratulatus, gratiisque ampliſſimis dictis, acta ejus omnia cum inſigni elogio comprobavit, fratrem ſibi longe dilectiſſimum compellans.

Neque tantum Cæſar ei grates egit, ſed etiam Eccleſiæ totius nomine Paulus V, Romanus Pontifex; cui mox poſt pugnam Pragenſem rei eventum ſignificaverat. Memorat in ea ad Papam epiſtola, reſpexiſſe tandem DEum ſuam Eccleſiam, ejusque hoſtes debellaſſe; ſe equidem veniſſe, vidiſſe, præſentemque fuiſſe pugnæ, ſed DEum viciſſe. Hoſtem fuiſſe numeroſum, nec veterani militis robore carentem: a loco ipſo factum audacem; nam in monte, medium milliare Praga diſtante inſtruxiſſe aciem, atque munitum facilem habuiſſe pugnam in aſcendentes, totius pene noctis itinere feſſos. Et nutaſſe quidem initio pugnam, ſed mox reſumptis animis ea alacritate itum in hoſtes, ut brevi ſint profligati, omnibus aut cæſis aut fugatis: quatuor millia interfecta, quingentos captos: a parte ſua vix ultra ducentos deſideratos, centenis fere læſis: tormenta ænea majora occupata decem, centum vexilla. Ungarorum multos trucidatos, & mille circiter in aquis Moldavæ interiiſſe. Et hanc quidem pugnam ad horam tenuiſſe, die octava omnium ſanctorum, qui ſe de ſuis hoſtibus inſigniter ſint ulti. Die altera Pragam minorem deditiias miſiſſe litteras, die tertia Pragam Gratulatio.

gam etiam veterem novamque promisisse, se in Cæsaris potestate futuram. Atque ita hoc anno Austriam superiorem omnem Cæsari subjectam, inferiorem pacatam, & ab hoste liberatam, complures Bohemiæ tum urbes tum arces captas, hostilem exercitum profligatum, Pragam occupatam. ( *Scripta fuit epistola quarta die a pugna*, *videlicet* 12 *Nov.* 1620)

Respondit Paulus Pontifex 3 Dec. significans ingens gaudium & solatium ex tantis rebus, tam celeriter ac feliciter gestis: se toto spiritu exultantem, cum lacrymis prostratum, pro summo beneficio grates egisse auctori bonorum DEo, atque mox solennes per urbem supplicationes indixisse. Hortatur dein ducem, ut porro pergat ecclesiam defendere, offertque omnia Sedis Apostolicæ officia. Eandem victoriam cum amplissimo elogio amantissime est ei gratulatus Gregorius XV.

## ARTICULUS XIII.

### *Fructus victoriæ per Moraviam, Silesiam, & Lusatiam.*

72 NEquaquam intra Pragam stetit fructus victoriæ, sed per omnem late Bohemiam, eique innexas provincias, Moraviam, Silesiam, & Lusatiam sese diffudit, receptæ passim in fidem urbes Bohemiæ, ecclesiarum possessiones, quas Utraquistæ, exclusis sacris hominibus, in alienas manus derivarant, reductæ potiorem partem ad suos dominos: templa Catholicorum usibus restituta. Atque hæc deinceps Cæsaris auctoritas, & Liechtensteinii prudens administratio strenue promoverunt.

Bucquoius vero rebus in Bohemia ita compositis, præmisso Marradio, & Tüeffenbachio in Moraviam movit, occupataque Iglavia, aliisque locis, frustra obnitente Turriano, facile ad officium reduxit. Moravi igitur misso ad Cæsarem Tscherotinio admissorum veniam precati, in gratiam recepti sunt. Ablegatus ad eos Cardinalis Dietrichsteinius, qui in auctores turbarum inquireret, & provinciam componeret.

Silesii plus cunctationis opponebant, nihilominus & ipsi, Bohemorum clade attoniti, de pace impetranda egerunt, præsertim ubi Saxoniæ septemvir, occupata Lusatia, vim illaturus timebatur. Conventum igitur Dresdæ, Münsterbergensi principe legationis duce, multati 300000 florenorum summa, quam Cæsari in belli sumptus refunderent, in fidem gratiamque sunt recepti, maxime, ubi ipse

ipſe Elector pro eis deprecator apud Ferdinandum interceſſit. Uratislavienſes autem, ad quos Fridericus confugerat, magno ſtudio ejus diſceſſum maturarunt, ne ejus præſentia ſibi fraudi eſſet.

Ipſa etiam Luſatia penitus ſubacta magnam partem debetur Pragenſi victoriæ. Equidem Joannes Georgius, Elector Saxoniæ, una cum Bavariæ duce deſignatus a Cæſare adverſus Bohemos & annexas provincias executor, vehementer licet obſtrepentibus Germaniæ Proteſtantibus, cauſſamque religionis agi quiritantibus, eam demandatam ſibi provinciam ſuſcepit, atque eodem, quo Bavarus tempore in Bohemiam, cum exercitu in Luſatiam movit; poſitisque ad Budiſſam, ſuperioris Luſatiæ urbem principem, caſtris, provinciam ad reconciliandam Cæſaris gratiam, tum armis tum clementia ſollicitavit.

Obſtabat marchio Jägerndorffius (Brandenburgici Electoris frater) cum Sileſiis, impoſito civitati firmo præſidio. Proceres Bohemici belli eventum exſpectabant, oppidanis, ni prohiberentur, pronis ad obſequium. Placuit igitur, cum leniora non proficerent, acriora adhibere contumaciæ remedia. Et primo quidem ager Budiſſinus prædæ permiſſus. Dehinc urbi admotæ machinæ. Jägerndorffii auxiliares copiæ, a Saxonibus ſubito oppreſſæ, & conflictu, qui duas horas tenuit, profligatæ.

Jam muri ruinam, aſſultui idoneam, tormenta ediderant, cum deditionem (25 *Oct.*) milites faciunt ea lege, ne intra trimeſtre adverſus Saxonem militarent Exeuntibus permiſſæ ſarcinæ. Civibus novo ſacramento devinctis noxa condonata. Arx cum annona & bellico apparatu victori tradita. Eadem expeditione Graditium, Baruta, Camentia, aliaque oppida per vim recepta. Audita vero Pragenſi victoria, omnia Saxo proniora invenit: eoque Bavarus Monachium receſſurus, ſignificavit, Tillium, quem ſui loco copiarum ducem relinqueret, habere in mandatis, ut, quoties ab Electore poſceretur, ſuam illi operam, arma, legionesque ſubmitteret.

In Germania quoque diverſos omnino animorum motus concitavit ea in Bohemia & adjectis provinciis rerum converſio. Erecti Catholicorum animi: dejecti Proteſtantium, & exſpectatione ſuſpenſi; eo magis, quod in altera extrema Germaniæ parte Spinola, Hiſpanorum ductor, metum intenderet. Is, tenentibus adhuc regem inter & Batavos duodecennalibus induciis, cum Belgico Burgundicoque, quem dixi, exercitu, magnoque rei militaris apparatu advectus, ceu delegatus Cæſaris Palatinis provinciis ſeſe infudit.

Quare post Ulmensem conventionem, Unionem inter & Ligam initam, marchio Onolsbacensis, Correspondentium dux, ad tuendum Palatinatum abiit. Verum Spinola compluribus in eo urbibus expugnatis magnum sui terrorem sparsit: neque audebat in aciem prodire Onolsbacensis, aut si tentaret, arte eludebatur, ut pene apud suos vilesceret, aut caussam Unionis non ex fide sustinere crederetur. Firmata ea suspicio discessu Henrici Orangii, quem frater Mauritius cum validis equitum turmis & Anglis peditibus Unioni subsidio miserat; siquidem is, ubi vidit Spinolam in Palatinatu & Wetteravia dominari, cum Batavis suis in Belgium rediit, Anglis Veherii curæ relictis.

At vero Fridericus Elector, cum se deseri ab omnibus provinciis videret, multa de rupta fide questus, omnes tamen juramenti commonens, relicta Uratislavia, in Marchiam Brandeburgicam concessit, modica spe reparandi belli. Scripsit nihilominus Bethlemo: pergeret strenue cœptis insistere: habere se parata ab Angliæ & Daniæ regibus auxilia, & a principibus inferioris Saxoniæ, ad quæ colligenda recessisset, adfuturum brevi cum 20000. Relictum interim in Bohemia Mansfeldium, qui fidas sibi urbes arcesque egregia fide & virtute sustentaret.

Fructus inter victoriæ & spolia, ab hoste reportata, non levis momenti est *Cancellaria Anhaltina arcana*, qua totius Protestanticæ factionis mens & intentio adversus religionem & domum Austriacam fuit detecta; prout patet ex commentariis anno 1621 typo vulgatis. Impressum etiam jam anno 1619 numisma cum hac chronologica inscriptione: *Fridericus Rex Romanus*: item cum hac: *Fridericus Imperator Augustus*; quibus annum 1622 & 1623 præsagiebant.

## ARTICULUS XIV.

### *Gesta anni 1621.*

### § I.

### *Protestantium molimina.*

73 Rerum status. QUamvis anno superiore per Pragensem victoriam res acta sit ingens, pars maxima nihilominus superersat belli, latius semper latiusque per Europam se diffundentis. Pilsa, Tabor, aliaque loca adhuc tenebantur hostili præsidio. In Austria Brennerus & Budianus

nus arma necdum depoſuerant, tametſi clade gemina, 2900 cæſis, a Colalto affecti. Bethlemus, quidquid de pace præſeferret, implorato Turcico a Baſſa Budenſi & Tartaris auxilio, Hungaris necdum compoſitis junctus, erat formidini. Fridericus Elector undique implorabat auxilia: magna addixit rex Britanniæ, ſocer genero. Senatus Angliæ ingentem pecuniæ vim regi in bellum deſtinabat. Jägerndorffenſis marchio ex domo Brandeburgica, dolorem ulturus, quod a Sileſiis eſſet deſertus, vi armata eos graviter vexabat. Angli, Sueci, Dani, tota domus Brandeburgica, Proteſtantes uniti cum capite ſuo Palatino Electore, adhæc Lüneburgici, Brunsvicenſes, Holſati, Mechlenburgici, Pomerani, Batavi Segenbergæ belli conſilia agitabant. Et Daniæ quidem rex jam in armis habebat decem millia, totidem alii, qui erant in partibus. Angli ad Rhenum dominari videbantur poſt diſceſſum Spinolæ. Maritimæ civitates Gallique in ſocietatem allecti.

Mansfeldius denique, verſuti homo ingenii, cum prædatore exercitu ubique Catholicis infeſtus, Palatini res non armis magis, quam aſtu doloque atque audacia impigre curabat. Nam aliquas adhuc Bohemiæ urbes præſidio obtinebat, collectis ibidem ex fuga Pragenſi quam plurimis, cum iis provolans Sclackenvaldam, Tachaviam, & alia nonnulla loca occupat. Dehinc in Palatinatum ſuperiorem progreſſus, vaſtatis circum locis vicinis Palatini negotium agebat: Franconia ſubin & Alſatia populationibus & rapinis completa. Franckenthalium obſidione liberatum; terror ubique ſparſus. Ejus exemplo marchio Jägerndorffius in Sileſiam & Moraviam, jam pacatas, irruebat. Mansfeldius.

Acceſſit tertius Germaniæ Catholicæ devaſtator Chriſtianus dux Brunsvicenſis, Halberſtadienſis ſecundum novum Evangelium epiſcopus: qui cum novo pariter prædone exercitu in Imperium excurrens, cum ætate atque indole eſſet ferocior, atque a puero militaribus apud Batavos diſciplinis Lutherano epiſcopatui initiatus, Fridericum Electorem armato cum exercitu ad regnum Bohemiæ reducere cogitabat, ea quidem præfidentis animi arrogantia, ut Eliſabethæ conjugi Friderici ereptam e manibus chirothecam pileo ſuo accommodans juraverit, non dimiſſurum ſe ſymbolum iſtud e capite, donec Fridericum ſolio Bohemico videret redditum. Nec defuerunt hominibus iſtis exercitus, confluentibus paſſim ad eos, quos ſpiritus Lutheri Calvinique pacificus, prædandique effrænis licentia attraxerant. Brunsvicenſis.

Igitur christianus iste episcopus, qui se DEI amicum & sacerdotum hostem solenni aphorismo profitebatur, per Saxoniam inferiorem Westphaliamque collectis viribus, quibus pro stipendio rapiendi furandique facultas, tanta licentia per amicas etiam ditiones incessit, ut sociis principibus gravis, vi atque armis eorum e finibus ejiceretur, eo intendens, ut in Franconia cum Mansfeldio, ejusdem indolis homine, conjunctus caussam Palatini ferro ageret, & Catholicos profligaret.

Accessit denique ad ruinarum cumulum Bethlemus, qui ad genium reversus, comparato triginta millium exercitu, cum Budeano progressus in Austriam, stimulantibus, qui aderant, Jägerndorffio & Turriano, ferro, flamma, rapinis, omnem late agrum deformavit.

## § II.

### *Catholicorum defensio.*

74 CÆsar e diverso suis & Imperii rebus invigilabat; rex Hispaniæ 20000 alebat. Gregorius XV præter insignem in menses singulos pecuniæ vim, binas etiam legiones, pedestrem & equestrem, Aldobrandini ductu, conferebat. Fœderis Catholici in Germania principes Augustæ convenerunt, in commune consulturi: dum Correspondentes Heilbrunnæ cœtum agerent. Cura ingens Europæ, aut in partes jam euntis, aut exspectatione suspensæ.

Maxime vero ii animorum motus sunt concitati, postquam Proscripti. Cæsar Fridericum Electorem, Christianum Anhaltinum, ejus legatum, Joannem Georgium marchionem Jägerndorffensem, & Hohenloum, Friderici asseclas publice proscripsit: demandata ejusdem executione, quoad dignitatem & fortunas. Etenim Alberto Belgarum principi delegata fuit potestas invadendi Palatinatum inferiorem, Maximiliano Bavariæ duci superiorem, Saxoni, Bambergensi & Herbipolensi de Anhaltino, Jägerndorffensi, & Hohenloo pœnas *banni* sumendi.

Cumque hoc *bannum*, ut vocant, Imperiale magnum apud acatholicos motum cieret, orthodoxi nihilominus, caussæ justitia confisi, executionem strenue urgebant. Nam imprimis Tillius, Bavari legatus, Pilsam & Elenbogam occupavit, & Mansfeldium, ne rapinis ac direptionibus impune grassaretur, clade affectum, primum Bohemia, dein Palatinatu superiore ejecit. Cambum vi ex- Palatinatus superior. pugnatum; Amberga, & Neoforum venientibus Bavaris ultro portas

tas aperuere; ejectoque dein Mansfeldio tota provincia deditionem fecit. Introducti mox sex Patres societatis. Sed lente ibat conversionis negotium, incolis exspectatione adhuc suspensis, quem dominum essent habituri.

Mansfeldius autem in Palatinatum inferiorem magna celeritate contendit, receptisque Anglicis ac Palatinis copiis Franckenthalium ab obsidione Cordubæ, quem Spinola sui loco reliquerat, liberavit. Tum in Alsatiam transgressus more suo agrum illum incendiis, rapinis, populationibus est depastus. Hagenoa centum Philippeorum millibus persolutis injuriam se redemisse putabat. At homo perfidus juxta ac sanguinarius urbem nihilominus invasit, nullumque crudelitatis genus, in ecclesiasticos præsertim, omisit. Collegium Societatis JEsu, incolis dispersis, penitus direptum. Successu ferocior Tabernas obsedit, sed expugnatione desperata clades ab oppidanis acceptas, agrestium dira vexatione ultus est. Desertis illi sedibus, per devios saltus palantes hyemis rigore magno numero perierunt. Mansfeldius.

Cæsar tot facinoribus irritatus, eum denuo cum milite suo proscripsit, ac reipublicæ hostem declaravit. At ille nihilo se ipso melior, Alsatia devastata, in Spirensem agrum immigravit. Corduba, postquam Spinola cum copiarum parte in Belgium adversus Batavos abiverat, non tantum habebat virium, ut Mansfeldio reprimendo sufficerent. Quare Bavarus Tillium misit auxilio; qui aliquot ejusdem turmas cæsas fugatasque spoliis, per Alsatiam collectis, exuit, atque prædandi licentiam strenue coercuit.

Adversus Christianum Brunsvicensem missus a Bavaro comes Anholtius, supremus post Haslangum vigiliarum præfectus. Qui conflato ex Hispanis, Bavaris, Herbipolensibus, Moguntinis, & Darmstadianis exercitu, in Veteraviam concessit, & Brunsvicensem prælio superatum in Westphaliam fugere coegit. Brunsvicensis.

Interea duodecennales Hispanorum induciæ cum Batavis ad finem properabant. Quare Spinola eo intendebat, ut composito aliquantum bello Germanico in Belgium copias transferre posset. Nec abnuebant Protestantes uniti, ut ab Hispanis, quos vehementer metuebant, se liberent. *Moguntiæ* pars utraque convenit: decretumque, Moguntino & Darmstadiensi arbitris, ut uniti principes atque civitates fœderi renuntient; copias dimittant; Palatino contra Cæsarem non assistant; vicissim Spinola fœderatos non lædat. Exclusus tamen ab hac conventione fuit Fridericus Palatinus. Quamvis ei concessæ sint induciæ usque ad idus Maji. Atque ita tandem Pax.

dissoluta est Protestantium unio, postquam magno Imperii motu undecim annos tenuit, clade Palatini ad pauciores jam redacta. Igitur dimissis copiis ad Horatium Veherium (Werium aliqui scribunt) Anglum, & Obertrautium tribunum Germanum, tuendi Palatinatus Rhenani cura rediit. Spinola vero, relicto in Palatinatu cum copiarum parte Corduba, in Belgium concessit. Non tamen deerant ex Catholicis, qui eas inducias, Palatino datas, improbarent, quippe ad se colligendi spatium eidem opportunas. Quamvis enim ad Batavos fuga jam evasisset, habebat tamen multos Protestantium principes caussæ suæ faventes, & in id intentos, ut proscriptione rescissa restituatur.

Angli conatus.

Maxime vero Digbius, Britanniæ regis apud Cæsarem orator, Friderici negotium vehementer urgebat, petebatque, ut proscriptionis soluta sententia pristinæ dignitati reddatur. Negavit Cæsar, convenire, ut post tot delicta adhucdum armatus, regio nomine tumidus, nullo resipiscentis animi signo edito, novis ciendis tumultibus intentus, restituatur. Digbius rogare aliquas saltem inducias; Mansfeldium & Jägerndorffium persuasum iri, ut arma ponant: multaque polliceri, quæ pollicentis vires superarent. Quare Cæsar, ut a molesto interpellatore se liberaret, ad Albertum archiducem & Maximilianum, quibus executio proscriptionis erat demandata, eum rejecit. Citatis igitur equis ad Bavarum, in ordinando Palatinatu superiore adhuc versantem, contendit, magnisque promissis cassationem ab executione impetrare conatus est. At is verba dari intelligens, & temporis dispendium quæri, mirum videri, inquit, hæc peti, dum Friderici contumacis arma per Germaniam circumvolitent, Mansfeldio & Veherio ejusdem legatis, cædibus, rapinis, populatione per Imperium grassantibus.

Nec erant ea jam tempora, ut Cæsar pacis leges accipere debuerit, Bethlemo ipso, pluribus jam cladibus attrito, pacem flagitante, regnoque Hungariæ se abdicante. Certe pax illa magnum vulnus inflixit Protestantium rebus. Cæsar etenim Hungarici Bohemicique belli curis solutus, magnos adversus eos progressus fecit. Quadraginta Jägerndorffii cohortes profligatæ. Recepta Troppavia & Odenberga. Oschena Ortenburgico excussa. Glatza a Turriano juniore dedita, cum jam ad irruptionem mœnia ruinas agerent. Thabor, diu multumque a Mansfeldianis defensa, castrumque Clingenbergense ad obsequium reducta. Anhaltinus uterque & Hohenloeus in gratiam recepti, nulla alia pœna, quam ut culpam supplices a Cæsare deprecarentur.

Ne

Ne tamen perfidum rebellionis exemplum iret in poſteros, delata Liechtenſteinio Bohemiæ proregi quæſtio in turbarum auctores. Citati edicto abſentes. Qui non comparebant, damnati contumaciæ, muneribus fortuniſque exuti. Ad directores maxime, quippe factionum capita, id judicium pertinuit. Novem ex iis capite minuti. Bona fiſco illata. Multo plures damnati fuerant ad mortis ſupplicium, ſed Cæſaris clementia multa mitigavit. Reorum nomina non opus prodere; cum nepotum fides, conſtanſque in domum Auſtriacam obſequium eam labem dudum deleverit. Nimium autem eam juſtiſſimam in rebelles animadverſionem exaggerant, & tanquam ſanguinarium barbarumque judicium traducunt Burckardus Struvius aliique Proteſtantes.

Quæſtio in rebelles.

Meliorem vitæ finem hoc anno ſortiti ſunt Paulus V Pontifex, Philippus III Hiſpaniarum rex, Albertus archidux Auſtriæ, Belgii princeps: in quo ſtirps maſcula Maximiliani II Cæſaris defecit. Viduam reliquit Iſabellam; quæ ſola deinceps per annos adhuc aliquot Belgium gubernavit. Cardinalis item Bellarminus, Marcelli II Pontificis nepos, ſanctimonia vitæ, geſtis ſcriptiſque pro eccleſia toto orbe celebratus. Luinius denique Franciæ, & Calderonius Hiſpaniæ primus miniſter, ſed diſpari fato. Verum hæc alio loco recenſenda venient.

## § III.

## *Documenta aliquot hujus temporis ex Actis Publicis Lundorpii deprompta.*

Poſt Pragenſem victoriam Elector Saxoniæ ad ordines Sileſiæ, Uratislaviæ congregatos, ſcripſit: omnem ſe contuliſſe induſtriam ſtudiumque, ut motibus, quibus Bohemia cum annexis provinciis, ad ſummam perniciem publicæ privatæque rei in tertium jam annum vehementer adeo ſit concuſſa, tandem compoſitis, pax & tranquillitas reducatur. *Interpoſitionem* ſuam a Cæſare Mathia & poſtea etiam a Ferdinando II acceptatam, ſed a Bohemis, alio jam intentis, rejectam, abdicatum regem, electum, unctum, coronatum, in comitiis Francofurtenſibus a collegio Electorali, legatiſque præſentibus, agnitum, & pro legitimo Bohemiæ rege & Electore habitum, atque ad ſeſſionem & ſuffragium in conclave admiſſum. Inaudita contra eundem inita fœdera, capitali etiam rei Chriſtianæ hoſte in ea pertracto: nullaque ratione habita, quod Bohemia ſit inſigne feudum & Electoratus Imperii. Quæ ſane res S.

75 Litteræ Saxonis ad Sileſios.

R. I.

R. I. & Electorali collegio summopere sit præjudiciosa, pessimique etiam in futurum exempli.

Tam perniciosa in publicum attentata cum Electores Milhusii collecti probe considerassent, monitum ab iis Palatinum septemvirum, se ipsum respiceret, & cœptis desisteret. Easdem monitiones missas ad status Bohemiæ, & provincias eidem unitas. Sed tam parum effectum, ut potius in sententia obfirmati, atque cæsareæ ac regiæ Majestatis hostes apertos professi, asserere non vererentur, exsciendendam domum Austriacam, Imperium in aliam formam redigendum, ac principes his conatibus se opponentes opprimendos.

Cæsarem igitur permotum, ut Saxoniæ Electori, & Bavariæ duci demandaret officium, rebelles subditos ad obsequium reducendi: nullo alio fine, quam ut regi sua constet auctoritas, subditis obsequium, pax & tranquillitas universis.

Postremo eos interpellat, ut, quoniam edocti sint, quam parum inquietis eorum consiliis armisque cælum faveat, Cæsaris delegato se subjiciant, ulterioremque patriæ ruinam sistant. Verum Silesii tunc necdum habebant aures, quibus exaudirent salubre consilium, sed potius ære collatitio indicto, pro rege suo novo, ad se profugo, bellum parabant.

At post devictam Lusatiam imminente Saxone armato in hæc pacta conventum. 1 Recognoscunt Silesii Ferd. Cæsarem legitimum regem, Bohemiæ ac supremum ducem Silesiæ, eique sacramento se adstringent. 2 Intra anni spatium Cæsari solvent trecenta florenorum millia in belli sumptus. 3 Renuntiant Palatino atque fœderibus, cum Bohemis, Moravis, Transylvanis, Hungaris, aliisque initis: eorumque autographa Saxoni tradent. 4 Præter 1000 equites & 3000 pedites, ad defensionem provinciarum retentos, reliquam militiam abdicabunt. Nullatenus vero contra Cæsarem aut Saxonem copiis utentur.

Conditiones pacis.

Saxo vero Cæsaris nomine promittit: 1 Copias ex Sagano principatu educere. 2 Intercedere apud Cæsarem, ut litteræ Majestatis, privilegia &c. confirmentur, gravamina tollantur, commercia cum Bohemis & Moravis rursus aperiantur. Catholici quoque in quieta possessione relinquantur. 3 Si Silesii ratione Lutheranæ religionis, non corruptæ, impugnarentur, Elector eorum patrocinium suscipiet. 4 Si Christianus dux Lignicensis hæc pacta sit acceptaturus, inclusus esto. Secus exspectanda mandata Cæsaris. 5 Joan. Georg. Brandenburgicus marchio Jägerndorffensis, (Ele-

(Electoris frater, archiepiſcopatus Argentinenſis olim adverſus Lotharingum competitor) & Chriſtianus princeps Anhaltinus, tanquam proſcripti, ab hac pace excluſi ſunto. 6 Præteritorum ſit venia & plena oblivio, absque pœna. His 18 Febr. 1621 actis ſubſcriptum, gratesque Electori dictæ, quod adeo ſapienter & benigne officio ſuo ſit functus.

Eodem anno 1621 5 Aprilis Spinolam inter & Mauritium Haſſiæ landgravium conventio hæc fuit inita. 1 Promittit iſte, Palatino aut aliis principibus quibuscunque nulla ratione adverſus Cæſarem aſſiſtere, ſed in fide & obſequio ejusdem permanſurum. 2 Copias ſuas ab Unione protinus ſeparare & abdicare. 3 Proximo menſe Majo Unioni penitus renuntiare, nec ullum amplius ad defenſionem Palatinatus fœdus pangere adverſus Cæſaris expeditionem Palatinam.

Pax cum Hiſpanis.

Spinola e diverſo ſpondet, landgravii provincias ditionesque ab omni injuria belli penitus illæſas relinquere, ut Religioſæ & Profanæ Pacis beneficio libere frui poſſint: excluſis tamen iis ſubditis, qui adverſus hæc pacta delinquerent.

Paulo poſt, 12 nempe Aprilis, Spinola nomine Cæſaris cum aliis etiam Unionis ſociis Moguntiæ, quam dixi, pacem iniit, his quidem conditionibus. Inter paciſcentes omnis vis hoſtilis ceſſato. Uniti nec milite, nec pecunia, nec alia ratione directe vel indirecte comiti Palatino aſſiſtunto. Unionem non proroganto, nec novam ineunto: copias ex Palatinatu abducunto: Cæſari fide & obſequio addicti ſunto.

Contra vero Spinola militem ſuum ab omni invaſione ditionum, quæ ad paciſcentes pertinent, atque ab omni vi, damno, & injuria contineto. Hac pace comprehenduntor non modo ii, qui tractatui Ulmenſi ſubſcripſerunt, ſed alii quoque Electores, principes, ſtatus & equites Imperii, utriusque religionis.

Fridericus comes Palatinus ab hac conventione excluſus eſto. Dedit tamen Spinola id Angliæ regis interceſſioni, ut executio Palatina, a Cæſare demandata, usque ad 14 proximi menſis Maji ſuſpenſa maneat, ea tamen lege, ut uniti principes efficiant, ut Palatinus miles hunc intra terminum adverſus Spinolæ copias, urbes, oppida, & loca poſſeſſa, aut adverſus alios fidos ordines & ſubditos, nihil hoſtile attentet.

Spinola vero id efficiet, ut Cæſar & archidux Albertus hæc acta rata habeant. Subſcripſerunt Ambroſius Spinola marchio, Joann. Svicardus archiepiſcopus Moguntinus, Ludovicus landgra-

vius Haſſo-Darmſtadienſis, Joachimus Erneſtus marchio Brandeburgicus, Joann. Frid. dux Wirtembergiæ.

76 Novæ turbæ a Dano aliisque Proteſtantibus.

Sub idem tempus, cum rex Daniæ & Ulricus dux Brunsvicenſis, a malevolis perſuaſi, Spinolam in Saxoniam inferiorem adverſus ordines illius circuli & præſertim poſſeſſores bonorum eccleſiaſticorum moturum, bellicis apparatibus ſollicite eſſent intenti, Cæſar data ad ducem epiſtola docuit, falſam eſſe eam perſuaſionem; nullum circuli illius ſtatum a Burgundico ſuo milite, Spinolæ commiſſo, læſum eſſe hactenus, nec porro lædendum: ſed Pacem, qua Religioſam qua Profanam, ad amuſſim ſervandam. Ponerent igitur lævas ſuſpiciones, & belli conſilia, delectibus abſtinerent, & pacem ſecuri colerent.

Moguntinus quoque 24 Aprilis eidem duci Brunovicenſi ſcripſit, nuntiatum ſibi, in Saxoniæ inferioris circulo magnos fieri delectus bellique apparatus, ducendosque in Palatinatum exercitus. Cum autem cum Spinola pax ſit compoſita, in qua etiam inferioris Saxoniæ ordines ſint comprehenſi, datæque Palatino induciæ, facile eos perſpicere, in quanta bellorum incendia foret exarſura Germania, ſi Palatina, quam fama vulgaſſet, expeditio eſſet ſuſcipienda. Pacis igitur ſtudia præferrent, & Germaniam ab ulterioribus ruinis quieſcere ſinerent.

16 Maji, cum biduo ante terminus, executionis Palatinæ ſuſpenſioni præfixus, eſſet elapſus, Joachimus Erneſtus marchio Anſpacenſis & Joannes Frid. dux Wirtembergiæ, cum comite Oetingano, nomine Evangelicorum principum & ſtatuum vel poſtularunt, vel ſupplicarunt a Cæſare: 1 ut reconcilietur cum proſcriptis, vel ſaltem executionem differat. 2 Cæſar efficiat, ut varia loca, extra Palatinatum, præſertim in Veteravia & tractu Hunnorum a Spinola occupata, abductis præſidiis, reſtituantur. 3 ut cauſſa Freibergica, & Mümpelgardica expediatur.

Poſtulata Proteſtantium.

Reſpondit Imperator ad 1, ſe lubenti animo accepiſſe, quod uniti ſtatus defenſionem proſcripti ejusque ditionum depoſuerint, Unione ſua adverſus Cæſarem non uti, nec novam inire promiſerint. Sperare autem, hæc pacta ex fide ſervatum iri. Sic enim tranquillitatem Imperii opportune reducendam. Nihil ſe omiſſurum, quo ad finem hunc optatum perveniatur.

Reſponſio Cæſaris.

Non autem ſatis percipi, qua ratione petatur, ut cum proſcripto, adhuc armato & contumace, Hollandos aliosque adverſus Cæſaream Majeſtatem concitante, ante omnem renuntiationem ac deprecationem, reconcilietur gratia. Hanc principum interceſſionem

ſe co

ſe eo interpretari, quod eam velint interpoſitam in eventum, quo proſcriptus graviſſimas ſuas culpas agnoſcat, reconciliationem a Cæſare roget, gravesque ſumptus ac damna illata, ad legum præſcriptum reſarciat. Sed neque differendam executionem, donec proſcriptus majores vires colligat, novumque in Imperio bellum cum deploranda provinciarum ruina concitet.

Ad 2, Majeſtatem Cæſaream omnem curam impendiſſe, ne inſontes patiantur, ac porro curaturam, ſi quid iis damni datum eſſet, re diſcuſſa id compenſandum. Si autem aliqui tranſitus hoſti præripiendi fuiſſent, non eſſe, quod illi ſe immiſceant, qui nullo jure nobiles Imperii civitates aliaque loca occuparint, diuque poſſederint. Celerem autem locorum illorum reſtitutionem ſtrenue promotum iri, ſi principes celerem executionem proſcriptionis adjuvent, ulterioresque reorum machinationes elidant.

Ad 3, quod Freibergicam & Mümpelgardenſem cauſſam ſpectat, Cæſarem informatione capta cogniturum, &, quod juris eſt, pronunciaturum: habito etiam præ oculis Imperii & ducum Wirtembergiæ emolumento.

Quia autem Proteſtantes ægerrime ferebant Hiſpanum ad Rhenum exercitum, rebus eorum minime opportunum, etiam Daniæ rex ſe immiſcuit, acresque ad Spinolam litteras dedit: quibus eum monet, ut licentiam ſuorum militum coerceat. Hæc nempe ſcribebat, dum Mansfeldius & Halberſtadienſis epiſcopus cum prædone exercitu Germaniam, direptione, rapinis, cædibus, igne, ferroque vaſtarent, dum Angli, Batavique ſignis infeſtis Germaniæ ſe infuderant, dum ipſi Germaniæ Proteſtantes adhuc uniti diſtrictum adverſus Cæſarem gladium in Palatinatu manibus geſtabant.

Idem rex Daniæ Chriſtianus IV miſſa ad Cæſarem legatione commemorat, ſibi, qui turbis Bohemicis ſe non miſcuerit, inopinatum accidiſſe, poſt victoriam, & plenam provinciarum poſſeſſionem, a Cæſare obtentam, Fridericum fuiſſe proſcriptum adverſus capitulationem Cæſaream, retentos adhuc ſub ſignis exercitus, & per externas copias Spinola ductore Palatinas ditiones magnam partem occupatas, continuatasque ad eum usque diem hoſtiles invaſiones, a quibus nec regiones finitimæ fuerint liberæ, præſertim Haſſicæ, & eorum quoque, qui nec Unionis nec Bohemici tumultus fuerint participes. Dani querelæ.

Hæc ſane non modo pugnare cum Imperii conſtitutionibus, & capitulationibus, ipſisque adeo Cæſaris conteſtationibus, ſed aliquid aliud videri portendere, novaque bella ciere. Rogare proin,

ut Cæsarea Majestas orituras calamitates probe perpendat, iisque avertendis tempestive obviam eat, ac postquam sua receperit, exercitus ex Imperio abducat. Vim omnem hostilem sistat, proscriptionem rescindat, & dissidia cum Friderico amica compositione finiat; Jägerndorffium pariter & Anhaltinum seniorem, sublato banno, in gratiam recipiat, juniorem vero liberum dimittat. Hæc ubi fuerint præstita, curaturum se, ut Fridericus se Cæsari accommodet.

Responsum Cæsaris.

Responsum 7 Junii nomine Imperatoris, optandum fuisse, ut eæ pacis curæ tum fuissent impensæ, quando hæreditariæ Cæsaris provinciæ passim diripiebantur, ut bellorum incendia praeverterentur. Jam vero proscriptum non modo pœnitudinis signum nullum prodere, sed eo usque hostes esse progressos, ut, præter inauditas factiones, machinationesque, vimque hostilem, ad eam usque diem continuatam, ipsi adeo Turcarum jugo Imperium subjicere non exhorruerint. Fecisse proin Cæsarem, quod ex usu esset ad sua recuperanda, & avertenda, ne latius serpant, incendia: quodque ipse rex Daniæ facturus esset, si quispiam ejus regnum invadere attentaret. Num arma poneret, hoste adhuc armato, novas conspirationes, fœdera, invasiones machinante? ominosum profecto formidandumque omnibus per orbem regibus fore exemplum, si seditiones, conjurationes, invasiones deberent esse impunes.

Neque vero præcipitatam fuisse illam proscriptionis pœnam. Caussam manifestam gravissimamque orbi versari præ oculis: adhibitum consilium, præmissas monitiones, post eas octo adhuc mensibus exspectatum, & post Pragensem victoriam in tertium adhuc mensem. Neque tunc Cæsarem quietam possessionem jam fuisse adeptum, circumferente adhuc legato Friderici Mansfeldio per Bohemiam armatos exercitus, pluraque munimenta obtinente præsidio, aliisque insidiante, Silesia & Moravia necdum pacatis, Hungaria adhuc in armis stante. Et quid? num a Cæsare exigendum, ut sola recuperatione provinciarum contentus, tot millionum, pro quibus omnes hæreditarii ejus principatus oppignorati maneant, damnum immensum patiatur?

Sicut autem Majestas Cæsarea nihil prius habeat, quam supremi judicis officio ad constitutionum Imperii amussim fungi, iisque celebrari virtutibus, quæ christianum principem, & supremum maxime in temporalibus caput comprimis decent ornantque, ita nihil futurum eidem ingratius, quam si de læsa capitulationum aut pactorum fide posset argui. Verum omnem eo collatam industriam, ut Bulla Aurea, Pax Publica ac Religiosa, recessus Imperii,

&

& capitulationum pacta exacte obſerventur, atque ad eorum præſcriptum omnes periculoſæ confœderationes, conſpirationes, ſeditiones, rebelliones, violentæque invaſiones ſuſtollantur, inique abrepta reſtituantur, atque in tranquillæ pacis otio, quilibet ſub vite & ficu ſua ſecurus conquieſcat.

Has Imperii baſes convulſas a proſcripto, dum acceptato, coronato, ab Electoribus & ipſomet etiam agnito legitimo regi coronam abſtulit, alienos ſubditos a jurata fide ſubtraxit, Cæſareæ Majeſtati bellum intulit, urbes provinciasque ejusdem occupavit, inimica fœdera iniit, pacemque Imperii graviſſime turbavit, rupitque.

Cum autem hæc aliaque delicta, in inſtrumento proſcriptionis expreſſa, fuerint graviſſima ac palam omnibus manifeſta, non opus fuiſſe peculiari juris proceſſu, aut cognitione ulteriori cauſſæ, eo minus, quod in reformata anno 1555 cameralis judicii, & Pacis Publicæ ordinatione, ac ſubſequentibus Imperii receſſibus, præſertim anno 1559 conſtituto, cautum ſit, ut ii, qui Cæſaream adverſus Majeſtatem aut ſtatum Imperii obſequentem, arma corripiunt, aut opem quacunque ratione præſtant, aut conſpirationes ineunt, præter alias pœnas, in turbatores pacis ſancitas, in bannum Imperialem *ipſo facto* incidant, absque ulla alia declaratione. Atque in hoc ſenſu intelligendum etiam § 25 & 62 capitulationis: neque enim per illam leges totius Imperii abrogatas eſſe, aut potuiſſe abrogari. Deplorandum certe fore regni ſtatum, in quo cum eo, qui adverſus ſupremum magiſtratum armatus inſurgit, non niſi diuturna actione forenſi procedi poſſet. Licet ergo citatio formalis non eſſet facta (prout tamen per *Monitorium* abunde præſtitum) jure tamen in delicto tam notorio acturum fuiſſe Cæſarem, pœnam a juribus publicis conſtitutam declarando.

Et tametſi § 39 conventum ſit, ut Cæſar in rebus arduis mox initio Electorum conſilio utatur, id tamen in iis duntaxat caſibus neceſſarium cenſeri, in quibus Imperii conſtitutiones non provideant. Non omiſiſſe tamen Cæſaream Majeſtatem cum majori Electorum parte, & aliquot aliis Imperii ordinibus ea ſuper re conferre.

Quantum ad copias Burgundicas Alberti archiducis, ductu marchionis Spinolæ primum ad hoſtem a Bohemia divertendum, deinde ad proſcriptionis executionem a Cæſare accitas, non poſſe eas dici hoſtiles aut exteras, citra injuriam feudorum Imperii: nec poſſe impugnari, quam parum Cæſar cogitet proceſſus regis Daniæ ſub cenſuram vocare, aut ei in regno ſuo regulas præſcribere. Potius vero, ubi jura Majeſtatis aguntur, omnes reges & principes

 opor-

oportere adversus perduellium perniciosas machinationes consentire, & id genus exempla, quæ facile apud subditos in imitationem transire possent, avertere.

De excessibus autem memorati exercitus necesse esse, plus querelarum ad regem Daniæ quam ad Cæsarem esse perlatum, qui omnem suam curam & authoritatem impenderit, ut nemo insons patiatur. Præsertim vero Hassiæ landgravium ea super re nunquam questum. Cæterum per transactionem Spinolæ res eas esse compositas, omniaque extra proscripti ditiones occupata brevi restitutum iri, si nullus executioni obex ponatur.

Sperare proin Cæsarem, prout uniti ordines, qui Palatinatum defendendum susceperant, tandem agnoverint, non decere adversus Cæsaream Majestatem arma ferre, aut fœdus protendere, ita eos, qui hactenus quieverant, nec turbis se miscuerant, non primum nunc, ubi pacis omnigenæ spes magna affulgeat, sinistris suspicionibus & periculosis consiliis locum daturos; ex quibus Germaniæ, alias jam afflictæ, extrema calamitas impenderet. Maxime vero Cæsarem in rege Daniæ, tanquam insigni Imperii membro, collocare fiduciam, quod pro sua animi æquitate, & communis boni studio, imperatoris potius ceu capitis atque Imperii, quam affinitatis suæ rationem sit habiturus.

Cumque circulus inferioris Saxoniæ conventum proxime Lüneburgi sit habiturus, venturos eo legatos Cæsareos, qui ordinibus id sint suasuri, ut consilia sua eo dirigant, quo Cæsareæ Majestatis exspectationi sint consentanea, alienis negotiis se non misceant, Cæsaris hostibus non adhæreant, nec auxilium ullum eisdem præstent. Turbæ non foveantur, pax reparetur, Imperium non evertatur, sed sua Imperatori constet auctoritas: ad quos saluberrimos fines bellici apparatus, quos rex fecisset, sint impendendi.

Altera Dani legatio.

Rex Daniæ his acceptis alteram legationem misit, quæ eadem postulata repeteret, adderetque, se loco suo relinquere, quis tumultuum Bohemicorum auctor fuerit, & an proscriptio legitime sit facta. Tractantibus pacem supersedendum odiosa hac disputatione. Id unum rogare, ut Cæsarea Majestas extrema devitet. Summum rigorem non semper esse opportunum. Exemplo esse Belgium, aliasque provincias ac regna: nec nimium etiam fidendum fortunæ. Militem igitur ubique dimittendum: Electorem Palatinum, sublata proscriptione, restituendum, damna cuique sua ferenda. Non referendam hanc caussam ad Electorum conventum, in quo ecclesiastici superarent suffragiis, sed mox ab ipso Cæsare amore pacis finiendam.

Respon-

Responsum iterum nomine Cæsaris, eum persuadere sibi non posse, regem petitioni insistere, ut Imperator, tanquam caput, pars tantopere læsa, bello victor, proscripto, omnibus provinciis spoliare Cæsarem conato, adhucdum hostilem animum gerenti, adhuc arma circumferenti, adhuc adversas conspirationes ineunti, reconciliationem ipsemet offerat, aut militem statim dimittat, ut quascunque conditiones acceptare dein cogatur, ac proscripti discretioni se submittere; has enim tales esse conditiones, quæ non facile tenui etiam principi proponi consueverint. Responsum.

Accesserunt plures alii principes pro Friderico intercessores, quos inter eminuit Jacobus I rex Angliæ, ejusdem socer. Hic equidem pacis amantissimus princeps generi sui turbulenta consilia & Bohemicam usurpationem nunquam probaverat, nolebat tamen, eum a provinciis suis hæreditariis dejici, & penitus everti. Quare per legatum suum Digbium magno studio apud Cæsarem instabat, ut in gratiam recepto Palatinatus restituatur. Cum autem negotium protraheretur, 12 Nov. 1621 epistolam misit ad Imperatorem.

In hac queritur imprimis, suam & aliorum magnorum principum intercessionem necdum exauditam. Verba quidem data suo legato, interim vero Palatinatum superiorem a Bavaro, inferiorem vero ab Hispanis Cæsaris jussu esse invasum: ex qua re cum gravissima mala impendeant, quibus postea difficillime sit futurum remedium, æquissimum sane esse, ut Cæsarea Majestas infelici huic rei finem tandem imponat. Qui ut obtineatur, propositurum se conditiones, quibus transactio componatur: ut videlicet Cæsar in pristinam gratiam Fridericum recipiat, eique restituat ditiones & titulos, quos ante motus Bohemicos habuerat. Angli querelæ.

Contra vero Fridericus, I omne jus in Bohemiam prætensum abdicet. II Cæsari se subjiciat. II reconciliationis gratiam flexis genibus ab eodem precetur. IV nullis adversus Majestatem Cæsaream fœderibus se implicet, nec ulla ratione pacem turbet, sed fideli & devoto obsequio eidem maneat addictus. V cum principibus Imperii, ecclesiasticis æque ac sæcularibus pariter reconcilietur, atque cum iis sinceram concordiam & amicitiam colat. VI si quæ alia sint, sibi fortassis incognita, quæ ratio & æquitas exigant præstari, genero suo ea præstanda esse. Et propositiones.

Hæc si rex obtineat, recogniturum Cæsaris beneficum in se animum, omnibus amicitiæ obsequiis, & fœderibus etiam, si placeat, erga Cæsaream suam Majestatem totamque domum Austriacam remunerandum. Secus vero a nemine vitio sibi vertendum,

si arma

si arma in manus sumat, iisque tam æquas conditiones extorqueat, maxime, cum non petantur novæ ditiones aut tituli, sed ii duntaxat, quibus Fridericus jam erat præditus, dum rex unicam suam filiam eidem despondit: neque æquum sit, parentes & numerosam prolem, sibi tam propinquo nexu conjunctos omni auxilio destituere. Nec conqueri posse Cæsarem, si in eventum rex viam istam æquissimam ineat. Cum autem hoc fieri non posset sine ingenti concussione reipublicæ Christianæ, & nominatim domus Austriacæ, se Cæsaris æquissimo judicio relinquere, an e re illius sit, ad tam violenta remedia descendere.

Respondit ad ea Cæsar, nihil sibi quiete Imperii optatius, sed nullam adhuc præferri apud Palatinum pœnitudinem; gerere se ipso in exilio pro rege; copias necdum omnes ex Bohemia abductas; continuare adhucdum bellum per legatos suos, Mansfeldium, Halberstadium, Jägerndorffium: concitare Transylvaniæ principem, omniaque moliri obstinata voluntate, ut Bohemiam rursus possit invadere. Non esse hæc ejus, qui veniam desideret. Oportere agnoscere delictum, venire supplicem, rogare gratiam. De cætero licet omnium regum intersit, raptores regnorum puniri, quodsi tamen rex magnæ Britanniæ pro sua apud generum auctoritate conficere se posse existimet, ut is Bohemiam & annexas provincias omittat, sibique de injuriis ac damnis satisfaciat, se in proximis Imperii comitiis de venia & reditu ejusdem relaturum.

Egit post hæc Digbius de induciis armorum. Assensit Cæsar, modo Bavaro & Isabellæ, Belgii gubernatrici idem probaretur. Sed invasiones populationesque Mansfeldii hanc tractationem abruperunt. Is enim e Bohemia in Palatinatum superiorem digressus, ut dimissum ab Unione militem ad se pertraheret, spe rapinarum ac licentiæ multis ad eum confluentibus, justum brevi exercitum conflavit, interminatus supremam vastitatem Herbipolensi & Bambergensi episcopis, ni copias suas, quas Tillio miserant auxilio, revocarent. Cum autem Cæsareæ copiæ magno numero advenirent, quibus se imparem cernebat Mansfeldius, atque in angustias conjectum: ut tamen cum exercitu suo elabi possit, ad solitas suas fraudes conversus, atque stipulatus sibi certam pecuniæ summam. Copias suas dimittere promittit. Sed cum partem pecuniæ accepisset, indicta clam profectione maxima celeritate cum exercitu in Palatinatum inferiorem contendit: receptisque ad se Britannicis legionibus, Franckenthalium, quod ante memoratum, obsidione liberat. Moxque in episcopatus Franconiæ & Rheno adsitos grassatus

indi-

indignationem aliquam epiſcoporum in Bavariæ ducem concivit, quod ex Palatinatu ſuperiore impune eum effugere permiſerit: de qua re exſtant Moguntini litteræ, amice querulæ, ad Bavarum: qui tamen, prudente excuſatione præmiſſa, Tillium cum milite illis illico ſubmiſit auxilio.

## ARTICULUS XV.

### *Geſta anni 1622.*

CÆſar, inita cum Bethlemo pace, ductaque in alteram conjugem Eleonora Mantuana, bellum adverſus Mansfeldium & Halberſtadienſem ſtrenue per Tillium proſequitur, ſubactis pluribus per Palatinatum locis, cæſisque non raro hoſtibus.

Horum attritas vires ut erigeret Fridericus Palatinus, alieno 77
habitu cultuque cum duobus itineris comitibus (dynaſta Bohemo & mercatore Argentinenſi) ab exilio ſuo Hollandico reverſus, Mansfeldio, defectionis præmia veteri fraude cum Hiſpanis denuo licitanti, ſe junxit, ſimulque ad ordines Imperii litteras dedit, querelarum plenas: ſe cauſſa non cognita, nullo ſervato juris ordine, adverſus juratas capitulationum pactiones ditionibus ſuis & electorali dignitate exutum, proſcriptumque: communem omnium cauſſam agi, atque exemplum ſuum ad omnes pertinere. Mature igitur creſcenti in dies Cæſaris potentiæ occurrerent, & jugum a cervice reipublicæ ſubmoverent.

Palatinus ad Mansfeldium.

Valuit apud marchionem Durlacenſem oratio, ut validum exercitum conduceret adverſus Cæſarem, ſive ſpe amici erigendi, ſive religione communi impellente. Quia autem metuebat Cæſarem, ditiones ſuas in filium tranſtulit, ut quemcunque eventum res ſortiretur, nihil haberet, quod poſſet amittere. Clam tamen tantiſper conſilia habuit, eo ſpectare cauſſatus armorum apparatum, ut fines ſuos a belli injuriis tueatur.

Durlacenſis.

At vero, cum & copiis & re militari ſatis ſibi inſtructus videbatur, Heilbrunnam inter & Wimphenam caſtra poſuit. Tillius, adjuncto ſibi Corduba Hiſpanorum duce, eundem aggreſſus, pugna, quæ integro die tenuit, conſerta, celeberrimam victoriam reportavit. Capta ingens præda, cum tormentis omnibus. Pars maxima hoſtium occubuit, atque hos inter dux Wirtembergicus, & comes Palatinus Birckenfeldenſis. Capti plus mille ac centum, Durlacenſis cum equitum turma ad Mansfeldium fuga evaſit.

Victus ad Wimphen.

Halberſtadius

Non minus feliciter geſtum a Tillio bellum adverſus Chriſtianum Brunsvicenſem, qui per Weſtphaliam dominatus, Paderbornenſem & Monaſterienſem epiſcopatum omni calamitatum genere implevit, direptis paſſim templis, captisque urbibus, in quas more ſuo crudeliter ſæviit, nulli parcens ætati nec ſexui. At ſenſit ultorem DEum, quippe accitus a Palatino ex Weſtphalia, ut Mansfeldio ſe jungeret, in Moguntinis incidit in victorem Tillii exercitum prope Höchſtam, fuſusque eſt memorabili prælio, amiſſis ſuorum quatuor millibus, captisque plurimis. Impedimenta omnia cum machinis in Tillii poteſtatem venere. Quinque e JEſu Societate Patres, quos Chriſtianus Paderborna captivos abduxerat, in libertatem aſſerti. Inſuper Höchſta & Ladenburgum victoriæ præmium fuere. Halberſtadius vero ad Mansfeldium fugit cum Styrumio & exercitus reliquiis.

Victus ad Höchſtam.

Mansf. victor, victusque.

Non eadem omnino fortuna Tillius commiſſus eſt cum Mansfeldio, callido magis ac verſuto homine, qui & pugnandi & ſimulandi artibus clarus non raro hoſtes ſuos fefellit, & aliquando etiam vicit. Nam cum Palatinus ex Batavia rediiſſet, ſe probaturus eidem Mansfeldius Tillio imminebat: a quo primum victus fugatusque, at mox victorem incautius inſequentem retroacta acie vicit ad Mingelshemium, & in fugam conjecit, cæſis 400, vulneratis 100, paucis captis.

Hæc quantulacunque victoria mire erexit Palatini animum, præſertim ubi Landenburgi expugnatio acceſſit, fraude magis quam virtute parta. Sed diuturna non fuit ea lætitia. Quippe haud multo poſt Tillius, ignominiam potius quam cladem ulturus, eas, quas dixi, victorias a Durlacenſi & Halberſtadio reportavit; ipſumque etiam Mansfeldium, qui, intercepto repente Darmſtadio, Ludovicum landgravium (licet neutrarum eſſet partium) cum filio captivum abduxerat, prælio vicit, ac Darmſtadium liberavit.

Palatinus dimittit exercitum.

Tot cladibus perculſus Palatinus, ſimulque Angliæ ac Daniæ regum litteris permotus, ut arma deponeret, ſpe pacis, quæ Bruxellis tractabatur, apud Tabernas Alſatiæ dimiſit exercitum, data Mansfeldio & Brunſvicenſi copia, quo vellent, cum copiis diſcederent. Ipſe vero mutato habitu per Galliam in Hollandiam rediit.

Mansf. & Halb. in Holland.

Poſt miſſionem Mansfeldius & Halberſtadius Cæſari militem operamque ſuam obtuliſſe dicuntur: ſed fides haberi iis non poterat, qui toties illam fefellerant. Atque ita ex Alſatia in Lotharingiam digreſſi, nunc reditum in Germaniam minabantur, mox in Galliam obverſi, ferendi Hugonottis auxilii ſpeciem ferebant. Tandem

dem a Batavis acciti, Brabantiam petiere. At Corduba cum Hispanis & Burgundis eosdem haud procul Namurco assecutus ad conserendum prælium coegit, quo pari ferme Marte certatum est. Mansfeldius vero & Brunsvicensis cum copiis accisis ad Hollandicum exercitum pervenere, qui tantopere auctus mox obsidionem Bergæ ad Zomam, quam Spinola inchoaverat, solvit. In hoc ad Namurcum prælio Christiano Brunsvicensi sinistrum brachium glande plumbea tam graviter læsum est, ut accedente gangræna amputari illud oportuerit: quod pompa militari inter perstrepentes tubas factum. Hanc sectionem ubi fortiter tulit, Spinolæ nuntiari jussit, superesse sibi brachium dextrum, quo in hostem utatur. Ope autem ferreæ machinæ, brachii formam referentis, brachii manusque jacturam supplevit.

Pugna Namur.

Tillius interea, Palatinatum vacuum nactus, Heidelbergam, quam Nervius cum legione Britannica defendebat, expugnavit, multumque ex thesauro præsertim & supellectili Electoris prædæ cepit. Accessit celeberrima per Europam Bibliotheca, cujus pars magna Romam missa. Heidelbergæ fatum secutum est Manhemium, a Veerio Anglo propugnatum. Jamque omnis Palatinatus in Cæsaris potestatem erat redactus, præter unum Franckentalium, quod obsidere Tillius parabat, cum auctoritate Isabellæ Belgarum principis, quæ cum Palatino pacem tractabat, illud omissum, milesque per loca recens occupata, & vicinam Veteraviam in hyberna fuit dispositus. Leopoldus vero archidux, dum hæc in Palatinatu a Tillio gerebantur, Hagenoam, Spiram, Wormatiam, Germersheimium, & Alsatiæ loca recepit. 78

Palatinatus occupatus.

## ARTICULUS XVI.

### *Gesta anni 1623.*

### § I.

### *Translatio septemviratus.*

Sub finem prioris anni Cæsar cum Imperatrice Ratisbonam ad comitia discesserat. Saxo, licet a Cæsare sæpius invitatus, non comparuit, veritus odium Protestantium, si in Friderici abdicationem consentiret. Quam ob caussam etiam Brandeburgus adesse noluit: uterque tamen per legatos se stitit. Trevirensis valetudine absentiam excusavit. Adfuere Moguntinus & Coloniensis. Principes reliqui, maxime Protestantes, plerique per legatos. 79

Comitia Ratisb.

Cæſar cauſſas comitia indicendi per Procancellarium Imperii propoſuit, videlicet, rationem ineundam conciliandæ pacis; Hungariæ per æs collatitium adverſus Ottomannum muniendæ; cameræ reformandæ; monetæ valori priſtino reſtituendæ; &, quod rerum caput erat, ſeptemviratus a Friderico jure proſcripto in alium transferendi: neminem hac dignitate digniorem eſſe Maximiliano duce Bavariæ, cujus permagna ſint in Cæſarem & Imperium univerſim omne merita.

Diſplicuit Proteſtantibus ea de Electoratu transferendo oratio. Nam licet Palatini proſcriptio juſtiſſima plerisque ſit viſa, ad collegium tamen Electorale pertinere exiſtimabant, in eandem conſentire. Adhæc ſervato juris ordine citandum prius audiendumque fuiſſe reum: nunc vero clementia potius quam pœnarum ſeveritate pacem Germaniæ revocandam: omittendam proin reformationem Bohemiæ, atque Palatinum recipiendum in gratiam, aut ſaltem filiorum habendam rationem: ſecus timendum, ne reges ac principes, ſanguine, affinitate, fœderibus Friderico connexi, cauſſam armis vindicent: atque ita neque Cæſarem neque Imperium ſecurum & quietum fore. Saxonis maxime, Brandeburgi, Darmſtadii hæc erat ſententia.

Contra vero alii aſſerebant, proſcriptionem Friderici, rebellis ac hoſtis Imperii, atque etiamnum bellum machinantis, recte ac ex ordine eſſe factam; Electoratum proin Palatinum ita ad Cæſarem eſſe devolutum, ut, præteritis proximioribus agnatis, clientelari jure poſſidendum illum, cui lubeat, poſſit committere. Neque ex uſu eſſe, principem adhucdum contumacem in gratiam recipere; timendum quippe, ne illius facinus in plures eat. Neque contra eum temere aut præpropere eſſe animadverſum; quin imo monitum frequenter, & a Cæſare ipſo, & a conventu Electorum Mülhuſiano, aliorumque principum, Bavari præſertim, litteris, nec eam fuiſſe temporum conditionem, ut contra armatum, & per Bohemiam atque Germaniam graſſantem, in conventu Electorum lentis remediis uti potuerit.

Translatio Electoratus.

Addidit Cæſar, ſi Fridericus ſupplex culpam agnoſcat ac deprecetur, ſe id daturum regum Angliæ ac Daniæ aliorumque Proteſtantium interceſſioni, ut præciſo Electoratu in gratiam reciperetur. Quod vero reformationem Bohemicam ſpectat, quam intermiſſam acatholici volebant, reſpondit, illam cuivis principum in terris ſuis eſſe permiſſam, nec Imperatorem aut regem Bohemiæ in hac re deterioris conditionis eſſe debere. Neque eſſe, cur vicini

cini circuli fidem ſuam ſuſpectam habeant, cum pluries ſit conteſtatus, Transactionem Paſſavienſem ex integro ſervatum iri.

Aſſenſerunt ferme Catholici. Cum Saxone & Brandeburgo legato perſtitere precari pro Palatino Proteſtantes, ne Electoratu privetur. Wolfgangus Wilhelmus vero dux Neoburgicus Electoratum ſibi vindicabat, eo quod frater Friderici partes adverſus Cæſarem eſſet ſecutus, filii vero parentis pœnam luerent; poſt hos autem ſe proximum eſſe agnatum, cui Aurea Bulla ſucceſſionem addiceret.

Cum cauſſa has inter alternantes diſſenſiones fluctuaret, Cæſar re probe expenſa pronuntiavit, nullatenus eſſe e republica & dignitate Imperii, auguſtale Electorum collegium uno ex ſeptemviris deſtitutum manere. Quare, cum plures eam dignitatem ambiant, nec tamen extemplo ſtatui poſſit, cujus jus eſſet potiſſimum, eo quod abeſſent a comitiis, qui Fridericum ſanguine proxime contingerent, decretum eſſe Cæſari, Maximilianum Bavariæ ducem, propter egregia in Imperium merita, ſeptemviri dignitate ornare, ſalvo nihilominus aliorum jure, quod vel benevola transactione, vel certe ex juris legumque ordine a ſeptemviris poſſit definiri, eo pacto, ut poſt Maximiliani obitum Electoratus ad eum rediret, cui jure deberetur, moxque ſolenni pompa inauguratus, archidapiferi munere functus eſt. A ſolennitate tamen iſta orator regis Hiſpaniæ, legati Saxonici & Brandeburgici, aliique, qui translationem illam improbabant, abfuere. At Gregorius XV totaque Roma applauſit.

Nec multo poſt Moguntini præſertim opera & grandæva prudentia Saxoniæ ſeptemvir Maximiliano fuit conciliatus, ut eum S. R. I. Electorem collegamque ſuum agnoſceret: prout *Diſſert. Prælim. cap.* 4 memoravi. Acceſſit anno 1627 Elector Brandeburgus, Saxonis exemplum ſecutus.

Eodem hoc anno Cæſar principatum Marpurgenſem, jam diu inter Mauritium Caſſellenſem, & Ludovicum Darmſtadienſem, Haſſiæ landgravios, controverſum Ludovico attribuit, Mauritio, quod teſtamentum patrui ſui violaſſet, in omnes litis expenſas, utque fructus jam perceptos refunderet, condemnato. Cauſſa Marpurgenſis,

Simili ferme ſententia dirempta fuerat cauſſa Badenſis, reſtitutis Eduardi filiis in marchionatum Badenſem, quem Georgius Fridericus marchio Durlacenſis, ac nepotum ſuorum tutor pupillis eripuerat, quod pater ipſorum ad impares nuptias tranſiſſet, & Catholicam religionem revocare ſit conatus. Ea res ſub tribus Impera- Et Badenſis.

peratoribus agitata, ſed tunc primum definita eſt; datumque negotium Leopoldo archiduci, ut Wilhelmum primogenitum in marchionatum reduceret.

## § II.

### *Alia geſta anni 1623.*

INterea, dum illud translationis negotium Ratisbonæ agebatur,
80 Mansfeldius in Friſia orientali, Halberſtadius vero in Oſnabrugenſi ditione magnos belli apparatus fecere, quare accerſitus Ratisbonam *Tillius*, poſtquam comitis dignitate a Cæſare auctus eſt, copias ex hybernis eductas, atque Anholtinis junctas, relicto in Palatinatu præſidio, juſſus eſt ducere in fines Haſſiæ, antequam Mauritius landgravius Cæſaris hoſtes in terras ſuas reciperet, aut aperta belli ſocietate juvaret. Catti vim quidem aliquam opponebant, ſed momento fuſi fugatique ſunt.

Tillius.

Jamque totus Palatinatus a Cæſareis fuit ſubactus, uno excepto Franckentalio, quod depoſiti nomine Hiſpanis fuit conceſſum ab Anglis, reſtituendum iisdem, niſi intra biennium Palatinus Cæſari concilietur.

Major multo belli tempeſtas coibat in Septentrione; nam inferioris Saxoniæ principes, Danus, Brunſvicenſis, Brandeburgus, Megalopolitanus, Brema, Lubeca, Hamburgum &c. indignantes, Palatinum ſeptemviratum ad Catholicos translatum, fœdus inter ſe percuſſere, tuendi fines prætextu, re ipſa, ut bellum moliantur. Habiti proin magni delectus militum, copiarum dux renuntiatus Chriſtianus dux Brunſvicenſis, Halberſtadienſis epiſcopus, jam dudum notus per Germaniam graſſator: qui ſub ſignis tunc habebat vigenti ferme millia.

Fœdus Sax. inf.

Is, mox larva poſita, ſpretaque, quæ ipſi offerebatur, Cæſaris gratia, in campum prodiit, locatis ad Göttingam, munitam Brunſvici civitatem, caſtris. Qua re intellecta Tillius caſtra caſtris opponit, cumque legati principum fœderatorum cum eo de pace & Chriſtiano Cæſari conciliando non ſatis ex fide agerent, is ſolutis noctu caſtris in Weſtphaliam movit. Secutus confeſtim Tillius, ad *Statlonam* inſigni prælio eundem fudit, cæſis plerisque aut captis. Halberſtadius autem ſaucius, relicto copioſo belli apparatu in manibus victoris, cum paucis in Bataviam fuga evaſit. Urbanus VIII victoriam Maximiliano Electori verbis ampliſſimis eſt gratulatus.

Cæſus Halberſtadius a Tillio.

Mans-

Mansfeldius interea, alter Germaniæ prædo, Frisiam orientalem immensis exactionibus & direptionibus vexabat. Imminebat illi quidem, devicto Brunsvicensi, Tillius; sed comes Frisiæ & Embdana civitas ingenti pecuniæ vi Mansfeldio persoluta discessum illius emerunt. Aurum suppeditarunt Batavi, loca, quæ Mansfeldius occupaverat, pacti pro fœnore. Variis inde velitationibus & transfugiis adeo accisus est Mansfeldii exercitus, ut Germania relicta in Bataviam fugere sit compulsus. Tillius vero per Westphaliam & Hassiam copias in hyberna distribuit; domito Korbaco, Waldecensi comiti refractario. Gabriel etiam Bethlemus pace fracta turbavit in Hungaria, sed Turcis devictis ad pacem petendam adactus. Cæsar hoc anno comites Hohenzolleranos & Eggenbergenses S. R. I. principes dixit.

## ARTICULUS XVII.

### *Gesta anni 1624.*

QUamvis hoc anno nullum apertum bellum fuerit gestum in Germania, ingentes tamen ad illud fiebant apparatus. Palatini exilium, Electoratus translatio, Vallis Tellina ab Hispanis occupata, domus Austriacæ victoriæ, omnem propemodum Europam commovebant, quare inter reges Galliæ, Angliæ, Daniæ, Sueciæ, Sabaudum, Batavos, Venetos, Helvetos &c. fœdus ictum est, pro Italiæ, ut ferebant, & Germaniæ securitate, atque restitutione Palatini. Institutus propterea Hagæ Comitis frequens legatorum conventus, præsente etiam Bethlenii legato. 81 Fœdus contra Austriacos.

Mansfeldius naufragio elapsus in Angliam appulsus est. Ubi regni copiis præfectus, trecentis eas navibus in Seelandiam deportavit. Brunsvicensis vero per Gallias delectum habuit. Tota tamen hæc tempestas plus fulguris & fragoris quam fulminis habuit. Raro siquidem diuturna firmaque persistit multorum societas, singulis suam potius quam communem rem curantibus. Adhæc strenua Cæsaris & Hispani ad vim repellendam præparatio, Pax cum Bethleno inita, mors Angliæ regis, consiliorum filum inciderant, ut adeo tanta molimina penitus ferme conciderent.

Tumultus tamen aliquid datum in Valle Tellina ac Grissonia. Ita res habet. Vallis Tellina, mediis in Alpibus Italiam inter Germaniamque sita rerumque omnium proventu feracissima, ducibus olim Mediolanensibus subjecta fuit. Anno dein 1512 cum Rhœti Vallis Tellina.

&

& Helvetii ducatum Mediolanensem, Gallis ereptum, Maximiliano Sfortiæ restituissent, dux Helvetiis alias ditiones, Grisonibus vero Vallem Tellinam cum Wormiensi & Clavennensi comitatu in perpetuum donavit, atque hoc pacto provincia ista a Grisonibus præfectis deinceps est gubernata. Cum autem isti potestate abusi incolas, præsertim quoad religionem, durius haberent, cœperunt regem Hispaniæ, ceu ducem Mediolanensem respicere. Qua occasione Fontanus, gubernator Mediolanensis, anno 1605 in finibus Vallis Telinæ, ubi Addua in Comensem lacum se effundit, munimentum exstruxit in edito colle, a nomine suo *Fontanum* appellatum.

Hæc res Gallos Helvetosque bello commisit cum Hispanis, pluries composita, pluriesque recrudescens, regem utrumque diu exercuit. Anno 1623 ingens adversus Austriacos tumultus a Pretigaviensibus excitatus, Gallos rursus cum Hispanis collisit, donec Rhœtiæ munimenta custodiæ summi Pontificis sunt credita, quoad lis omnis amica transactione componeretur.

Verum anno sequenti rex Galliæ Rhœtica claustra cum Valle Tellina subita irruptione invasit, occupata Maynfeldia, Curia, Pretingavia, Tyrano, Wormio & Clavenna. Anno autem 1626 rursus in depositum Pontifici est tradita, pace in hos articulos sancita. Vallis Tellina ministris pontificiis restituitor, qui securitati religionis consulant. Munitiones recens exstructæ diruuntor, transitu utrisque regibus libero. Rhœti conservatores, a Telliniis electos, confirmare tenentor. Comitatus Wormiensis & Clavennensis sub Valle Tellina comprehensi sunto: atque inde præsidia utriusque partis abducuntor. Tellinii certam pecuniæ summam quot annis in recognitionem veteris clientelæ solvunto. Atque ut hæc diligenter observentur ambo reges Telliniorum defensionem suscipiunto.

Anterior Austria ad Leop.

Quietem aliquantam nactus Cæsar domum suam ordinavit. Tyrolin, Alsatiam, Brisgoiam, cum adjunctis ditionibus, cum fratribus Leopoldo & Carolo divisit. At Carolus Burgovia & quibusdam in Silesia dominiis, annuaque pensione contentus, partem suam Cæsari remisit, quam hic postea fratri Leopoldo, ad statum sæcularem traducto, ejusque liberis attribuit. Carolus autem Uratislaviensis & Brixinensis episcopus, ordinisque Teutonici Magister, evocatus hoc anno in Hispaniam, ut pro rege Lusitaniam gubernaret, trigesimo, quam advenerat die, magno omnium luctu

ctu fatis concessit in ætatis flore: necdum enim trigesimum quintum excesserat.

Religionis etiam curæ, uti alias semper, ita hoc maxime anno intentus erat Cæsar. Nam ex Austria, Bohemia, Moravia, omnes sectarum ministros ejecit, aut solum vertere, aut religionem mutare jussos. Id cum & jure suo, & aliorum regum principumque exemplo, etiam acatholicorum, faceret, non tamen effugere potuit facti invidiam. Religionis cura ejectis Protest.

Hoc eodem anno Marcus Antonius de Dominis, archiepiscopus Spalatensis, qui nuper a religione defecerat, ex Anglia Romam reversus, in castro S. Angeli traditus custodiæ, brevi ex morbo decessit. Cadaver in Campo Floræ exustum, cineres in Tyberim sparsi. De Dominis.

# ARTICULUS XVIII.

## *Gesta anni 1625.*

QUamvis principes, qui fœdus contra Austriacos superiore anno inierant, dilaberentur, Christianus IV tamen, Daniæ rex, belli aleam sibi tentandam duxit. Is etenim indicto Saxoniæ inferioris comitio, multa questus, exposuit, quam gravi jugo miles Cæsareus circulum premat, id agi, ut Catholica ubique religio inducatur, & episcopatus adimantur Protestantibus. Videndum igitur serio, ut malis imminentibus mature occurratur: scribendum militem, qui sit præsidio. Deligendum novum circuli ducem, quoniam Luneburgicus (Cæsari semper fidus) ætate jam fractus tantis curis rebusque sit impar. 82

Electus proin ipse rex a circuli ordinibus dux a Cæsare petiit, ut Tillium ex Saxonia quamprimum revocet. Imperator eam mutationem acerbe ferens, Luneburgicum præfecturæ jussit restitui; se, quod e re circuli foret, cum Imperii statibus provisurum. Si rex inauspicatam dignitatem deponat, & exercitum conscriptum dimittat, Tillium illico revocatum iri, secus si faciat, Albertum quoque Wallensteinium cum novo exercitu venturum. Bellum Danicum.

Scripta multa dictaque ultro citroque, tandem a lingua & calamo ventum ad ferrum. Nam Tillius audito adventu Mansfeldii & Brunsvicensis, qui cum duodecim millibus ex Batavia regi Daniæ auxilio properabant, Anholtium cum expedita manu ipsis opposuit: reliquas vero copias adversus regem duxit.

Rex dum imminente Tillio retrocederet, infauſto omine didicit, quem finem bellum eſſet habiturum. Dum enim noctu ſtationes militares obiret, cum equo in foſſam lapſus, ſauciusque, exanimi prope ſimilis per biduum linguæ uſu caruit. Ubi ſpiritus & vox rediit, relicta Hammelia Mindaque Verdam uſque receſſit, Mansfeldii & Brunsvicenſis copias, quæ Oſnabrugenſem agrum populabantur, ibidem exſpectaturus.

Pugna. Tillius occupatis, quæ rex reliquerat, *Nienburgum* incaſſum obſedit, amiſſis quatuor millibus. Felicior fuit expugnatio Calenbergæ, & *conflictus ad Hannoveram*, quo magna Danorum pars cecidit, atque inter eos Obertrautius, equitum magiſter, & Fridericus dux Saxoniæ Altenburgicus, quem Neoſtadii captum Cæſar nuper in gratiam Electoris libertate donaverat, ſancte pollicitum, nunquam ſe deinceps adverſus Cæſarem militaturum.

Wallenſtein. Dum hæc ad Viſurgim geruntur a Tillio, novus ei exercitus ſub Alberto Wallenſteinio ſubſidio venit, qui occupato Halberſtadio, Hallaque totam Magdeburgenſem ditionem invaſit.

Religio. Religionis etiam hoc anno promotum negotium, præter viginti Anabaptiſtarum millia, quos dynaſtarum favor hactenus protexerat, e Bohemia atque Moravia proſcripta, Lutherani præcones rurſus Vienna exacti, pœna non levi in eos ſtatuta, qui in ditionibus ſuis eos retinerent. Eliminati ex Univerſitate, qui eadem labe erant inquinati. Auſtria etiam prima ſeu ſuperior, quam pignoris nomine Bavarus tenebat, purgata ab Herberſtorffio, adminiſtratore provinciæ. Lincii ſuffectus magiſtratus Catholicus. In Palatinatu Superiore & Rhenano Maximilianus Elector ex Religioſæ Pacis ſanctione edixit, ut incolæ, qui ſectariis adhuc adhærebant, vel ad Catholica ſacra redirent, aut ſolum vertentes emigrationis libertate uterentur.

Nec parum res Catholica utilitatis accepit, dum Ferdinandus archidux, Cæſaris filius, rex Hungariæ fuit electus. Leopoldus vero Cæſaris frater, translato in nepotem Leopoldum Argentinenſi & Paſſavienſi epiſcopatu, matrimonio ſibi deſpondit Claudiam, Ferdinandi I Hetruriæ ducis filiam, Oſnabrugenſe vero ſacerdotium poſt varias contentiones ad comitem Wartenbergium eſt devolutum.

## ARTICULUS XIX.

### *Geſta anni 1626.*

§ I QUieſcente tantiſper per hyemem bello Danico, actum Brunsvici per legatos de pace, Saxone & Brandeburgo arbitris. Sed tran-

transfigi nil poterat. Quare versis rursum ad arma consiliis, Danus cum Anglis, Suecis, Batavis, Venetis, Transylvanis, aliisque sociis fœdus renovavit, habebatque sub signis 60000. Has copias in tres partes divisit. Unam ducendam tradidit Halberstadio, Osnabrugensem, Hildesiensem, atque Mindensem agrum, ad distinendos Cæsareos, infestare jusso. Alteram Mansfeldio, qui Wallensteinio ad Albim se opponeret, atque in Silesiam ad excipienda auxilia Transylvanica excurreret. Tertiam inter utramque medius ad Visurgim regendam rex ipse sumpsit. Dani copiæ.

Mansfeldius occupato Magdeburgensi tractu, irruere in Silesiam nitebatur. Sed obstabat pons ad *Dessaviam*, quem Albi impositum Aldringerus Wallensteinii jussu firmo præsidio custodiebat. Ut Cæsareanos inde depelleret, plures jam infelices impetus tentaverat Mansfeldius; sed Wallensteinius superveniens memorabili eum prælio fudit, peditatu ferme omni aut cæso aut intercepto. Nienhovius Hollandorum dux cum magna suorum clade in acie occubuit. Kniphusius supremus vigiliarum præfectus, Mihalovitius nobilis Bohemus, aliique prosapia aut dignitatibus illustres inter captivos fuere. Impedimenta omnia, mortaria duo, machinæ majores septem, signa pedestria triginta quatuor, equestria sex in victoris potestatem venere. Mansf. cæsus.

Mansfeldius cum maxima equitum parte in marchiam Brandeburgicam fuga elapsus, atque inde in Silesiam erumpens, ex variis sociorum suppetiis ita reparavit exercitum, ut viginti rursum millibus constaret. Hunc in Hungariam ducebat, haud dubie ut cum Turcis & Bethleno, rursus rebelli, se conjungat. Inhærebat a tergo Wallensteinius, atque Novigradum Turcarum & Bethleni obsidione liberavit. Nata inde Hungaros inter & Wallensteinianos discordia, alimenta ab illis maligne præbita, secutaque exercitus inopia victoriarum cursum vehementer retardavit. In Hungariam fugit.

Sed neque hostilis exercitus sors melior. Bethlenus enim Mansfeldio & Vinariensi junctus, mox irruente dissidio separatu, dilabentibus passim Turcis, & ipse in Transylvaniam suam concessit, oblatis Cæsari melioribus, quam unquam, pacis conditionibus, ut jam illam serio quærere crederetur. Reliqui duo duces paulo post mortem oppetiere.

*Mansfeldius* contracto morbo primum ad thermas, dein Budam delatus, dum nil remittente vi morbi Venetias proficisci cogitat, ad Racaviam ignobilem vicum vitam turbulentam finiit. Natus est Ernestus Mansfeldius thoro degenere ex patre Petro Ernesto Mansfeldii mors.

comite Mansfeldio, Luxemburgi gubernatore, qui post mortem Alexandri Farnesii ad adventum usque Ernesti archiducis totius Belgii Hispanici præfecturam gessit, regi in paucis fidus. Adolescens Ernestus cum fratre Carolo, quem Cæsar expetierat, in bellum Hungaricum profectus; tum a Sabaudiæ duce assumptus: demum gliscentibus Bohemiæ turbis Palatini caussam adversus Cæsarem secutus, fractis Pragensi clade sociorum viribus, reparato exercitu, solus initio adversam fortunam sustentavit. Ter propterea proscriptus a Cæsare, pluribusque præliis attritus, semper a clade surrexit terribilior. Bis terve peragrata universa Germania, Belgioque metuendi ducis famam meruit; rapinis & populationibus exercitum assuetus alere, inimicis amicisque juxta habitis.

Et Halberstadii.

Decesserat paulo ante Mansfeldii collega, ac rapinarum socius, *Christianus* dux *Brunsvicensis*, episcopus Halberstadiensis, indignam principali avito sanguine prædonum vitam æmulatus, gravis omnibus sibique, 27 ætatis anno a vermibus, ut fertur, depastus, postquam proprio fratri seniori Ulrico ducatum Guelferbitanum rapuit. Accessit tertium funus in Silesia Joannis Ernesti ducis Vinariensis, qui in Cæsarem insurgens proscriptionem morte antevertit. Ita fata in tres primarios Imperatoris hostes conspiraverant.

Hassus resignat.

Tillius ex parte altera fortiter adversus Danum prosecutus est bellum. Recuperata per Anholtium Osnabruga & Weidenbruco, missoque in Hassiam Cronsfeldio Cassellam obsideri jubet, donec Mauritius, qui semper alienum a Cæsare & Catholicis animum gesserat, translato in Wilhelmum primogenitum regimine, quieti se daret, qua ratione Dano potens socius est ademptus. Expugnata dein Münda & Göttinga, Fürstenbergius ad *Calenbergam* obsidione liberandum dimissus, insigni clade Danos profligat, cæsis in acie prope 600 equitibus, inter quos Freitagius chiliarcha, aliique ductores captisque vexillis 21.

Pugna ad Calenbergam,

Et ad Lutheram.

Sed major longe clades data 28 Augusti a Tillio ad *Lutheram*, Brunsvicensem arcem, ibi enim conserto cum rege prælio præclaram a Danis victoriam reportavit, toto peditatu aut cæso aut capto. Rex cum equitatu præcipiti fuga per sylvas & occultos calles Guelpherbitum evasit. Cecidit inter alios principes Philippus Hassiæ landgravius, Mauritii filius. Capta signa octoginta septem cum tormentis omnibus, apparatuque militari permagno. Urbanus VIII victoriam Tillio propria manu est gratulatus.

Rex Guelferbito deserto in Holsatiam profugiens bellum reparare

rare omni ope adlaboravit. Tillius vero usurus victoria, Steinbrucum, Verdam, Steurwaldam, Neostadium, Rotenburgum, Ottersbergam, Hoiam, aliaque oppida deditione accepit; &, quod plus est, Brunsvicensem & Luneburgensem duces ad cæsareas partes reduxit, quare Calenberga & Hannovera, expulso Danico, cæsareum præsidium recepere. Rex vero acceptis novis ex Hollandia & Dania subsidiis Hoiam arcem recepit: distributo dein in hyberna milite.

Eadem tempestate, qua bellum Danicum flagrabat, in Austria superiore, quam Bavarus, donec belli sumptus refunderentur, possidebat, novus hostis surgebat, rusticorum videlicet ingens turba, tributorum gravitatem, & religionis libertatem ademptam questa. Quippe Cæsar edicto jusserat omnes præcones & acatholicos scholarum magistros migrare ex Austria. Unde decem millium globus confluit. Herberstorffius adversus turbatores Lincio egressus acie victus in urbem repellitur, cæsis permultis ex ejus militibus. Itum mox in prædas & populationes, multæ nobilium arces direptæ. Monasteria expilata, sacra conculcata, Catholicorum ædibus flamma injecta, per urbes & oppida propagatus furor. Creatus dux Fadingerius, infimæ sortis homo, designato ipsi monasterio Cremphaniensi, ex quo velut prætorio rem militarem administraret. Tantus autem ad furentem turbam erat concursus, ut sexaginta millia haberent in castris.

Rustici in Austria.

Legationibus pace frustra tentata, rustici, occupatis pluribus oppidis, Lincium, in quo erant collecti provinciæ ordines, obsident, muros tormentis quatiunt; cæso duci Fadingerio Willingerium, e sutoria tribu hominem, surrogant; instant ferociter operi. At ubi Herberstorffii cura sæpius cum clade repulsi sunt, agrestes spiritus, quorum omnis in impetu est fortitudo, languere & spem potiundi urbe ponere cœpere. Quare soluta tumultuaria obsidione ad latrocinia reversi, per immunita circum oppida sunt grassati; nec ignave contra Breunerum & Lobelium tribunos decertarunt.

Tandem superveniens Godefridus comes Pappenheimius cum sex millibus ad Efferdingam eos aggreditur, profligatque, bis mille in acie cadentibus, interque illos ductore Willingerio. Nec spatium se colligendi dandum ratus, fugientibus instat, binoque adhuc prælio victos ita contrivit, ut superstites clementiæ victoris se permiserint. Paucos conscientia scelerum ad Danicum bellum abstraxit, reliqua multitudo ad sua redire jussa. Multis visum, plebeiam hanc seditionem altius spectasse, incentoribus ex nobilitate non paucis:

Pappenheim.

ſed Cæſar a quæſtione abſtinendum putavit, ſatisque habuit, eos culpæ immunes haberi velle. Atque ita hic annus Cæſari victoriam de tribus periculoſis hoſtibus attulit, de Dano ad Lutheram, de Mansfeldio ad Deſſaviam, de ruſtico Marte in Auſtria: Bethlenum ad pacem compulit: Hungariam liberavit: ſimulque tres infeſtiſſimos hoſtes ſuſtulit, Erneſtum Mansfeldium, Chriſtianum Brunsvicenſem, & Erneſtum Vinarienſem. Vulnus vero intulit, dum ſuſtulit tergeminum Cæſari amicum fidiſſimum, Joannem Suicardum Electorem Moguntinum anno ætatis 75 ex illuſtri familia Baronum de Cronenburg, veteranæ prudentiæ virum, pacisque amantiſſimum, adhæc facundia, fide, comitate, vitæque integritate adverſæ etiam religionis principibus gratum. Suffectus Greiffenclavius, epiſcopus Wormatienſis. Alterum vero ademit Ludovicum, Haſſiæ landgravium Darmſtadienſem, qui Lutheranæ licet profeſſionis ea fidei conſtantia Cæſari adhæſerat, ut titulum *Fidelis* principis mereretur.

Tertius erat Wilhelmus V, dux Bavariæ, princeps religione, pietate, integritate, vitæque innocentia ſingulari. Encomia meritus omnia, quæ dare virtus poſſit. Translata in Maximilianum filium anno 1596 gubernatione, quod ætatis ſuperfuit, DEo cœloque conſecravit, quindecim annos cum Renata Lotharinga, ſe digna conjuge, absque thori uſu continenter vivens, ſancti principis idea conſummata. Ædes ſacræ per Bavariam ac præſertim Baſilica S. Michaelis Monachii cum adjuncto collegio, xenodochia, noſocomia &c. perpetua ſunt monumenta pietatis ac beneficentiæ principalis. Obiit, ut vixit, ſanctiſſime, in corona patrum Societatis JEſu, quos, uti eccleſiaſticos omnes, paterno amore perpetuo fovit, a fratribus coadjutoribus, prout juſſerat, in templo S. Michaelis, quod magnifice exſtruxerat, elatus ad tumulum, ceu pater pauperum & ægrorum, quibus frequenter ipſemet inſerviebat, ſummo omnium luctu deploratus. Vidit ex filiis Philippum in Romana purpura, Ferdinandum & Maximilianum S. R. I. Electores: duos generos, alterum Cæſarem, alterum e Lutherano ferventem Catholicum.

Obit Wilh. V.

## ARTICULUS XX.

### *Geſta anni 1627.*

84 QUantumvis anno ſuperiore Cæſaris hoſtes, ac præſertim Danus, grandibus erant affecti cladibus, conſtitutum nihilominus erat

erat illis, nec ab armis, nec ab icto cum exteris fœdere abire, nisi Palatino restituto, & religionis libertate in tuto collocata. Ad- hæc crescendi cupiditas, odium Romanæ Ecclesiæ, domusque Austriacæ, Bojorum incrementa, Protestantium animos urebant, ut nec pacem sustentare vellent, nec bellum possent. Continuatio belli Danici.

Mauritium Hassiæ principem, res novas bellumque molientem, redactum in ordinem supra dixi. Senior Durlacensis cladis suæ recordatione exulceratus, Anglique ac Dani instinctu Francico Anglicoque ære, & aperte favente Basilea, militem per Alsatiam conducebat. Verum archidux Leopoldus conatus ejus elisit. Unde ad Danum se contulit, ut sub ejus signis militaret.

Rex Daniæ cladem superioris anni reparare certus, præter aliquot centena aureorum millia, sex bellatorum millia ductore Morgano ab Anglo accepit; addidit Gallus quatuor millia. His copiis auctus in Luneburgensem & Brunsvicensem, Cæsari jam auctoratos, movit, injuriam, ut interpretabatur, ulturus. Sed memorabili clade ab utroque fuit multatus. Tillius vero & Wallensteinius, occupatis quamplurimis munimentis, cum prælium ab iis sæpius oblatum detrectaret, nullo eum loco sunt passi consistere, in Chersonesum tandem suam retrusum. Danus victus.

Et Wallensteinius quidem, dux Fridlandiæ, pulsis e Silesia hostibus, quos Mansfeldius & Vinariensis introduxerant, fugientes insigni clade prostravit, ut pauci admodum cum duce suo Baudissio evaderent. At cecidit Pechmannus, auctor victoriæ, vetus miles, &, quamvis Lutheranus, constantis in Cæsarem fidei. Inde Wallensteinius in Saxoniam secundam movit. Ubi rex Havelberga aliisque locis frustra tentatis, cum post tot clades duobus exercitibus se imparem cerneret, viam in Holsatiam relegit, insequente utroque cæsareo exercitu, expugnatisque, quæ vim experiri ausa sunt, munimentis. Ad Pinnebergam Tillius tibia sauciatus Lauenburgum est deportatus, indignante milite, & magna ferocia propugnaculum vindicante, secuta Bredenberga, Rendespurgum, Wilstera, Flensburgum, Schlesvicum, Casseldorpum, Buxtenhuda, Bremerfortum, Otterberga, aut vi aut deditione receptæ.

Inter hæc marchio Durlacensis, jam vinci assuetus, a Schlickio, Wallensteinii legato, collatis justo prælio signis, profligatus, 43 vexilla militaria amisit, peditatus superstes ad signa Cæsariana transivit, equitatus, qui in Jutiam fugerat, ab eodem Schlickio deletus, captis pluribus tribunis, & triginta signis, Reinachius Durlacensis victus.

chius in ditione Bremensi residuas octodecim Danorum cohortes ad deditionem compulit.

Hæ tot victoriæ Cæsari Holsatiam (Glickstadio & Crempa exceptis) asseruere, promotis in Schlesvicensem usque provinciam armis. Rex vero cum Durlacensi, & Turriano seniore toties cæsis in Daniam suam recessit.

Expugnatæ urbes.

Tres tamen adhuc Saxoniæ præcipui nominis urbes Danico præsidio tenebantur, Nienburgum, Northeimium, & Guelpherbitum, a Brunsvicensi duce frustra repetitum. Nienburgum Anholtius ad deditionem adegit, Fürstenbergius Northeimium, Guelpherbitum Pappenheimius, aqua inundante in urbem derivata.

Saxonia inferior ad Cæsarem.

Brandeburgicus Elector translationem septemviratus in Bavarum hoc anno ratam habuit; ac Cæsareo militi per ditiones suas transitum & annonam permisit. Secutus exemplum Boguslaus dux Pomeraniæ, admissis octo legionibus Cæsareis. Dano vero hæ leges pacis a cæsareis fuerunt positæ: arma & præfecturam circuli ponat, Holsatia aliisque Imperii clientelis, per delictum commissis, cedat, belli sumptus refundat. Nulla nova vectigalia Sundæ imponat, fidejussoria cautione hæc firmaret. Sed graviora hæc visa regi, quam ut subscriberet.

Quare adulta jam hyeme itum in hyberna. Wallensteinius cum cæsareanis hybernavit in Holsatia, Jutia, Ditmarsia, Megalopolitano ducatu; Tillius in Saxonia inferiore, Hassia, Franconia, Suevia: Anholtius in comitatu Oldenburgico & Frisia orientali.

Pax cum Palatino tentata.

Palatinus, cum armis nihil proficeret, per ducem Lotharingiæ & Wirtembergiæ tentavit cum Cæsare concordiam. Habitum propterea Colmariæ comitium, neque abnuebat Cæsar in gratiam illum recipere, modo electoratus apud Bavarum persisteret: peteret supplex veniam, omni in Bohemiam & adhærentes provincias prætensione pro se & filiis cederet: belli sumptus Cæsari compensaret: reductam in Palatinatum Catholicam religionem conservet, sacrisque hominibus decentem vitæ sustentationem provideret.

Reposuit Palatinus, septemviratum sibi restitui magnopere a se desiderari, si tamen id Cæsar nollet concedere, alternationem saltem cum domo Boica indulgeat. Veniam se petiturum, sed per alium, ad id designatum. Renuntiaturum se filiumque regno Bohemiæ, sumptus belli a se, tot annos a patriis ditionibus exule, refundi non posse. De religionis mutatione nihil se posse concedere, sed omnia in pristinum statum, quo se regnante fuerant, velle reponi. At

Wir-

Wirtembergico rescripsit Imperator, aliis, quam a se propositis, conditionibus reconciliationem fieri non posse.

Quare ad reducendam Germaniæ pacem ampliore conventu opus esse censebatur, Electorali videlicet, qui Mülhusium indictus fuerat. Adfuit nomine Cæsaris Stralendorffius, Imperii procancellarius cum Questenbergio. Moguntinus & Saxo ipsi comparebant, reliqui Electores per legatos, una cum Magdeburgensi, Bremensi, Halberstadiensi, Brunsvicensi, Luneburgensi, Hasso, & plurium civitatum legatis. Galliæ quoque rex Marchevillæum misit. Ut Danus & Palatinus compareant, impetrari non potuit. Comitium Mülhusanum.

Propositum a Moguntino, deliberandum, qua ratione tot bellorum calamitatibus pressæ Germaniæ per universalem pacem possit succurri: & quid decernendum, si illa conciliari non posset. Marchevillæo responsum a septemviris, Imperii Electoribus gratissimam esse sollicitudinem, qua rex Franciæ Germaniæ tranquillitatem exoptet, nec sibi quidquam illa esse exoptatius. Et quidem, si conculcandæ Cæsareæ auctoritatis, & res Imperii porro turbandi studium eos deserat, qui hactenus tam pertinacibus armis hoc bellum foverunt, atque salutaribus se accommodent consiliis, spem magnam affulgere componendi dissidia. Nullam tamen pacem iniri posse, quæ cum auctoritate Imperatoris, & Electoralis collegii dignitate pugnet. Requiri proin oratorem, Christianissimum regem oret, ut, cum tam liberaliter studium promovendæ pacis offerat, eos, quos Bohemica rebellio, Cæsaris contemptus, & profligata Palatini caussa ad arma traxit, a turbulentis consiliis auctoritate sua absterreat.

Cæsaris autem legatus ad comitium retulit, pergratum esse Majestati Cæsareæ, quod Electores, pro sua in Imperium cura Mülhusii convenissent, de reducenda pace & communi reipublicæ utilitate consulturi. Eandem omnino semper fuisse & etiamnum esse Cæsaris voluntatem. Hoc autem tot inter mala illi superesse solatii, quod caussam istis nunquam dederit, sed ad sustinendam tum domus suæ, tum obsequentium ordinum incolumitatem, consilia sua direxerit, adversus tot hostes, bella ex bellis nectentes, ad opprimendam Cæsaris & Imperii majestatem. Peculiariter consultandum proposuit: qua ratione rex Daniæ a Palatini defensione sit avertendus. Quo pacto Cæsari refundendi sint multi milliones ad repellenda bella hactenus impensi. Si bellum continuari necesse sit, quibus id nervis & stipendiis faciendum: quamve opem afferre velint septemviri. Cæsaris oratio.

Reſponſum ab Electorali collegio, inſtitutum eſſe conventum, ut ſeptemviri, velut intimi Cæſaris conſiliarii, & præcipuæ Imperii columnæ, pro officii ſui ratione curas ſummi capitis ſublevent, ejusque ſollicitudini de concilianda poſt tot partas victorias pace adjumento eſſe poſſint. Querimonias deinde multas proponunt de everſa in exercitu Cæſareo diſciplina, atque populorum oppreſſionibus & concuſſionibus, quæ licentia militari eo usque increverint, ut fideles etiam atque obſequentes Imperii ordines velut hoſtes habeantur; eaque ratione Imperii robur penitus enervari. Severis equidem edictis iſta a Cæſare ſæpius fuiſſe prohibita, ſed eorum nullam fuiſſe rationem habitam; contemptos Electores; pro libidine militares imponi contributiones, ipſosque principes fieri tribunorum tributarios. Rogant igitur Cæſarem, ut his malis tollendis efficax adhibeat remedium.

Querelæ contra militiam.

De cætero ſatis eſſe perſuaſum collegio, belli cauſſam neque a Mathia neque a Ferdinando Imperatoribus eſſe profectam, ſed vim illatam extorſiſſe defenſionem neceſſariam. Obſtitiſſe paci continuas hoſtium molitiones. Cum autem viſum ſit Cæſari, judicium Electorum de pacanda Germania exquirere, hoſce modos in commune viſos eſſe idoneos.

Electorum ſententia.

I Cum Palatinus ſit auctor ſtatus calamitoſi, æquum omnino eſſe, ut ante omnia Majeſtati Cæſareæ ſe humiliter ſubmittat, & culpam deprecetur, ea ratione, quæ Cæſari videatur conveniens, & in ejusmodi caſibus uſu recepta. II Ut pro ſe ſuisque regno Bohemiæ & annexis provinciis, ſuique electioni utpote invalidæ, in perpetuum renuntiet. III Ut ſeptemviratu pariter per ejus delictum aperto cedat. IV Ut ab omnibus fœderibus & molitionibus diſcedat, idque idonea cautione confirmet. V Et quamvis juſte Cæſar belli ſumptus ab eo poſſet repetere, quia tamen id vires ejus ſuperet, moderationem a Cæſare roget. VI Ut præmiſſis his conditionibus a proſcriptione ex Cæſaris gratia abſolvatur, ipſique ac liberis portio aliqua de propriis ditionibus pro arbitrio Cæſaris reſtituatur. VII Ut Cæſar ordinum poſtulata ex forma & jure conſtitutionum Imperii & Religioſæ pacificationis citra ullius injuriam jubeat decidi. VIII Quodſi comes Palatinus ejusque ſocii rejectis his conditionibus bellum protrahant, offerre ſeptemviros Cæſari tantum auxilii, quantum eorum vires patiantur; modo eorum ditiones a militaribus profectionibus, quas Imperii leges damnent, a ſtativis item & damnoſis contributionibus eximantur. Rogant deni-

denique Cæsarem, ut per circulorum conventus & generalia comitia ordinum in hæc consensum more majorum poscat, & obtineat.

Porro cum Daniæ rex per Cæsareas victorias ex Imperii finibus jam sit submotus; ad clementiam fore præstabilius, paci locum dare, si rex illam, qua decet, veneratione petat. Si autem rejectis conditionibus fœderatorum ipsiusque Turcæ auxiliis bellum præoptaret, æquum esse, Cæsarem ab Electoribus omnibusque Imperii ordinibus omni ope juvari.

Postquam a communi Electorum collegio hæc Cæsari responsa fuerant, Electores catholici addiderunt aliqua, quibus disertius mentem suam declararent. Neque enim quoad omnia ejusdem cum Saxone & Brandeburgo fuerant sententiæ. Putabant enim Catholici, addendum, ut Palatini filii & agnati tum demum in septemviratu succederent, quando contingeret, domus Bavaricæ lineam Wilhelminam extingui. Si portio Palatinatus esset restituenda, eam non desumendam ex bonis ecclesiasticis, neque ex iis, quæ tantum pignoris titulo possedisset. Peculiarem pariter religionis Catholicæ rationem in locis restituendis esse habendam. Catholicorum Electorum propositio.

Ad caput septimum, in quo agitur de gravaminum decisione petita, pertinere restitutionem omnium bonorum ecclesiasticorum, quæ post Transactionem Passaviensem Catholicis erant ablata. Rogarunt igitur Catholici septemviri ex conventu Mülhusano, ut Cæsar monasteriorum, ecclesiarum, bonorumque ecclesiasticorum restitutionem edicto velit imperare.

Imperata propterea duci Wirtembergico restitutio aliquot monasteriorum. Norimbergenses episcopo Eustettensi Bilbenreuttense cœnobium reddidere, ab Argentinensibus ædes cum jure civitatis Canonicis restitutæ. Multæ ecclesiarum possessiones etiam ab aliis civitatibus pristinis dominis redditæ. Restitutiones.

Marchio Badensis majorum hæreditati restitutus ditionem sectariis liberavit. Idem præstitit Joannes comes Nassovius. In Palatinatu superiore negotium religionis apud seniores Calvinistas non admodum processerat, prioris domini sperantes reditum. Edicto igitur Cæsareo urgebatur conversio. Dati a Ratisbonensi & Bambergensi episcopis parochi, a Societate JEsu concionatores & catechistæ. Templa repurgata, & pristino nitori reddita. In Bohemia quoque post edictum Cæsaris, ut proceres, præcipua hactenus fidei remora, aut Catholica sacra susciperent, aut regno excederent, magna contigit mutatio, personis illustribus, cum ad coronationem Ferdinandi convenirent, certatim ad ecclesiam redeuntibus. Cura religionis.

Nec parum Catholica res aucta, cum Leopoldus Cæsaris filius Halberstadiensis est renuntiatus episcopus. Vacabat ea sedes per obitum Christiani Brunsvicensis, galeati illius præsulis. Erant Canonici plerique a fide alieni, bello etiam adversus Cæsarem immixti, atque ideo læsæ Majestatis rei. At Cæsar, postquam omnes in gratiam recepit, facile obtinuit, ut Leopoldus liberis suffragiis eligeretur. Eidem dein etiam abbatia Hirschfeldensis, quam multos jam annos Hassiæ landgravii tenuerant, a Romano pontifice est attributa: pluribusque aliis jam locis ad Transactionis Passaviensis formam religionis negotium urgebatur.

Leopoldus episcopus Halberstadiensis.

## ARTICULUS XXI.

### *Gesta anni* 1628.

85 NOn eadem, qua anno superiore, felicitate a Cæsarianis adversus Danum bellum est administratum. Quamvis enim Tillius Stadam, permunitam ad Albim urbem, Morgano Anglo post diuturnam obsidionem eripuerat (gratulante etiam Urbano VIII Maximiliano Electori) & Wallensteinius Crempam Alefeldio propugnatori, cæsique sint aliquot Danorum manipuli, aversam tamen etiam fortunam sunt experti. Nam

Imprimis cogitabat Cæsar civitates maritimas, quas *Anseaticas* vocant, puta, Lubecam, Hamburgum, Rostochium, Wismariam, Stralsundam, Luneburgum, celebria Germaniæ emporia, commerciis opibusque præcipua, ad partes suas pertrahere, oblata iis opportuna cum domo Austriaca etiam in Hispania commercandi copia ac societate. At illæ, quamvis spes lucri quæstusque allectura credebatur, responderunt Schwarzenbergio legato, non posse se oblatam gratiam amplecti, quin vicinorum regum, Batavorum, aliorumque, qui a domo Austrica sint alieni, sibi odia consciscerent, eoque fieret, ut mari infesto classibus, non augeretur commercium, sed periret fructus novæ societatis & negotiationis Hispanicæ. Veritæ autem indignationem Cæsaris, licet neutri hactenus parti aperte essent addicti, armis & milite ad defensionem se pararunt. Quin imo transituræ timebantur ad Danum, qui magnis pollicitationibus eas invitabat, religionis & libertatis obtentu, quarum vindicem se ferebat. Sane conduci ab eo apud se militem patienter ferebant, Cæsareis vero annonam negabant.

Anseaticæ civitates

In his erat Stralſunda Pomeraniæ frequens emporium, portu Balthici maris & opibus potens. Quæ proin Wallenſteinio viſa fræno indigere, ſed, Sueco offerente auxilia, recuſavit admittere Cæſarianum præſidium, negato etiam tranſitu in inſulam Rugiam. Quare Wallenſteinius obſidendam duxit: verum Stralſundani, aperto ſemper mari, a Sueco, Dano, & Hamburgenſibus aucti milite aliisque ſubſidiis tam fortiter reſtitere, ut Cæſariani cum ingenti damno, ac majore ignominia coacti ſint recedere. Idem Wallenſteinio accidit, dum Glickſtadium Holſatiæ urbem, quam rex ipſe Daniæ Chriſtianus IV condiderat, atque munierat, expugnare niteretur. Acciſo enim exercitu per validas eruptiones & frequentia transfugia re infecta coactus eſt obſidionem ſolvere. Et Stralſunda reſiſtunt.

Felicior fuit in expugnanda Wismaria & Roſtochio. Sed lætitiam temperavit Femera inſula a Dano occupata, quingentis Cæſareis aut cæſis aut ſubmerſis. Eandem ſortem ſubiit Elckenfurtum, præſidio Luneburgico cum ignominia expulſo. Periit etiam Cæſarianis octodecim navium claſſis, qua vi tempeſtatis, qua Danorum virtute. Nec minus ſparſi Cæſariani male habiti ſunt a ruſticis: pluresque alias clades accepere, ut adeo Danorum ſpes refloreſcere videretur. Mari præſertim, cum Cæſariani claſſe eſſent deſtituti, dominabantur, ejusque ope plura maritima oppida recuperarunt. Cæſareani male habiti.

Cæterum hoc anno Cæſar præter geminum in Saxonia exercitum, quorum alterum Tillius, Wallenſteinius alterum ducebat, tertium habuit in Suevia ſub Wolfgango comite Mansfeldio. Conflatus erat ex octodecim millibus, ut ad manum eſſet, ſi quid molirentur Proteſtantes adverſus edictum reſtitutionis, quod Cæſar promulgare decreverat. Quingenti ex iis Lindaviam admiſſi urbem occuparunt, haud æquis oculis id aſpicientibus Sueviæ Proteſtantibus, Griſonibus, & Tigurinis. Tertius exercitus.

De archiepiſcopatu etiam Magdeburgenſi fuit contentio. Cæſar Chriſtianum Wilhelmum Brandeburgicum, eo quod arma cum rebellibus ſociaſſet, proſcriptum, principatu exuit. Canonici ſectarii proin veriti, ne Catholicus ſufficeretur, Saxoniæ Electoris primogenitum poſtularunt. At Cæſar poſtulatione rejecta monuit, ne quid porro in ea re tentarent. Excuſavit dein factum apud Saxonem ea potiſſimum ratione, quod Magdeburgenſis archiepiſcopatus poſt Tranſactionem Paſſavienſem ab acatholicis per injuriam fuerit uſurpatus: cum perturbatione cameræ Spirenſis, in qua hic præſul munus reviſoris gerat. Canonici, ſe absque nota a jam Leopold. archiepiſc. Magdeb.

facta postulatione non posse recedere, obtendebant. Idem rescripsit Saxo. At Cæsar nihil propterea motus filium suum Leopoldum Pontificis voluntate archiepiscopum nominavit, dilato tamen capessendæ possessionis jure, donec cum Saxoniæ septemviro negotium composuisset.

Ægre insuper Saxonem habebat, de quo superiore jam anno in conventu Mülhusano questi fuerant Electores, neglectus militaris disciplinæ. Pomerania alebat tredecim Wallensteinianas legiones: cum tanta cacularum & muliercularum fæce, ut numero milites æquarent. Saxoniam superiorem quadraginta armatorum millia premebant, qui consueto contuberniorum ministerio non contenti, immanem insuper pecuniæ vim extorquebant. Quamvis autem hæc minime probaret Cæsar, visus tamen est, non satis efficaciter tantæ licentiæ suam opponere auctoritatem. Quare Bavarus pro sua in Cæsarem fide per litteras monuit, cavendum sane, ne Saxoniæ Electorem, tanta in Cæsarem fide principem, tam præstanti in publicam rem animo, cujus tot in Imperatorem & Imperium exstent merita, tot vexationibus irritatum alienet. Gravissimum profecto esse atque iniquissimum, ut, cum ex hostico subsidia ad alendum militem conquiri abunde potuissent, onus totum ferme in fideles obsequentesque provincias rejici, aliis interim, qui calamitatum auctores aut fautores sint, alta quiete fruentibus. Misit tunc equidem Cæsar quæsitores, qui a tribunis rationem exigant, damnatique plures, sed exemplo, quod in longum non esset profecturum. Neque enim semper est in principe, ut sat fortes aggeres avaritiæ ducum & licentiæ militari objiciat.

Disciplina corrupta.

Inter eundem Bavariæ septemvirum & Cæsarem hoc anno pactum est initum de Palatinatu superiore. Austriam superiorem vicinamque Anasso regionem Ferdinandus Imperator ipso belli initio Maximiliano dederat, titulo pignoris pro grandibus belli sumptibus possidendam. Cum igitur hoc pignus tot inter bellorum difficultates reluere ære præsenti non esset promptum Cæsari, aliunde illud citra damnum redimere placuit. Caussæ æquitas & Mülhusinus conventus Palatino onus istos sumptus refundendi imposuerant, nisi ex gratia & liberalitate Cæsar illos remitteret. Adhæc Austrii pristinum dominum respiciebant, atque pro sui velut redemptione magnam pecuniæ vim offerebant.

Palatinatus sup. Bavaro datur.

Verum Maximiliano videbatur conditio deterior, tum quod Palatinatus minus eidem videretur opportunus, tum quod necdum esset liber periculo, quamdiu Palatinus ejusque socii Cæsaris sen-

tentiæ

tentiæ non acquiescerent, prævaluit nihilominus Electoris amor & reverentia in Cæsarem. Habitum ea de re Monachii colloquium, cui pro Cæsare adfuit comes Trautmansdorffius. Conventum denique, ut Bavaro ejusque hæredibus ac successoribus, pro diluendo tredecim millionum sumptu daretur Palatinatus superior, ex delicto Palatino delapsus ad dispositionem Cæsaris, una cum quatuor præfecturis Palatinatus inferioris cis Rhenum: in quibus Heidelberga & Manhemium. Conditiones.

Addixit Cæsar 14 annorum evictionem, ne Maximilianus periculum hujus permutationis luere debeat: simulque decrevit, ut septemviri dignitas & archidapiferi officium, quam ante in solam Maximiliani personam contulerat, ad totam lineam Wilhelminam extenderetur. Atque hæc pacta ea tandem lege sunt firmata, ut Bavaro ad Austriam pateret regressus, si Palatinatus evictionem Cæsar non præstaret. Cæterum hoc anno in eodem Palatinatu superiore ad ecclesiam reductæ sunt personæ 14258.

Albertum Wallensteinium copiarum suarum archistrategum, quem jam ante Fridlandiæ ducem creaverat, Cæsar auxit hoc anno Megalopolitano sive Mechlenburgico ducatu, ac Sagano principatu in Silesia, eumque inter R. I. principes adlegit, ad compensandos videlicet graves sumptus, quos de suo ære in bellum fecerat. Quippe Cæsar duces Megalopolitanos, quod Daniæ regi adhærentes arma contra Imperatorem arripuerint, atque despecta dehortatione militem Cæsareum variis modis vexarint, hoc anno proscripsit, & Imperii clientelis exuit, translato in Wallensteinium Schwerinensi & Gustroviensi ducatu, & in ejus verba sacramentum dicere jussis provincialibus. Magno motu hæc res non caruit. Tandem autem jurejurando eidem se adstrinxere. Mechlenb. proscripti.

## ARTICULUS XXII.

### *Gesta anni 1629.*

### § I.

### *Pax Lubecensis cum Dano. Edictum restitutionis.*

QUæ hunc annum maxime celebrem fecere, duo sunt, Pax cum Daniæ rege conclusa, & Edictum restitutionis a Cæsare promulgatum. Jam anno superiore suscepta *Lubecæ* pacis tractatio, hoc tandem in has leges coaluit. 86

Pax Lubecensis cum Dano.

1 Sincera & perpetua inter Cæsarem & regem terra marique sit pax & amicitia, cum offensionum amnestia.

2 Daniæ rex deinceps Imperii & ecclesiarum rebus nullo obtentu se ingerito, nisi quantum spectat Holsatiam.

3 Cæsar vicissim regni Danici suprema jura non attingito. Controversiæ vero, si forsan orirentur, per arbitros utrinque lectos citra vim amice componuntor.

4 Belli sumptus damnaque mutua compensatione remittuntur: iis exceptis, quæ regi a Saxoniæ inferioris circulo deberi censebuntur.

5 Regi Jutia, Slesvicum, Holsatia, Stormaria, Ditmarsia, cum annexis juribus omnibus restituuntor: atque Cæsarianus miles citra noxam inde abducitor: nec contra pacta, sacra aut profana, quisquam istic turbator.

6 Captivi utrinque gratis dimittuntor.

7 In hac pace Cæsaris voluntate comprehenduntor Hispaniæ & Poloniæ reges, princeps Belgii, totaque domus Austriaca, cum Electore Bavariæ, omnibusque auxiliaribus sociis, & obsequentibus Electoribus, principibus, & ordinibus Imperii: Daniæ vero regis voluntate reges Galliæ, Angliæ, Sueciæ, & ordines Belgii fœderati, siquidem voluerint comprehendi.

Crisis de hac pace.

Mirum sane videri possit, cur Cæsar, tantis exercitibus munitus, post tot victorias, occupatas tanto impendio provincias, urbesque, regemque ex Germania retrusum in Daniam, tam duras sibi, tam faciles regi conditiones scripserit, ut citra ullam refusionem sumptuum omnia ablata eidem restitueret. Verum penitius expendenti rerum statum, facile succurret, prudenter, cum alia haberi non posset, hanc pacem fecisse Cæsarem.

Quamvis enim cladibus non levibus fuisset attritus rex, reparatis nihilominus viribus, magno ineunte hoc anno terra marique erat instructus belli apparatu, ut adeo æquatis ferme viribus anceps videretur belli alea. Cum classis Cæsarianos destitueret, securus rex erat in sua Dania. Portus occupati urbesque maritimæ, a Cæsare aversæ, numerosum poscebant præsidium, & de damno magis vitando, quam lucro captando, erat certandum. Nec deerant potentes externi principes, qui validis oblatis auxiliis pacem Dano vehementer dissuadebant, quique viribus junctis in magnum discrimen Germaniam, factionibus bellisque laceram, possent adducere. Certe præsentes erant Hafniæ, Galliæ, Angliæ, Sueciæ, & Batavorum legati, qui omnem movebant lapidem, ut belli continua-

tinuationem regi, ingentibus promissis munito, persuaderent. In promptu Danis erat valida classis, quam Sueci, Angli, Batavi novis indies augebant subsidiis. Prohiberi igitur non poterat, quin loca quævis maritima pro arbitrio aggrediantur, & ex improviso occupent, priusquam terrestres copiæ venire possint auxilio. Adhæc Cæsar Edictum Restitutionis, quod sine motu fieri non posse videbat, promulgare decreverat: oportebat ergo a bello cum potenti rege, tot fœderatorum auxiliis formidando, esse liberum.

Sed quoniam Edictum Restitutionis diuturno posthac gravissimoque bello, cum extrema Germaniæ pernicie conjuncto, occasionem dedit, juvat hanc rem ab altioribus ducere principiis.

## § I.

### *Caussæ Edicti.*

QUantam in Germaniam religionis mutatio discordiam invexerit, parte VII abunde demonstravi. Sublata mox inter ordines populosque veteri Germana amicitia fiduciaque, animorum aversiones, iræ, odia, dissensiones, adversa fœdera, bella subierunt. Pulsi loco Catholici & avita possessione. Injectæ manus in Christi sacraria, abreptæ ecclesiæ, episcopatus, monasteria; integræ ditiones ejectis sacerdotibus & sacris viris in profanos usus conversæ. Avulsa duo suprema Teutonici ordinis sacra magisteria, Livonicum & Prussicum, archiepiscopatus Rigensis, episcopatus Rivalensis, Curiandicus, Dessellensis, Terzinius, Swerinensis, Slesvicensis, Kilensis, Pumerzanus, Heilspergensis, Wermelandicus: ecclesiasticorum præterea bonorum, abbatiarum, cœnobiorum, collegiorum ingens numerus.

Caussæ Edicti Restitutionis.

Carolus Cæsar ecclesiæ Advocati munus esse censebat providere ecclesiis. Litteris, colloquiis, comitiis tentata concordia. Ventum ad arma. Carolus moderate usus victoria, succidit germina, sed radicem non sustulit. Petitus repente gravi bello, *Transactionem Passaviensem* per fratrem Ferdinandum iniit, triennio post per Pacem Religiosam in Augustanis comitiis confirmatam, cujus articulos *part. 7 cap. 2 art.* 12 apposui. Relicta Protestantibus, quæ eo usque abripuerant, vetitum autem ne id faciant deinceps.

Notabilis maxime articulus IV (quintum ordine quidam collocant) quo cavebatur, ut, si Prælatus aut alius quiscunque ex ordine ecclesiastico a religione Catholica desciscat, mox prælatura, beneficiis, & fructibus cedat (qui articulus *Reservatum Ecclesiasti-*

Reservatum.

*cum* dicitur) repugnantibus initio Lutheranis a Ferdinando rege insertus, dein vero omnium, etiam Protestantium subscriptione firmatus.

Catholicis nempe in eo rerum articulo consultius visum, aliquarum ecclesiarum jactura reliquarum deinceps securitatem redimere, more nautarum ac mercatorum, qui orta tempestate mercium partem in undas ejiciunt, ut se ipsos, & id, quod residuum est, illæsum conservent. At sua eos spes fefellit. Protestantes etenim postea tum apud Ferdinandum I, tum apud sequentes Imperatores nihil magis urgebant, quam articuli illius abrogationem. Cumque illam obtinere non possent, passim eundem violabant. Duos omnino archiepiscopatus, Magdeburgensem & Bremensem, duodecim episcopatus, præter monasteria aliaque sine numero sacerdotia post Pacem Religiosam iniqua usurpatione occuparunt.

Sacrorum spolia.

Archiepiscopatus Magdeburgensis ad Brandeburgicos, Bremensis ad Holsatos aliosque pervenit: Mindensis & Halberstadiensis episcopatus ad Brunsvicenses: Misniensis, Merseburgensis, & Naumburgicus ad Saxones: Brandeburgicus, Havelbergensis, & Libussensis ad Brandeburgicos: Caminensis ad Pomeranos: Verdensis & Lubecensis ad Everhardum de Halle: Razenburgicus ad Christophorum Schnellenbergium.

Neque principes tantum, sed urbes etiam Imperiales, Argentina, Norimberga, Ratisbona, Ulma, Meminga, Nordlinga, aliæque permultæ manus profanas ad sacras facultates contra Reservatum Ecclesiasticum, ejectis avitis possessoribus, extendebant. Quin imo contra postremum Pacis Religiosæ articulum Catholicis omnem usum suæ religionis interdicebant, eosque a civitatum juribus & civilibus muneribus rejiciebant.

Graviora hæc erant, & cum Religionis Pace manifestius pugnantia, quam ut Catholici decussatis velut ulnis ferre possent. Frequentibus igitur querimoniis urgebant Cæsares, ut malo opportunum remedium tandem adhibeat. Maxime vero apud Ferdinandum II, post tot victorias, instabant tum Catholici Electores ex conventu Mülhusano, tum alii Imperii status, ut, quod alii ante eum Imperatores exequi nequibant, ad optatum tandem finem deducat.

A suis provinciis inchoat.

Ardua res erat, tot tamque potentes detentores e nidis, quibus tam avide incubabant, dejicere: difficile tamen non erat Ferdinando, rei Catholicæ apprime studioso, & qui omnia infra illam haberet, repetitionem spoliorum persuadere. A provinciis tamen domus suæ hæreditariis exordium reformationis ducendum putabat.

Nova

Nova igitur per Bohemiam, Moraviam, Silesiam, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, de religione mandata promulgat, ut omnes, qui alienam a Catholica religionem profitentur, praecones maxime, aut illam mutent, aut alio migrent, missis executoribus, qui in refractarios animadverterent. Bohemi maxime se opponebant, fuitque, qui collecta agrestium turba, Cæsarem cum primoribus aulæ venationi intentum, intercipere ac neci dare constituerat. Sed conjuratione detecta atque oppressa auctor in Hungariam, atque inde in Turciam erupit.

Tum vero ad reliquum Imperium ordinandum conversus Cæsar, querimoniis Catholicorum ex ipsis Imperii constitutionibus satisfacere decrevit, voluitque, ut ad Pacis Religiosæ formulam omnia redigerentur. Promulgavit igitur Edictum Restitutionis, quo præcepit, ut archiepiscopatus, episcopatus, prælaturæ, collegia, cæteraque bona ecclesiastica, contra Transactionem Passaviensem & Pacem Religiosam Catholicis adempta, antiquis possessoribus extemplo redderentur. Declaravit insuper, Pacem Religionis præter Catholicos, & primævæ Augustanæ confessionis cultores neminem alium complecti: statibus autem Catholicis nulla lege prohiberi, subditos suos religionis caussa ditionibus suis exigere; cum cuilibet jus emigrationis, ac rerum suarum venditio Pace Religionis permissa sit. Sed juvat ipsum Edictum prolixius aliquantum referre.

## § II.

## *Edictum Restitutionis.*

NOn ambigere se, dicebat Cæsar, quin notum sit plerisque, in quantas dissensiones & perturbationes Germania devenerit, tum ex religionis novatione, tum ex spoliis & invasione sacrarum possessionum. Mox initas occultas conspirationes, arcana fœdera, tandemque publicam unionem: ascito etiam Turca in Bohemicæ rebellionis socium. Cæsares tam in Aula Cæsarea, quam in Spirensi senatu juxta tenorem Pacis Religiosæ legumque jus dixisse passis injuriam, sed nullum sententiis morem gestum. 87 Morbi Germaniæ a Protest.

Demum anno 1613 Correspondentes non modo de judiciis questos, novaque edidisse postulata, sed etiam eandem illam, quam prius a Cæsare poposcerant, decisionem admittere recusantes, novum transigendi modum postulasse: qui tamen discordiis finem non sit allaturus, sed potius easdem adaucturus; cum Catholici tum universim, tum in Mülhusino conventu congregati jure suo optimo

postulent, omnia ad Pacis Religiosæ & Imperii constitutionum normam exigi.

Cæsaris officium esse Pacem Relig. declarare.

Cæsarei igitur esse muneris providere modos pacandi Imperii, atque operam dare, ne sequiore Pacis interpretatione ordines majoribus discordiis implicentur, sed cuivis ex fundamentalibus Imperii legibus justitia administretur. Cumque gravamina non sint nova, sed pluries jam accusata, omnesque, quorum caussa vertitur, satis auditi, opus non esse, hujus vel illius consensum respicere aut exspectare, prout jam anno 1576 Maximilianus Imp. diserte ostenderit, judicaritque, quod Cæsari ex plenitudine potestatis jus sit, suum officium interponendo ea decernere juxta Imperii sanctiones, quæ pertineant ad boni communis augmentum, & avertendum, quidquid saluti publicæ adversatur. Ipsos Protestantes jam anno 1559 disertis verbis apud Ferdinandum Cæsarem esse contestatos, gravamina esse ejusmodi, quæ ex ipsis constitutionum & sacræ Pacificationis verbis possint decidi.

**Bona Eccles. mediata.**

Primum ergo contra Pacis Religiosæ sanctiones ac priores Imperii constitutiones revocari in dubium, utrum etiam ea collegia, monasteria, & prælaturæ, quæ sunt sub principum statuumque Imperii ditionibus, in Pace Religiosa comprehendantur, & an ii principes aut magistratus vi juris territorialis habuerint, habeantve potestatem illa usurpandi. Id vero minime fas esse, & hujusmodi etiam usurpationes bonorum ecclesiasticorum, quæ Romano Imperio immediate non subsunt, juri esse contrarias, constare ex § *vicissim &c.* quo statuitur, ut Augustanæ confessioni adhærentes veteri religioni addictos Imperii ordines, aliosque qui ecclesiastici status sunt, in sua religione, fide, ceremoniis, possessionibus non turbent, sed quiete & pacifice relinquant. Ubi manifeste non tantum de ecclesiasticis, qui sunt ordines Imperii, sed de aliis etiam ecclesiasticis, qui non sunt ordines, sit sermo.

Adhæc § *atque ut utrique* jurisdictionem adversus Confessionistas suspendi quidem, sed cum ea reservatione, ut ecclesiasticorum Electorum, principum, statuum, collegiorum & monasteriorum reditibus, proventibus, censibus, ac jurisdictionibus nihil præjudicii adferatur. Ac proin Confessionistis nullum esse jus ea occupandi: cum etiam § *quia vero* diserte dicatur, ista bona, tametsi intra statuum territoria essent constituta, reservata tamen esse, velut ad eos minime pertinentia.

Nihil autem obstare, quod in Pace Religionis § *atque ut &c.* statuatur, ut Augustanæ confessionis consortes in ea fide, religione, ritibus,

ritibus, quos in suis dominiis instituissent, vel imposterum essent instituturi, quiete ac pacifice relinquantur; male enim inde concludi, eos monasteriorum reformandorum habere potestatem, licet enim ejusmodi monasteria in debitis ac licitis convenientem oporteat habere sæcularium rationem, ea tamen nihil habere de cætero a sæculari ditione dependentiæ. Perperam item inferri, quod, cum pax sit facta inter status Imperii, ejusmodi religiosis nulli debeant processus decerni; manifestum enim esse, quod una cum ecclesiasticis Imperii statibus in Pace Religionis comprehendantur, consequenter in suis juribus debeant defendi. Pax Relig. a Protest. violata.

Pari modo in toto Imperio palam haberi, aliquos status Protestantes facere contra diserta verba Pacis Religiosæ § *cumque &c.* in quibus clare habetur, quodsi episcopus aut alius prælatus vel ordinis ecclesiastici quiscunque a veteri religione recesserit, ut episcopatum, prælaturam, & beneficium aliud, simulque omnes fructus & proventus, quos inde habuit, mox absque ulla contradictione & mora relinquere, atque capitulis, iisque, quibus secundum jura communia, aut ecclesiarum vel collegiorum consuetudinem competit, alium, veteri religioni addictum eligere atque ordinare integrum sit &c.

Nihilominus tamen aliquos, postquam defecerant a fide Catholica, episcopatus, prælaturas & præbendas retinuisse, quasi iste paragraphus ad Pacem Religionis nihil pertineret, & Protestantes eum nunquam admisissent. Verum aliter rem habere. Pacem Religionis unanimi Electorum & ordinum utriusque religionis consensu fuisse conclusam, ab omnibus ordinibus jurejurando sic esse firmatam, ut in omnibus ac singulis capitibus constanter firmiterque servetur. Cæsaris etiam præcessores in suis electionibus & coronationibus per capitulationes ad Pacem istam fuisse obligatos. Reservatum Ecclesf. defenditur.

Præterea acta publica in Cæsareo tabulario asservata circa hujus Pacis tractationem sic habere; ut demonstrent, fuisse quidem initio magnam inter partem utramque disceptationem, attamen cum Catholici a Reservato Ecclesiastico nollent discedere, sed potius omnino Pacem Religionis intermittere, Confessionistas rogasse, ut clausulæ saltem aliquæ, limitationes, correctiones, & lenimina articulo isti inferrentur; & tandem, cum partes convenire non possent, nemine reclamante, relatum fuisse inter capita Pacis Religiosæ ac promulgatum.

Tametsi autem Confessionistæ anno sequenti 1556, item an. 1557 & 1559 contra protestari voluerint, nihil tamen fuisse mutatum in

Pace Religionis, quippe jam conclusa, & juramento confirmata, instar legis fundamentalis, vi cujus Catholici jus habebant jam acquisitum, quod ipsis citra iniquitatem auferri nequiret. Atque idcirco factum, ut Ferdinandus, Maximilianus, & Rudolphus Cæsares, quantumvis ab Electoribus & principibus Augustanæ confessionis requisiti ac rogati, nunquam adduci potuerint ad istius articuli abrogationem. Quapropter Cæsarem habere caussam, præcedentium Imperatorum definitioni ac decretis inhærendi, atque ex ipsis actis præteritorum temporum, & claro contextu Pacis Religiosæ compertum, quam firmo sententia sua nitatur fundamento. Nec vero Protestantes posse asserere, istud Reservatum ipsorum dignitati & conscientiæ esse onerosum: nam ipsos honori suo abunde prospexisse: conscientiam vero vel ex hoc esse tutam, quod neutra religio cuiquam præscribat, ut hæreditarium habeat episcopatum, præbendam, aut sacerdotium.

Sed neque verba Paci inserta, quod circa hoc punctum dissentientes convenire non potuerint, quidquam facere adversus tam manifestam promissionem, & juratam obligationem, qua se status utrinque obstrinxerunt circa integrum Pacis tenorem. Eam enim ipsam ob caussam, quod partes in eo capite conciliari non possent, utramque rem Ferdinando regi decernendam obtulisse, & cum ille suo eam judicio definisset, iisdem se submittentibus, relatam in Pacem Religionis, & tanquam communem Imperii constitutionem ab omnibus ordinibus confirmatam fuisse & promulgatam.

Si tandem etiam objiciatur, subditos ordinum Imperii Pacis Religiosæ esse capaces, ideoque propter religionem Protestantes a magistratu suo pelli non posse, responderi ad hanc exceptionem, initio quidem de hac re magnam esse motam controversiam, & Confessionistas vehementer ursisse, ut cæterorum statuum subditis pariter Augustanæ confessionis libertas permitteretur, at Catholicos nulla id ratione admittere voluisse, sed maluisse, universam potius tractationem dissolvi, quam ut ipsorum subditi ea licentia donarentur. Cum autem nihilosecius Confessionistæ conscientiæ libertatem acriter poscerent, Catholicos demum id concessisse, ut subditis foret liberum alio migrare, atque exinde Protestantes ab hujus clausulæ petitione destitisse. Imo tam caute illius articuli tractationem fuisse susceptam, ut multæ lites intercesserint, donec tandem liber equestris ordo & civitates ad eam Religionis Pacem fuerint admissi: quod supervacaneum fuisset, si omnibus & singulis subditis libertas fuisset permissa. Ergo subditis non esse concessam

arbitra-

arbitrariam religionis potestatem, sed ejus loco concessam emigrationem.

Ex quibus capitibus Cæsarem decernere ac declarare: primo, Protestantes non habere caussam conquerendi, & instar alicujus gravaminis habendi, quod Cæsar aut Camera ecclesiasticis etiam personis, quæ non sunt immediate Imperio subjectæ, actionem concesserint repetendi spolia, atque ad sententiam quoque & executionem restitutionis processerint. Contra vero Catholicos merito fuisse conquestos, horumque mediatorum ecclesiasticorum caussas suscepisse, ut ipsis sua monasteria & possessiones ecclesiasticæ, quas tempore Passaviensis Transactionis aut postea habebant, restituerentur; cum ipsis contra Pacem Religionis, contraque fundatorum mentem, per vim & privatam auctoritatem fuerint abreptæ. Protestant. injustæ querelæ.

Secundo: sacram Cæsaream majestatem pariter decernere, Confessionistas immerito conqueri, quod eorum consortes, qui beneficia ecclesiastica aut prælaturas occuparunt, a Catholicis in episcoporum aut prælatorum numero non habeantur, neque ipsis sessio & votum in comitiis, neque regalia & feuda concedantur. Contra vero ex parte Catholicorum justas esse, & Reservato Ecclesiastico consentaneas querimonias, quod ejusmodi episcopi & prælati, qui a Catholica religione defecissent, nihilominus episcopatus & prælaturas retinerent, & omnia privilegia & jura, quibus fruebantur, dum erant Catholici, usurpantes, vellent inter Imperii status censeri: quodque Protestantes (sæculares homines) se in ejusmodi episcopatus & prælaturas intruserint, & adhucdum intrudere nitantur. Catholicorum justæ.

Tertio: Cæsarem gravamina ordinum Protestantium prorsus inania judicare, quasi Catholicis statibus non liceret subditos suos ad religionem suam adstringere, aut postulato debito tributo ad emigrandum adigere, vel prohibere, ne ad alienas conciones excurrant. Contra vero Catholicos jure merito questos esse, ab adversa parte sibi circa hoc leges modumque præscriptum, & subditos hac arte, ut a magistratu deficiant, inductos esse. Quasi vero acatholicis sit liberum, in suis terris reformare, & repugnantes abigere, Catholicis vero id non sit permissum.

Quapropter Cæsaream majestatem Cameræ mandare, ut deinceps citra omnem aliam disceptationem, quoties tales casus inciderint, quales in hac decisione contineantur, juxta hanc declarationem judicet & pronuntiet. Et quandoquidem spolia bonorum ecclesiasticorum contra tenorem Pacis Religiosæ multis locis omnino sint notoria, jusque ipsum spoliatorum usque adeo clarum, ut nihil de Decernitur restitutio.

cætero

cætero requiratur, quam ut re ipsa per expeditam executionem læsis succurratur, Cæsari esse constitutum, suos commissarios actutum mittere per Imperium, qui sic alienatos & usurpatos archiepiscopatus, episcopatus, prælaturas, bonaque ecclesiastica, ab injustis possessoribus repetant, idoneis personis ex norma fundationum conferenda.

Similiter declarare Cæsaream majestatem, Pacem Religionis ad solos avitæ fidei Catholicæ consortes, eosque, qui nihil immutatam Augustanam confessionem, Carolo V Imp. exhibitam profitentur, pertinere, omnes vero contrarias sectas excludendas, ac minime tolerandas.

Igitur Cæsarem omnibus Electoribus, principibus, sub fractæ Pacis, tam Publicæ quam Religiosæ pœnis prohibere, ne quis huic supremæ dispositioni adversetur, sed eam singuli in suis ditionibus & provinciis, nulla interposita mora promoveant; illis vero, qui ejusmodi prælaturas, aut bona ecclesiastica detineant, mandare, ut quamprimum, post hujus Edicti insinuationem, ad restitutionem se accommodent, ubicunque Cæsarei commissarii id exegerint; secus fractæ pacis pœnis, *banno & heribanno*, amissioni omnium privilegiorum ac jurium, ipso facto, citra omne aliud judicium & condemnationem, ob manifestam contumaciam fore obnoxios; daturumque mandata Cæsarem, ut re ipsa ad executionem procedatur. Atque hoc est famosum illud Edictum Restitutionis, quod 26 Aprilis 1629 primo vulgatum tantos deinceps in Imperio motus excitavit, prout aliquanto prolixius narratum eo.

Antea tamen notandum obiter, pro justitia hujus edicti, in Pace Religionis optime fundati, præclare scripsisse *Jurisconsultos Dilinganos* in eruditissimo opere, cui titulus *Pacis compositio*, anno 1629 Dilingæ edito; cujus epitomen jam confeceram, sed ex certis caussis nunc omittendam duxi. Videantur etiam *Kevenhyllerus in Annal. Ferd. II tom.* 10. 1481 *Carafa in Germ. sacra a pag.* 315 *Adlzreit. Lotichius. Brachel. Londorp. Mascov.*

CAPUT

# CAPUT IV.

## *Res gestæ usque ad mortem Ferdinandi II.*

## ARTICULUS I.

### *Gesta anni 1630.*

### § I.

### *Initia belli Suecici.*

EDictum restitutionis varios, quod dixi, animorum motus concitaverat. Tametsi enim Saxoniæ septemvir per libellum, variis allatis argumentis, intercessisset, dati tamen a Cæsare, qui illud exequerentur, quæsitores per singulos Imperii circulos, cum hoc attamen temperamento, ut perceptorum fructuum remissionem obsequentibus indulgerent. Eliminatum Augusta cum prædicantibus Lutheranum exercitium: restituta sua episcopo jurisdictio. Dux Wirtenbergicus, Brunsvicensis, Luneburgici, Argentinenses, Ulmenses, Halberstatenses, ad restitutionem adacti. Cœpta Ratisbonæ, Lindavii, Fuldæ &c. reformatio, omniaque spem optimam reducendæ avitæ religionis repræsentabant: cum repentinus ab Aquilone turbo spes omnes subvertit, totamque Germaniam ac religionem in summum discrimen, & incredibiles calamitates præcipitavit. Rem altius aliquantum juvat ducere. *Edicti executio.*

Gustavus Adolphus rex Sueciæ, ingentis animi princeps, confecto feliciter bello Polonico, militaris gloriæ cupiditate accensus, bellum majus meditabatur adversus Cæsarem Ferdinandum II, cujus res prospere gestæ, & per decem jam annos continuatæ adversus Protestantes victoriæ vehementer urebant oculos. Ardenti flammas subdebant Angli, Batavi, Galli, acatholici Germaniæ proceres, ac civitates, quibus aucta in dies domus Austriacæ potentia erat invisa, &, ut interpretabantur, formidanda. *Caussæ belli prætextæ.*

Nec deerant, quibus politicorum officinæ abundant, belli aut caussæ aut prætextus, litteras suas, ad Transylvaniæ principem ante triennium missas, Suecus interceptas reseratasque a Cæsare querebatur, alioque, quam scriptæ essent, animo acceptas. Polonos a pace cum Suecis componenda abstractos: quin auxiliis etiam, commeatu, magnoque legionum numero sustentatos: spe ad extre-

mum facta, cum Cæsar hostes suos in Germania subjugasset, in ipsam Sueciam victrices copias ductum iri, ut Sigismundus in paternum regnum reducatur. Suecicis adhæc mercatoribus omni per Germaniam commercii usu interdictum: ereptis non raro mercibus, & navigiis fisco addictis. Maris Balthici imperium, quod proprium semper fuisset Sueciæ, magno ambitu quæsitum a Wallensteinio, cæsareæ militiæ præfecto. Imperatas Anseaticis & Wandalicis civitatibus naves, piratas immissos pelago: & ne in Sueciam penetrarent, vires defuisse, non animum. Oppressos amicos regis, Mechlenburgicos proscriptos ac finibus suis pulsos: datamque ceu spolium alienam Fridlando provinciam. Stralsundam, cum ad innoxium regis auxilium respexisset, vi armata obsessam, & ad extrema propemodum compulsam. Legatos insuper suos, quos jura gentium sacrosanctos habent, nulla probabili caussa a pacificatione Danica exclusos.

Veræ caussæ.

Hæc equidem spargebantur: sed calcar maxime fuerat aviditas gloriæ, domus Austriacæ felicitas, edicti restitutorii odium: religionis vindicandæ studium: proprii militis, laboribus assueti, armorumque usu durati robur: admoti ab exteris stimuli: pecuniæ, militis bellicique apparatus promissi fiducia.

Neque difficile bellum videbatur, paratis copiis, quibus Polonos oppugnasset. Quas si dimitteret, ne ad cæsarea signa transirent, seque nudatum injuriæ obnoxium, metuebat. Cumque religionis vindicem se ferret, præparatis jam Protestantium animis, ubi primum exercitum Germaniæ intulisset, omne mox nomen acatholicum ad se convolaturum, haud vana spe præsagiebat. Si denique vinceretur, nihil se amissurum videbat, aperto semper in Sueciam recessu, a qua maris & classium ope hostis prohiberi posset.

Holmiæ comitia.

At, ne insciis invitisve Sueciæ ordinibus bellum susciperet, Stockholmii in senatorum comitio hæc ob oculos posuit, maxime, acatholicæ rei in Germania faciem (validum apud eam gentem belli stimulum) cognati Megapolitani sanguinis proscriptionem, occupatos præcipuos Pomeraniæ portus, maris Balthici infestationem, intercepta commercia, quæque præter hæc Suecos adversus crescentem Austriæ potentiam possent accendere.

Displicuit equidem senatus parti, Sueciam, gravi vix bello defunctam, exhausto ærario, in gravius pertrahi. At perstitit rex in sententia, præsertim ubi ab Imperii septemviris, ad quos querelas adversus Cæsarem detulerat, litteras accepit, quibus, omisso regio titulo, a Germaniæ rebus abstinere jubebatur.

Ca-

Catholicorum hæc maxime erat reſponſio : nam Proteſtantium jam tum alia mens eſt viſa. Ægerrime eos habuit edictum reſtitutionis, ſuperiore anno a Cæſare promulgatum. Quapropter Imperii Electorum comitia poſcebant, Saxonis & Brandeburgi auctoritate confiſi. Annuit, qua erat clementia, Cæſar: tametſi videret, quorſum ea conſilia ſpectarent. Comparuere cum Cæſare Electores Catholici: reliqui duo per legatos. Saxonis orator Confeſſioniſtarum calamitoſum ſtatum prolixe explicavit, multa de bellorum injuriis, copiarum multitudine, militum licentia, & edicti reſtitutorii ſeveritate queſtus. Similes querimonias Brandeburgicus attulit. Conventus Electoralis.

Nempe Proteſtantes, non ex Pacis Religioſæ præſcripto, ſed, quod a ſæculo ipſis ſolenne fuerat, ex alia ſuper aliam transactione, quæ citra eccleſiæ detrimentum fieri nequibat, juris colorem conabantur impetrare. Qua arte eccleſiam tandem fortunis omnibus everſum ibant, nova in dies ſpolia novis novisque transactionibus redimendo, donec, uſurpatis omnibus, nihil ſupereſſet Catholicis, de quo tranſigerent. Cum autem Cæſar per edictum reſtitutionis his eorum machinationibus obſiſteret, vehementer in illius abrogationem collaborabant, erantque non pauci ex præcipuis Catholicorum ordinibus, qui rebus Germaniæ feſſis, moderata edicti interpretatione, quietem dandam exiſtimabant: tonante præſertim ad Balthicum Sueco: ne cum domeſtico externoque hoſte decertandum, & Imperii res in ſummum diſcrimen eſſet deducenda. Varia conſilia.

Nihilo tamen minus eorum obtinuit ſententia, qui nihil de rigore edicti remittendum ſentiebant, & habuere illi, quod pœniteret, everſa propemodum poſtea re Catholica. Cum igitur Cæſar Saxonem ſolum & Brandeburgicum ab executione edicti exciperet, nullo facto operæ pretio, Ratisbonenſe comitium ſolutum eſt.

Proteſtantes autem habito Lipſiæ peculiari conventu, ad delectus militum bellique apparatum curas intendebant, ſatisque apparebat, ipſos non uſque adeo ſuperioribus bellis fuiſſe exhauſtos, ut illis inſtaurandis ſumptus animique deeſſent. Spem acuit exauctorata a Cæſare cum Wallenſteinio pars magna exercitus. Conventus Lipſienſis.

Nam Ratisbonæ Catholici juxta ac Proteſtantes in eam abdicationem vehementer incumbebant. Quippe Wallenſteinius, quem Cæſar e Barone Bohemico Sagani, & Fridlandiæ ducem creatum, nuper Mechlenburgico quoque ducatu auxerat, uti bonus miles, ita homo ferox & imperioſus, dominatum immodicum, & quandam dictaturæ Romanæ ſpeciem præferebat. Inflabant illum principatus, opes, militumque ob permiſſam libertatem tantus ad eum Wallenſteinius exauctoratus.

confluxus, ut alter velut Pompejus pedis incussu exercitus concire videretur. Cum igitur magno apud multos odio flagraret, qua precibus, qua rationum contentione Ratisbonæ postularunt, ut denique Cæsar de abrogando militari imperio, eoque in ordinem redigendo septemviris vellet assentiri. Id si fieret, Megapolitanum ducatum, quem restituere detrectaret, ab inermi facile posse avelli, ut, ad placandum Suecum, Mechlenburgicis possit restitui.

Fridlandus id temporis Memingæ erat, exercitu cæsareo per Imperium diffuso. Cæsar proin, septemviris assensus, misit ejus amicos, qui fasces ponere suaderent; neque is tergiversatus, sed tempori cedendum ratus, Cæsaris voluntati paruit. Septemviri autem lege repetundarum in eum agendum censuere.

*Cum parte copiarum.*

Petentibus iisdem (importuno sane tempore, cum bellum Mantuanum adversus Gallos flagraret, & novum Septentrio per Suecos intentaret) copias suas magnam partem imminuit Cæsar, statuitque, ne in posterum stipendia pro tribunorum arbitrio, sed ex præscripta circulorum moderatione penderentur, cenventumque insuper, ne Cæsar deinceps inconsultis septemviris & Imperii ordinibus bellum indiceret, renovata veteri Imperii constitutione.

*Tillius totius militiæ dux.*

Exauctorato Fridlando Cæsar copiarum suarum imperium Tillio, quamvis pacem magnopere suadenti, imposuit: quem videlicet comperta tot annorum bellorumque felicitas, probitas, fides, obsequendi studium, sapientia, fortitudo, modestia, partæ tot præliis palmæ & gloria præprimis commendaverant. Is igitur, cum fœderis Catholici hactenus sub Maximiliani Bavariæ Electoris auspiciis exercitum duxisset, jam utrique præfectus Sueco opponebatur.

Quippe Gustavus Adolphus rex Sueciæ, quem nimis temere quidam contempserant, belli artibus excellens, ex Suecis, Finnis, Lapponibus, Livonibus, Germanis, Anglis, Scotis, aliisque, quadraginta armatorum millia contraxerat: omnesque ferme per Germaniam Protestantes consilia clanculum cum eo conferebant, multi etiam invitabant; ut adeo haud operosum fore crederet, in ipsa Germaniæ viscera penetrare.

*Gustavi postulata.*

Antequam tamen vim hostilem inferret, tentata est Gedani pacis compositio. Postulabat rex, ut Cæsar militem ex Saxonia inferiore, finitimisque locis deduceret. Munimenta ad Balthicum extructa diruat. Navigatione abstineat. Controversias de bonis ecclesiasticis ad Balthicum, & mare Germanicum ordinum Imperii judicio decidat. Ad idem judicium caussæ procerum, qui adversus Cæsarem aut Imperium deliquisse sint visi, deferantur: & convi-

cti non, nisi pecunia, multarentur. Spondebatque rex pro multa, ducibus Mechlenburgicis, si majestatis damnarentur, persolvenda. Hæ si conditiones placeant, se protinus arma positurum. Sed ea hæc erant postulata, ut Cæsar acceptare nec vellet, nec etiam posset. Quare tractatione abrupta, legati abscessere: fatalis belli nuncii. Rex autem alteras ad septemviros litteras dedit, in quibus negatum sibi regis titulum querebatur, nullaque suggesta ad pacem conciliandam media. De cætero se amicitiam cum Imperio culturum, modo proniores suis postulatis aures inveniret, & vicina mari suo Germania in eum, quo ante bellum fuerat, statum reponatur. Viderent proin, ne quod gravius inde respublica Christiana detrimentum patiatur.

Belli, omnium prope, quæ Germania tulit, & diuturnitate & populorum calamitate atrocissimi, initium a Pomerania. Copiarum partem, classe e Suecia advectam, in Rugia insula, quam Leslæus Cæsareanis ademerat, rex exposuit: alteram in portu Stralsundæ, quam præsidio tenebat, jussit exscendere, atque, ut omnia a tergo tuta relinqueret, interceptis insulis, variisque in ora maritima propugnaculis, Wolgastum, Caminum, &c. obsidione expugnavit, Cæsareanis aut fugatis, aut cæsis. Plures aliæ Pomeraniæ mox urbes volentes vincebantur. Stetinum caput provinciæ a Bogislao duce cum tota Pomerania certis pactis traditum. Belli initium.

Cæsareani vitiis potius, flammis, incendiis, expilationibus, (prout Adlzreitterus refert) pugnabant; ut adeo mensuram peccatorum implesse videantur, in noxia capita, cælo indignante, brevi post effusam. Collectis tamen Mechlenburgicis præsidiis, pugnæ copiam regi faciebant: quam ille tunc declinandam existimabat, relictoque ad Stetini defensionem Gustavo Hornio, in Megapolitanos movit, captisque aut deditis munitioribus locis, jussit incolas ad pristinorum principum obsequia reverti, arma Suecis sociare, & Wallensteinii vicarios vincire. Hassiæ quoque landgravii de fœdere cum rege ineundo legatum misere: uti etiam septemvir Brandeburgicus, id petens, ut neutrarum sibi partium esse liceat. Sed jussus a rege, Cæsareos e ditionibus suis exigere, sub velo adhuc latere voluit. Dux Saxolauenburgicus, cum fœdus cum Suecis icisset, a Pappenheimio captus est. Progressus ad Balthicum.

Cum rex velut fulminis instar non urbes modo & oppida, sed plures in ora maritima provincias, percurreret, Cæsar ad eum scripsit, monuitque, ne rebus Germaniæ se immisceret: sed milite ex Germania abducto pacem coleret, quam bello, absque ulla denun-

tiatione illato, violasset. Idem septemviri hortabantur. Sed ulterius jam erat progressus, quam ut pedem facile vellet retrahere. Ingentem videlicet spem accendebant tot urbes & oppida, feliciter jam capta, tot secundæ velitationes, Protestantium favor, Cæsareani exercitus miserabilis facies. Quippe is adeo diffluxerat, ut vix octo millia, armis ferendis pares, superessent.

Misera facies Cæsarei militis.

Quapropter comes Schaumburgicus, Torquato Contio, Italo, in ducendo exercitu, ante adventum Tillii, succedens, copias frigore, fame, morbis, transfugiis, tantopere imminutas invenit, ut se Suecis omnino imparem Tillio scriberet. Mirantur hic aliqui, quid fuerit caussæ, cur exercitui tam formidando, tot stipendiorum & palmarum, qui rapuerit tam multa, tam multa dono acceperit, omnia defuerint, non secus, ac si nihil habuisset? Eos fame, pædore, nuditate, morbis, penuria periisse, quos auro onustos, & argentum nauseantes aliquando Germania viderit? Refunduntque in nimiam vitæ licentiam, a Wallensteinio permissam, inque neglectum DEi cultum. Quippe, qui rapuerint sine modo, sine modo profudisse. Nec fuisse in Cæsare pientissimo, ut tantis malis facile mederi posset.

## § II.

### *Bellum Mantuanum.*

121 ANno isto finitum est bellum Mantuanum: quod ita se habet. Mortuus est anno 1627 Vincentius II dux Mantuæ & Montisferrati absque liberis, relictis duabus sororibus, quarum prima duci Lotharingiæ, altera Ferdinando II Cæsari, erat nupta. Duces Sabaudiæ jus pristinum in ducatum Monferratensem obtendebant. Sed aderat ex mascula progenie Carolus Gonzaga, dux Nivernensis, proximus agnatus defuncti ducis: Cæsar item Gonzaga, Guastallæ princeps, gradu uno remotior. Contentio igitur hos inter competitores orta de successione, Lotharinga fratris hæres esse volebat. Sabaudus armis certabat, pro Guastallio stabant Hispani: pro Nivernensi Galli, & Veneti, simulque suprema Vincentii voluntas. Nivernensis investituram a Cæsare petierat, non tamen impetravit, utpote inter armatos controversam: sed voluit Cæsar, ut uterque ducatus sequestro interim tradatur, donec lis per sententiam fuerit definita.

Caussa belli Mantuani.

Recusavit id facere Nivernensis. Igitur Cæsar exercitum sub Gallassio, Collalto, Aldringero, aliisque tribunis per Rhœtorum ter-

terras in Italiam misit, Helvetiis haud æquo admodum oculo id aspicientibus. Summus Pontifex Cæsarem ab eo bello graviter est dehortatus. Is vero, pro officii sui ratione id unum habere propositum respondit, ut defenso jure Imperii Nivernensem ad æquitatem reduceret.

Rex etiam Franciæ misso oratore petiit, ut Cæsar illum in possessione utriusque ducatus, & beneficiaria clientela confirmet: Grisonum fauces pristino statui restitueret, & copias in Germaniam revocet. Responsum legato, Cæsarem non credidisse, fore, ut rex Christianissimus, qua esset sapientia, & præclarissima nominis existimatione, in suprema Cæsareæ majestatis jura, fovendo ac tuendo beneficiarii adversus dominum suum contumaciam, manus injiceret. Verum non posse se prætermittere, quin suprema sua potestate uteretur, quando propositis longe mitioribus modis nihil profecisset. Reposuit orator: Nivernensem prompta esse voluntate ad petendam a Cæsare institutionem; Cæsareum autem sequestrum regi displicere: nec abducturum ex Italia copias, nisi duce Nivernensi utriusque ducatus jure, & clientelis convestito. Cæsaris & Galli petitio mutua.

At replicarunt Cæsarei, ducatus istos Cæsareo sequestro esse mandatos ea gratia, ne competitores arma corriperent: sed sententiam ab Imperatore istarum clientelarum judice exspectarent. Hispanos inscio Cæsare arma induisse. De cætero regem Christianissimum nunquam toleraturum, ut in suo regno de controverso dominio quisquam sibi judicis partes assumeret, nedum de fiduciaria ejus ditione, ac possessione: facile proin posse conjici, quo animo esse Cæsar debeat erga regem exterum, qui sibi vendicet munus decernendi, ad quem clientelaris beneficii possessio, feudali nexu pendens ab Imperio, in Italia debeat pertinere. Paratum esse Cæsarem cuivis pro æquitate jus dicere, quin arbitro aut moderatore indigeat. Non autem debuisse Nivernensem propria auctoritate se se in controversas possessiones immittere.

At nolebant Galli, Nivernensem possessione exui, in quam sanguinis prærogativa, voluntas ultimi possidentis, & Franciæ arma constituerant. Quare ventum ad manus. Cum Sabaudo adversus Nivernensem auxilia junxit rex Hispaniæ. Casalim, non solum Montisferrati, sed Europæ propemodum universæ munimentum ea tempestate præcipuum, Galli pro Nivernio tenebant præsidio, Torasio propugnatore. Reliquam Montisferrati ditionem urbesque Sabaudus occupaverat. Ambrosius Spinola Catholici regis jussu Casalim corona obsidionali cinxit. Sed in ipsa oppugnatione præstantissi- Arma concitat. Mors Spinolæ ad Casalim.

tissimus hic dux, tot per Italiam, Germaniam, & præcipue Belgium palmarum heros, obiit. Confectus senio, & fortassis etiam tædio, quod ad hunc scopulum impingeret cursus gloriæ.

Initia Nivernensi infausta.

Initium belli infaustum Nivernensi, venditarum in Campaniæ dynastiarum pretio lecta octo armatorum millia ad usque fauces Alpium e Gallia ipse ducebat. At Sabaudus aditu prohibito, effecit, ut ne unus quidem in Italiam penetraret. Et jam Casalis, commeatus & stipendiorum inopia periclitabatur. Ne exercitum rex Franciæ in Italiam mitteret, obstabat hyems, munita ab Allobroge Alpium claustra, nupera Nivernensis clades, Gallia tributis afflicta, & recenti Rupellensi bello fessa, fœderis cum Hispano sanciti reverentia. Vicit tamen Richelii Cardinalis summa in regnum regemque auctoritas, simulque Austriacæ magnitudinis æmulatio, atque Hispanici in Italia dominatus odium, ut principem, in Gallia natum, educatumque, non destitueret.

Galli in Italiam.

Bruma igitur asperrima, per nives, per glaciata itinera, & abrupta montium, superatis, quæ Sabaudus vallium angustiis imposuerat, propugnaculis, actisque in fugam defensoribus, Susa dein fusis ducis copiis, ad deditionem coacta, Galli sibi per victorias viam in Italiam aperuerunt, eo tutiorem, quod Allobrox ubique victus ad certas transactionis leges fuerit compulsus.

Clades utrinque.

Multi exinde in Italia conflictus. Cæsæ prope Mantuam, quas Veneti miserant Nivernensi, suppetiæ. Ad Rodrigum pariter e Nivernensibus multi cæsi captique, rursusque Veneti a Cæsareanis gravi atque iterata clade affecti. Contra vero legio Galassica ad Vercellas a Gallis prope deleta.

Mantua expugnata stratagemate.

Magnæ licet id genus conflictibus datæ sint clades atque acceptæ: parum tamen ad rei summam proficiebatur: donec Cæsarei Mantuam ipsam hoc anno occuparunt, quod hac ratione contigisse ferunt. Cum cernerent Cæsareani, urbem undique circumseptam paludibus, quas Mincius amnis, e Benaco egressus efficit, vi aperta expugnari vix posse, stratagemate utendum rati, hanc occasionem sunt nacti.

Miserat Nivernensis ad Venetos nuntium cum litteris, quibus aliquot peditum millia præsidio firmando petebat. Iis interceptis, cum dies inducendi præsidii adesset, ductore Altringero, sub crepusculum quatuor Cæsareorum millia, tanquam a Venetis missa, simulata vi per castra penetrant, & apertis portis a Mantuanis delusis recepti, urbem capiunt. Ita quidem rem narrant Brachelius, & Wassenbergius. Sed Adlzreitterus scribit, Cæsarianos summo silen-

ſilentio, navigiis ad mœnia advectos, per portam, tormento effractam, turmatim in urbem irruiſſe. Præſidiarios vero ad arma concurrentes, mox a Cæſarianis fractos, cæſosque, vita nemini, qui arma geſtaret, donata.

Nivernenſis in arcem primum confugerat, una cum filio & aliquot proceribus: inde cum victoribus pactus vitam & libertatem, in Ferrarienſem Pontificis ditionem ſeceſſit, ea lege dimiſſus, ne ad Gallos aut Venetos ſe reciperet. Civitas, ducisque regia bidui ſpatio direptioni datæ. Collecta incredibilis præda. Crudelitati & petulentiæ, in ſexum maxime debiliorem nihil non licuit, cum ingenti nominis Germani dedecore: ut adeo non in Germania tantum, ſed in Italia quoque milites tela procuderent, quæ divina vindicta in eorum capita deinceps evibraret. Nivernenſis fuga.

Hæc dum in Italia agebantur, resque pugnam decretoriam ſpectaret, Ratisbonæ, ubi tum Cæſar erat in comitiis, per Brulardum, Franciæ oratorem, propoſita eſt pacis tractatio, ac denique ad exitum felicem perducta, his conditionibus: Carolus Gonzaga, dux Nivernenſis, veniam a Cæſare precatus, ducatum Mantuanum & Montisferratenſem clientelari jure reciperet. Duci Sabaudiæ redderentur ſua, atque ex ejus provinciis rex Galliæ præſidia deduceret. Nullum deinceps Imperii principem rex laceſſeret, nec hoſtibus domus Auſtriacæ auxilium præbeat. Ita ſe viciſſim Cæſar erga regem regnumque Galliæ gerat. Clauſtra Alpium ac Rhœtiæ in priſtinum ſtatum reſtituantur. Venetos & ducem Lotharingiæ eadem pax complecteretur. Arma & milites abducantur. Pax.

Hiſpanis hæc pax parum erat accepta, quod exiſtimarent, ſui, Cæſareæ majeſtatis, rei communis, tantorumque ad id bellum apparatuum, æquo minorem rationem fuiſſe habitam. Sed bellum Suecicum, & novæ acatholicorum conſpirationes Cæſaris copias ex Italia revocabant. Nec volebat Cæſar oppreſſum Nivernenſem, ſed obſequentem.

Vidit hoc bellum inſtabilem mundi variantis ſcenam, in Carolo Emmanuele duce Sabaudiæ, & Carolo Gonzaga duce Nivernenſi. Ille tam frequens ſæculi ſui actor, tam potens paulo ante, totque provinciarum & urbium munitarum dominus, atque Italiæ velut moderator, omnia propemodum repente amiſit, ut in patria exul, e montium jugis ruinas ſuas proſpectaret, & ad ultimum vitam ipſam rerum humanarum tædio amitteret. Hic vero, dum ſecurum ſe intra Mantuæ munimenta crederet, ſubito in hoſtium manibus ſe vidit, gratiæ loco habens, quod cum provincia non liber- Ludus fortunæ in Sabaudo & Nivernenſi.

tatem quoque & vitam ipsam amitteret. Hoc utrique huic hosti erat reliquum, ut alter alterius casu se solaretur. Hic tamen felicior, quod restitutum se vidit, ille, ruinæ suæ immortuus, filio reliquit restitutionem in integrum. Ita nempe magni principes cum minoribus videntur ludere. Scenam vitæ humanæ clausit etiam hoc anno cum Spinola Collaltus, supremus Cæsarianorum per Italiam ductor: ne mors sejungeret, quos caussa Austriaca conjunxerat.

## ARTICULUS II.

### *Res gestæ anni 1631.*

### § I.

### *Fœdus Lipsiense, & Gallicum.*

122 QUos Sueci fecerant, progressus, haud modice Protestantium spes erigebant; atque, ut frequentes ad *conventum Lipsiensem*, a Saxone indictum, confluerent, persuaserunt. Cumque Mathias Höe, magni nominis Lutheranus præco, facunda oratione animos præparasset, comitio visum, fovendam equidem Cæsaris auctoritatem, succurrendum tamen Germaniæ libertati, instaurandam cum Catholicis amicitiam, dandamque pacem Imperio: sic tamen, ut salva maneat Augustana confessio: executioni edicti Cæsarei eatur obviam: retineantur ecclesiarum possessiones: parentur defensionis subsidia: Saxo tres peditum, duas equitum legiones in armis habeat: status reliqui secundum formam Imperii, quam matricula exhibet, & circuli legem, auxilia conferant. Cum finitimis principibus conservetur amicitia. Actum insuper de invitandis ad fœderis societatem, rege Daniæ, duce Holsatiæ, civitatibus maritimis &c. de militaribus injuriis, exactionibus immodicis, populorum lamentis.

Conditiones fœderis cum Sueco.

Hæc missis ad Cæsarem litteris conventus istius ordines significabant. Respondit Cæsar, se conventus litteras cum Catholicis statibus communicaturum, permanerent interim in pacis servandæ proposito. Superesse spem reducendæ concordiæ.

Idem ferme ad ordines Catholicos comitium scripsit: qui responderunt, Catholicos belli calamitatibus perinde ac Protestantes afflictos, levamen a Cæsare petiisse, procul tamen abesse, ut facta secessione ea propter arma corriperent, nec credidisse, fore, ut tam periculosa capiantur consilia, eo præsertim tempore, quo Sue-

Cæsar & Catholici dehortantur.

Suecus, occupatis jam multis urbibus invasisset Imperium. Non sustentari hac ratione, sed prodi rempublicam; non defendi libertatem, sed in supremum discrimen dari. Conjuncta ni opera occurratur progressibus Sueciæ, metuendum sane, ne sero nimis tota Germania experiatur, quorsum ejus colliment consilia. Qui igitur Imperium salvum vellent, dignitatem septemviralem, ordinumque libertatem conservatam, videant, quam sibi rationem ineundam existiment. Et quamvis longe fuisset gratissimum, si Lipsienses fœderati Cæsaris edicto, ex T. P. & P. R. norma composito, morem gessissent: Catholicos nihilominus, pro suo in tranquillitatem publicam, & ordinum concordiam studio, paratos esse, colloquio locum dare, ad consultandum, quo modo executioni edicti moderatio adhiberi queat: eamque in rem placere, conventum Francofurti institui. Verum obturatæ jam erant Protestantium aures ad audienda saniora consilia, versis ad arma eorum animis. Magni igitur ubique delectus ab iis habiti, Cæsare & Electoribus Catholicis frustra dehortantibus.

Suevia & Franconia abstrahuntur a fœdere.

Quare bello Mantuano jam finito, ac Nivernensi in fiduciariam clientelam recepto, Fürstenbergius legiones Cæsareas ex Italia abduxit, atque imposito Memmingæ, Campiduno, aliisque civitatibus præsidio, ac Wirtembergico exarmato, totam Sueviam Lipsiensi fœderi renuntiare, fidemque Cæsari jurare coegit. Quod exemplum, Fürstenbergio cum copiis imminente, secuti sunt Franconici circuli ordines. Saxonicus autem uterque fœderi pertinaciter inhæsit.

Oleum ardentibus affudit rex Galliæ, qui fœdus hoc anno iniit cum rege Sueciæ in hæc capita.

Fœdus Gallicum cum Suecia.

1. Fœdus esto inter utrumque regem pro defensione amicorum, securitate maris Balthici & Oceani, restitutione oppressorum Imperii ordinum.

2. Pro reparatione injuriarum & damnorum, armata manu procuranda.

3. In eum finem rex Sueciæ 30000 peditum, 6000 equitum, suo sumptu in Germaniam ducat. Rex Galliæ 40000 talerorum Imperialium quot annis tribuat Sueco.

4. Conscriptio militum, ac nautarum, comparatio rerum bellicarum libera sit in mutuis territoriis: hostibus vero denegetur.

5. Fugitivi mutuo tradantur.

6. Rex Sueciæ in religionis negotio non aliter agat in occupa-

tis locis, quam juxta constitutiones Imperii, & in quibus exercitium Catholicæ religionis invenerit, in integro relinquat.

7. Ad hoc fœdus quicunque accedere voluerint, sive intra sive extra Germaniam, admittantur.

8. Cum duce Bavariæ, & Liga Catholica in Imperio amicitia, vel saltem neutralitas servetur, si illi reciprocam præstiterint.

9. Nullus fœderatorum sine altero quid statuat, aut pacem ineat.

10. Hoc fœdus quinque annis duret, intra quod tempus nisi pax ineatur, communi fœderatorum consilio prorogetur.

Hoc fœdus, a Richelio cusum, pro rege Galliæ iniit Hercules Charnacæus, pro rege Sueciæ Gustavus Hornius, Carolus & Joannes Bannerii.

Interea vero, non obstante hyemis frigore bellum ardebat, Sueco plures urbes expugnante: dum Cæsarei ad Magdeburgi obsidionem hærent.

## § II.

### *Magdeburgi excidium.*

123 Magdeburgum, seu Parthenopolis, opulenta ad Albim civitas, ad eam paulatim potentiam increvit, ut Imperatoribus non raro subtraheret obsequium; prout Caroli V tempore contigit, ubi Flacii Illyrici & Amsdorffii erroribus imbuta, adversus constitutionem *Interimiticam* refractaria, atque proscripta, bello gravissimo, atque secutis deinceps Germaniæ calamitatibus occasionem dedit. Ad archiepiscopum olim, qui Germaniæ Primatem se ferebat, spectaverat, Luthero autem tumultuante in libertatem se asserere est conata, abjecto parendi officio: vicinos vero religionis suæ principes in administratores ascivit.

Christianus proscriptus.

*Christianus Wilhelmus*, marchio Brandeburgicus, Georgii Wilhelmi Electoris patruus, administratoris nomen assecutus, a Cæsare Ferdinando II *proscriptus est*, quod bello Danico hostium partes fuerit secutus. Lutherani tunc equidem, qui canonicorum titulum usurpabant, Augustum, Saxonis filium administratorem postulabant; sed quia archiepiscopatus iste primum post T. P. Catholicis fuit ereptus, Cæsar, rejecta postulatione, Leopoldum filium suum per summum Pontificem substitui curavit. Atque ne hostile quidpiam attentaretur, præsidia per provinciam disposuit.

Impatientes rei Magdeburgenses cives, in navigia & copias Cæ-

Cæſaris direptionibus, cædibus, aliisque injuriis palam ſunt graſſati, magiſtratu connivente.

Fridlandus eam audaciam non diſſimulandam ratus, urbem obſidione cinxit, præſidiumque Cæſareum admitti poſtulavit. At illa, Cæſarei edicti executionem metuens, id ſe facturam præciſe negavit: atque incenſis ſuburbiis, ad vim vi repellendam impigre ſe paravit. Fridlandus obſidet.

Anſeaticæ civitates, Brunsviga maxime, Hamburgum, & Lubeca pro urbe cum intercederent, Fridlandus pecuniam primum imperavit, dein hac etiam remiſſa, poſtquam militem fruſtra fatigavit, & cladibus acceptis imminuit, obſidionem ſolvit, ſive illa magni nimis viſa ſit moliminis, ſive nullum illius mandatum haberet a Cæſare.

At dilata duntaxat eſt ultio; quam urbs, ultra, quam credi poſſit, contumax, in exitium tandem ſuum accivit. Quamvis enim Cæſari conciliata videbatur, non deſiit tamen Cæſarea mandata contemnere, odioque religionis Catholicæ, cum ejusdem hoſtibus conſpirare, ſocietatem inire, conſilia & arma conferre, eorumque ſucceſſus ſuos facere, cæteroquin fræni impatiens, & ſuæ aſſueta licentiæ.

Ruentem ſuo pondere magis impulit Chriſtianus Brandeburgicus, qui, a Cæſare adminiſtratoris officio motus, proſcriptusque, ad regem Sueciæ Holmiam abiit, belli apparatu tunc maxime occupatum, de Cæſaris injuria multa queſtus. Facile erat, regem, tantæ tamque opportunæ urbis cupidum, ad promittenda auxilia permovere. Miſſus igitur cum eo Magdeburgum Falckenbergius tribunus, regis nomine fœdus cum civitate iniit, omniaque ad ejus defenſionem, donec rex cum exercitu veniret auxilio, apparavit. Fœdus cum Sueco.

Cæſar, Ratisbonæ tunc agens, cum hæc intellexiſſet, Tillio mandavit, ut perfidæ & pervicacis urbis inſolentiam caſtigaret. Is igitur laxiori primum tum arcta obſidione urbem cinxit, partitis cum Pappenheimio & Wolfgango Mansfeldio invaſionis regionibus. Adeo autem vehementer operi inſtabant, ut brevi tempore viginti propugnaculis, quæ oppidani muniendæ civitati exſtruxerant, potirentur. Quare Tillius datis tribus in urbem litteris, unis ad Brandeburgicum, alteris ad Falckenbergium, tertiis ad magiſtratum, clementiam Cæſaris obtulit: ad extrema deductam eſſe urbem: parcerent ſanguini, & nunc tandem, cum nulla ſpes ſupereſſet ſolvendæ obſidionis, prompta deditione exitium præverterent.

Sed tam efferata erat populi rabies, tam obſtinata pertinacia, Obſtinatio. ut

ut ſalubri monito aures occluderent, & trivialibus quoque ſcommatis Tillio & Pappenheimio inſultarent. Fiduciam accendebant Brandeburgus & Falckenbergius promiſſo Suecorum auxilio, mox affuturo. Feruntur etiam concionales miniſtri furentem alias plebem e pulpitis dementaſſe, ut conjurarent, ſe ferro potius caput, quam manus hoſti daturos. Quin fœminas quoque Bacharum inſtar diſcurriſſe, & ignaviam viris exprobraſſe.

Tillius igitur, cum rex biduo poſt adfuturus nuntiaretur, decretorio inſultu in urbem irrupit, cæſo, qui obſiſtere conabatur, Falckenbergio. Sed necdum arma ponebat cæcus furor. Pars ex ædibus lapides in victores projicere, pars armata adhuc velut lymphata tumultuari, pars ignem tectis ſubjicere, ut flamma prædam hoſti præripiat, omnes in exitium ruere: ut adeo Numantinos æmulari viderentur. Brandeburgicus, vulneribus ſaucius, Wolmerſtadium captivus abductus eſt. Quadringenti circiter cives urbis fato ſuperfuerunt, plerique in principe B. V. templo aſylum nacti. 150 domus ad Albim ſervatæ ab incendio, reliquæ ædes omnes triſtes in cineres abiere. Cohibere equidem Tillius conatus eſt ſævitiam militis, ſed tanto in tumultu difficile eſt exaudiri imperium ducis, præſertim ubi ultionis libido ferociam aſperat. Severa utique fuit executio, ſed ſceleris etiam obſtinati atrocitas penſanda.

Perculit non leviter Guſtavum regem Magdeburgi clades, veritum, ne crederetur, obſeſſos promiſſo deſtitutos fuiſſe auxilio. Huic famæ ut occurreret, apologiam edidit, queſtus, Magdeburgicos feſtinata nimis armorum correptione, antequam ſat valido roborati eſſent præſidio, rem præcipitaſſe; ſibi integrum non fuiſſe, niſi ſuam communemque cauſſam perditum iret, expeditionem ſuam magis accelerare, ſimulque in dubiam Saxonis & Brandeburgi ſeptemvirûm fidem culpam conjiciebat.

*Guſtavi apologia.*

## § III.

### *Fœdus Brandeburgi & Saxonis cum rege. Pugna Lipſienſis.*

124 PEr aſperos hyemis rigores ardebat bellum in Brandeburgicis. Eripuerat equidem Tillius Suecis Brandeburgum, Cniphuſio capto. At illi, hærente ad Magdeburgum Cæſareo exercitu, majores multo progreſſus faciebant. Nam Daminum cum magno commeatu bellique apparatu interceptum; Francofurtum ad Viadrum,

*Guſtavi progreſſus.*

cæſo Cæſariano præſidio, expugnatum. Dedita Landſperga. In Sileſiam uſque procurſum. Reverſusque rex ad Viadrum, per Hornium cum Brandeburgico ſeptemviro egit de fœdere: quod minis (ſive ex vero, ſive ex compoſito) Suecus extorquere videbatur. Aſſenſus eſt Elector, ut loca omnia, præter Cuſtrinum & Spandavium, præſidio rex occuparet. Denique Spandavio etiam permiſſo, ſolum Cuſtrinum ſibi Elector reſervavit, præcipuum ditionis ſuæ munimentum. Fœdus cum Brandenburgo.

Conſtantior aliquantum in rejiciendis Guſtavi poſtulatis fuit Saxoniæ ſeptemvir, cauſſatus debitam Cæſari fidem, imminensque a Cæſareo milite, ex Mantuana expeditione reduce, periculum. Quamvis enim ægerrime illum haberent filii ſui ab archiepiſcopatu Magdeburgenſi excluſio, ſeveritas edicti Cæſarei, & Cæſarei militis per utramque Saxoniam dominatus, atque propterea Lipſienſis confœderationis eſſet caput, tamen, qua erat ſapientia, fide, æquitate, & reipublicæ ſtudio, nolebat, exterum principem in Germania pedem figere. Et Saxone.

Quare ſunt, qui Tillium reprehendunt, quod, dum Elector dubiæ adhuc videbatur fidei, & partem inter utramque cuperet eſſe medius, ab utriusque vexatione liber, præcipitato conſilio Saxoniam invaſerit, Merſeburgo, Zeizæ, Naumburgo, Weiſſenfelſæ, Lipſiæ, aliisque locis occupatis, præſidium impoſuerit, atque ea vi ſeptemvirum irritatum velut impulerit ad ineundam cum Suecis belli ſocietatem. Certe id magnopere diſplicuit Electoribus, Moguntino & Bavaro, ut ex hujus ad Tillium litteris conſtat. Tillii accuſatio.

Poſtquam igiur Tillius Saxoniam invaſit, ut ſeptemvirum a ſocietate cum Sueco deterreret, eandem quam maxime promovit. Nam ille mox per Arnheimium, exercitus ſui legatum, cum Guſtavo rege in fœdus ivit, ſuasque legiones cum eo conjunxit, plaudentibus Proteſtantibus, ſubtractum tandem Cæſari tantæ auctoritatis & potentiæ ſeptemvirum, qui immota hactenus fide eidem adhæſerat; Catholicis vero ex tanta hoſtium multitudine futuras calamitates haud ex vano præſagientibus.

Congreſſi rex, Saxo, & Brandeburgus Dubæ in commune deliberarunt de belli ratione. Saxo ſuam ab utroque exercitu premi provinciam queſtus, pugnam ſuadebat. Rex periculoſum cenſebat, communem omnium cauſſam unius prælii aleæ committere. Evicit nihilominus Saxonis ſententia.

Quare medio Septembri Lipſiam verſus, ubi Cæſarianus exercitus caſtra locaverat, progreſſus, rex aciem inſtruit. Bannerius dex- Pugna Lipſiaca.

trum, Saxo sinistrum cornu tueri jussus, medium agmen sibi delegit. Tillius vero dextram alam demandavit Pappenheimio, lævam Fürstenbergio, mediam partem sibi reservavit, captato in subsidium vento occiduo, qui pulverem fumumque ferret in hostium oculos. Cæsarianis pro tessera *JEsus Maria*: hostibus *nobiscum DEus*. Sub meridiem e machinis majoribus salutatio mutua, cominus dein actum. Suecus, ne ventus pergeret adversari, deflexa ad sinistram moliter acie, eum assecutus est minus importunum.

Primus Cæsarianorum impetus fuit in Saxones; fuso equitatu, pedites potiorem partem dati in fugam, septemvir Eulenbergam, Arnheimius ad regem se recepit. At longe alia dextro in cornu facies. In hoc quippe Cæsarianus equitatus actus in fugam peditatum destituit, ac Suecis victoriam, in paucis celebrem asseruit. Victus fugatusque veteranus ille victorque hactenus tot præliorum

Clades. exercitus. Octo millia ipso in loco cecidere, tormenta 29, militaria signa 120 Sueco cessere. Reliquiæ exercitus Lipsiam, Merseburgum, Halam dilapsæ. Tillius toto conflictu, qui quinque admodum horas tenuit, egregii ducis munere perfunctus, prope a captivitate abfuit, vulneratusque cum Pappenheimio & Fürstenbergio Halam primum, inde Halberstadium rheda abductus est.

Ex Suecis 1500, ex Saxonibus 2000 in acie perierunt. Rex autem victor noctem illam sub dio egit, terra pro strato usus. Tillii castra direptioni data. Sic eunt res humanæ. Dies una longam victoriarum seriem abrupit, longamque in Germania calamitatum traxit. Divinorum judiciorum relinquendum abysso, qui fieret, ut caussa, juris æquitate freta, tot annis victrix, tot nobilis triumphis, subito uno velut fortunæ ictu fructum decennis felicitatis perderet. Verum alia bilance sua DEus librat judicia, alia homines. Non semper in terris vincit caussa melior: cælo non raro reservatur victoria. Felices illi, qui sua supplicia vertunt in gloriam: damna in coronas. Fallitur, quisquis credit, proborum insectatores fortunatiores esse iis, qui a DEo flagellantur, ut fiant meliores.

## § IIII.

### *Ingentes Suecorum progressus.*

125 Protest. omnes ad Suecum. POst victoriam Lipsiacam sua mox Saxo recepit, Merseburgum, Halam, Mauritioburgum, Lipsiam, præsidiariis plerisque fortunæ auram secutis atque ad Saxonica aut Suecica signa transgressis.

So-

Solutus conventus Francofurtensis, voluntate Cæsaris super Edicto Restitutionis celebrari cœptus. Ante illius dissolutionem Frizlaria ab Hasso erepta Moguntino. Norimbergenses, Ulmenses, Argentinenses, Schweinfurtenses, Anhaltini, Weinmarienses, aliique Protestantes Gustavi societatem amplexi. Magdeburgensi & Halberstatensi episcopatibus princeps Anhaltinus impositus. A Megapolitanis ducibus, a Cæsare proscriptis, recepta provincia.

Piguit jam per urbes circumferre arma, plures provincias fulminis instar percurrit Gustavus, ingentia victoriarum emensus spatia, ut victoriæ unius fructus legeret, Saxonia, Silesia, Lusatia, Bohemia, Thuringia, Franconia, Rhingavia, Palatinatus, Moguntinus ager, Weteravia, Suevia, Westphalia mox peragrata. Rhenus ipse transmissus, Erfurtum, Moguntini civitas, quod Tillio negaverat, admisit præsidium. Gotha, Königshofium, Herbipolis, Rotenburgum ad Tuberam, Wertheimium, Hannovia, Aschaffenburgum, Steinhemium, Francofurtum ad Mœnum, Höchsta, Oppenheimium, Steinium, Wormatia, Moguntia, Trarbachium, Baccaracum, Boppardia, Vesalia superior, Königsteinium, Cuba, Fridberga, Spira, Germersheimium, Landavium, Weissenburgum, Manhemium, Mergethemium, Heilbrunna, Wimphena, Ulma, aut vi expugnatæ, aut deditione acceptæ. Et quot aliæ urbes, oppida, arces, propugnacula? Victoria volat.

Nec adeo mirum videre debet, quod rex Gustavus quatuor mensium spatio tot urbibus & provinciis sit potitus; nam pleræque Protestantium urbes, odio Cæsaris & religionis Catholicæ, ultro manus tendebant; cumque caperentur, velut assertorem libertatis venerabantur. Aliæ, uti Norimberga, Francofurtum, Ulma, tacite quidem annuerunt, ut veniret; venienti autem simulatam ac scenicam defensionem opponebant, ut coacti se dedidisse viderentur. Nec mirum.

Catholicas ad Rhenum civitates Hispanus miles defendendas susceperat; sed tam modica atque infirma erant præsidia, ut incumbenti procellæ facile cederent. Adhæc ingentem terrorem Catholicis Sueci victoria sua incusserant, immaniter ac barbare in eos sævientes, qui resistere audebant. Horum exemplo territi alii, vitæ & religionis libertatem pacti, se suaque hosti permisere.

Denique falso prorsus sibi quisquam persuaserit, quod hæc omnia Gustavus, utut heros incomparabilis, per se ipsum gesserit; nam dispertitis legionibus, alia per duces suos: alia per principes Germaniæ acatholicos, Hassum, Vinarienses, Rheni comitem, Megapolitanos occupavit; Saxoniæ septemvirum maxime; qui, recupe-

ratis, quæ Tillius ante prælium Lipsiense in Saxonia expugnaverat, locis, partito cum rege belli prosequendi negotio, Lusatiam, Silesiam, Bohemiam, aliasque hæreditarias Cæsaris provincias sibi petendas sumpsit. Et jam satis erat in aperto, quam intempestivum fuerit de eo invadendo Tillii consilium.

Saxo Lusatiam & Bohemiam occupat.

Egit quidem de eo conciliando Hispanus Viennæ orator; sed offensus damnorum acceptorum memoria, negavit, se quidquam privatæ negotiationis suscepturum, sed pacta cum rege Sueciæ societate, nihil, nisi ex consensu omnium principum Evangelicorum agere posse. Ineunte igitur Octobri arma vertit in Lusatiam, quæ mox ipsi universa patuit, Cæsarianis in Silesiam & Bohemiá fugientibus.

At *Arnheimius*, cum Saxonico exercitu insecutus, Bohemiam quoque invasit: & præter alias urbes, ipsam adeo Pragam per unicum tubicinem deposcens deditione accepit. Adeo terror, fuga, animorum dejectio omnia compleverant. Misera sane ubique Catholicæ rei facies: quam hostes undique erumpentes lacerabant. Nam, ut nihil ad calamitatem deesset, facta in Lotharingiam irruptione, per Forcæum ad Mosellam & Rhenum tonabat Richelius. Hamiltonus sex Anglorum millia Suecis adduxerat: ut omnes in Germaniæ extremam perniciem collaborarent. Plectere nempe volebat cœlum quorundam scelera, & experimento docere, quam firma esset Ferdinandi Cæsaris constantia; cujus virtus velut aurum per ignem probaretur.

Militiæ Cæsareæ facies.

Legenti tantos Suecorum progressus dubitatio suboriri posset, quid interea per exercitum Cæsaris actum sit? an Tillius, Pappenheimius, aliique magni duces, velut otiosi spectarint dominantes Suecos, cadentem Germaniam, & rei Catholicæ ruinam? at expendendum, ingentes sæpius esse unius victoriæ vires. Clades una trahere post se multas consuevit, præsertim si victor, prout vincere, ita uti Victoria norit. Pars magna cæsarei exercitus amissa in prælio; multi in fuga trucidati, multos præsidia occupabant. Alii dispersi fuga militiam deserebant, alii ad hostem sunt transgressi. Reliquos stupor quidam habebat attonitos, mirantes magis, quomodo vinci potuerint tot veteranæ legiones, quam curantes, quomodo deinceps vincerent.

Tillius nihilominus, afflicta quamvis valetudine, & animo non minus quam corpore saucius, collectis post cladem, quotquot potuit, belli reliquiis, Halberstadio, quo vectum diximus, ad Visurgim contendit, eoque trajecto, receptisque tribus legionibus, & aliquo machinarum apparatu ex Ubiis, primum Paderbornam, atque

atque exinde in Hassiam movit. Ubi adductis ab Altringero & Fuggero copiis aliquantum firmatus, Fuldam castra promovit, sub medium Octobris, instaurando per delectus exercitui ubique intentus.

Opportune profecto Catholicæ rei, in Germania laboranti, succurrit Carolus dux Lotharingiæ, cum instructo octodecim millium exercitu. Jamque tantæ erant copiæ, ut consilium inirent, rectane eundum esset in hostem, ad abstergendum nuperæ cladis dedecus. Prælium suadebat Lotharingus. Idem multis primariis ductoribus visum, nec abhorrebat Tillius. Sed ardentibus frigidam affudere litteræ, Vienna, e Belgio, aliunde redditæ; quibus graviter monebatur Tillius, ne dubiæ prælii aleæ rerum summam, nisi coactus crederet. Succurrit Lotharingus.

Igitur, ne spectator dundaxat esse Suecicorum progressuum, sub finem Octobris Rotenburgum ad Tubarim, Suecis ejectis, expugnavit. Lotharingis permissa civitas in præmium præstitæ in ejus oppugnatione fortitudinis direptaque, ut reliquis terrori foret. Winshemium mandatis paruit. Occupato subin Anspachio, Norimbergam Tillius movit. Sed cum, tentatis civium animis, arduam pro ea anni tempestate obsidionem cerneret, partem exercitus in Palatinatum superiorem & Bohemiam adversus Saxonem misit. Alteram duxit ipse, ut cohibendis Suecorum in Bavariam Austriamque irruptionibus esset propior; Lotharingos vero ex Germania retraxit Gallorum in Lotharingiam irruptio. Pappenheimius, a Bavaro missus, habitis in Ubiis delectibus (quo Franconiæ Rhenique episcopi confugerant) Westphaliam adversus Hassum defendit; expugnatis etiam quibusdam societatis hostilis urbibus. Fugato dein Bannerio Magdeburgum Suecorum obsidione liberavit. Cum autem milite ad alia magnopere indigeret, eversis urbis munimentis præsidium cæsareum extractum sibi conjunxit; ut adeo ad tredecim millia haberet sub signis. Bannerius vero in locum desertum ingressus, munitiones quasdam restituit, & præsidio firmavit. Tillius. Magdeb. mœnibus nudatum.

Vidimus jam annum, Catholicorum cladibus luctuosum. Quis crederet, hostem ab ultimo Septentrione, mari transmisso, superato Visurgi, Viadro, Nicaro, Mæno, Rheno, velut frænatis firmissimis passim Romani Imperii propugnaculis, victricia signa inferre Germaniæ, victam esse caussam meliorem, cui cœlum sperabatur semper patrocinaturum? Verum DEus justis & injustis dat victorias. Imperium olim vastarunt itidem Boreales populi, Alani, Gothi, Hunni, Wandali, Longobardi, Normanni. Gentiles fuere: in Christianos sævierunt. Persecuti sunt non raro orthodoxam reli- Observatio.

gionem hæretici. Num eorum victorias veritatis argumenta appellabimus? abſit. Fortaſſis priori ſæculo non defuit ſcoria, & ærugo, quam DEus abſtergeret. A peccatis revocat, dum punit, velut aurum in fornace perficit, dum exercet duratque ad virtutem. Nec deſunt quandoque in adverſæ religionis principe virtutes quædam (ut in Romanis quondam Græcisque) quas temporali cælum remuneratur præmio, pœna pervicaciæ dilata in orbem alterum.

## ARTICULUS III.

### *Res geſtæ anno 1632.*

### § I.

### *Wallenſteinius reſumit Imperium, Pappenheimii & Tillii elogium.*

126 GUſtavo Adolpho majorem Germaniæ partem mira celeritate victoriis emenſo, facile perſpexit Cæſar, præter eum, qui ſub Tillio militabat, novo opus eſſe exercitu, qui Suecorum progreſſus ſiſteret. Cum autem de duce eidem præficiendo agebatur, nemo ad reparandas ruinas, Suecoque reſiſtendum aptior eſt viſus Alberto Wallenſteinio, duce Fridlandiæ, petentibus ordinibus, tempore minime opportuno, nuper exauctorato.

Wallenſtein. reſumpto imperio

Privatam is tunc vitam egit in Moravia: delatamque ſibi provinciam detrectare videbatur, ſenii, rerumque interea nimium perturbatarum excuſatione. Sed altior erat viri ſpiritus, quam ut hæc ex mente obtenderet. Rogari volebat. Admiſit itaque imperium, quo nihil magis ambiebat, ſed ea lege, ut belli pacisque apud ſe eſſet arbitrium, neque ulli ea de re rationem redderet. Abhorrentia hominis ambitioſi hæç erant poſtulata, ſed neceſſitati parendum videbatur.

Bohemiam recuperat.

Aſſumpta igitur hac conditione præfectura, trium menſium ſpatio, convolantibus ad eum paſſim militibus, triginta armatorum millia ſub ſigna collegit. Cum his ineunte vere in Bohemiam progreſſus, præmiſſo Mathia Gallaſſio, quem ſibi legatum aſciverat, exactis Saxonibus Pragam, Leitomeritium, Egram aliasque deinceps urbes facile recepit: Arnheimio, legato olim ſuo, in Luſatiam rejecto.

Pappenheimius interea Weſtphaliam domuit. Mox in Haſſum con-

converſus, eundem fregit. Cumque Bannerius quatuor ei legiones ferret auxilio, has quoque internecione prope delevit. Eadem fortitudine Luneburgicum oppreſſit. Tum Stadam, fugato Todio, tribuno Suecico, obſidione liberavit, atque munimenta demolitus præſidium ſibi adjunxit, duobus Suecorum millibus trucidatis. A Germanico Oceano in Weſtphaliam regreſſus, perpetuis viam ſignabat victoriis, totius ferme Weſtphaliæ & Haſſiæ potens: ſuperior ſingulis, par omnibus Sueciæ ducibus. Belli quippe artibus adeo valebat, ut omnia paſſim hoſtium conſilia confunderet. Celeritate vero erat incredibili, ut cum procul abeſſe crederetur, ſubito cervicibus hoſtium inhæreret, variiſque præliis eosdem funderet.

Pappenheimii virtus,

Et Progreſſus.

Fama nominis totam Europam implens, ab Iſabella, Belgii principe, evocatus eſt ad ſolvendam Trajecti ad Moſam obſidionem. Et perfregiſſet virtus validiſſimas Batavorum ſubſtructiones, niſi ab Hiſpanis, invidia officium ſubtrahente, fuiſſet deſtitutus. In Weſtphaliam proin redux, cum Landgravium & Baudiſium Suecum, compluribus velitationibus victos, urbibus, milite, tormentis, ſignis exuiſſet, miſſo Cronsfeldio ad liberandum obſidione Guelpherbitum, univerſas Georgii Luneburgici legiones concidit. Eadem mox celeritate, qua obſidionem hanc ſolvit, Hildeſiam expugnavit: & quamvis rex omni ope niteretur impedire, ne Wallenſteinio ſe conjungat, artibus tamen ſuis & virtute ſe conjunxit. Hallis dein Fridlandi juſſu occupatis, ad prælium Luzenſe revocatus, glorioſa morte occubuit, immortali nominis fama poſteritati relicta. Ipſum Guſtavum regem a nullo ſibi magis timuiſſe ferunt, quam a *milite deformi*, uti illum appellabat, quod centum decoris cicatricibus corpus haberet obſitum (*Waſſenbergius in Floro Germaniæ*)

Magna quidem hæc, quæ dixi, erant, minuta tamen, ſi comparentur cum iis, quæ Guſtavus geſſit. Is quippe, initis brevibus, ad Franciæ interceſſionem, induciis, ſed mox abruptis, dubius, an Ubios, an vero Bojos peteret, relicta a tergo Colonia, grandi & opulenta civitate, quæ Rhenum inferiorem ac Weſtphaliam tegebat, ipſumque a mutuo cum Batavis auxilio ſejungebat, Bavariam ſibi debellandam elegit. Et primam quidem ejus vim ſenſit Donawerda, qua potitus, partitusque in legiones exercitum, ut Danubium ſuæ poteſtatis faceret, per diverſos tribunos Höchſtadium, Dilingam, Lavingam, Gundelfingam, Günsburgum, uno veluti reti cepit.

Guſtavus in Bavariam.

Collectis tum iterum copiis Rainam movit, ubi Tillius cum Bavariæ septemviro, Lycum inter & Aicham amnem castra posuerat, aquis simul & munitionibus venienti regi objectis. Gustavus in citeriori ripa excitatis suggestibus septuaginta duobus tormentis in adversos ex altera ripa detonuit. Non antea tamen Cæsareo-Bavaricus exercitus loco cessit, quam lethale Tillius vulnus accepit. Tum vero Elector noctis silentio salvo cum exercitu Ingolstadium se recepit.

Mors Tillii.

Deportatus eo Tillius, ultima meliorique expeditione suscepta, ad constantiorem in cœlis triumphum abiit. Hoc fato obiit Joannes Tzerclasius comes Tillius, qui, si quis alius, fortunam utramque expertus, post duodecim annorum partas victorias, post demessas a Bohemia, Palatinatu, Dania, Saxonia palmas, quas lauris instraverat toties, vias fugiendo remetiens, ad eorum, quæ fortiter egit tulitque, adoream est evocatus: vir sane magnus, pietate, fide, integritate, fortitudine, prudentia, castimonia. Nam cœlibem vitam agens, fœminas captivas restitui jussit illibatas, & ne quidem sub oculos venire passus est. Obiit, ut vixerat, pientissime, sacris omnibus ad ultimum certamen munitus præsidiis, in domo Arnoldi Rathii, jurisprudentiæ doctoris celeberrimi, 73 ætatis anno: illud Prophetæ regii frequenter ingeminans: *In te Domine speravi: non confundar in æternum.*

Elogium.

## § II.

### *Regis progressus in* Suevia *&* Bavaria.

POst innoxium a Lyco discessum septemviri Gustavus Augustam aggressus est, invitatus ab acatholicis, qui, ut formis & libellis prodidere, volebant, turpi anagrammatismo *Augustam* in *Gustavam*, & *Gustavum* in *Augustum* vertere. Cæsarianum erat in urbe præsidium, sed admodum infrequens. Quare metu majoris mali, urbs tradita est, ea tamen lege, ut civitati, civibus, incolis, clericis & regularibus, omnia jura sua maneant integra: nihilque aut in religione aut statu politico mutaretur. Quam sancte autem hæc erant a rege promissa, tam perfide a præfectis violata. Clerus dire vexatus, missus in exilium, cives spoliati: obtrusum more Anglicano juramentum. Mus nempe in pera & scorpius in sinu male remunerantur suos hospites.

Augusta occupata.

Fridberga sub id tempus a Suecis occupata, a Cratzio comi-

te haud multo poſt recuperata, a Bannerio ultionis libidine poſtea direpta atque exuſta, quod cives Cratzio ejus recuperandæ fuiſſent auctores. Landſperga ad Lycum, quod nec ſatis haberet præſidii, nec ex caſtris ſperaret auxilium, ſe pariter dedidit Suecis, honeſtis quidem conditionibus, ſed quæ nullatenus ſunt ſervatæ; civibus & Societatis JEſu Collegio dire vexatis, donec Cratzius, porta, quæ Boicam ſpectat, vi inopinata effracta, Suecos trans Lycum ejecit: quos cum cladis acceptæ reliquiis Auguſta recepit. Innocentium tyronum precibus adſcripta liberatio. Memminga, Nördlinga, Campidunum obviis ulnis Suecos ſunt complexæ. Alia paſſim per Sueviam oppida ultro Suecis dedita. Landſperga.

Guſtavus ſecundum inde Danubium deſcendens, Rhaina & Neoburgo interceptis, Ingolſtadio exercitum admovit 4 Calendas Maias. Omnique ope ea ex parte, qua Danubio alluitur, connitebatur expugnare. At ea fuit obſeſſorum virtus & conſtantia, ut amiſſis tribus de robore exercitus millibus, trajectoque, cui inſidebat, equo, non ſine ignominia recedere coactus fuerit, poſtquam periculo & damno ſuo didicit, ſe vinci poſſe. Tormentum illud, quo dejectus fuit equo, ex arce fuit exploſum a juvene. In turri B. V. tormentum aliud, *ficus* appellatur, fuerat collocatum, quod maxima Suecis damna intulit. Farenſpachius comes datus carceri, & poſtea Ratisbonæ capite plexus, ob clanculariam conſpirationem cum Suecis, quibus Ingolſtadium prodere moliebatur. In receptu quingenti Suecorum cæſi. Quinque Ulmenſes naves, quæ annonam advehebant, a Boiis interceptæ. Ad Ingolſtadium hæſit victoria.

Ratisbona, Suecis amica, Hornio adventanti jam portas aperire cogitabat, cum Elector Maximilianus properatis itineribus prævenit, & a Saliſio, viro apprime Catholico, intromiſſus, civicam cuſtodiam exarmat. Eadem celeritate Sulzbachium a Boiis occupatum, mox rurſus amittendum. Ratisb. ſervata.

Elector Ratisbona frænata in Palatinatum ſuperiorem movit, ut copias ſuas cum Wallenſteinio conjungat. Id ut rex prohiberet, atque ſeptemvirum ad reſtinguenda domeſtica incendia retraheret, Mosburgum, Friſingam, Landishutum deditione accepit. Jamque ſtatuerat, elegantes Bavariæ urbes & oppida in cineres redigere, cum Monachio imminentem Franciæ legatus, haud neſcius, quas ille iras in Maximilianum & Monacenſes concepiſſet, oratione ſic demulſit, ut promitteret ſe urbem illæſam relicturum, ſi ultro in manus veniret: ſin ſecus, alia omnia expertu- Urbes Bavariæ, & inter eas Monachium deditur.

ram.

ram. Posse isthic speciem exhiberi Magdeburgensis excidii, sumique vindictam de tot consiliis, in se suosque fœderatos ea in urbe procusis. Hoc responsum regis legatus Gallicus illico Monacensibus nuntiavit, suasitque, ut protinus se urbemque dederent.

Cum igitur obsidioni se impares cernerent, consilium secuti, missis ad regem legatis, pacta totius urbis, civium, & incolarum omnium incolumitate, promissaque redimendo spolio grandi pecunia, venienti se dedidere. Tribuni ac milites manipulatim divisi, qui civium ac clericorum ædes custodirent. In augusto Electoris palatio rex ipse diversatus: præcipua urbis templa visit. Exercitus extra mœnia in castris sub tentoriis jussus subsistere. Magnam regis æquitatem annales commendant, in coercenda suorum licentia, ne quid adversus pacta tentarent. Hinc ipso inscio factum, ut conclave & bibliotheca damnum acciperent.

Nihil interea omissum de rei sacræ solennitate, imo additus magnificentiæ apparatus. Interfuere ex acatholicis frequentes ac modesti, sine contemptu aut sarcasmis, qui ceremoniarum elegantiam, suavitatem symphoniæ, divini cultus majestatem mirifice laudarunt.

Illud autem Gustavus ægre tulit, quod 140 æreæ machinæ in terram fuerint defossæ, quas inventas Augustam avehi curavit. Acerbius accepit, quod non pauci Suecorum a rusticis per agros sint trucidati. Unde factum, ut igne ferroque hostis in villas & pagos sæviret.

Monachii Gustavum convenit Daniæ regis legatus, qui nuntiaret, propter pacis Lubecensis leges non esse integrum, petita mittere auxilia, lubenter tamen regem pacis cum Cæsare conciliandæ futurum interpretem. At altius Suecum res secundæ extulerant, quam ut pacis cogitationem suscipiendam sibi esse putaret. Quare & Daniæ, & Franciæ legatum, pro Electore suadentem non sine stomacho rejecit.

Relictus in Bavaria a Maximiliano Cratzius comes, supremus rei tormentariæ præfectus, Suecis non raro se opposuit; sed vix aliud inde effectum, quam ut Sueci atrocius sævirent; plebs rusticana, devastatis regionibus, horrendum vexata, & per sylvas vagari coacta, magnam partem calamitatibus fuerit confecta. Mindelhemium honestis conditionibus deditum. Sed eas Sueci minime servarunt. Idem fatum fuit Dilingæ, quæ lytro satis tolerabili se hosti permisit. Sed cum alii super alios belli duces succederent, severi exactores, civitas omnino exhausta fuit. Nec aliarum civitatum sors me-

Suecorum sævitia.

melior. Videantur *Piasecius*, *Chemniz. Londorp. Adlzreit. Kevenhüll. Brachel. Caraf. Struv. Hübn. Foresti.*

## § III.

*Conflictus Norimbergensis. Prælium Luzense. Mors Gustavi regis, & aliorum. Amissa Alsatia.*

Fulminis instar cum bellum per Rhenanas provincias, Westphaliam, Palatinatum, Hassiam, Franconiam, Sueviam, Bavariam, Bohemiam, Silesiam, Saxoniam, percurrisset, datæque multæ essent clades, acceptæque, coire tandem in unum locum tempestas videbatur. Nam postquam Maximilianus Elector cum Wallensteinio Egræ conjunctus, totum exercitum Norimbergæ admovisset, Gustavus rex, ut amicæ urbi succurreret, revocatis ad castra regia ducibus, qui per provincias fuerant dispersi, eo pariter cum exercitu jam collecto iter intendit, prælio etiam, si opus, Norimbergam liberaturus. 128

Cæsareo-Bavaricus exercitus, qui quadraginta armatorum millibus constabat, in edito loco, sub urbis conspectu, castra posuerat, ducto circum aggere. Rex castris castra opposuit; iisque egressus, dispositis in aciem copiis, pugnæ copiam obtulit. Sed, quamvis Elector illam suaderet, Fridlandus tamen, ne in unius prælii discrimen rei summam conjiceret, aut alia quacunque de caussa, illam recusandam duxit, loci opportunitate & castrorum defensione contentus. Complures tamen varias inter turmas, Croatorum maxime, velitares conflictus variante fortuna sunt suscepti. Leviori hoc pugnæ genere Joannes Bannerius, qui post regem dein militare imperium administravit, brachium globo trajectus, inhærente ossibus glande, diuturnæ debilitatis, & properatæ mortis initium habuit.

*Castra Catholica.*

Cum igitur rex elicere hostem ex castris non posset, vi admota oppugnare illa decrevit. Maxima autem vis in eam partem incubuit, quam septemvir obtinebat: sed magna fortitudine, & memorabili cum clade Sueci a Bavaris sunt rejecti, capto Torstensonio. Rex indignatus aggressionem instaurat, & horrenda globorum procella ex suggestibus detonat. Sed ea virtute Catholici restiterant, ut non modo hostem depellerent a castris, sed, emisso etiam equitatu, a fronte & a tergo invaderent. Certe plena creduntur potituri fuisse victoria, nisi in Gustavum Adolphum incidissent, qui ex-

*Oppugnantur,*

*Sed frustra.*

exemplo & auctoritate ſic exercitum ſuum animavit, ut amiſſis quidem aliquot millibus, vulneratisque pluribus, honeſto receptu ſe retraheret in ſylvam adſitam, donec nox prælium diremit, quod ad decem horas tenuit.

Max. redit in Bavariam.

Sejunctus inde ſeptemvir a Fridlando, cum quo non bene ipſi convenerat, in Bavariam ſuam rediit (quam Birckenfeldenſis interim vaſtaverat) Landſpergam, ſecundo a Suecis occupatam, & mox Günsburgum & Kauffburam expugnavit. Fridlandus vero cum exercitu Cæſareo in Saxoniam movit, præmiſſo Gallaſſio, qui varias urbes & oppida intercepit. Subſecutus Wallenſteinius, conjuncto ſibi cum Catholicæ Ligæ copiis Pappenheimio, tanta vi Saxoniæ incubuit, ut Elector Arnheimium ex Sileſia, ubi proſpere bellum geſſerat, revocaret, & apud Guſtavum precibus inſtaret, ut protinus Saxoniæ oppreſſæ veniret auxilio, & ultimam ab ea calamitatem averteret.

Pugna ad Luzam.

Rex igitur re Bavarica Birckenfeldenſi commendata, feſtinatis itineribus in Saxoniam contendit, recta in Cæſareos iturus; qui prope Luzam, ignobile oppidum, haud procul a Lipſia diſſitum, conſederant. Wallenſteinius exiſtimans, regem non conflicturum, antequam Luneburgicas aliasque auxiliares copias ſecum conjunxiſſet, Pappenheimium ad expugnandas Hallas dimiſerat. Verum hoc ipſum Guſtavum impulerat, ut prælium maturaret, abſente Pappenheimio, cujus virtutem verebatur, ſuſcipiendum.

Obitus Regis.

Explicavit igitur protinus aciem, magnaque vi Cæſarianos aggreſſus eſt. Multa utrinque cædes. Rex, dum animoſius quam cautius in hoſtem invehitur, brachium glande plumbea trajectus, animo linqui cœpit; cumque ex prælio ſubtraheretur, & in cohortem Cæſaream incidens, ob nebulam eſſet incognitus, duobus ictibus, altero per pectus, alio per caput (ut fertur) petitus occubuit. Quidam volunt, jam ante pugnam fuiſſe occiſum, dum aciem Cæſarianam recognoſceret. Alii a Pappenheimio mutua cæde interemptum ſcribunt. Quocunque autem modo ceciderit, cecidit tamen ingens bellator, *Guſtavus Adolphus rex Sueciæ*, qui totam Europam ſubverſurus videbatur, priusquam caderet: nec ultra biennium tumultuari in Germania licuit. Hoc tramite eunt res humanæ. Summa imis miſcentur: & extrema gloriæ ſubito vis fortior occupat. Quid proſunt tot expeditiones feliciter confectæ, ſi ultima fuit infauſta, & æternam poſt ſe ruinam traxit.

Cæterum per mortem regis non modo, ut alias fieri conſuevit, remiſſus non eſt in Suecis pugnandi ardor, ſed velut in belluis quibus-

busdam magis etiam accensus. Nam sub Bernardo, duce Saxo-Vinariensi, qui aciem regebat, tanto furore in lævum Cæsarianorum cornu invecti sunt, ut illud penitus ferme profligarent, viginti tormentis potiti.

Fluctuabat jam vehementer tota Fridlandi acies, cum auxilio venit Pappenheimius, tutelaris velut de cælo genius. Is ante pugnam missus fuerat a Wallensteinio ad expugnandas Hallas. At ubi hic prælium imminere sensit, properatis nuntiis eundem revocavit. Itaque Pappenheimius, quanta potuit, celeritate cum milite suo accurrit, & rem jam prope desperatam ita restituit, ut Cæsariani erecti, tormentis recuperatis, magno animo dimicarent, donec nox prælium diremit, & ancipitem victoriam relinqueret. Pappenheim. restituit aciem.

At maximam res Catholica cladem passa est in Henrico Godefrido comite Pappenheimio, heroe incomparabili: qui acrius in hostem invectus, pila ad renes ictus, ex vulnere post horam mediam in rheda, qua Lipsiam erat vehendus, intellecta regis Gustavi nece plenus gaudii mortem gloriosam oppetiit. Ejus mors.

Wallensteinio vitio datum, quod eum, cum prælium ingrueret, a se dimiserit, & prima noctis vigilia, cum nihil prorsus urgeret, relictis tormentis campo excedens, receptu suo, qui fugæ speciem præferebat, victoriam hosti adjudicare sit visus, cum ingenti & famæ, qua bella stant, & rei communis detrimento. Wallenstein. noctu se subtrahit in Bohemiam.

Suecica contra acies noctem in campo illo Martis transegit. Ubi illuxit, receptis, quas hostis reliquerat, machinis, cum regio cadavere mœsto agmine victis propiores, Weissenfelsam recessere. In acie ceciderunt novem circiter millia, æquante ferme cladem fortuna. E Cæsareis occubuere abbas Fuldensis, crucem pie præferens, cum Bertholdo Wallensteinio, ducis propinquo. Dubitatumque, utrum Protestantes Suecique plus amiserint amisso rege, an Catholici Pappenheimio.

Fridlandus Lipsiam primo, dein relicta in manibus hostium Saxonia, quæ tanto sanguinis impendio constiterat, in Bohemiam egit exercitum, crudelitatis passim relictis vestigiis, quasi in aliis culpam suam vindicaret. Sueci vero Lipsiam, Plessenburgum, Zwickaviam, aliaque per Saxoniam munimenta recepere.

Dum hæc in Saxonia gerebantur, Christianus, dux Birckenfeldensis, Augustæ a Gustavo relictus præsidio, frequenti incursu Bavariam infestavit. Hornius vero ad Rhenum a rege missus Alsatiam & superiorem Rheni tractum sub jugum misit, expugnata Benfelda arce permunita, Schletstadio, Colmaria, Hagenoa, Fribur- Alsatia amissa.

 bur-

burgo, Franckentalio &c. cum interim Baudisius inferiorem Rheni oram, & Coloniensem maxime agrum devastaret. *Joannes Werthius* contra, ex gregario milite dux belli factus in paucis praeclarus, atque ad palmas deinceps metendas inclarescens, nec paucas nec modicas in Franconia hostibus clades intulit: quasi ex Pappenheimii cineribus novus caussae melioris vindex nasceretur.

Werthii initia.

Obiit Frid. Palat.

Obiit hoc anno Moguntiae Fridericus Palatinus, fax belli tricennalis; qui pravis ministrorum consiliis rebellioni Bohemicae se ducem praebens, incendium excitavit, quo vix non universa conflagravit Germania. Praelio ac bello victus, regno, provinciis, dignitatibus avitis exutus, duodecenne exilium pertulit, aliena ex penu coactus vivere. Mansfeldicis subin, Durlacensibus, Brunsvicensibus, Danicis, ac novissime Suecicis progressibus in spem veteris fortunae erectus, Sueciae regem, ex cujus spiritu pendebat, in orbem alterum secutus est, 36 aetatis anno. Cum minor esset, disputatum est, an Philippus Wilhelmus dux Neoburgicus, administrationem Palatinatus, an vero Joannes dux Bipontinus caperet. Ille proximo agnationis jure & Aurea Bulla certabat, hic vero testamento patris, qui, cum Calvinista esset, Calvinistam Lutherano praeposuit, facto, non jure.

Porro Fridericus anno 1619 rex Bohemiae fuit proclamatus. 1620 pugnam & coronam amisit. 1621 proscriptus. 1622 a Tillio & Spinola Palatinatu privatus. 1623 Electoratus in Maximilianum translatus.

Conjugem Fridericus habuit Elisabetham, Jacobi I Anglorum regis filiam, 30 annos post viri fata superstitem. Ex ea genuit undecim liberos, parentum infelicitate per orbem dispersos. *Henricus*, successor in Bohemia jam declaratus, anno 1627 in Hollandia aquis periit. *Carolus Ludovicus* post P. W. restitutus in Palatinatum inferiorem, accepto octavo Electoratu, vivente legitima conjuge, Degenfeldiam duxit, approbantibus, ut fertur, praedicantibus, atque ex ea 14 liberos, *Raugravios* dictos genuit. *Rupertus* tota vita exul, a Caesareis captus, tandemque dimissus Carolo I & II Angliae regibus militavit, Cumbriae ab iis dux creatus. *Mauritius* Indiam petiturus in mari interiit. *Eduardus* in Gallia Catholicam fidem amplexus Annam Nivernensem duxit. *Gustavus* puer obiit.

Quatuor item Fridericus reliquit filias. Elisabetha (pro decima velut Musa habita) fuit Calviniana abbatissa Hervordiae. Ludovica in Gallia ad Ecclesiam reversa. Henrieta Sigismundo Ragozio nupsit. *Sophia*, natu minima celeberrima est in historia; quip-

pe

pe Ernesto Augusto duci Hannoverano nupta anno 1701 a Parlamento Anglicano ratione matris suæ hæres coronæ fuit declarata, titulumque regni domui Hannoveranæ intulit. Meliori quam *Fridericus Palatinus* fato obiit Leopoldus, Ferdinandi II Cæsaris frater, magno Tirolis, Anterioris Austriæ, & orbis Christiani luctu. Princeps siquidem fuit prudentia, fortitudine, constantia, zelo religionis, atque in DEum pietate vere magnus. Argentinensis primum & Passaviensis ecclesiæ præsul fulgebat, ducta dein Claudia Florentina reliquit Ferdinandum Carolum, & Sigismundum Franciscum, paternæ virtutis æmulos. Et Leop.

Christianus autem, Marchio Brandeburgicus, Administrator olim Magdeburgensis, quem in ipso urbis excidio anno superiore a Tillianis captum diximus, errore cognito, Catholicam Viennæ fidem publice est professus, maluitque apud Cæsarem permanere, quam ad suos reverti. Sic tristes inter nubes læti non nunquam radii promicabant. Conversio.

# ARTICULUS IV.

## *Res gestæ anni 1633.*
## *Bellum per totam Germaniam.*

EXtincto rege Sueciæ, cum non nisi septennem reliquisset filiam, brevi pax alma sperabatur reducenda. At contra evenit. Per sexdecim adhuc annos laceranda erat Germania. Quippe *Axelius Oxensternius*, Sueciæ cancellarius, indictis Holmiæ regni comitiis, cum supremo belli pacisque arbitrio regiæ infantis tutor constitutus, ad bellum continuandum diligenter omnia præparavit. 129 Oxenstiernius pacem repudiat.

Obtulit se equidem pacis sequestrem Daniæ rex: qui utrique parti acceptus videbatur, Protestantibus quidem propter religionis societatem, Cæsari vero propter veterem cum Suecis æmulationem. Celebratus propterea conventus Hailbrunnæ, ad quem frequentes undique cum Franciæ legato Protestantes confluxerant. At omnia pacis consilia interrupit Oxensternius, qui animatis ad bellum prosequendum sociis non ante pacis cogitationem suscipiendam suadebat, donec rescisso Restitutionis Edicto plena statibus & religioni libertas reddita, ordinibus Protestantibus & regno potissimum Sueciæ omnes belli sumptus refusi, omnibusque fœderatis ex integro esset satisfactum. Qui autem privata pactione cum Cæsare conveniret, hostis ab omnibus haberetur.

Communi assensu itum in hanc sententiam, roboratoque arctioribus vinculis foedere, ad Oxensternium defertur belli arbitrium, additis quibusdam, qui ipsi essent a consilio. Aderant huic coetui superioris Austriae oratores acatholici, auxilia ad extorquendam religionis libertatem flagitantes. Franciae quoque legatus prorogavit ad finem usque belli foedus cum corona Sueciae, magnam in belli subsidia vim auri pactus, id duntaxat cavens, ne Catholicae religionis exercitium turbetur, aut ecclesiasticis personis eorumve possessionibus vis fiat: quantum praesens rerum conditio pateretur.

Novum Foedus.

Wallensteinius numerosum rursus exercitum contraxerat: cum quo res magnas gesturus credebatur. Sed totam pene aestatem inani pacis cum Saxone tractatione absumpsit. Saxonicas copias ducebat Arnheimius, bello Danico miles Caesaris ac Wallensteinio admodum familiaris. Cusa hos inter dicuntur consilia, vel auditu horrida, in perniciem Caesaris ac domus Austriacae.

Wallenstein. in Bohemia otiosus.

Abjectis igitur pacis consiliis, omnia bellum spectabant. Suecorum ac foederatorum exercitus tripartito ferme per Germaniam erat divisus. Suevia & Alsatia Gustavo Hornio & Rheingravio populanda est tradita: Palatinatus & Bavaria Bernardo, duci Vinariensi: Westphalia & Visurgi imminentes provinciae Georgio duci Luneburgico, Hassiae Landgravio, & Dodoni Cniphusio: ducatus Montensis & ager Coloniensis Baudisio. Elector Saxoniae separatum in Silesia habebat exercitum, copiis Brandeburgicis permistum.

Distributae provinciae.

Distributis ita ad populorum calamitatem provinciis classicum undique insonuit. Et imprimis quidem Bavarus, rigente licet bruma, Suecos ditionibus suis ejecit. Inde vero progressus in Sueviam, Memmingam deditione, Campidunum vi cepit, deletis ad internecionem ferme civibus, & militibus, qui praesidio fuerant impositi. Ipsique etiam Augustae imminebat, fuso ad Danubium Hornio, qui subin Constantiam frustra obsedit.

Bavarus Memmingam & Campidunum capit.

Venerat ea tempestate ex Italia cum exercitu dux Feriae, Mediolani praefectus, magnasque spes Catholicae rei afferebat. Sed Aldringerus, cui copias junxerat, Wallensteinii metu, praelium detrectans, Feriam tanto moerore affixit, ut brevi post mortem oppeteret. Sueci vero dominantes in Alsatia atque ad Rhenum, Philippoburgum (Gallis dein venditum) & Heidlbergam expugnarunt: Vinariensis ac Hornius, direpta Kauffbura, Mindelheimio & Landsperga, Neoburgum, Eustadium, Kelheimium, ipsamque Ratisbonam, cum pluribus per Palatinatum superiorem oppidis. Bavariae autem latus Werthius strenue tuebatur.

Dux Feriae cum Hisp.

Heidelberga.

Nec

Nec aliæ Germaniæ provinciæ a belli cladibus erant immunes. Capta a Suecis in Weſtphalia Oſnabruga, ad Viſurgim Hammelia, Cæſareanis ſub Merodio & Cronsfeldio memorabili prælio fuſis. Gallus autem cauſſatus fractam neutralitatem, Lotharingiam diripiebat, Hollandi inferiorem Rheni tractum; ut adeo miſeranda ubique rerum facies in ſummas calamitates & extremum diſcrimen meliorem cauſſam conjiceret.

Urbes ad Rhenum ſylveſtres Rheingravius occupavit. Villinga a Wirtembergio & Degenfeldio fruſtra obſeſſa. Straubinga vero aliæque Bavariæ urbes in manus hoſtium recidere, Aldringero, præſtanti alias milite, ſed Fridlando obnoxio, ſegnius agente. Clerus Ratisbona & Auguſta contra fidem datam ejectus. Weſtphalia ab Haſſo, capta Paderborna, vexata. Cæſi Catholici in Sileſia, Saxonia, Marchia, clades ultro citroque datæ. Urbes Sylv. Clerus pulſus.

Ingolſtadium periculum ſubiit a *Cratzio*, comite Scharpfenſteinio, urbis præfecto, qui Suecos noctu ad urbem advocaſſe dicitur; quæ proditio cum ob fidem vigilum ducumque non ſuccederet, ad Suecos abiit, atque anno ſequenti in Nördlingano prælio captus, Viennæ caput ſecuri ſubjicere coactus eſt. Crazius.

## ARTICULUS V.

### *Res geſtæ anni 1634.*

### *Wallenſteinii interitus. Pugna Nördlingenſis. Rerum converſio.*

ANnum hunc memorabilem facit Alberti Wallenſteinii ruina; 130
qui loco nobili natus in Bohemia, comes primum creatus a Cæſare, dein Fridlandiæ, Mechlenburgi, Sagani, Glogoviæ dux, Imperii princeps, bis ſupremus Cæſarei exercitus ampliſſima cum poteſtate præfectus, inquieti & turbulenti cum eſſet ingenii, fortunam ſuam non ferens, ambitionem ad ipſam uſque Bohemiæ coronam porrexiſſe fertur, inita adverſus S. C. M. conjuratione, & cum ejusdem hoſtibus ſocietate, quibus copias, ſibi commiſſas juncturus credebatur. Wallenſteinii conſpiratio

Occaſionem conjurationi præbuit mandatum Cæſaris, ut miles extra Bohemiam hyberna caperet, & ad fines Auſtriæ adverſus Vinarienſem excubaret. Negavit Fridlandus, id ſe facturum, vocatisque Pilſam ducibus, abdicationem præfecturæ ſimulat, quam

Fer-

Ferdinando regi destinatam nosset. At illi, præeuntibus Illoo & Terscha, tribunis, decernunt, communi ope duci assistere, nec passuros, ut militare illi imperium abrogetur.

Detecta. Aberant Galassius, Aldringerus, Piccolomineus, & Coloredus, qui rei certiores facti, totam conjurationem occultis nuntiis Cæsari aperiunt. Protinus is præfecturam Fridlando abrogat, & Galassio parere jubet, addito mandato, criminis ut reos sistant vivos; id fieri si non posset, morte proditionem anteverterent, quam variis insuper litteris haberet perspectam. Mox Fridlandus perduellionis promulgatur reus. Praga a Galassio occupatur præsidio: miles in Cæsaris partes pertrahitur.

Egram fugit. Wallensteinius, consilia sua videns detecta, fugienti similis cum parte copiarum Pilsa Egram properat, cum adveniente post biduum Vinariensi & Lavenburgico se conjuncturus. At vero Buthlerus tribunus, Gordonus legionis vicarius, qui Egrensi præsidio præerat, & Leslæus vigiliarum præfectus, Scoti, versari in mora periculum rati, primum Illoum, Terskium, Kinskium, & Niemannum, a Gordono in arcem ad cœnam invitatos, sub finem mensæ interficiunt; dein vero immisso in diversorium Fridlandi centurione Devorouxio Hiberno, cum sex armatis, eum, solo indusio tectum, & per fenestram prospectantem, quid motus cieretur, adacta in medium pectus hasta, explicatis brachiis vulnus excipientem conficiunt.

Interficitur.

Complices puniti. Tres duces mox dicti, caussæ Cæsareæ vindices, monuere mox de re tota legiones, ut ab hoste, qui in propinquo jam esset, sibi caverent. Leslæus vero rei gestæ nuntium primum ad Galassium, tum ad Cæsarem tulit. Dux Lavenburgicus, qui Egræ, ut Fridlando se conjungat, imminebat, a Buthlerianis interceptus, Egram abductus in custodiam. Pilsnæ sedecim, qua tribuni, qua inferiores ductores, cum octo senatoribus, capitis damnati. Schaffgotschius, qui copiis in Silesia præerat, a Coloredo captus, Glazii carcerem invenit, ejus vicario per Silesiam rebellionis facem ventilante. At stipendiis a Cæsare repræsentatis, & Ferdinando filio in supremo archistrategi munere suffecto, motus militaris conquievit, omnibus novo sacramento fidem jurantibus.

Placatur miles.

Ferdinandus rex præfectus militiæ. Ferdinandus rex, ab insigni opere armorum præfecturam auspicaturus, ineunte vere in Bohemiam ad exercitum profectus, atque inde ad expugnandam Ratisbonam, adulta æstate illam tan-

tandem obtinuit; quamvis Turrianus, Bohemicæ olim rebellionis auctor, acerrime eandem defenderet.

Inter hæc Hornius omnem late Sueviam populabatur, subacto Mindelheimio, Biberaco, Campidona, Memminga: Uberlinga frustra oppugnata. Palatinatum autem superiorem, cum Solisbaco, Chamo, & Straubinga per comitem Aldringerum Bavarus recepit, ejectis inde Vinariensibus & Birckenfeldensibus. At breve id Aldringero gaudium fuit; nam dum Landishuto, a Vinario & Hornio obsesso, succurrere nititur, in Isaræ ponte globo trajectus occubuit. Natus est Luxemburgi stirpe tenui, sed virtute sua per omnes militiæ gradus ad supremam in Bavarico exercitu præfecturam eluctatus, magno Catholicorum luctu decessit. Fatum illius comitabatur Landishutum, extrema crudelitatis exempla a Suecis perpessum. Obit Aldringerus.

In Westphalia alternante fortuna res acta. Gehlenus Melandro, Hassorum ductori, primum superior: dein a Luneburgico superveniente fugatus, interceptis ultro citroque oppidis. Eadem aliarum provinciarum urbiumque calamitas, bello fulminis instar discurrente.

Tandem Ferdinandus rex occupata post Ratisbonam Wemdinga, Donawerda, Lavinga, Gundlfinga &c. Nördlingæ expugnandæ copias admovit. Aderat Carolus dux Lotharingiæ, quem Maximilianus Elector Bavariæ Aldringeri loco exercitui suo summa cum potestate præfecerat; ac maxime Ferdinandus Cardinalis Philippi IV Hispaniarum regis frater, adducto per Rhœtiam & Tyrolin ex Insubribus exercitu movens in Belgium, rei Catholicæ, si res posceret, in transitu futurus auxilio.

Vinarius & Hornius contractis undique copiis adventabant urbi subsidio; atque explicata acie prælium ineunt. Initium a colle datum, quem Hispanæ atque Italicæ legiones insederant. Illum omni ope sui juris facere Sueci allaboraverant, sed incassum. Octo horis tenuit pertinax prælium. Primi cessere Vinariani in sinistra ala, tum Horniani equites in dextra. Suecicæ phalanges, pertinacius pugnantes, ferme concisæ sunt. Si fugientibus inhæsissent victores, creditum est, ad internecionem ferme deleri potuisse. Cecidere ut minimum duodecim millia, sex millia capta. Quos inter ipse Gustavus Hornius, & tribuni complures. Vinarius cum parte equitatus, desperata victoria, periculo tempestive se subduxit. E Cæsareanis desiderati mille ducenti. Erepta tormenta octoginta, 4000 curruum, equi 1200, signa militaria 300. Cardinalis Hi- Prælium Nördlingense.

Hispaniæ, parta tanta a gemino Ferdinando, sub auspiciis Ferdinandi Cæsaris, victoria, laureato cum exercitu contendit in Belgium, illius regimen, post mortem Isabellæ Eugeniæ ad Hispaniam revolutum, fratris nomine suscepturus. Ferdinandus vero rex, exercitus cura Galassio commissa, Viennam abiit.

Fructus. Neque exiguus fuit victoriæ fructus. Recepta Nordlinga, Hailbrunna, Herbipolis, Heidlberga, aliæque per Sueviam & Franconiam permultæ. Et sane visa fuit Catholicorum fortuna, quam tot ante clades afflixerant, caput extulisse, deprimi Suecicæ virtutis æstimatio, nisi Richelius, regis & regni potens, cineres in novam ac diuturnam flammam animasset, immissis Lotharingiæ sub Forcæo viginti armatorum millibus.

# ARTICULUS VI.

## *Res gestæ anni 1635.*

### *Pax Pragensis. Trevirensis captivitas. Varii conflictus.*

131 Cum Germania bellis misceretur, aliquis tandem hoc anno pacis optatæ radius affulsit. Quippe Saxoniæ septemvir, cum ditionum suarum, tum etiam communi totius Imperii saluti intentus, Leiteromicii primum, dein Pirnæ, denique Pragæ pacem cum Cæsare composuit in has leges.

Pax Pragensis.

Bona ecclesiastica *mediata*, ante Transactionem Passaviensem a Protestantibus occupata, salva illis ac firma permaneant. *Immediata* vero, quæ anno 1627 12 Nov. possederant, ad annos 40 quiete retineant. Si quid vero ab eo tempore fuerit iis a Catholicis ablatum, restituatur.

Pari modo, si quid Catholicis ab anno 1627 fuerit ablatum, integre restituatur. Usus sessionis & voti in comitiis Imperii ratione eorundem bonorum interim suspensus maneat. Reliquis juribus pars utraque libere utatur. Exercitium vero Religionis ad normam dicti anni redigatur. Occurrentes autem hac super re controversiæ per judicium aulicum, vel Cameram Imperialem componantur.

Magdeburgensem archiepiscopatum Augustus, Electoris filius possideat, Christiano vero Brandeburgico annuatim 12000 Imperialium pendat. Quatuor præfecturas ejusdem archiepiscopatus Ele-

Elector jure feudi obtineat. Halberstadiensem autem episcopatum Leopoldus Cæsaris filius habeat. In archiepiscopatu Bremensi religionis exercitium juxta dictum annum normalem vigeat. Libera Imperii nobilitas juxta T. P. libertate religionis fruatur. Civitates item Imperiales Pace Religionis gaudeant. Donawerdam Elector Bavariæ Imperio restituat, quamprimum belli sumptus fuerint refusi.

Electoratus Palatinus Maximiliano ejusque stirpi Wilhelminæ permaneat : relicta tamen dote Friderici viduæ, & assignatis congruis alimentis proscripti liberis, si ad Cæsaris obsequium redierint.

Duces Megalopolitani, si hanc pacem probaverint, restituantur. Duces Brunsvicenses quater centena Imperalium millia Tillianis hæredibus persolvant. Electori Brandeburgico, si hanc pacem acceptet, *Investitura* Pomeraniæ conferatur. Bello Danico occupata, nominatim Guelpherbytum & Niemburgum, pristinis dominis Cæsar restituat. Udenhemium, seu Philippoburgum, Gallis nuper ereptum, in potestate Imperatoris ad Imperii defensionem permaneat.

Omnia a Suecis, Gallis, aliisque erepta restituantur. Atque ad hoc Saxo cæterique hujus pacis socii Cæsarem omni ope adjuvabunt. Vicissim Cæsar & socii omnia, ab anno 1630 occupata, pristinis possessoribus, qui hanc pacem amplectuntur, reddant. Legati Protestantium in aula Cæsarea ratione religionis nulla molestia afficiantur. Captivi utrinque liberi dimittantur.

Omnes, in hanc pacem consentientes, vires & consilia jungant, ut miles exterus ex Imperio amoveatur. Exercitus a sociis conflatus, *Cæsaris & S. R. I. exercitus appelletur.* Ejus partem Elector, alteram Ferdinandus rex, aut alius ejus loco ducet in hostem. In belli sumptus quivis Imperii princeps 120 pensiones menstruas hoc & sequenti anno solvat. Pacis ita compositæ instrumentum unum Cæsari, alterum Saxoni, tertium Moguntino est traditum.

Ut in Bohemia & cæteris Austriacæ domus provinciis Cæsar liberum religionis exercitium permitteret, adduci non potuit, etsi vehementer Elector instaret. De Silesia & Lusatia separatis tractationibus conventum. Reformatio Judicii aulici & Cameræ Spirensis ad Imperii comitia remissa. Decreta amnestia, exceptis a Cæsare transfugis, Fridlandicæ conjurationis sociis, duce Wirtembergico, Marchione Durlacensi, multisque comitibus & Baronibus. Neque his tamen via gratiæ præclusa, si supplices illam rogassent.

Plerique illam acceptant.

Hanc pacem, cum Saxone initam, amplexi sunt, Elector Brandeburgicus, Wilhelmus Vinariensis, Georgius Luneburgicus, Norimberga, Ulma, Erfurtum, Francofurtum ad Mœnum. Soli pene inter Imperii principes restitere Bernardus dux Vinariensis, & Wilhelmus Hassiæ comes provincialis, Suecis pertinaciter adhærentes.

Et profecto, composita cum plerisque Protestantibus pace, imo societate armorum inita, haud arduum fuisset, Suecos pellere Germaniæ finibus, etiam postquam vicennes cum Polonis inducias fecere. Nisi Richelius potentiorem ex Gallia socium misisset, Germaniam simul, Belgium, Hispaniam, atque Italiam, gravissimo bello involuturum.

Trevirensis captivitas.

Prælusum intempestiva Trevirensis Electoris captivitate. Is, ut a Suecico turbine esset immunis, jam ante admissis præsidiis in tutelam Galliarum regis concesserat, haud parum offenso Cæsare. Igitur mense Martio Luxemburgi gubernator comes Embdanus, cum Barone Meternichio, assumpta ex vicinis præsidiis valida militum manu, eaque navigiis imposita, secundo Mosella silentio vectus, Treviros improviso occupat, paucis cæsis, qui ex Gallico præsidio resistere tentabant. Elector ipse Bruxellas primum, dein Gandavum, ac demum Viennam ad Cæsarem captivus abducitur. Treviris munita Hispanorum præsidio. Res hæc Gallorum animos tantopere asperaverat, ut, qui auxiliorum nomine Suecos hactenus adjuverant, propriis deinceps auspiciis bellum gererent.

Philippopolis stratagemate hoc anno Gallis erepta, cum incredibili annonæ, auri, & bellici apparatus copia. Ultionem Galli in urbem Spirensem verterunt; quam expugnatam Vinariensis crudeliter habuit.

Augusta a Boiis capta.

Augusta, Suecorum præsidio firmata, post immanem famem toleratam, Electori Bavariæ tandem se dedidit, ea conditione, ut negotium religionis ad normam reformationis Cæsareæ, anno 1629 promulgatam reducatur. Liceret tamen Lutheranis templum sumptibus suis construere. Tormenta, a Gustavo rege Monachio abducta, cum thesauro fuere reducta.

Nec minore felicitate recuperata a Cæsarianis Heidlberga, Wormatia, Franckenthalium, pluresque per Palatinatum & Alsatiam urbes, ipsaque Moguntia.

Sed non ubique par fortuna. Nam Hispani a Gallis ad Namurcum cæsi sunt. Frustra tamen Lovanium tentarunt, athenæo quoque ad arma strenue converso. Cladem pariter diversis locis retulerunt, Lotharingus, & Bavari a Gallis, Baudisius Saxo a Bannerio.

Ma-

Maximilianus Elector Bavariæ defuncta conjuge ſua Lotharinga, nuptias hoc anno Viennæ celebravit cum Maria Anna, Ferdinandi II Cæſaris filia. Auſpicatum ſane connubium, quod Ferdinandum Mariam, cum immortali, ut ſperamus, principum ſerie eſſet pariturum. *Videantur Brach. Lund. Piaſec. Caraffa. Theatrum Europ. Gualdus. Keven. Hübn. Struv.*

# ARTICULUS VII.

## *Res geſtæ anni 1636.*
## *Bellum Gallo-Suecicum.*

QUamvis anno ſuperiore res ingens ad componendam Germaniam per pacem Pragenſem, a plerisque ordinibus acceptatam, acta videbatur, immanis nihilominus ſupererat belli moles, maxime, ubi Gallia proprio Marte illud gerere eſt aggreſſa, & Sueciæ ordines viribus omnibus continuandum decrevernut. Nec difficile hoc ipſis viſum, Martiam pubem, ad belli aſpera duratam, miniſtrante natali ſolo, nervum vero belli Gallia, & ipſa Germania, quam violentis extorſionibus exhauſtam, ad intimam uſque oſſium medullam depaſcebantur. Nec deerant Angli, qui domus Palatinæ ſtudio calentibus alioquin animis faces ſubdebant: Hollandis in rem ſuam minime pigris. 132

Conabatur equidem Urbanus Pontifex Imperatorem inter & regem Chriſtianiſſimum pacem conciliare; ſed altior hærebat ſpina, quam ut facili manu evelli poſſet. Gallos inflammabat Auſtriacæ magnitudinis æmulatio, perturbatus Germaniæ ſtatus, captus Trevirenſis, Richelii, regem optimum regnumque verſantis, vaſtum & inquietum ingenium.

*Papa Urb. VIII fruſtra pacem ſuadet.*

Cæſar vero Franciæ bellum denuntiavit, quod, contra Mantuanam ſeu Ratisbonenſem potius pacem, nuper concluſam, cum Imperatoris & Imperii hoſtibus conſilia & auxilia conferret; Suecos armis, ære, milite, commeatu juvaret: urbes Imperii invaderet, aut auro emptas præſidiis ſuis inſideret.

Nec pennis multum, ſed ferro pugnatum. Trajecto Rheno & Moſella Galliæ infuſus ſub Galaſſio Cæſarianus exercitus. At fame ac penuria viam coactus relegere, redactis ad eam paucitatem legionibus, ut juſto prælio plus cladis nequiiſſent accipere. Nec Gallis fortuna melior: Belgis Germanisque ſub Thoma principe

*Expeditio in Galliam.*

Picolominio, & Joanne Verthio Picardiam inundantibus, & terrorem Parisios usque spargentibus.

Sueci in Protestantes.

Dum autem Cæsariani exercitus robur in Gallos movit, Sueci in Germania ferocius sævientes, iram in principes, qui per pacem Pragensem ab eorum fœdere secesserant, effuderunt. Nam Bannerius in Saxoniæ viscera penetrans, cædibus & ruinis omnia complevit: auctusque e Suecia suppetiis, *ad Wittstochium* Cæsareo-Saxones assecutus, grandi illos clade profligat. Mox cum Urangelio, ut ultionem circumferret, Marchiam Brandeburgicam immanibus exactionibus devastat. Operam tamen strenuam Saxoni sociavit Hazfeldius, & ut Magdeburgum expugnaretur, effecit.

Pugna.

Non minor per Westphaliam Hassiamque ea æstate tempestas detonuit. Wilhelmus Hassiæ landgravius, diu, an pacem Pragensem admitteret, cunctatus, tandem ea repudiata, firmatus Suecorum auxiliis, arma rursus corripuit, Hanoviamque obsidione liberavit. Verum a *Gözio*, Cæsareo duce, tota Hassia pulsus, atque in Westphaliam & Frisiam retrusus, vastitatem provinciis intulit. Insecutus Gözius, Paderbornam, Susatum, Hammoniam, Tremoniam, Dortmundam, aliasque urbes, ejectis Hassicis præsidiis, cepit. In aliis pariter provinciis per varios velitares conflictus haud parum cladis datum acceptumque.

Gözius in Hassos.

In Burgundiæ comitatum, qui Hispanici tunc adhuc erat juris, irrupit Condæus, & Dolam obsedit, sed accurrens cum Germano exercitu Lotharingus, eundem depulit. Contra vero Coloredus in Lotharingia victus a Gallis, & cum 50 ordinum ductoribus captus est. Reposuit vices Joannes Verthius, concisis non raro Gallorum turmis, captoque Boniveto cum 60 aliis. Schenckianum munimentum astu ab Hispanis captum; tandemque post longam oppugnationem receptum a Batavis.

Clades mutuæ.

Circumsonantes undique inter belli fragores electus est hoc anno Ratisbonæ in regem Romanorum Ferdinandus III. Aderat ipse Cæsar cum Electoribus Catholicis, excepto Trevirensi, qui non fuit vocatus. Saxo & Brandeburgus per legatos comparuere. Omnium suffragiis Rom. rex dictus Ferdinandus: protestante Carolo Ludovico comite Palatino, Friderici proscripti filio; Anglia quoque illius caussam adhucdum agente.

Ferd. III Rom. rex electus.

# ARTICULUS VIII.

## *Res gestæ anni 1637.*

### *Mors Cæsaris. Sueci ad Balthicum retrusi. Verthii fortitudo.*

CÆsar præsagus velut mortis suæ opportune filium Romanorum regem eligi curaverat. Nam Viennam reversus, viribus fractus, pientissime obiit, anno ætatis 59, Imperii 18, princeps eminentissimæ pietatis, religionis, constantiæ: utramque, si quis alius, fortunam expertus: in utraque immotus possessor DEI & sui: absoluta idea magni Imperatoris & sancti. 133 Obitus Ferd. II. Elogium.

Natus est anno 1578 ex Carolo Styriæ duce, Ferdinandi I Cæsaris filio & Maria Bavara. Primis nuptiis sibi junxit Mariam Annam, Maximiliani Bavariæ ducis sororem, alteris Eleonoram Mantuanam. Ex priore suscepit Ferdinandum III, & duas filias, alteram Maximiliano Electori desponsam, Uladislao IV Poloniæ regi alteram. Leopoldus Wilhelmus alter filius episcopus Argentinensis, Passaviensis, Halberstadensis, Olomucensis, atque Ordinis Teutonici magister inclaruit. Liberi.

Paulo ante mortem Cæsaris Bannerius Torgam in Saxonia occupavit, Lipsiam quoque expugnaturus, nisi ab Electore & Hazfeldio cum clade depulsus, relicta etiam Torga in Marchiam ad Urangelium, novas ex Pomerania copias adducentem profugisset. At fugientem Cæsariani insecuti, intercepta Landsperga, in ipsam Pomeraniam persequuntur, ibique Wolgastum, Tripsecium, Daminum occupant, ex Usedonia insula Suecos ejiciunt, ut adeo hoc anno in extremum Balthici angulum rejecti, tribus duntaxat urbibus, Anclavio, Stetino, Stralsunda ægre se sustinerent. Bannerius cum Suecis ad Balthicum retrusus.

Cum autem magna Cæsariani exercitus pars ad Septentrionem Suecis incumberet, Vinariensis cum suis & Gallicanis legionibus in Occidente spatium nactus est, ut expugnata Jonvillea, cum aliis in Burgundia locis, cæsisque Burgundis Rhenum ad Argentinam trajiceret. At heros incomparabilis Joannes Werthius cæso Melandro & expugnato Hermansteinio, seu Ehrenbretsteinio, validissimo ad Rheni & Mosellæ confluentes munimento, felicibus aliquot conflictibus Vinariensem attritum trans Rhenum in Burgundiam rejecit. Werthii virtus.

Obit Hassus. Inter magnarum rerum molimina diem extremum obiit Wilhelmus V Hasso-Cassellensis landgravius, relicto Wilhelmo octenni filio, cui testamento tutores dixit reges Galliæ & Angliæ cum Batavis. Contra Georgius Darmstadius tutelam jure agnationis, Lis de tutela. ex Aureæ Bullæ placitis, & Cæsarei decreti, sibi vendicabat. Obstabant matris Amaliæ cognati propiores, & demandata eidem a defuncto administratio. At Cæsar Gözium jussit sententiam pro Darmstadio latam, exequi.

Galassus ob res, anno superiore infeliciter gestas, postulatus, ita Cæsari caussam suam probavit, ut pristinam dignitatem retineret, suamque operam hoc anno Saxoni cum Hazfeldio adversus Suecos impenderet.

Itum denique in hyberna; Galassicis, Hazfeldicis, Bredanis, Duces Cæsarei. & Saxonibus cessere Pomeranæ, Megalopolitanæ, & Marchiæ provinciæ: Werthio, Savellio, Sperreuttero Suevia & Wirtembergia: Piccolominio, Gözio, Gehleno, & Granæo ager Juliacensis, Clivensis, ac Montensis. Inde tamen Gözius in Westphaliam migrare est jussus. At elapsis passim incolis, jacente agricultura ingens ubique rerum inopia, famesque, quæ ad abominandos etiam cibos miseros cogebat.

Obit Boguslaus. Obiere hoc anno, *Boguslaus* dux Pomeraniæ, ultimus familiæ, quæ ditionem illam ad 700 annos possederat: eamque prætendit Brandeburgus titulo pacti successionis mutuæ. Carolus item Mantuæ dux: Victor Allobrogum dux, qui præteritis fratribus, Mauritio, & Thoma, filiorum tutelam ad conjugem, Franciæ regis sororem, detulit, belli deinceps atrocis fomentum.



CAPUT

# CAPUT V.

## DE STATU GERMANIÆ SUB FERDINANDO III *Usque ad Pacem Westph.*

## ARTICULUS I.

### *Res gestæ anni 1638.*
### *Annus Cæsarianis infaustus.*

TAnta felicitate Ferdinandus III anno superiore auspicatus fuerat Imperium, ut spes magna affulgeret, fore, ut hostes Germaniæ pacis cogitationes suscipiendas sibi putarent. Retrusus ad Balthici littora Suecus; rejectus cum clade trans Rhenum Gallus. Sed annus iste aperuit, quantum superesset belli, quantoque cum hoste sit confligendum. 134

*Victi Cæsarei. Capti duces, cum urbibus,*

Nam Vinariensis ex Delspergensium finibus, in quibus hybernaverat, emergens, Seckingam, Lauffenburgum, & Rheinfeldam expugnat. Huic dum succurrere nituntur duces Cæsarei, cæsi captique sunt prope omnes: Savellius custodia elapsus est. Verthius, Sperreutterus, Enchenfordius, aliique Lutetiam abducti. Friburgum dein Brisgoiæ, Stutgardia, Tubinga, ac demum etiam Brisacum fame fuit expugnatum.

*a Vinariensi.*

Conabatur equidem solvere hujus obsidium, aut annonam saltem inferre, evocatus ex Westphalia Gözius, sed trino prælio a Vinariensi victus, Germaniæ clavem Francis relinquere est coactus. Ad dicendam caussam evocatus in Bavariam, post biennium muneri suo est restitutus.

*Nec melior Pomerana expeditio.*

Nec felicior Cæsarianis fuit Pomerana expeditio; quippe per concretum glacie pontum in insulam Rugiam penetrare connixi, a Vrangelio repulsi, deficiente annona & commeatu, rerum inopia, fame, transfugiis tantopere sunt imminuti, ut Galassus, re nul-

la acta, attritas lacerasque copias in Bohemiam ad hyberna reducere fuerit coactus: Suecis interim Pomeraniam rursus aliaque occupantibus. Hassi pariter Susatum, Geisecam, Paderbornam &c. intercipiunt. Tam immania autem detrimenta tribuebantur eorum avaritiæ, qui procurandæ annonæ & apparatui militari destinati, pecuniam in privatos usus converterant.

Tantas inter procellas emicuit Cæsarianis radius amicioris syderis in Westphalia & Palatinatu. Nam Carolus I Angliæ rex, miseratus sororem viduam ac nepotes exules, cum legationibus non posset in avitas eos possessiones reducere, pecunia & milite instruxit, ut a Gallis & Suecis pariter adjuti, in ditiones se per vim reponerent.

Exercitu igitur comparato, primum a Vehleno, Cæsarearum per Westphaliam copiarum præfecto ad Meppenam, quam a Suecis emerant, gravi clade afficiuntur, amissa Meppena. Haud multo post altera majori clade spes eorum penitus est eversa. Quippe dum reparato exercitu, quem ex Hollandicis & Suecicis subsidiis auxerant, Lemgoviam obsident, Hazfeldius justo eos prælio profligat. Rupertus frater junior captus Viennam abductus est; Carolus Ludovicus vero, dum rheda vectus per Visurgim fugam præcipitat, submerso curru, equis, & auriga, tandem evasit, & pedes Mindam fugit. Hoc anno Maximilianus Elector ab episcopis impetravit, ut deinceps Visitantis & Præsentatæ Virginis dies per Bavariam festi a populo habeantur. Archiepiscopus tamen Salisburgensis suos præcepto non esse obligandos putavit.

Cæsi Palatini.

Schaffgotsius propter conjurationem Fridlandicam capite plexus. Arnheimius, Saxonicæ militiæ archistrategus, a Suecis captus, atque Holmiam abductus, fuga in Saxoniam evasit.

## ARTICULUS II.

### *Res gestæ anni 1639.*

### *Bannerii progressus. Vinariensis Obitus.*

135 SUecorum res in Germania majora adhuc hoc anno incrementa cepit. Bannerius veris initio, composita adversus pacem Pragensem cum Saxoniæ inferioris circulo *neutralitate*, Luneburgico connivente, Albim transmittit, atque inde in Saxoniam & Thuringiam effusus, præmisso Coningsmarckio, in ipsam Franconiam

irrumpit. Marchiam vero Brandeburgicam per varios ductores percurrens, Landspergam, Francofurtum, Rattenaviam, Havelbergam, Berlinum, Brandeburgum, aliasque urbes deditione, vi, astu, celeritate occupat. Salisium ducem Cæsareanum cum septem legionibus in hyberna euntem profligat, ac ducem ipsum capit. Mox Naumburgum, Weissenfelsam, Zeizam, Altenburgum, Chemnitium, cum pluribus aliis urbibus, oppidis, munimentis subigit. Cæsarei ubique cæsi.

Superato dein justo prælio ad Chemnitium Marazinio, altero Cæsaris duce, in Silesiam & Bohemiam cum victore exercitu irrumpit, cæsis iterum octo legionibus, quas Gallassius ad impediendam irruptionem Praga miserat. Tum vero tot victoriis ferox lascivientem exercitum ad ipsa Pragæ mœnia admovit, misso tibicine, qui deditionem postularet. At cum urbem optime ad defensionem comparatam cerneret, per universam Bohemiam populatione, cædibus, incendiis grassatus, tristia ubique Sueciæ indolis monumenta reliquit.

Cæsar tot cladibus attritus, habitis novis delectibus exercitum triginta millium in Bohemiam misit. Et, quia Gallassius excusata valetudine missionem petebat, archiducem Leopoldum fratrem suum, supremum militiæ præfectum dixit, evocato ex Belgio Piccolomineo, cujus consiliis bellum gereret. Galassi abdicatio.

Adversus Gallos & Vinarienses non multo felicius ex altera parte gestum est bellum. Vinariensis compositis Brisaci rebus, jam Rheni potens, in Burgundiam reversus est, per funestas hujus provinciæ calamitates suo fato prælusurus. Ad excelsa aspirabat magnanima indoles: neque tam Francis aut Suecis, quam sibi militabat: in id intentus, ut ad Brisacum, suæ trophæum gloriæ, ex Alsatia & Burgundia dominatum quendam adjiceret.

In Burgundiam igitur subito irrumpens, lascivienti victoriis militi diripiendam dedit, debitum velut militiæ stipendium ex aliena penu. Et quod voraces rictus absumere non poterant, Brisacum, Vinariensis sedem velut regiam, avectum. At certam Nemesis metam fixit humanis consiliis, quam ultra porrigere non datur sæviendi licentiam. In Alsatiam redux, Neoburgi ad Rhenum morbo absumptus est, trigesimo quinto ætatis anno. Vinariensis obit.

Atque sic vernantibus annis mors prostravit tot mortalium stragem, Bernardum Vinariensem ex familia Saxo-Weinmariensi prognatum, Joannis Friderici, quem Carolus V post pugnam Mühlbergensem captum Electoratu exuerat, pronepotem. Felicem dices,

si vulgi sensu æstimes, per lauros & palmas euntem ad gloriæ verticem. Sed alia trutina cœlum ponderat humanos ausus. Sola virtutis gloria est immortalis.

4 tribunis relinquit exercitum. Exercitum suprema voluntate commendavit quatuor tribunis, Erlachio, Nassovio, Rosæ, & Ohemio, quos insigni etiam legato locupletavit. Rex Franciæ vero, comperta ejus morte, centum dublionum millia per Basileensem collybum copiis transcripsit, ut novo auctoramento devinctas haberet, jussas interea parere Erlachio. Moverunt subin per Nemetes in Palatinatum, Wetteraviam, & Hassiam. Occuparunt Weissenburgum, Landavium, Germershemium. Rhingaviam populatione complerunt. Eosque interea rex Franciæ per comitem Guebrianum auro expugnatos, una cum Brisaco, Friburgo, Rheinfelda, pluribusque in Burgundia locis, in quibus sua habebant præsidia, dicto sacramento, sibi subjecit: salvis tamen legibus Suecici fœderis.

Hassi Pragensi paci tandem subscripserant, sed visis Suecorum Gallorumque progressibus, cum Calvinismi libertatem obtinere non possent, vidua annitente, hostes se rursus Cæsaris sunt professi.

Gallassius, adversam belli sortem pertæsus, supremam exercitus præfecturam cum primo consilii bellici apud Cæsarem subsellio commutavit: suffecto in ejus locum Melchiore Hazfeldio, ac dein archiduce Leopoldo. Bavaricas autem copias duxit comes Mercius, loco Werthii, adhuc captivi.

## ARTICULUS III.

### *Res gestæ anni 1640.*
### *Comitia Ratisb. Leopoldi archid. progressus.*

136 Agitur de pace. Comitia Ratisb. PRout superioribus annis de pace componenda variis in locis est actum, ita etiam hoc tum *Lubecæ*, tum maxime *Coloniæ*, adhibito ad regem Christianissimum conciliandum summo Pontifice, ad Suecos rege Daniæ. *Comitia* etiam Imperii Ratisbonam indixit Cæsar, ad quæ ipsemet se contulit. Ipsis quoque hostibus Imperii, Hassis & Luneburgicis, qui a Cæsaris fide & pace Pragensi defecerant, ac Trevirensi, securus aditus concessus, quin & sessio cum voto permissa. Principes Catholici summa voluntate pacem exoptabant. Guilielmus Badensis *Propositionem* Cæsaream ut

vocant, ordinibus intimavit, orsus orationem a studio pacis, quod Ferdinandus II Imperator prætetulit; Ferdinando III eandem esse mentem. Insidere Germaniæ humeris hostes exteros, vastari ubique patriam: &, quod dolendum, membra in caput & membra ejusdem corporis insurgere. In consensu salutem esse repositam. Tria deinde consideranda proponit. 1. quantas esse oporteat Imperii copias. 2. quibus mediis conservandæ. 3. quomodo justitia, penitus profligata, Imperio restituenda. Deliberatum multum, atque recessus Imperii formatus: distributionem hybernorum & stativorum Cæsari relinquendam. Quoad sumptus, annonam, numerum militum observandum ordinem. Qui ratione sedis propriæ, fortalitiorum, arcium, monasteriorum, viduitatis, academiæ &c. exemptionem prætendunt, quoad locum ea fruerentur, sed per agrum militi stativa, & Imperii censum præstarent. Parcendum tamen, quoad fieri potest, nec permittendum ab archistrategis Cæsareis, ut quilibet dux militaris subditos pro lubitu divexet.

Assignatus 120 mensium Romanorum census. Equestrem nobilitatem urbesque maritimas pro subsidiis interpellandas, iis tamen, qui hosti tributa pendere coguntur, parceretur.

Justa militi stipendia penderentur, ut disciplina servari possit. Ad militiam nemo vi trahendus. Neque a tribunis militaribus exigenda tributa, vectigalia &c. peculatores puniendi. Calonum & inutilium hominum greges ab exercitu arcendi: qui hostium castra sequuntur, sub fortunarum, honoris, ac vitæ jactura avocandi. Duces ac milites jurent, se hunc recessum servaturos. Helveti quoque & Imperii per Italiam vasalli pro subsidiis requirendi. Trevirensi provinciæ loco Hispanorum, Cæsareum præsidium imponendum.

Promulgata tunc etiam universalis *Amnestia*, qua Cæsar promittit omnibus, ab hoste recedentibus, & ad Imperatoris obsequium redeuntibus plenam restitutionem, etiam iis, qui pacem Pragensem non acceptarunt, vel acceptatam rursus deseruerunt, exceptis tamen Bohemis. Restitutionis autem initium in politicis ab anno 1630 ducendum, in ecclesiasticis a 1627. Actum etiam de pace concilianda. Oblati Suecis duo milliones thalerorum.

At incassum omnia. Inveteratæ domum inter Austriacam & Franciam simultates, Suecorum ex armorum progressibus elatio, & immanes postulationes, principum quorundam enormes petitiones, Postulata.
& cum Gallis Suecisque vinculum, spes omnes ingementis Europæ abruperunt. Luneburgicum urebat, quod munitio Guelpher-

bytana per Cæſareum præſidium detineretur, quod Hildeſienſem eccleſiam non permitteretur in privatos uſus evertere, quodque hæredes Tilliani debitum, (apud regem Daniæ contractum, & ab hoc Imperatori ceſſum, atque Tillio donatum) a Luneburgicis & Brunſvicenſibus exigerent. Varia etiam obtendit Haſſiæ princeps vidua.

Clementem ſe omnibus indulſit Cæſar. Pacis amore Suecis, tanquam utilem Germaniæ operam navaſſent, decreti duo auri milliones, ea lege, ut pro iis inſula Rugia & Stralſunda Sueciæ manerent obſtrictæ jure hypothecario. Quodſi intra decennium pecunia iſta non repræſentaretur, Suecia eas acciperet a Cæſare nexu beneficiario.

Sed minora hæc Suecis viſa, quam ut decumanas ſpes ſatiarent. Reverſum propterea ad provinciarum contritiones, quas toto hoc bello gens frigoribus durata nec rigente bruma intermittebat, ut adeo non raro integras jam percurrerint provincias, antequam Cæſariani ex hybernis educerentur.

Hoc anno Leopoldus Archidux, ſupremus pro Cæſare belli præfectus, maturius expeditionem ſuſcepit, atque ineunte vere in Bohemiam progreſſus, Bannerium regno pulſum primo in Miſniam, atque inde in Thuringiam egit, non modica clade affectum. Sed fugientem dux Longavillanus cum Gallis & Vinarienſibus, Haſſi item & Luneburgici, jam Suecorum ſocii, ſub alas excepere. Nec elici poterat, ut prælio decerneret: ut adeo abſque magno admodum fructu annus fuerit extractus.

Bannerius fugatus.

Gallorum arma per Italiam, Belgium, & Hiſpaniam potiſſimum hoc anno ſunt peregrinata. Vinarienſes tamen ſub duce Longavillano, immiſtis Gallis, Germaniam, maxime Rhenanam habuerunt infeſtam: cladem inferentes, & accipientes: varias urbes in Rhingavia, Wetteravia, Haſſia, Palatinatu occupantes & amittentes: Bannerio & Kœnigsmarckio ex æquo certantibus, uter plus barbaræ crudelitatis & vaſtitatis inferre provinciis poſſit. Unde dira fames non colonos modo, urbes & oppida, ſed caſtra quoque invaſit, pluresque quam ferrum abſumpſit.

Hohenvila.

Hohenvila, ſitu & opere præmunita in Wirtembergia arx, fruſtra rurſus hoc anno a Cæſarianis obſeſſa: prout a Luneburgico Guelpherbytum, a Boiis ſtrenue defenſum. Et univerſim in rebus licet arctis Leopoldo archiduci, Hazfeldio, Gehleno, Mercio, ea laus debetur, quod Suecos coegerint, Batavorum ſocietatem petere, quam tamen illi, ne cum Imperio bello collidantur, reſpuendam cenſuerunt.

Arti-

# ARTICULUS IV.

## *Res gestæ anni 1641.*

### *Bannerii fuga & mors. Leopoldi progressus. Amnestia Ratisb.*

137

Continuatio comitiorum.

HOc adhuc anno Cæsar Ratisbonensia comitia prosequebatur: quæ ut disturbaret Bannerius, ex agro Brunsvicensi magnis itineribus per Thuringiam in Palatinatum superiorem contendit, occupatisque Glattovia, Chamo, Solisbaco &c., ad ipsam Ratisbonam exercitum admovit. Trepidarunt repentino adventu ordines congregati, dissolvendumque comitium quidam censebant. Sed adducto ampliore ex Bavaria præsidio Bannerius recessit. Mox versa fortuna. Schlangius cum flore equitatus Suecici ad Bohemiæ fines a Mercio, Boiorum ductore, ita fuit conclusus, ut nulla esset erumpendi via. Itaque omnes capti (quatuor millia feruntur) velut in triumpho Ratisbonam ducti sunt. Bannerius vero tam luculenta suorum clade imminutus, summa, qua poterat, celeritate in Bohemiam ac Misniam fugit, insequentibus Cæsareo-Boiis ad Salam usque, qui fugientes protexit: ad eam tamen in hac fuga paucitatem redactos, ut Bannerius Hodizium in Sueciam, Königsmarckium ad Luneburgicum suppetias petituros amandaret; cum Weinmarianis se conjungeret: Tubadelium, Stanhansium, aliosque ductores Suecos ad exercitum suum revocarit.

Pulsus Bannerius a Mercio.

Sed dum reparandis cladibus intendit, Halberstadii mortem oppetiit: Torstensonio, qui in Suecia tunc morabatur, successore nominato: quod ejus judicium Sueciæ senatus ratum habuit. Sed antequam novus dux adveniret, tres interim copiis præfecit, Pfulium Germanum, Vrangelium Suecum, Wittebergium Finnonem.

Obit.

Sub hoc triumviratu res Suecorum, a Bannerio sub finem inclinatæ, magis adhuc sunt præcipitatæ. Pulsi Merseburgo, Quedlinburgo, Nebra, Querfurto, Zwickavia, Ostervico, Horneburgo, Dorstena, Einbeca, Duderstadio, Mühlhusio &c. Multifariæ etiam Suecis illatæ clades a ductoribus Cæsareis, Cabæo, Sporkio, Spigelio, Mercio, Borrio, Sperreittero &c. diversis velitaribus conflictibus.

Cæsi Sueci.

In Saxonicis & Luneburgicis provinciis hæc potissimum gesta sunt. Sicut autem Luneburgici, ingenti licet molimine, Guelpherbytum frustra obsederunt, ita Cæsariani ductore Sparrio Hohenvillam.

In-

Amnestia Ratisb.

Interea Ratisbonæ, dum frequenti ordinum consessu diu de republica deliberatum fuit, consiliorum summa in hæc ferme capita fuit redacta. 1. universalis amnestia publicator. 2. cum Galliæ & Sueciæ corona separatis conventibus Osnabrugæ & Monasterii tractator. 3. gravamina religionis per designatos amice componuntor. 4. Transactio Passaviensis & Pax Religionis sancte coluntor. 5. caussa Palatina separato tractatu agitor.

De continuando dein bello actum: de hospitiis militaribus ex æquo distribuendis: de complendis legionibus, & imminuendo præfectorum numero: de disciplina militari. Decretæ centum viginti pensiones menstruæ, intra quinque mensium spatium persolvendæ, additæ aliæ 120 pensiones, intra annum præstandæ. Reformatio judiciorum imperialium in annum sequentem ad Electorum principum conventum rejecta.

Exceptiones.

Cæterum Imperator ab amnestia exemit, quæ legitimo juris ordine in rem judicatam jam transissent, vel partium conventione essent transacta: jura item illa & actiones, quæ belli hujus occasione non provenissent. Exceptas etiam ab amnestia voluit provincias suas hæreditarias, & Electoratum Palatinum.

Querelæ.

Sed obstrepebant maxime Luneburgenses, Brunsvicenses, & Hasso-Casselenses legati, quiritantes, se non legitime vocatos, sed quasi precario ad comitia admissos: nullamque admittere se posse amnestiam, nisi omnes omnino Imperii ordines & subditi, tam in civilibus, quam ecclesiasticis, ad eum statum reducerentur, quo ante hoc bellum fuissent, nullo prorsus delinquentium, personarum, rerum, actionum, aut pœnarum adhibito discrimine.

Saxonis hortatio.

Elector Saxoniæ, data gemina ad duces ipsos dissentientes epistola, improbavit magnopere, quod ii, qui se suaque arma hostibus exteris sociassent, vellent absolute restitui in integrum, nollent tamen sic restituti arma sociare Cæsari adversus ejusdem & Imperii hostes, & ut etiam Catholici restituantur. Non esse hanc rationem pacandæ Germaniæ, nedum in libertatem asserendæ, si contempto Imperii capite Cæsaris hostes in ditiones suas reciperent, atque cum illis sua consilia, vires, arma conjungerent. Nimis inique agi, si sibi omnia, Imperatori vero & Catholicis, qui æque sint cives & Imperii membra, nihil licere velint. Neque etiam ita esse exhaustos, ut sub jugum se mitti sint passuri. Respondere quidem Luneburgici, sed quibus adversus reipublicæ incolumitatem obfirmatum pectus ostentarent. Legati Angliæ & Daniæ regum pro caussa Palatina pariter multa disserebant. Atque

que ne Cæsar omnia negaret, Robertum Palatinum triennio abhinc captum libertate donavit, ea lege, ne arma deinceps adversus Cæsarem aut domum Austriacam gereret.

Placuit porro ex amnestiæ legibus, terminum restitutionis in rebus profanis figi ab anno, quo rex Sueciæ Germaniam est ingressus: in ecclesiasticis vero ab anno 1627 restitutionem esse faciendam, in utrisque vero diem 12 Novembris. Addita clausula, tum demum hanc amnestiam effectum sortituram, ubi animos & arma Imperii ordines cum Cæsare sociassent. Secus omnino fore irritam. Cum autem Luneburgici & Cassellenses flecti non possent, Cæsaris jussu Ratisbona discessere: novis pactionibus cum Imperii hostibus colligati. Terminus restit.

In his comitiis tres novi Imperii principes sunt creati, Hohenzolleranus aulæ Boicæ supremus præfectus, Eggenbergius, & Lockovizius.

## ARTICULUS V.

### *Res gestæ anni 1642,*

### *Cæsarianis infaustissimi.*

INitio infausti hujus anni Guebrianus Vinariensium, & Eberstei- 138
nius Hassicarum copiarum ductor, qui diu in agro Fuldensi & Monasteriensi hospitia habuerant, impetrato ab Hollandis transitu, ad Vesaliam Rhenum transmittunt, atque inde in agrum Coloniensem, longa hactenus pace divitem, ad capienda hyberna irruunt. Quapropter Elector Coloniensis Hazfeldium e superiore Germania, Lamboium e Belgio evocavit. Bellum ad Ubios.

*Lamboius* ad Kempenam castra communiit, Hazfeldii adventum præstolaturus. At Vinarienses Hassique, ut eam conjunctionem præverterent, repente Lamboianos dispersos, suique securos instructa acie aggrediuntur, & ingenti cæde prosternunt. Cecidere in prælio ad duo millia. Lamboius ipse cum quatuor millibus captus, cum præcipuis tribunis. Amissa 140 signa militaria: apparatus bellici vis magna. Vinariensium equitum magister Rosa fugientes insecutus prope Juliacum duo eorum millia profligat: ut adeo totus hic Lamboianus exercitus dissipatus aut deletus fuerit. Deditum mox Novesium, urbs præmunita, Kempena, Marcodurum: Coloniensis ager misera populatione direptus. Prælium ad Kempenam. Lamboius penitus cæsus.

Hazfeldius intellecta Lamboii clade, cum solus hostibus impar esset, revocatis, quas trans Rhenum jam miserat, copiis, atque

cum Wahlio, Bojorum ductore, conjunctus, castris haud procul Colonia munitis, se continuit, occasionem rei felicius gerendæ opperiens. Hanc mox dedit Lecnenium, ignobile oppidum, quod a paucis viris fortibus defensum, stitit victorum cursum; ab Hazfeldio inde liberatum. Spem etiam aliquantum erexit Joannis Werthii e captivitate Gallica liberatio, qui cum Gustavo Hornio, a prælio Nordlingensi in arce Burghusiana detento, fuit commutatus, & a Maximiliano Electore supremus equitatus magister creatus.

Werthii cum Hornio commutatio.

Ex Ubiis inde Gallo-Vinarienses moverunt in Thuringiam ac Wirtembergiam, magnis ubique prædis ditati.

Nec melius Catholica res adversus Suecos acta. Nam initio anni Königsmarckius quatuor in Saxonia Cæsareas legiones oppressit. Tum depulsos ab obsidione arcis Mansfeldicæ Cæsarianos tota pene Saxonia exegit.

Torstensonii victoriæ.

Majoribus ex Suecia viribus secutus est Dorstensonius, qui, ut sui periculum faceret, decursa celeriter Saxonia, in Lusatiam ac Silesiam irrupit, expugnataque Glogovia, in quam Cæsarei annonæ bellicique instrumenti vim magnam comportaverant, præsidium pene omne delevit, urbemque direptioni dedit. Fatum idem urbes alias sequebatur. Victus mox ad Schweidnicium atque ingenti clade prostratus Cæsareus miles, totaque propemodum Silesia subacta. Progressus inde in Moraviam Dorstensonius, cum aliis urbibus Olomucium cepit, spoliavitque. Flexo tum rursus in Saxoniam itinere a Leopoldo archiduce & Saxonibus ad Lipsiam grandem victoriam reportavit, peditatu ferme omni aut conciso aut capto. Victoriæ appendix fuit Lipsia. In Madlonicam legionem, quæ fugæ initium dedit, archidux graviter animadvertit, ac propere Hazfeldium & Wahlium ex Ubiis ad se accivit. Brandeburgicus Elector has inter turbas, ut ab irruptione Suecorum se liberum præstaret, medias partes elegit. Quam alia tunc atque hodie Suecorum atque Brandeburgicorum comparatio! metuentes tunc singulos nunc omnibus metuendi.

Prælium Lipsiense.

Legatorum Hamburgi conventus.

Hoc tandem anno, quod *Hamburgi* & Lubecæ diu jam agebatur, de loco & modo pacis ineundæ fuit conventum. Præstitit ea in re Germaniæ perutilem operam rex Daniæ, extra bellantium partes positus. Hamburgi igitur inter Luzovium Cæsaris, Memmium Galliæ, & Salvium Sueciæ legatum res ita est composita, ut Osnabruga & Monasterium designarentur, quæ interea neutrarum partium, deducto omni externo præsidio, per cives custodirentur omnibusque securitatem præstent. Cæsar liberum commea-

tum det legatis Galliæ, Sueciæ, Palatinis, Brunſvicenſibus, Luneburgicis, Caſſellanis, omnibusque ordinibus Sueciæ fœderatis: regina Sueciæ pro legatis Cæſareis, Moguntinis, Brandeburgicis: rex Galliæ pro legatis Cæſareis, Hiſpanis, Colonienſibus, Bavaricis: viciſſim iſti pro legatis Gallicis, Suecicis, Sabaudicis, Trevirenſibus, Hollandicis, Palatinis, Luneburgicis, Caſſellenſibus, aliisque Galliæ fœderatis.

## ARTICULUS VI.

### *Res geſtæ anni 1643.*

### *Guebriani mors. Dutlingana victoria.*

SUeci Gallique, ſuperioris anni victoriis elati, renovato fœdere, provincias partiti, Weſtphaliam, Saxoniam, Cæſarisque ditiones per Suecos, Rhenanos vero tractus per Gallos impetendas decernunt. Succia 30000 peditum, 6000 equitum ſub ſignis habeat, totidem Gallia: nec ceſſandum ſtatuunt, donec Germania in eum, quo ante annum 1618 fuerat, ſtatum reponatur. 139 Fœdus renovatum.

Dorſtenſonius ea ſpe animatus, recreato per Saxonica hyberna milite, in Sileſiam rurſus & Moraviam movit, atque adventu ſuo Olomucenſem obſidionem ſolvit, omnemque circa regionem calamitate complevit. Königsmarckius vero in Saxonia relictus, Halberſtadium pluresque urbes ſubegit. Inde Cæſarianos, quos Galaſſius (ad rei militaris præfecturam rurſus admotus) ad diſtrahendas hoſtium vires emiſerat, victos Pomerania ejecit. In Holſatiam mox irrumpens provinciam vaſtavit. Galaſſus reſumit imperium.

Vinarienſes interim ductore Guebriano relicto agro Colonienſi in Franconiam, Wirtembergiam, & Badenſem marchionatum irruunt; nihilque ferme tota æſtate niſi prædas egerunt. Levibus tantum velitationibus variante fortuna certatum. Finiente autem anno Guebrianus Rotwilæ obſidionem aggreſſus brachium primo, mox eo ex vulnere vitam amiſit. Duce orbati, a ſuperveniente Cæſareo-Bavarico milite ad Dutlingam gravi clade affecti ſunt. Pauci cum Roſa, equitum præfecto, fuga evaſerunt. Reliqui omnes, cum magna pecuniæ vi & bellico apparatu, ſine ſanguine in poteſtatem victorum pervenerunt. Guebriani mors. Pugna Dutlingana.

Pars magna tantæ victoriæ fuit dux Lotharingiæ, qui 4000 ſuppetias adduxerat. Mercii autem, ſupremi Bojorum ductoris, con-

silio & opera res tanta patrata. Werthii etiam & Sporckii virtus enituit; qui frequentes variis in locis Gallo-Vinariensibus clades intulerunt. Certe Dutlingana clades fregit hostium animos.

Guelpherbyti restitutio. Cæsar hoc anno Guelpherbytum (seu Wolfenbütam) irrito conatu anno superiore obsessam, Augusto, duci Brunsvicensi, ultro restituit, educto Bavarico præsidio.

## ARTICULUS VII.

### *Res gestæ anni 1644.*

### *Bellum Danicum, Turrenii & Engvienni adventus.*

140 Bellum Danicum. NOvum hoc anno bellum subito exarsit, videlicet Danicum. Nam Dorstensonius, ne denuntiato quidem bello, repente in Holsatiam ac Daniam irruit, expugnatisque aut astu interceptis multis urbibus in Jutlandiam penetravit, cæsis 1500 Danis. Hornius vero octo millia e Suecia in Scaniam adduxit, totamque eam provinciam subigit. Mari quoque vincebant Sueci, Bornholmia insula occupata, multisque aliis illatis damnis.

Caussæ. Caussas belli Dorstensonius vulgaverat, quod Daniæ rex octo naves Suecicas in freto Oresundico invasisset. Quod fœdera cum Mosco & Polono, Sueciæ inimicis, sociasset. Quod pecunia Cracovium Cæsareum chiliarcham instruxerit ad invadendam Pomeraniam, atque alias etiam propensum in Cæsaris partes animum prodidisset.

Danis oppressis Cæsar Galassium cum exercitu misit auxilio, quod expediret, hostem externo bello distineri. Nec improspere se dederunt initia. Tandem mense Decembri Galassius ad Juterbocium prælio victus, & ex Holsatia a Dorstensonio pulsus, cum exercitu multum imminuto Magdeburgum rediit. Inde quoque, premente Sueco, abscedere coactus, ægre in Bohemiam cum paucis evasit. Sequebatur Dorstensonius, & receptis, quæ Cæsariani durante Danica expeditione occupaverant, Silesiam, Moraviamque vehementer afflixit. Saxo vero inducias cum Suecis pepigit.

Galassius frustra succurrit.

Vires Cæsaris magnopere distraxit novum bellum Transylvanicum atque Hungaricum, quod instigantibus Suecis excitavit Ragozius: prout suo loco referemus.

In partibus Rhenanis Boii, cæsis, quod dixi, ad Dutlingam, penitusque dissipatis Vinariensibus, primo Rotwilam, dein Uberlin-

lingam, Friburgum Brisgoiæ expugnant ductore Francisco Mercio, ætate & laboribus Wahlio confecto, ad supremam Bavarici exercitus præfecturam promoto. Mercius præficitur.

Dum ad Friburgum munitis castris hærent Boii, primum comes Turrenius, dein vero etiam princeps Borbonius dux Engviennæ cum numeroso per Alsatiam advenit exercitu, tepentes Vinariensium cineres rursus inflammaturus. Turreni & Condæ adventus.

Hi igitur recentibus viribus freti, ut sui experimentum Germanis darent & Dudlinganam cladem vindicarent, Bojos magna vi aggrediuntur. Ternos vehementes in castra tentarunt insultus, sed tanta semper fortitudine ac clade repulsi, ut, nisi numero fuissent multo superiores, luculentam Boii victoriam reportassent. Sex eorum millia cecidere, Bavarorum non ultra mille & ducentos. Hos tamen commeatuum & pabulationis inopia locum tandem mutare coegit.

Galli vero copiis identidem aucti, Germersheimium, Wormatiam, Spiram, Moguntiam, Philippoburgum, aliaque loca, ab annonæ & commeatuum curatoribus (frequenti in hoc bello vitio) male provisa intercepere. Ut adeo hostes non virtute, sed multitudine & rerum abundantia ad Septentrionem & Occidentem vincerent. Moguntia &c. capta.

# ARTICULUS VIII.

## *Res gestæ anni 1645.*
## *Janckaviana, Mergentheimia, Alersheimia pugna. Mors Mercii, Hazfeldii & Gebleni captivitas.*

QUamvis superioribus jam annis Monasterium & Osnabruga destinatæ sint paci componendæ, lente tamen admodum procedebat negotium. Infinitæ se oggerebant difficultates: Gallis præsertim Suecisque arcum nimium quantum intendentibus. Nolebant illi ullam pacis tractationem suscipere, nisi ordinibus omnibus omnino præsentibus, probe gnari, sic rei summam in longum differri, & tantum Cæsareæ majestati decedere, quantum privata cujusque cupiditas ad se traheret. Istis passibus ibatur ad alienandas Imperii provincias, quæ haud facile essent rediturae. 141 Pacis remoræ.

Parabantur jam dudum Monasterii hospitia pro legatis Catholicis. Sed tardo gradu accessere, in belli eventum suspenso. Legatus Cæsaris ibidem comes Nassovius Claudio Mesmio comiti Aval- Postulata Cæsaris.

 lio,

lio, Franciæ legato, tres præliminares articulos proposuit. 1. ut pax inter Ferdinandum II & Ludovicum XIII anno 1630 inita observetur. 2. ut restituantur Imperio, quæ a Francis fuerant detracta. 3. ut reserventur jura & actiones in ea omnia, quæ jam ante Franci Romano Imperio ademissent.

Osnabrugæ quoque pro legatis Protestantium omnia parabantur. Sed nec rima adhuc patebat, qua pax posset ingredi. Quippe tot gentium armis in mutuam perniciem fuit certatum, ut de Europa evertenda agi videretur. Germania, Gallia, Hispania, Italia, Lusitania, Anglia, Suecia, Dania, Belgium, Hungaria, Transsylvania, in mutuas clades ibant. Contabulata classibus maria, Oceanus, Balthicum, Mediterraneum, Adriaticum, Jonium. Atque ut nihil ad populorum calamitatem deesset, Turca Venetos adortus, in exitialis procellæ partem venit.

Tota Europa armata.

Dorstensonius sub finem anni superioris, quod dixi, ex Dania, relicto ibidem Urangelio, in Germaniam reversus, cum Galassium Magdeburgum primum, dein obtrito ferme aut dissipato omni peditatu, in Bohemiam propulisset, eo hoc anno curam intendit, ut rursus in Silesiam, Moraviamque, atque ipsam adeo Austriam irrueret.

Igitur Cæsar cum tota aula Pragam profectus, copiis in Bohemia collectis *Hazfeldium* supremum ducem imponit. Accessere ex Boicis aliquot legiones sub Werthio, & Reuschenbergio. Hazfeldius jussu Cæsaris mense jam Februario recta in hostem duxit, qui ad *Jankaviam* haud procul Tabore consistebat. Nec Dorstensonius abnuit prælium, quamvis ob articularem pedum morbum lectica per aciem circumvectus, magnam a Cæsarianis reportavit victoriam.

Hazfeldius præficitur.

Cæditur.

Initium cladis a comite Gözio, qui, ut collem occuparet, viarum angustiis incautus se commisit, in quibus deprehensus cum suis occubuit. Pugnatum nihilominus strenue tota die, donec ad solis occasum Cæsariani ingenti strage sunt profligati. Hazfeldius ipse cum primoribus chiliarchis, & maxima parte peditatus in manus hostium pervenerunt, quatuor ferme millibus e gregariis captis, cum apparatu militari universo. Werthius, re desperata, cum majore equitum parte fuga se eripuit.

Cæsar, audita clade, Praga mox Viennam concessit itinere Ratisbonensi, ut exercitum reparet, & defenso Danubio Austriam supremo discrimini eripiat. Filios vero suos archiduces Græcium in Styriam custodiendos curavit transportari.

Sueci in Austriam.

Dorstensonius tam insigni victoria non segniter usus, percursa Moravia primo Iglaviam cepit, dein liberato ab obsidione Olomucio,

cio, in Auſtriam penetrans Crembſium, Steinam aliaque loca occupat, ſparſo ingenti ſui terrore. Verum *Bruna*, eique adjacens arx Spihlbergenſis ſtitit victoriam. Quatuor menſes ad eandem hæſit Dorſtenſonius, non perinde felix in expugnandis urbibus, ac vincendis in campo hoſtibus. Atque hac mora irrita Cæſari ſpatium ſe colligendi dedit. Urbem defendit, quod mireris, homo Gallus, *Souchius* videlicet, plura deinceps fidei & fortitudinis daturus argumenta. Bruna ſtitit.

Janckavianam Cæſarianorum cladem duce Mercio ſtrenue in Franconia ulti ſunt Boii, victo inſigni *ad Mergentheimium* prælio Turrenio cum ſuis Gallo-Vinarienſibus. Cæſi aut capti cum Roſa primores ordinum ductores, cum gregariis fere 1050, omnibusque impedimentis & belli inſtrumentis. Mercius cædit Gallos.

Turrenius cum profligati exercitus reliquiis in Haſſiam elapſus, cum Königsmarckio, Tubadelio, Haſſicisque copiis ſe conjunxit. Nova inſuper ſupplementa e Gallia adduxit Ludovicus Engviennæ princeps, poſtea dux Condæus, qui ut acceptam cladem referret, ad *Allersheimium* totis viribus Bojos eſt aggreſſus. Atrox ſane & pertinax erat prælium, ad concubiam uſque noctem protractum.

Cæſorum numerum æquavit ferme fortuna; Galli nihilominus victoriam ſibi attribuebant, quod Boii noctu ſtationem reliquerint, & utrumque ducem amiſerint, videlicet *Mercium*, e comitibus Gelennenſibus oriundum, præcipuis per Europam belli ducibus comparandum, qui in prima mox aggreſſione pila (a ſuis, uti creditur, emiſſa) proſtratus occubuit: & comitem *Gelehnium*, Colonienſis militis ſtrategum, qui 4000 Bavaros adduxerat, & fortiter dimicans captus eſt. Engviennus, brachio licet & femore ſaucius, Dincklſpihlam, & Nördlingam, a civibus ultro deditam, recepit, Hailbrunna fruſtra tentata. At vero abeunte in hyberna Engvienno Gehlenus, cum Grammontio pariter capto commutatus, atque a Maximiliano Electore in locum Mercii ſuffectus, Wimpfenam, Dincklſpihlam, Rottenburgum ad Tubarim, cum Nordlinga recepit. Cadit in prælio Allershuſano. Gehlenus præficitur.

Poſt pacem, Danos inter & Suecos confectam, Saxoniæ ſeptemvir, metuens, ne procella Borealis in provincias ſuas detonaret, inducias cum Suecis eſt pactus, quæ deinde in mediam neutrarum partium ſecuritatem abiit. Saxo neutralis.

Trevirenſis Elector, poſt decennem apud Cæſarem cuſtodiam, urgentibus Franciæ & Sueciæ legatis, hoc anno liber dimiſſus, Treviros ab Hiſpanis, ultro cedentibus, recepit. Sed mox acriter cum cathedrali collegio colliſus, pleroſque canonicos urbe exactos ſacerdotiis ſuis exuere temere conniſus eſt. Trevirenſis liber.

Arti-

# ARTICULUS IX.

## *Res gestæ anni 1646.*

*Pacis consilia. Dorstensonii abdicatio. Urangelii progressus.*

142 SUeciæ legati Osnabrugæ Cæsareæ propositioni, per Trautmansdorffium legationis principem insinuatæ, responderunt: pacem posse constitui, si, publicata generali amnestia, omnia reponerentur in eum statum, quem anno 1618 habuissent. Si Palatinis septemviratus & possessiones pristinæ, duci Wirtembergiæ, marchioni Durlacensi, Nassoviis sua redderentur. Si Augusta, Donawerda, Egra, Bohemia, Austria, velut Imperii membra, suo corpori reddantur. Si abducto militari præsidio sua singulis privilegia confirmentur. Si coronæ Suecicæ belli sumptus, militi stipendia solvantur. Si captivi ultro citroque liberi dimittantur. Pro sumptibus autem petebant Pomeraniam, Silesiam, Vismariam, episcopatus Bremensem, Caminensem, Halberstadensem, Verdensem, Osnabrugensem, Mindensem. Pro Hassis petebant Paderbornam & Fuldam.

Suecorum postulata enormia,

Franciæ autem legatorum Monasterii hæc ferme erant postulata.

Et Gallorum.

1. Lusitaniæ etiam legatis securitatis litteræ conceduntor.
2. Dux Lotharingiæ ab hac pace exclusus esto.
3. Cæsar non ferat Hispanis auxilia.
4. Amnestiam debere esse prorsus universalem.
5. Restituendum statum anni 1618.
6. Omnes Imperii principes plene restituendos.
7. Fas sit principibus fœdera inire cum externis nationibus.
8. Desiderare Gallos, ne quis ex Cæsaris familia proxime eligatur Imperator, ne Imperium evadat hæreditarium.
9. Restituendos omnes captivos, etiam Eduardum Brigantinum.
10. Superior & inferior Alsatia, cum Brisaco, Brisgoia, Sundgoia, civitatibus Sylvaticis, & Philippoburgo &c. Franciæ cedant in justam satisfactionem. Galli autem restituent Spiram, Wormatiam, Moguntiam.
11. Landgraviæ Hassiæ præstandã satisfactionem, uti etiam militi.

Dorstensonius, postquam anno superiore Cæsarianum exercitum pugna Jankaviana profligavit, & Bruna excepta Moraviam subegit, atque in ipsam Austriam excurrit, reductis in Bohemiam copiis, armorum præfecturam, quam præclaris victoriis quadriennio in-

Dorstẽson: præfecturam in Urangelium transfert.

insignivit, excusata valetudine, abdicavit: *Urangelium* successorem nactus. Qui educto ex Bohemia exercitu captisque in Thuringia hybernis, Paderbornam, Lemgoviam, Starbergam, Neohusium intercepit. Paderbornam tamen recepere Cæsariani, præsidiariis omnibus aut cæsis aut captis.

Archidux Leopoldus, cum Hazfeldio, Gehlenio, Reuschenbergio, Werthio, & omni Cæsareo Boicoque exercitu in Hassiam & Vetteraviam progressus, ad Niddam castra metatus est. Sueci vero transcursa Franconia, Nordlingam, Donawerdam, Rhainam occupant, totoque cum exercitu Augustam obsident. At depulsi a Cæsarianis, direpta Landsperga, Weilheimio, Lavinga, Günzburgo, Mindelheimio, denique Brigantium, negligenter custoditum, duce Urangelio expugnarunt. Cæsarei in Hassiam.

Recuperatum hoc anno Crembsium, Corneoburgum, aliaque, quæ Dorstensonius anno superiore in Austria diripuerat. Contra vero Wittenbergius Suecus in Silesia & Moravia dominabatur: cæsis non raro Cæsareis, numero licet potioribus.

Res in Westphalia, Hassia, & Ubiis gestæ Marte vario. Melander (postea dictus Holzapfelius) postquam egregia cum laude Hassicæ militiæ præfuerat, sacramento solutus, ad Cæsareanos transiit, Westphalici circuli factus strategus, in Coloniensis Electoris verba juravit, Gehleno subrogatus. Hazfeldius vero, belli pertæsus, missionem a militia impetravit: archiduce Leopoldo partes suas in adventum Galassii Lokovicio demandante. Melander ad Cæsarem.

# ARTICULUS X.

## *Res gestæ anni 1647.*
## *Induciæ cum Bavaro & Coloniensi renunciantur.*

INitio hujus anni Urangelius (quem ab Augusta depulsum atque Bavariæ aditu prohibitum, ac proin per Sueviam ad Brigantium iter flexisse diximus) ut nullus Germaniæ locus a Suecica procella intactus relinqueretur, oram lacus Acroniani legit, captisque faucibus Brigantinis, cum Augia divite & Menavia insula, irrito duorum mensium conatu obsedit Lindavium, a comite Wolfeggio fortiter defensum. Iram in Brigantium exeruit, solo æquatum. 143 Urangelius ad Acronianos.

Reflexo tum per Sueviam Franconiamque itinere, expugnatoque Schweinfurto, cum Bavariæ, ad tantum impetum retunden-

dum non satis paratæ, jam jam immineret, cum Coloniensi & Bavaro Electore armorum cessationem pactus, Egram in conspectu Cæsarei exercitus cruenta obsidione expugnavit.

Egram capit.

Induciæ autem illæ, quas dixi, Bavaricæ, cum Gallis & Suecis his legibus Ulmæ fuerunt initæ 14 Martii.

Induciæ Bavaricæ & Colonienses.

1. Vis hostilis partes inter paciscentes quiescat.

2. Utraque Bavaria cum Palatinatu Electori pro exercitu suo liberæ permittuntur.

3. Elector Suecis Memmingam & Uberlingam tradat. Illi vero Rhainam, Donawerdam, Wembdingam, Mindelhemium Electori restituant.

4. Augusta, deducto omni externo præsidio, in libertatem reponatur.

5. Elector copias suas a Cæsareis separet, nec deinceps cum hostibus Galliæ & Sueciæ armorum societatem habeat: salva tamen fide & obligatione, quam Imperatori & Imperio debeat.

6. Idem præstabunt Elector & coadjutor Coloniensis, si his induciis frui velint.

Armorum hæc cessatio variis sermonibus locum fecit, ipsumque Cæsarem cum Electore collisit. Quippe Cæsar publicato edicto copias Bavaricas, ceu sibi & Imperio sacramento adstrictas, magnisque a se impensis sustentatas ad se revocabat. Elector vero hunc exercitum suum proprium, suis sumptibus altum, sibi sacramento adstrictum, suis auspiciis ductuque, licet pro Cæsaris & Imperii commodo gubernatum, asserebat. Atque propterea severe edixit, ne quis evocanti Cæsari in hac re pareret. Et, ubi accepit, Werthium & Sporckium, postquam legiones ad transitum frustra sollicitaverant, ad Cæsarianos evasisse, 10000 imperialium in caput illorum statuit, si vivi, mortuive sisterentur.

Cæsar exercitum sibi vindicat.

Transitus Werthii.

Prudenter quippe metuit, ne Cæsare jam offenso, irritaret etiam Gallos & Suecos, in pejorem partem haud dubie eum transitum interpretaturos. Se vero omni præsidio nudatum cuicunque injuriæ obnoxium fore. Igitur Gallos quamprimum Suecosque, quid ageretur, admonuit, ne quid deterius de se suspicentur.

Verum induciæ illæ vix semestrem tulerunt ætatem. Nam cum Elector cerneret, eas non nisi ad differendam pacem tendere, Suecosque insolentiores redditos, duriores conditiones Catholicis proponere, simulque in senatu principum sæcularium primum domus Bavaricæ locum sibi vendicare, etiam bellum novum Electori minitantes: ac denique quod non desinerent ditiones Electoris Colonien-

Renunciat induciis.

nienſis infeſtare in Weſtphalia, 14 Sept. miſſis litteris Urangelio inducias renuntiat; & mox Memmingam occupat, Nördlinga fruſtra tentata.

Urangelius, ne duos inter ignes conflagraret, evocato ad ſe Königsmarckio, Bohemia exceſſit; quem Melander, comes Holzapfelius, in locum defuncti Galaſſii ſuffectus, in Haſſiam egit. A Cæſareanis inde recepta Iglavia. Galli, propter graviſſimam ſeditionem Vinarienſium, qui in Flandriam ire detrectarunt, parum ad rei ſummam in Germania agere hoc anno poterant. Haſſi vero, a Gallis & Suecis adjuti, variis locis Catholicos afflixerunt, ductore Mortaignio, qui Melandro, & Geiſio fuit ſuffectus. Gehlenus vero depoſita præfectura Boica miſſionem obtinuit: cui Gronsfeldius eſt ſurrogatus. Urangelius Bohemia excedit. Melander præficitur.

Tractatio pacis varias facies hoc anno induit pro diverſo videlicet Martis aſpectu. Ineunte Januario cum Elector Brandeburgicus pergeret obſtare, ne Suecis tota Pomerania in ſatisfactionem traderetur, niſi viciſſim Magdeburgenſis, Halberſtattenſis, Hildeſienſis, Oſnabrugenſis, & Mindenſis epiſcopatus domui Brandeburgicæ jure hæreditario tranſcriberetur, non levis in ea eccleſiarum nundinatione orta eſt difficultas, ad quam expediendam Franci & Batavi operam addixere. Facies pacis.

Orta quæſtio de octavo Electoratu, Palatinis tradendo. Brandeburgus volebat, Palatinos abſolute reſtitui. Sueci pro militiæ ſuæ officiis, Germaniæ impenſis, exegerunt vicies centena imperialium millia, a Catholicis ſolvenda: totque erant acatholicorum poſtulationes, ut pax adhuc remota eſſe crederetur.

Obiit hoc anno Anſelmus Caſimirus, Elector Moguntinus; cui ſuffectus Joannes Philippus epiſcopus Herbipolenſis, ex nobili Schönborniorum familia.

*Videantur Puffendorff. Maſcov. Adlz. Struv. Caraf. Piaſec. Hübn. Brach.*

## ARTICULUS XI.

### *Res geſtæ anni 1648.*

ID, quod toto hoc bello Sueci habebant uſu receptum, ut rigente bruma ſubitam irruptionem facerent, id hoc etiam anno ſolenne illis fuit. Bavaricus miles laboribus erat feſſus, multumque imminutus. Melander, ut Haſſos vexaret, Cæſareanos ſic attri- 144 Cæſarei militis ſtatus.

 verat,

verat, ut vix novem eorum millia superessent. Cum igitur viribus impares essent, Gallo-Sueci Donawerdam, Höchstadium, Dilingam, Lavingam, Gundlfingam, Harburgum, Dinckelspihlam, Gamundiam, Ehingam, aliasque urbes, qua expugnatas, qua ultro deditas receperunt, & expilarunt.

Hostis progressus ad Danubium.

Melander prælio ad Augustam occumbit.

Conflictu dein prope Augustam habito, Melander comes Holzapfelius occubuit, Königsmarckio, quod Cæsareo-Boici campo excesserint, merito se pro victore gerente. Cum autem Gronsfeldius, Boicæ militiæ ductor, grandi errore copias a Lyco abduxisset, Gallo-Sueci in Bavariam effusi, ultionis libidine asperum sane in modum sævierunt.

Hostis in Bavariam. Populatio.

Ac primo quidem Isara potiti Frisingam & Landishutum intercipiunt; tum vero immani populatione, exactionibus, & incendiis dire grassantur: elegantissima oppida, quibus Bavaria abundat, redacta in cinerem, vel direpta, messis vel corrupta ab hoste, vel neglecta a colonis dilapsis. Tristis ubique rerum facies. Elector ipse Maximilianus cum aula Monachio relicto Salisburgum secessit, oculos subtracturus tristi spectaculo. Consiliis tamen & mandatis regebat exercitum.

Müldorffio subacto, Oenoque frustra tentato, Erdingam aliaque loca in bustum redigunt. Tandem æstate inter vastationes Bavariæ exacta Turrenius & Urangelius in Sueviam & Franconiam recedunt, insequentibus Cæsareo-Boicis, qui frequenti velitatione cladem haud modicam hosti intulerunt; majorem, dum Urangelius prope Monachium venationi vacaret, illaturi, nisi Werthius apud Cæsareos supremus equitum magister, ira necdum posita, egisset remissius.

Gronsfeldius in custodiam.

Porro Gronsfeldio, qui Gehleno successerat, & ob rem ad Lycum male gestam, permissamque hosti irruptionem in Bavariam, Ingolstadii in custodia detinebatur, Maximilianus in armorum præfectura suffecit primo quidem Hunolsteinium, dein vero Baronem Enckevortium: Cæsar vero Melandro cæso Piccolomineum Amalphitanum ducem, qui Bavariæ laboranti auxilio venerat; sed ne discrimini copias objiceret, cunctantius, quam Elector optabat, procedebat: vastata interim per amicos & hostiles exercitus provincia.

Ultimus furor.

Interim vero Sueci in Bohemia & Silesia, Hassi in Westphalia partibus suis non deerant, ne quam provinciam ultimus turbo præteriret. Silesiam vastavit Wittenbergius, Westphaliam Geissius profligato Lamboio. Bohemiam infestandam sibi sumpsit Königsmarckius, postquam a Turrenio & Urangelio sejunctus per

Pala-

Palatinatum ſuperiorem locaque finitima arma circumtulerat: Neotoro, Weida, Naburgo, Schwandorffio, Hirſchavia, Kemmato &c. interceptis, relictisque triſtibus ubique veſtigiis, quæ in ſeram ætatem oſtenderent, adfuiſſe Suecos.

Mox in Bohemiam irruens Königsmarckius Pilſenſem agrum exactionibus, abigeatu, expilatione vexavit, atque ad Pragam, modico præſidio oſcitanter ac remiſſe cuſtoditam, obſidendam animum adjecit: uſus in eam rem Streitbergio, qui ad Suecos defecerat. Hujus igitur conſilio & auxilio nocte intempeſta in Pragam minorem irrumpit, Ratſchinum, ſedem regiam, & armamentarium ſuæ poteſtatis facit, procerum palatia diripit, lytrum immenſum extorquet, & incredibilem opum theſaurum congerit.

Minor Praga dolo capta.

Coloredus, urbis præfectus, in civitatem veterem fuga elapſus, omnia ad defenſionem apparabat, urbana etiam & litteraria juventute ad arma & ſtationes obeundas vocata. Tantaque virtute & conſtantia urbs vetus & nova reſtitere, ut Königsmarckius fruſtra ex Ratſchino in eas detonaret, atque per Moldavæ pontem aditum moliretur.

Urbis veteris conſtantia.

Venit equidem, poſt exſuctam & depaſtam Sileſiam, ſubactamque Taborem Königsmarckio in auxilium Wittenbergius, famoſus ductor Suecus, ſtratoque ad Judæorum oppidum Moldava ponte, novas a Carolo Guſtavo duce Bipontino copias e Suecia exſpectavit, quas ille ad 8000 5 Octob. adduxit. At noſtri omnes conatus, incurſus, cuniculos ſunt fruſtrati, donec ſub initium Novembris pax Weſtphalica litem diremit: altiori ordine ita diſponente, ut quæ urbs ante triginta annos graviſſimo poſt hominum memoriam bello initium dederat, eadem nunc tandem, correcto errore, finem eidem imponeret, relicto dubio, viciſſentne Sueci, ſi bellum continuari contigiſſet.

# CAPUT VI.

# *PACIFICATIO WESTPHALICA.*

## ARTICULUS I.

### *Præparatio ad congreſſum.*

SEptem jam annos Hamburgi, Coloniæ, & alibi diſceptatum fuerat de loco, tempore, modo, quo conventus quidam univer- 145.

ſalis ad ſanciendam pacem poſſit colligi, donec tandem pro Colonia Monaſterium placuit, & pro Hamburgo Oſnabruga: illud quidem pro pace cum Gallis, hæc cum Suecis componenda: ut facilior eſſet conſiliorum communicatio: data utrique urbi pro legatis & commeatu ſecuritate. Haud dubie facta hæc locorum diviſio, ne Gallia videretur favere Suecis & Proteſtantibus Germaniæ in religionis negotio.

Dicta primum congreſſui dies 25 Martii 1642. Sed cum ratione ſalvi conductus, titulorum, ſedendi ordinis, variæ difficultates ſe opponerent, ac, præparatis necdum ad ſeriam pacem omnium animis, ſingulæ verborum & parergorum apiculæ diſputarentur, prolatus eſt terminus ad 11 Julii 1643. Miſſi legati a Cæſare pro conficienda pace Gallica comes Naſſovius, & Iſaacus Volmarus: pro Suecica comes Auerſpergius & Cranius juriſconſultus: quibus poſtea acceſſit comes Lambergius. A Chriſtina, regina Sueciæ, Joannes Adlerus Salvius a tenui fortuna ad ſummas dignitates evectus; cui poſtea acceſſit Joannes Oxenſtirnius, filius Axelii regni cancellarii: a Gallia Memmius comes Avallius, & Servientus: ab Hiſpanis comes Zappada (brevi poſt mortuus), Brunus, & Savedra. Mediatores miſſi, primum ab Urbano VIII, dein ab Innocentio X Fabius Chiſius, nuntius Apoſtolicus tunc Coloniæ, a republica Veneta Contarenus, pro pace Monaſterii cum Gallis concludenda: a rege Daniæ vero *interpoſitores*, uti vocabantur, Oſnabrugam delegati pro ineunda concordia cum Suecis.

Legati.

Verum cum Sueci Holſatiam ſubito invaderent, aliasque Dani provincias, ob naves, uti prætendebatur, in freto Oreſundico interceptas, Danus ſuos revocavit. Tanta inſuper erat Gallorum Suecorumque cunctatio, ut primum anno 1644 ad locum congreſſus ſe conferrent: & ne tum quidem parato ad pacem animo, ſed eo potius fine, ut culpam protracti tamdiu exitioſi belli a ſe amotam in Cæſarem & Hiſpanos poſſint conjicere.

Cunctatio,

Miſſæ tunc etiam a Galliæ legatis litteræ encyclicæ ad omnes Imperii ordines, quibus eos ad locum congreſſus invitabant, Cæſaremque affectati in Germania abſoluti dominatus accuſabant. Reſpondit Cæſar, Gallisque ac Suecis quæſitum Germaniæ jugum objecit.

Et remoræ.

Cum itaque ægris adeo averſisque animis congrederentur, facile eſt cogitatu, quantæ difficultates fuerint ſuperandæ, ut in amicam pacem ſerio coaleſcerent: quantasque moras negotio injecerint. Modo de ſolennitatibus, quibus legati eſſent excipiendi, modo de titulis, modo de ordinis prioritate, jam de legitimatione

ne & formulis mandati procuratorii, jam de mediatione Danica, jam de admittendis ad congressum Imperii statibus disputabatur, caussam dilatæ pacificationis parte altera in alteram rejiciente.

Maxime autem sicut in præliminaribus Hamburgensibus, sic etiamnum disceptabatur de vocandis ad tractatum aut admittendis Imperii statibus, quos Sueci ac Galli cum jure suffragii decisivi præsentes volebant, Cæsarei autem Imperatori jus sanciendi pacem adstruebant; eo quod status tantum in comitiis Imperii jus voti habeant: &, si vocandi aut admittendi forent, a solo Cæsare posse convocari. Indulsit tamen Cæsar, ut status, quicunque vellent, ad congressum irent, & consiliis pacem promoverent.

De admittendis statibus lis diuturna.

Atque hac ratione inter istas disceptationes totus annus 1643 & 1644 vacuus abiit, nisi quod sub hujus finem legati Cæsarei & Hispani per interpositores seu pacis sequestros, Pontificium & Venetum, primam pacis propositionem Monasterii Gallis obtulerint, per quam petebant, omnia hoc bello ablata restitui. Galli vero ante omnia restitutionem Trevirensis in integrum postulabant; qua non præmissa ad tractationem progredi recusabant. Quamvis autem dein hoc de postulato aliquid remitterent, volente nihilominus summo Pontifice, a nuntio ejus Viennensi, cui Trevirensis custodiendus fuerat ab Austriacis traditus, liber ad archiepiscopatum, & Electoratum suum dimissus est, postquam pacem Pragensem est amplexus, & promissa amnistia suo capitulo, Cæsari fidem spopondit, relicto interim Hermansteinio ejusdem præsidiis, donec hoc bellum esset compositum.

Prima Cæsaris propositio.

## ARTICULUS II.

### *Acta anni 1645. De admittendis etiam mediatis ad pacificationem.*

CUm interea Sueci insignem ad Taborem in Bohemia victoriam 146
retulissent, arcum multo magis intendebant, omne armistitium aspernati, & mediatorum etiam Imperii subditorum ad conventum admissionem obnixe postulantes: quod Hamburgi in tractatu prævio omnibus coronæ utriusque sociis & adhærentibus securus accessus sit promissus.

At vero Cæsarei nec statibus immediatis eo in conventu suffragium competere arbitrabantur. Tres enim duntaxat in Imperio esse consultandi decernendique modos, quibus Imperii ordines votum

ferant,

ferant, videlicet in conventibus circularibus, a directoribus convocatis; in conventibus deputatorum Imperii, quos Moguntinus indicat, & in comitiis Imperii generalibus, a Cæsare adornatis. Talia autem comitia propter temporum difficultates haberi non posse: deputatorum vero conventum adhuc Francofurti continuari.

## Num. I.

### *Prima Suecorum propositio.*

147 Tandem nihilominus ipso SS. Trinitatis festo Sueci suam de pacis conditionibus propositionem Cæsareis legatis tradiderunt, 18 articulis comprehensam. Primis quatuor plena amnistia statuitur, & restitutionis universalis terminus in ecclesiasticis & politicis figitur annus 1618, in statum nempe, quo ante motus Bohemicos res fuere: inclusis etiam Reformatis. In 5 petitur, ut non nisi vacante Imperio rex Romanorum eligatur. Si leges ferendæ, aut interpretandæ, si bellum, pax aut fœdera ineunda, si ordinibus tributa imponenda, si Imperii status dignitate aut bonis exuendus, id non nisi cum comitiali liberoque omnium Imperii ordinum suffragio & consensu fiat.

In 6 statibus liberam volunt facultatem cum exteris faciendi fœdera pro sua conservatione & securitate.

In 7 omnia circa intellectum Pacis Religiosæ dubia, omniaque ecclesiastica & politica gravamina sublata volunt.

In 8 amnistia & restitutio extenditur ad omnes milites & officiales, qui Suecis aut Gallis adhæserunt.

In 9 omnes captivos, interque eos principem Eduardum, fratrem regis Lusitaniæ, liberos dimitti postulant.

In 10 petitur satisfactio pro regibus & eorum fœderatis, ut pro præteritis præstentur indemnes, & in futurum securi.

In 11 satisfactio extenditur ad militiam,

In 12 vero ad landgraviam Hassiæ & principem Transylvaniæ.

13 His ratis præstitisque loca occupata cum tormentis aliisque ibi repertis priori legitimo domino restitui jubentur.

14 Militia in Imperio penitus exauctoretur, Suecico milite in status reginæ translato.

15 Commercia libertati anni 1618 restituantur.

16 Hac pace comprehendantur, qui voluerint.

17 Si quis promissa in hac pace non servet, omnes junctis armis eum compellant.

18 In-

18 Inſtrumentum hoc pacis a legatis ſubſcriptum ſignatumque mutuo extradatur, ejusque ratihabitio a Regibus eorumque fœderatis, item ab Imperatore & ordinibus Imperii ſignata, commutetur.

Hæc ferme omnia continebantur in inſtrumento quoque Gallico, iis ſolummodo demptis, quæ Sueci de religione inſeruerant. Paulo autem poſt adjecere clauſulam, qua etiam Ragozio, Tranſylvaniæ principi, ſalvum conductum ad congreſſum petebant.

## Num. II.

### *De admittendis ad congreſſum, & modo conſultandi.*

TUm vero uſque ad Septembrem acriter diſceptabatur de modo conſultandi. Quo Gallorum Suecorumque propoſitioni reſponderi debeat. Legati Cæſarei, cum obtinere ab ordinibus non poſſent, ut ad Imperatorem deferretur pacis arbitrium, magnopere inſiſtebant, ut illud deputatis Imperii, qui Francofurti eſſent congregati, relinqueretur, vel ut ſaltem ea deputatio Monaſterium aut Oſnabrugam evocata rei ſummam tractaret, atque primum ad ſtatus reliquos ſententiam referrent, tum vero ratihabendam ad Cæſarem. 148

At vero ſtatus, præſertim Proteſtantes, magno conatu ſe opponebant: omnium ſtatuum cauſſam agi, omnibus proin jus ſuffragii liberi competere, non mere conſultivi, prout contingeret, ſi Cæſari, aut ſeptemviris, vel etiam deputatis quibusdam ex ordinibus ſtatuendi poteſtas tribueretur, ſed deciſivi omnino ac definitivi. Quod enim omnes tangit, ab omnibus debere approbari. Inauditum etiam eſſe in Imperio, ut præſentibus ordinibus reliquis, ad paucos deputatos cauſſa omnibus communis transferatur. Particulares non raro cauſſas certis deputatis ex uſu Imperii committi, non vero ſalutem totius reipublicæ.

Sed neque circularibus conſultationibus hic locum eſſe, in quibus cujuslibet circuli ſtatus ſeorſim collecti viritim ſua darent ſuffragia, dein vero cum reliquis circulis conjuncti curiata, ita, ut decem prodirent vota curiata. Nam licet hac ratione omnes & ſinguli ſtatus jure ſuffragii fruerentur, hunc tamen conſultandi modum alienum eſſe ab uſu Imperii, quando de toto Imperio conſultandum. Privata cujusvis circuli negotia pertinere ad conventus circulares, non vero publica, & toti corpori communia: tunc enim per tria collegia & tria vota curiata rem conficiendam: præterquam, quod

præter circulum Franconicum & Suevicum nulli adſint ſtatus in forma circulari.

Igitur in præſenti publico pacificationis negotio eum modum formamque conſultandi eligendum, qui pro ſumma rei gravitate conſtitutionibus Imperii conformis uſuque ſit receptus; per fo mam nimirum univerſalium comitiorum, ſeu per tria collegia, Electorum, principum, & civitatum, in quibus ſuum viritim quilibet ſtatus dat ſuffragium; ut adeo poſt *re-& correlationem* tria dein curiata ſuffragia trium horum collegiorum concluſum Imperii conſtituant.

Nolebant tamen Proteſtantes ea appellare vera Imperii comitia, utpote in quibus, etſi omnium trium collegiorum vota curiata conſentiant, diſſentiat autem ſolus Imperator, nullum poteſt prodire concluſum aut receſſus Imperii. Igitur ut neceſſitatem Cæſareæ approbationis evitarent, rem quidem ipſam comitiis Imperii propriam poſtulabant, nomen tamen fugiebant, dicebantque, in hoc caſu neceſſitatis extraordinario, qui nullum ante ſe exemplum habeat, non quidem celebranda comitia, per modum tamen comitiorum tractandum negotium. Sic enim fore ſperabant, ut neque confirmatio Cæſarea ſit neceſſaria, neque convocatio, ſed quemlibet Imperii civem ab amore patriæ ad commune velut incendium reſtinguendum citari: neque prævalere hoc pacto poſſe majora Catholicorum ordinum ſuffragia: & quidquid juvantibus exteris coronis contra normam conventuum, contra uſum & conſtitutiones Imperii acturi eſſent Proteſtantes, eo colore fucari poſſet, ab extraordinariis Imperii morbis extraordinaria exigi remedia.

Cum autem Cæſarei legati & plerique Electorum his auſibus obviam ire conarentur, querulæ mox voces audiebantur: ſuo ſuffragio neminem citra injuriam privari poſſe: oppreſſum iri ſtatuum libertatem: ad abſolutum dominatum Cæſareos tendere: timendum, ne alium ordines ſibi dominum quærant, prout ipſe D. de Meiern teſtatur *in actis pacis Weſtph. ad ann.* 1645 *fol.* 416.

Utque eo certius ſcopum ferirent, magno conſenſu liberis Imperii civitatibus aſſiſtebant, de quibus controverſum eo uſque fuerat, an deciſivo in comitiis voto gauderent, an conſultivo tantum: nam deciſivum illis adſtruebant. Cum etenim pleræque, potentiores præſertim, ex illis civitatibus eſſent acatholicæ, magnam rebus ſuis acceſſionem videbant, ſi tertii collegii votum curiatum haberent in poteſtate, & cum voto principum adverſus Electorale poſſent conjungere.

Cæſarei quidem oratores variis argumentis demonſtrabant,

quam arduum quantorumque sumptuum opus sit, omnes status, sedibus suis excitos, Monasterii & Osnabrugæ præsentes sistere: sed veriti, ne Protestantes, per pacem Pragensem Cæsari conciliati, ad partes Suecorum aperte rursus descilcerent, cedere coacti sunt, omnesque, qui de jure in comitiis potiuntur voto, prout vellent, ad suffragium admittere.

De eo tamen adhuc ineunda erat ratio, quomodo ordines & Monasterii & Osnabrugæ simul possint esse præsentes, atque Imperii senatum constituere. Nam ut singuli status, alioquin tam diuturno & atroci bello jam exhausti, ad utrumque locum legatos suos mitterent, grave nimis & sumptuosum apparebat. Visum initio, e re fore, si unum ex tribus collegiis in hoc loco, reliqua duo in altero subsisterent. Sed quia hæc res invidiam apud Gallos & Suecos esset paritura, mutato dein consilio, ex quolibet collegio aliquos legatos Monasteriensi, aliquos Osnabrugensi tractationi destinare placuit, ita quidem, ut utrobique eadem deliberationis materia, & eodem tempore tractetur, atque per internuntios aut deputatos mutuo communicetur. Si autem Monasteriensia conclusa ab Osnabrugensibus discreparent, parti utrique aut Monasterii aut Osnabrugæ (alternatim) conveniendum fore, atque per tria collegia, prout in comitiis universalibus fieri consuevit, consultandum & accedente Cæsareo assensu conclusum Imperii formandum.

## Num. III.

### *De exclusis a suffragio.*

QUamvis autem Cæsarei Imperii ordines ad suffragium tandem admiserint, exclusos tamen volebant Magdeburgicum, Hasso-Casellanum, Durlacensem, Sarrepontanum, & initio etiam Argentinam. Magdeburgicum quidem (Saxoniæ Electoris filium) quod per Reservatum Ecclesiasticum Protestantes essent incapaces obtinendi episcopatus, qui ante Pacem Religiosam Catholicos habuissent præsules. Adhæc vivere adhuc Christianum Brandeburgicum, qui anno 1625 non fuisset canonice destitutus, ac proin sedem illam nunquam vacasse: Augusto autem Saxoni, Electoris filio, non nisi per pacem Pragensem administrationem illius archiepiscopatus fuisse permissam, ea tamen lege, ut suffragio circulari contentus, a sessione & suffragio in Imperii comitiis abstineat. 149

Cur aliqui exclusi?

Landgravium vero Hasso-Casselanum, Marchionem Durlacensem, & comitem Nassovio-Sarepontanum a sessione & voto ex-

cluſos volebant Catholici, quod Cæſaris & Imperii hoſtes eſſent, Gallis Suecisque fœderibus juncti arma cruenta adhucdum manibus geſtarent, & Cæſarem fidosque Imperii ordines aperto bello, cædibus, incendiis, & immanibus exactionibus vexarent. Cum conſtitutionibus uſuque Imperii, imo ipſa recta ratione & gentium jure pugnare, ut illi, qui cum Gallis & Suecis, Imperii hoſtibus, partem conſtituerent, in ſenatu ordinum ſederent, & in propria cauſſa ſententiam dicerent. Qua enim ratione reipublicæ eſſent conſulturi, & pro Imperio laturi ſuffragia, qui contra illud arma ferrent? qui conſilium collaturi adverſus hoſtes, quibus pertinaci adeo fœdere eſſent innexi? quis ſecure animi ſenſus aperiret, quos illico hoſtibus prodendos metueret?

Et quid? ſi porta hæc ſemel aperiatur, ut in ſenatum Imperii admittantur, quos conſtitutiones arcent, quid *immediatam* Imperii nobilitatem, quid alios, qui epiſcopatus invaſerunt, quid eos, qui regiones ſubditas regunt, nec tamen potiuntur jure ſeſſionis & ſuffragii, quid ipſos etiam ſtatus *mediatos* facturos exiſtimandum? an non eodem jure in hoc publico pacificationis negotio ſibi locum & ſuffragium vindicaturos, ut, quod omnium civium intereſt, ab omnibus in commune diſceptetur, ſtatuaturque? quæ autem hæc confuſio? quam pernitioſi in futurum exempli ratio.

Permiſſum equidem a Cæſare in comitio Ratisbonenſi & tractatu prævio Hamburgenſi, ut omnibus, qui Gallis Suecisque adhærent, ad locum pacificationis venire liceat, datas etiam in hanc rem ſecuri commeatus litteras, ut fœderatis ſuis juncti rebus ſuis conſulant, nullatenus vero, ut conſultationibus Imperii interſint, & ſuffragium ferant, donec cum Cæſare & Imperio ſint conciliati.

Et vero licet Haſſi, Durlacenſes &c. non ſint publice denuntiati hoſtes Imperii, & conteſtentur, ſe tales non eſſe, hanc tamen proteſtationem eſſe contrariam facto notorio, quod ſententiam declaratoriam non requirat. Cum igitur hæc ſint publica Imperii comitia, in quibus per tria collegia primum viritim, dein vero per *re- & correlationem* curiatim colligantur ſuffragia, omnia ad normam conſtitutionum Imperialium eſſe exigenda: niſi quis forte ſit, qui exiſtimet, fundamentales Imperii leges ſubvertendas. Præterquam, quod ipſum jus naturæ & gentium hoſtes publicos a communibus conſiliis arceat. Atque ex hoc ipſo ſatis pateſcere, quænam pars tractatum de ipſa pace remoretur, & triſte initium iisdem præfigat, an ea, quæ ad amuſſim legum & conſue-

tudinum

tudinum Imperii conventum hunc celebrandum contendit, an vero ea, quæ, iis posthabitis, modo extraordinario, novo atque inaudito exemplo omnia constituenda decernat.

Hæc maxime momenta sunt, quæ a Catholicis ordinibus Monasterii congregatis, ad Protestantes Osnabrugam sunt perscripta. Verum isti loco confutationis minas intentarunt, Gallos Suecosque non cessuros, sed potius tractatum abrupturos, quam ut socios suos a senatu Imperii excludi patiantur. Sibi pariter constitutum esse, nisi exclusi status admittantur, ad consultationes non procedere.

Cum autem hæc per quatuor jam menses controversia Catholicos & Protestantes adeo distraxisset, ut ad rei summam perveniri non posset, tandem mense Decembri ita conventum est, ut exclusi certis sub conditionibus admitterentur, nominatim, ut legatus Magdeburgicus transverso scamno sedeat, & post Austriacum, Bavarum, ac Burgundum sententiam dicat, ea tamen lege, ut hæc sessio & votum (neque in petitorio neque possessorio) nulli unquam ex Catholicis sit præjudicio: sed, si in discussione gravaminum hæc res non sit componenda, actus iste omnino pro nullo reputetur. Tandem omnes admissi.

Notandum autem hic eruditionis amplioris gratia, quod Magdeburgicus, dum adhuc catholicis sacris erat addictus, de sessionis & voti prioritate litem moverit Austriaco & Salisburgensi, atque Germaniæ Primatem se gesserit. Lis hæc ad Friderici III Cæsaris tempora originem suam refert. Cum enim domus Austriaca ob archiducalem dignitatem primum in scamno ecclesiasticorum locum occuparet (sæcularibus principibus cedere nolentibus) Salisburgensis & Magdeburgicus se opponebant. At tempore Maximiliani I uterque cessit. Sæculo XVI controversia recruduit, donec tandem anno 1566 Austriaci stabilem eam sedem obtinerent. (*Boehmerus dissert. de pace Westph.*) Osnabrugæ vero, inter Protestantes, dum Austriacus & Salisburgensis abessent, non tantum primum locum Magdeburgicus occupavit, sed etiam *directorium*, ut appellant, gerebat, proponendo quæstiones, quæ in deliberationem veniebant, & conclusum ex statuum suffragiis formando. Magdeb. Sessio

At non istud duntaxat circa exclusos litigium tractatum pacis morabatur, sed titulorum etiam prætensio *Excellentiæ* titulum Cæsar legato Veneto, qui mediatoris partes agebat, tribuerat. Graviter id accepere Imperii ordines, maxime septemviri, quorum legati eodem titulo honorari petebant: ad auctoritatem Lis de titulis.

& ſplendorem Imperii id pertinere arbitrantes. Quamvis enim Venetorum respublica etiam regna poſſideat ſubjecta, attamen ſeptemviros, regibus ſuppares, non minori honore ornandos, nec ulli, præterquam coronatis capitibus cedere. Neque abnuit Cæſar. At vehementer obſtabant reliqui Imperii principes, rem ab uſu eſſe alienam, atque ad deprimendum collegium principum ſpectare, a quorum ornamentis non minus Imperii dignitas ſplendere debeat.

Gallis etiam ſimilem ob cauſſam aliquid injectum remoræ. Cum enim Avallio & Serviento comitibus tertius acceſſiſſet legatus Franciæ, dux Longavillæus, longa ſtirpe regium ſanguinem attingens, *Altitudinis* titulum is ſibi volebat tribui, negantibus legatis Cæſareis & Imperii principibus. Atque ob hæc titulorum parerga, cum Longavillæus, Electorum & principum legati, atque Venetus, publicos inter ſe congreſſus evitarent, easque ceremoniales inter diſceptationes tempus diffluerent, diuturnæ ac perniciosæ protelationes pacis negotium retardarunt. Acceſſit principes inter quosdam Proteſtantes, uti Haſſos, Wirtembergicos, Badenſes, Mechlenburgicos, & Pomeranos de ordinis prioritate contentio.

## Num. IV.

### *Reſponſio Cæſaris ad propoſitionem Suecicam.*

150 AD propoſitionem Suecicam, 11 Junii factam, Cæſarei tandem legati 26 Sept. (juxta ſtylum calendarii novi) reſponderunt. Atque imprimis ſupervacaneum exiſtimant in cauſſas belli in amica hac pacis compoſitione inquirere, cum de Ferdinandi II innocentia ſatis orbi conſtet. Dein ſingillatim ad articulos propoſitionis Suecicæ reſpondent.

Ad 1 nemo prætextu hujus belli quidquam moleſtiæ alteri inferat, omnesque injuriæ perpetua ſint oblivione ſepultæ.

Ad 2 pax ſit univerſalis & perpetua inter Cæſarem, ſtatus Imp. *Regem Hiſp.* domum Auſtr. ipſorumque fœderatos & adhærentes, atque inter reges Sueciæ, & Galliæ, ipſorumque adhærentes. (Rex Hiſp.)

Ad 3 juxta univerſalem *amniſtiam, in comitiis Ratisbonenſibus* anno 1641 concluſam, omnes Sueciæ aut Galliæ adhærentes reſtituantur in eum ſtatum in ſacris & profanis, quo ante ortum hoc cum Suecis bellum floruerunt, non obſtantibus quibuscunque & quomodocunque factis interim mutationibus, præterquam de (Amniſt. Ratisb.)

qui-

quibus per R. I. *anno* 1641 *Ratisbonæ* aliter fuit ſtatutum, caſſata ſuſpenſione effectus amniſtiæ, ibi ſancitæ.

Ad 4 juſtitia omnibus æquabiliter ſecundum fundamentales conſtitutiones & Pacem Religionis adminiſtretur. Reformati permittuntur frui hac pace, *ſi velint*, & *quiete vivant.* Reformati.

Ad 5 quæ in his articulis de juribus S. C. M. & ſtatuum continentur, jam pridem compoſita fuiſſe, unam ſupereſſe Haſſiæ landgraviam, quæ contra Majeſt. Cæſ. in armis ſtet. Quid circa electionem *regis Romanorum*, & Imperatoris, aliisque publicis deliberationibus & negotiis obſervandum, ex Aurea Bulla aliisque Imperii conſtitutionibus clare conſtare. His Cæſarem firmiter inſiſtere. Neque apparere, quo titulo Sueci a Cæſare quoad hæc aliquid prætendant. Si quid autem in ipſis conſtitutionibns mutandum aut declarandum, ad plena comitia Imperii pertinere. Rex Rom.

Ad 6 ſi novæ leges ferendæ, ſi veteres interpretandæ, ſi bellum, pax, aut fœdera facienda, ſi publica ordinibus tributa imponenda, placere, ut hæc non niſi cum comitiali ac libero omnium ordinum ſuffragio fiant: ſalvis tamen iis, *quæ ad Imperatorem & collegium Electorale* ſolum pertinent. Reſervata Imp.

Ad 7 ſtatuum jura maneant illibata, liberumque illis ſit jus, cum exteris faciendi fœdera pro ſua conſervatione & ſecuritate, modo non ſint contra Imperatorem & Imperium, & Pacem ejusdem Publicam, fiantque ſalvo per omnia juramento, quo Imperatori & Imperio quis eſt obſtrictus.

Ad 8 quæ hactenus inter Catholicos & Proteſtantes de Pace Religionis & bonis eccleſiaſticis motæ ſunt controverſiæ, communibus utriusque partis conſiliis in hoc tractatu, abſque dilatione componendas. Sed & cætera eccleſiaſtica & politica gravamina funditus extirpanda.

Ad 9 repetitur amniſtia & reſtitutio in ſtatum, ante dictos motus habitum.

Ad 10 placet, omnes captivos abſque lytro intra menſem liberos dimitti. Solvendos tamen cuſtodiæ ſumptus. Cæterum non agnoſcere legatos Cæſareos alium regem Portugalliæ, quam Regem Catholicum, ad quem negotium *de liberando Eduardo* Bragantino remittant. Eduardus.

Ad 11 Cæſarem regibus regnisque *ad nullam ſatisfactionem* teneri, quin potius a regina regnoque Sueciæ petendi cauſſam juſtam habere. Si tamen ſtatibus placeat, in hoc puncto tractatui Schönbeckiano inhærere, Cæſareos nihil refragari. Cum *landgra-* Satisfactio.

*via*

*via Hassiæ* jam pridem certis conditionibus esse conventum. Principem Transylvaniæ non pertinere ad status Imperii, Suecis confœderatos & adhærentes per Germaniam.

Ad 12 placet, ut post hanc pacem publicatam loca occupata cum tormentis &c. legitimis dominis reddantur.

Ad 13 militia in Imperio exauctoretur, retento ex iis, qui volent, & in suos status traducto, eo numero, quem quæque pars pro securitate sua necessarium judicaverit.

Ad 14 commercia, ut ante hæc bella, vigeant, sublatis omnibus impedimentis, interea oppositis.

Ad 15 hac pace comprehendantur, qui voluerint, ante conclusionem tractatus nominandi.

Ad 16 si quis post pacem conclusam ea, quæ his articulis sunt comprehensa, non servet, nec ea res amice, aut juris disceptatione possit componi, teneatur utraque pars arma sumere, & injuriam repellere.

Ad 17 instrumenta pacis mutuo extradantur, & arma cessent, interim vero de armistitio conveniatur, & tractationi sedulo insistatur.

Ad 18 Pax confirmetur ab Imperatore & statibus Imperii, item a regibus regnisque Sueciæ & Galliæ, eorumque ordinibus. Denique commutatio & publicatio subsequatur.

## Num. V.

### *Cæsarea Responsio ad propositionem Gallicam.*

151 Hisp. Lothar. AD 1 placet, ut bellum firma pace finiatur inter Cæsarem, Imperium, *Regem Hisp.* domum Austriacam, Carolum *ducem Lotharingiæ* ejusque fratrem & liberos, ipsorumque fœderatos ex una, & regem Christianissimum, reginam Sueciæ, eorumque fœderatos ex altera parte; atque ad hunc finem ocius de *armistitio* conveniatur. (Armistit.)

Ad 2 placet, ut inter utramque partem sit firma pax & sincera amicitia.

Ad 3 exspectant Cæsarei, quomodo Franciæ legati circa securitatem pacis se explicent. Postquam autem pax hæc etiam cum rege Hispaniæ fuerit conclusa, Cæsar se non immiscebit bellis, quæ inter Galliam & Hispaniam nasci possent, neque assistet inimicis Franciæ & Sueciæ: salvis tamen Imperii constitutionibus

tionibus, & juribus, regi Catholico ex *transactione Burgundica* anni 1548 competentibus. Similiter neque rex Galliæ se immiscebit bellis, quæ inter *Cæsarem & coronam Sueciæ* nasci possent, neque assistet inimicis Cæsaris, Imperii, & *regis Catholici.* Trans. Burg. Assistentia.

Ad 4 placet, plenam amnistiam decerni.

Ad 5 omnes, qui alterutri parti ac nominatim *domui Lotharingicæ*, aut Hasso-Cassellanæ servierunt, restituantur.

Ad 6 *restitutio* fiat in eum statum, quo *ante initium* hujus cum Gallis belli res fuerunt: exceptis, quæ in R. I. Ratisb. aliter sunt conventa.

Ad 7 res Imperii ad Imperatorem & status pertinere, ex Imperii legibus constituendas. Placere tamen, ut omnes status in pristinis juribus & privilegiis confirmentur, gaudeantque jure suffragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, maxime, ubi de pace, bello, contributionibus, delectibus, hospitationibus militum, præsidiis imponendis, novis fortificationibus intra ditionem statuum, fœderibus, ferendis legibus, aut interpretandis agitur. Talia enim in posterum non aliter nisi in universalibus comitiis tractanda: salvis tamen *Imperatoris & Electorum* juribus, omniaque intelligendo juxta *morem antiquum* in Imperio receptum. Salvis reservatis, & more antiquo.

Ad 8 placet, statibus concedi jus faciendi fœdera, tam inter se, quam cum finitimis: modo non sint contra Imperat. & Imperium &c.

Ad 9 placet, omnes laudabiles consuetudines, leges, & speciatim Bullam Auream contra omnes adversantes observari, præsertim circa electionem Imperatoris. Reliqua autem, quæ sunt in propositione Gallica de non *eligendo rege Romanorum*, vivente Imperatore, magis adversari juribus Imperii & libertati Electorum. De rege Rom.

Ad 10 placet, captivos utrinque reddi absque lytro. Negotium autem de *liberando Eduardo* Bragantino ad regem Catholicum pertinere. Eduardo.

Ad 11 placet, commercia restitui in statum pristinum.

Ad 12 placet, provideri assecurationi hujus tractatus.

Ad 13 Cæsarem *ad nullam satisfactionem* Gallis obligari: sed restitutionem omnium petere. Satisfactione.

Ad 14 multo minus apparere, cur Galli satisfactionem pro omnibus suis fœderatis, ac nominatim *pro Hassis* petant, cum quibus jam sit transactum.

Ad 15 placet, militiam in Imperio exauctorari, retentis, & in proprios ſtatus traductis neceſſariis ad ſecuritatem.

Ad 16 Cæſar poſtulat, ſibi, fœderatis, & nominatim *Lotharingo* erepta ante omnia reſtitui.

Ad 17 nominandos ante concluſionem pacis, quos utralibet pars in ea velit comprehenſos.

Ad 18 placet, ut hæc pax, ubi concluſa, ſubſcripta, & ſigillata utrinque fuerit, ſimul utrinque, tam Monaſterii quam Oſnabrugæ inter partes commutetur, atque ab illo momento firma ſit & rata, atque protinus executioni mandetur. Accedat confirmatio Imperatoris & ſtatuum, item regum & regni ordinum, mutuo extradenda.

## Num. VI.

### *Proteſtantium legatorum conſilia circa propoſitiones pacis.*

152 HÆ reſponſiones a Cæſareis legatis ſunt communicatæ mediatoribus, non tanquam perfectum aliquod opus & concluſum Imperii, cum deeſſet adhuc ſtatuum conſenſus, ſed ut mediatores privatim inſtructi, cum regiis legatis ſermonem conferre, eorumque mentem poſſint elicere. Galli in reſponſione Cæſaris ad propoſitionem Suecorum illud carpebant, quod Cæſar conſenſiſſet in tractationem de *gravaminibus religionis*, quod punctum ab ipſis ſtudioſe fuiſſet omiſſum, cum intentione, poſtulatis Suecorum in hac parte fortiter ſe opponendi, & potius cum Hiſpanis, & Catholicis ſe conjungendi. Patere jam, Cæſarem non amore religionis bellum gerere, cum eo conſenſu Proteſtantium favorem aucupari ſtudeat, ut a Gallis eos abſtrahat. Verum nequaquam hoc ſe paſſuros, ſed arctiori cum iis fœdere ſe conjuncturos (*Meiern in act. pac. Weſtph. l.* 7 §. 21) additque Adamus Adami, in *arcanis P. W.* Gallos ita locutos apud Catholicos, ut invidiam conflent Cæſari, clam autem animatos ab iis Proteſtantes.

Galli tractationem de gravaminibus relig. non probant.

Interea Proteſtantium ordines, Oſnabrugæ congregati, tam propoſitiones regias, quam reſponſiones Cæſareas diſcuſſerunt, ſuasque circa illas intentiones in hæc capita manifeſtarunt.

1. Decernunt controverſiam, a regiis motam, de mediatis admittendis, non debere pacificationis negotio moram injicere. Neque ſtringi ſe tractatu Schönbeckiano, Suecos inter & Saxonem inchoato, abſentibus ordinibus.

2. Referunt, præſens bellum amotibus Bohemiæ anno 1618 incho-

inchoatum : & quamvis ii per pugnam Pragensem potuissent finiri, bellum nihilominus in Imperio fuisse continuatum, adversus eos etiam, quibus nihil commune cum tumultu Bohemiæ, donec Protestantes anno 1631 coacti fuerint Lipsiæ sui defensionem decernere. Hosti favent.

Nota, *per pugnam Pragensem neque in Bohemia, neque in Imperio motus erant compositi, cum adhuc Fridericus Palatinus erat armatus, & per Mansfeldium, Christianum Brunsvicensem, Durlacensem, ac postea etiam per Daniæ regem acerrime bellum gerebat auxiliantibus non paucis aliis Protestantibus ex unionis reliquiis. Si Cæsar belli subsidia petiit, adversus Imperii hostes petiit.*

3. Cur & adversus quem Sueci Gallique bellum gesserint, esse notorium ex eorum declarationibus, nec passuros, sibi alios hostes, qui nunquam fuerint, obtrudi. Hispanos ad tractatum admitti posse, in quantum bello Germanico sunt immixti, nullatenus vero Imperii ordines bello Lusitano, Catalaunico, Navarræo, Italico, Belgico, se immisturos : cum horum compositio pacem, afflictæ Germaniæ tantopere necessariam, nimium quantum retardaret. Lotharingum admitti posse, si Gallia, quæ ipsius ditiones occuparit, annuat.

4 Cæsareos equidem ab anno 1630 belli originem ducere ; sed cum jam anno 1618 sit cœptum, inde quoque inchoandum pacis negotium, atque ab eo tempore repetendam restitutionem ex capite universalis amnistiæ, cum ab eo tempore multa Protestantibus sint abrepta, & damna illata. Successores etiam obligandos. Liberæ Imperii nobilitatis pariter faciendam mentionem. Cæsarem non debere se immiscere bellis Hispanicis. Omittendum proin, quod de transactione Burgundica insertum est.

5. Bona mobilia abrepta & destructa utrinque condonanda ; immobilia vero omnia ad statum anni 1618 reducenda, non obstantibus quibuscunque transactionibus, confiscationibus, proscriptionibus, rebus judicatis, tam in ecclesiasticis quam politicis. Nominatim domum Wirtembergicam, Badensem, Augustam, Spiram, Weissenburgum, aliasque civitates in statum anni 1618 restituendas. Bohemis vero, Silesiis, & Moravis privilegia, in *Litteris Majestatis* concessa, salva in ecclesiasticis relinquenda. Terminum statuunt an. 1618.

6. Graviter conqueruntur adversus Imperii tribunalia, judicium videlicet aulicum, cameram Spirensem, judicium aulicum Rotwilanum, dicasterium provinciale Sueviæ, & præfecturæ Hagenöensis, ob neglectam, ut ajunt, justitiam, Protestantibus administrandam, ut adeo non audita altera parte mox mandata sine Tribunalia.

clausula mittantur, atque ad executionem procedatur, aut lites in immensum protelentur. Quare abrogatis Rotwilano, provinciali Sueviæ, & præfecturæ Hagenöensis judiciis, quatuor suprema per Imperium erigi petunt tribunalia, per circulos ad majus commodum distributa, ita, ut judicium Cæsaris aulicum tantum circulo Austriaco & Bavarico, camerale vero tantum utrique Rhenano & Burgundico jus dicat, tertium vero erigatur pro utraque Saxonia & Westphalia, quartum pro Suevia & Franconia. Assessores autem & judices in his quatuor dicasteriis ex utraque religione sint pari numero. Si autem vota essent paria, ad comitia universalia caussa referatur: uti etiam, si status quispiam sit proscribendus. Acerbas etiam querelas proponunt adversus judicium imperiale aulicum & camerale, quod mandatis sine clausula debitores fortuna lapsos ad solutionem urgeant, non attento statu impotentiæ.

7. Circa electionem regis Romanorum & Imperatoris se referunt ad Bullam Auream. Majoris tamen momenti negotia non decernenda sine consensu principum & statuum. De cætero se nihil de dignitate & prærogativis S. C. Majestatis & Electorum detracturos. Optandum autem, ut sua Majestas *Cæsarea Reservata*, & jura propria designet.

8. In puncto prætensorum ecclesiasticorum gravaminum invehuntur in *Reservatum Ecclesiasticum*, quod adversus Pacem Religiosam Protestantibus invitis sit insertum. Illud proin aboleri postulant, & episcopos &c. Protestantes ad regalia, sessionem, votum, aliaque jura admitti.

Jus sacrorum. Jus sacrorum a jure territoriali dependere statuunt: adeoque jus reformandi religionem &c. huic juri superioritatis annexum esse: nam cujus est regio, illius etiam esse religionem. Contra hoc autem multoties a Catholicis fuisse peccatum, maxime per edictum anni 1629. vehementer dein sunt questi, quod domini territoriales Catholici noluerint tolerare subditos, ut loquuntur, Evangelicos, omnique religionis exercitio ipsis interdixerint.

Observatio. Nota. *Mirum sane! paulo ante asseruerant, jus sacrorum & reformandi religionem ad dominum territorii spectare, nam cujus sit regio, illius etiam esse religionem. Jam vero pro immani gravamine habent, quod domini territoriales Catholici hoc jure usi sint, noluerintque in sua regione aliam tolerare religionem, quam catholicam. Hæc nempe fuit illa toties decantata partis utriusque æqualitas. Protestantibus est integrum in suis regionibus religionem Lutbera-*

*theranam imperare, non autem Catholicis catholicam, quæ tamen dudum erat in possessione, a legibus imperialibus etiam approbata & præcepta.*

9. Pergunt querulari de beneficio emigrandi impedito, de reditibus ecclesiasticis retentis, de jurisdictione ecclesiastica in Evangelicos usurpata, de Edicto Restitutionis, de acerbis Catholicorum scriptis, nominatim de Burchardi autonomia, & Dilingensium libro de compositione pacis. Querelæ de acerbis scriptis.

Nota. *Duos isti catholicos scriptores criminantur; qui tamen non minus modeste quam solide scripserunt. Nos vero plures quam centum Protestantes nominare possemus, qui ad ea usque tempora virulentis scriptis summum Pontificem, ordinem ecclesiasticum, & universim nomen omne catholicum probris, calumniis, & contumeliis sunt insectati & execrati. Sed Protestantes tantum patiuntur gravamina, nulla vero inferunt.* Observatio.

10. Circa punctum gravaminum politicorum statuunt, ut tertio quoquo anno a Cæsare universalia Imperii indicantur comitia, nullo statu præterito, relictaque cuivis suffragii libertate ac jurium usu: ita tamen, ut non modo in religionis negotiis, sed aliis quoque, in quibus utriusque religionis ordines duas partes constituunt, votorum pluralitas non valeat. Sed neque Electores Imperii potestatem suam in præjudicium reliquorum collegiorum nimium debere extendere. Liberis etiam Imperii civitatibus, cum sint ejusdem status, relinquendum jus liberi suffragii decisivi. In deputationibus Imperii parem utriusque religionis numerum esse oportere. Donawerdam restituendam in integrum. Telonia non augenda &c. Hæ Protestantium propositiones ultro dein citroque sint ventilatæ.

## Num. VII.

### *Caussa reformatorum, mediatorum, gravaminum, Austriæ subditorum.*

CÆsar in comitiis Ratisb. anni 1641 amnistiam promulgaverat, respectu tamen eorum, qui in pace Pragensi erant exclusi, effectum illius per clausulam adjectam suspendit, donec cum Imperatore & Imperio sint conciliati. Hoc licet non fieret, Cæsar nihilominus, suasu & hortatu Electorum & statuum, illam effectus suspensionem (Palatina & domus Austriacæ subditorum caussa excepta) hoc anno rescidit, ea spe ductus, fore, ut ii, qui exteris fœdere erant 153 Suspensio amnistiæ resciss.

 inne-

innexi, Germaniam, sub immani onere undique fatiscentem, tolerabilius affligerent.

Reformati. Discussa etiam inter Lutheranos fuit caussa Calvinistarum, quos Reformatos dicunt. Nam una ex parte mutuo se se odio insectabantur, unde illi hos ægre in consortium pacis admittebant, præsertim Saxonum legati. Sed majus in Pontificios odium hanc invidiam temperabat. Utque junctis viribus Catholicis se opponerent, admittendos censebant. Hinc ea erat Suecorum, qui Cassellenses Calvinistas nolebant offendi, sententia: *Pontificios fuisse usque huc communes omnium Evangelicorum hostes, quoquo nomine appellentur; Reformatos etiam communem caussam contra Pontificios una propugnasse; ergo injustum fore, eos Pontificiorum injuriis prostitui, legum præsidiis destitutos: sed & injustum fore, Reformatos ita tutos facere, ut fidei Lutheranæ domesticos persequi, & finibus suis ejicere possint.*

Hinc peculiari articulo Calvinistas securos in Imperio præstandos censebant, ea tamen lege, ne subditis suis sub prætextu juris territorialis, episcopalis aut patronatus, vel alio, ministros *Reformatos* obtrudant, sed Lutheranos in ditionibus suis cum exercitio religionis publico, salariis &c. patienter tolerent: nec quemquam impediant, ne ad Lutheranam religionem transeat. Hæcque omnia per reversales litteras adpromittant.

Nota. *Quomodo hæc combinari possunt cum eo Lutheranorum principio, Cujus est regio, illius etiam est religio: jus reformandi dependet a jure territoriali: jus sacrorum est regale superioritatis territorialis?*

Etiam mediati admissi. Hærebat adhuc controversia de admittendis statibus *mediatis*, quam Sueci vehementer urgebant, eo potissimum argumento, quod Cæsar in tractatu præliminari omnibus statibus & adhærentibus Sueciæ litteras securi commeatus promiserit. Et quamvis Cæsarei assererent, tantum pro *statibus* adhærentibus fuisse promissas, tamen in hoc etiam cesserunt.

Gravamina. Varia dein a diversis allata sunt gravamina, uti a Magdeburgico, quod titulus archiepiscopi a Catholicis sibi negetur, & tantum possessor archiepiscopatus nominetur; quod a sessione & voto in comitiis fuerit exclusus; quod regalia a Cæsare sint negata; quod Catholici in capitulum intrudantur, & Papa jurisdictione, licet sit suspensa, uti conetur. Quod jus primarum precum exerceatur.

Nota. *Licet alias Protestantes negent, jus primarum precum* ex

*ex indulto pontificio descendere ; hic tamen aperte id fatentur , ut videlicet illud Cæsari possint negare.*

Christianus Augustus dux Solisbacensis querebatur, quod Wolfgangus Wilhelmus , dux Neoburgicus , jus reformandæ religionis in ipsius ditione sibi arroget. Solisbacensis.

Libera & immediata Imperii nobilitas, Lutheranæ religionis , in Suevia , Franconia & ad Rhenum se gravatam asseruit , quod accessu ad dignitates & ecclesiastica beneficia prohibeatur , & Pax Religionis ad eorum personas , exclusis subditis , restringatur. Nobilitas.

Egrenses exules proponebant , Egram fuisse liberam Imperii civitatem, cum districtu cognomine extra Bohemiam sitam ; a Ludovico Bavaro Imperatore regi Bohemiæ Joanni Luxemburgico cum jure reluitionis oppignoratam : plures anno 1564 Lutheri doctrinam professos, anno 1627 in exilium pulsos. Rogant proin jure postliminii restitui in integrum. Ipse etiam Elector Saxoniæ pro ipsis apud Cæsarem intercessit. Egra.

Qui se in capitulum cathedrale Argentinæ intruserant Protestantes , de ablatis sibi a Canonicis catholicis quibusdam bonis questi sunt. Uti etiam Weissenburgum & Landavum contra ecclesiasticos : Casimirus comes Rheni contra Electorem Coloniensem & ducem Lotharingiæ : Osnabruga propter erectum in civitate munimentum , & adempta privilegia , atque adversus collegium Societatis JEsu anno 1624 erectum : Hasso Darmstadiani contra Cassellenses propter hostiles invasiones : Hanseaticæ civitates, quod Osnabrugenses legati nullam sui mentionem in sua propositione fecissent.

Exules insuper ex Austria , Styria & Carinthia porrecto libello Osnabrugensibus legatis supplicarunt restitui. Similiter Erfordienses de turbato a Moguntinis religionis Lutheranæ exercitio , sunt conquesti. Legati denique Caroli Ludovici restitutionem domus Palatinæ magnopere urgebant. Exules Austr.

Interea autem Galli Suecique suos paulatim sensus de prætensa satisfactione aperiebant : & illi quidem ad Alsatiam , hi vero ad Pomeraniam , utrique regno opportunas, oculos converterant. Sed illam domus Austriaca , hanc Brandenburgus , a morte Bugislai, quæ anno 1637 contigerat , ad se devolutam , nolebant dimittere. Cumque hac super re Volmarus & Salvius inter se Monasterii differerent, quærebat ille , qua ergo ratione Pomerania Brandeburgo esset compensanda , respondit Salvius , sedem aliquam vacantem eidem attribuendam , uti episcopatum quemdam. *En vocem Judæ , ut quid &c.* ? Sueci ad Pomeraniam, Galli Alsatiam respiciunt.

Eo

Eo in discursu sermo etiam inciderat de hæreditariis domus Austriacæ provinciis, asserente Salvio, a subditis religionis libertatem pecuniis emptam; nihilominus fuisse in exilium pulsos, & ab amnistiæ beneficio exclusos. Eos a Suecis & Evangelicis ordinibus non posse destitui, præsertim illos, qui ad Suecos confugissent, & sub eorum signis militarent. Adhæc publicam esse querelam, quod domus Austriaca potentiam suam nimium conetur extendere Bohemiæ etiam regno facto hæreditario, electivum esse dicentibus Bohemis.

Salvii querelæ

Reposuit Volmarus, de emptione libertatis nihil constare; pulsos vero ob rebellionem & illatum Cæsari bellum, promotis etiam usque ad Viennæ mœnia castris. Quid alium, minorem etiam principem, tali in rebellione facturum? Protestantes principes, nulla ejusmodi caussa interveniente, Catholicos, sæculorum possessione firmatos, e ditionibus suis exegisse, ipsosque Suecos neminem in regno suo tolerare. Num regi Hungariæ, Bohemiæ &c. archiduci &c. in hæreditariis suis provinciis non sit integrum, quod alii in ditionibus suis fas esse sibi existimant? sperare proin Cæsarem, neminem sibi hac in re leges dictaturum. Bohemiæ regnum esse hæreditarium non alios negare, nisi eos, qui Ferdinando II coronam detrahere conabantur. Reliquorum neminem jus hæreditarium vocare in dubium.

Diluuntur a Volmaro.

Cumque Salvius mentionem aliquam de caussis belli injiceret, respondit Volmarus, nullum unquam ex domo Austriaca Imperatorem bellum suscepisse nomine Imperii absque consilio statuum. Ferdinandum II etiam bellum mere defensivum gessisse, cum constet palam, quam violente a Friderico Palatino sit appetitus. Cum Pragensi victoria id finem fuisse consecuturum, nisi *Unio* in Imperio se miscuisset, unusque status post alterum novos motus concitasset; quo rerum articulo Cæsarem copias aliquas auxiliares misisse in Borussiam, non, ut Sueciæ bellum faceret, sed ut affinem & finitimum regem adjuvaret.

## ARTICULUS III.

### *ACTA PACIS WESTPHALICÆ ANNO 1646.*

POstquam Cæsar eos, quos ante excluserat, status immediatos & mediatos, amore pacis tandem admisit, in eum res adhuc impegit scopulum, ut Galli Lusitano litteras securi ad congressum

ſum commeatus expeterent: 1. Quia univerſalis eſſet tractatus. 2. Quia non eſſet hoſtis Cæſaris aut Imperii; neque ſe immixturus ejusdem negotiis. 3. Quia Gallis Suecisque fœdere eſſet junctus; omnibus autem fœderatis eorum ſalvum conductum in præliminaribus fuiſſe promiſſum. Contra vero Cæſarei Lotharingum volebant admiſſum, quod indubie eſſet princeps & quidem independens.

Tandem nihilominus, cum comes Trautmansdorffius, ſupremus aulæ Cæſareæ præfectus, Lambergio & Cranio legationis princeps ſub finem prioris anni acceſſiſſet, Oxenſtirnius & Salvius Sueciæ legati *replicam* ſuam ad Cæſaream exceptionem ſeu reſponſionem ad *protocollum* 7 Jan. Oſnabrugæ dictarunt. Cujus hæc eſt epitome.

## Num. I.

### *Replica Suecorum.*

In proemio reſponſionis Cæſareæ Suecis diſplicebant 1. hæc verba: *qua intentione vel ſtudio corona Sueciæ arma in Imperium intulerit.* Guſtavum Adolphum nec ſponte ſua nec temere arma induiſſe, ſed provocatum a Cæſare per bellum Boruſſicum, immiſſam Balthico claſſem, turbata comercia, & principem agnatum proſcriptum, deſpecta regis interceſſione; adhæc ſollicitatum ab oppreſſis Imperii ordinibus. Si autem Cæſarei nunquam eo uſque eſſent progreſſi, ut vicinorum, qui ſecuritati ſuæ erant intenti, arma provocaſſent, nunquam Germaniam in præſentem rerum ſtatum fuiſſe perventuram. 154 De belli cauſſis.

2. Reprehendebant, quod Cæſarei in ſua exceptione dicant, Suecos bellum gerere *adverſus Imperium & Hiſpaniarum regem*, cum nunquam pro hoſtibus habuerint Proteſtantes, multo minus totum Imperium, pro cujus incolumitate arma arripuerint, ſed ſolum Imperatorem & *Ligiſtas.* Neque perſpicere ſe poſſe, cur Cæſarei Hiſpaniarum regem inter hoſtes Suecorum numerent, cum quo nihil habeant controverſiæ.

Quantum vero ad ipſam pacificationis ſubſtantiam pertinet, in quatuor claſſes eam dividebant; quarum prima continebat *res Imperii*: altera *ſatisfactionem* Sueciæ & Galliæ: tertia *pacis reductionem & ſecuritatem*: quarta ejusdem *executionem.* Primam claſſem in quatuor alias ſubdividebant, nempe 1 in *amneſtiam*, 2 in privilegia & jura ſtatuum, 3 in gravamina, 4 in commercia.

*Amneſtiam* ad annum 1618 reduci volebant; quippe jam ante Terminus 1618.

te annum 1630 Cæsarem bello dedisse caussam per bellum in Borussia, classem in Balthico, turbata commercia, & proscriptos principes. Amnestiam, in comitiis Ratisbonensibus anno 1641 sancitam, non fuisse universalem, sed in ea fuisse exclusam Bohemiam, provincias hæreditarias, caussam Palatinam, Durlacensem, Wirtembergicam, Sarepontanam, Augustam, Egram, Donawertham &c. & comprehensis in ea pacem duntaxat Pragensem fuisse datam, quæ ipsis inconsultis sit conclusa, ac vi metuque obtrusa; ut adeo considerari non possit tanquam medium pacandæ Germaniæ, sed velut armistitium & majoris belli incendium adversus coronas. Abrogata itaque pace Pragensi & amnestia Ratisbonensi, tantopere restricta, in ecclesiasticis & politicis omnia ex lege universalis amnestiæ ad statum anni 1618 restituenda.

Ad secundum membrum primæ classis de *juribus statuum* replicabant Sueci, quod non prius se immiscuerint rebus Imperii, quam Cæsar rebus Sueciæ: optandumque fuisse, ut, antequam bellum ex Bohemia in Germaniam, & ex hac ad Gallos & Suecos fuerat devolutum, & tot status proscripti, Cæsar comitiali modo ordinum postulatis annuens gravamina sustulisset. Tunc enim nec Lipsiensi conventu, nec internis exterisque bellis opus fuisse. Cum autem hoc factum non sit, ad finitimos, qui securitatem sui status in libertate & æquilibrio Imperii fundent, pertinuisse, ut Imperium in ordinem, constitutionibus consentaneum, reponatur, edictum inconsultis ordinibus editum aboleatur, atque ne talia in posterum contingant, provideatur.

Cum autem Cæsarei suæ exceptioni hæc verba inseruissent: *salvis, quæ ad Imperatorem & collegium Electorale solum pertinent, & salvis eorundem juribus & præeminentiis, omniaque intelligendo juxta morem antiquum in Imperio receptum*, interrogabant Sueci, quousque hunc *morem antiquum* exporrigant, an usque ad tempora Tiberii Cæsaris?

Verba vero ista (*modo non sint contra Imperatorem & Imperium*,) volebant sic poni: *modo non sint contra Imperatorem, qua Imperator est, manetque.* Nam si Imperator contra jura Imperii ageret, aut statum atrociter læderet, defensionem & fœdera statibus permissa fore.

Tertium membrum complectitur tria *gravaminum* genera, puta *ecclesiastica*, *politica*, & *juridica.* Protestantes sua jam obtulisse; & ad ea, quæ justitiæ sunt, amice componenda esse paratos: sperare Suecos, Cæsarem & Catholicos æquas conditiones admis-

missuros, & omnia ad æqualitatem reducturos. Circa reformatos petebant declarationem horum verborum : *si ipsi velint, & quiete vivant.*

Quoad membrum quartum, commercia videlicet, non fore magnam difficultatem, cumque hæc res ad civitates maxime spectet, earum informationem adhuc exspectandam.

In secunda classe Sueci satisfactionem pro se, Hassis, & militia petebant : plurimos se fecisse belli tam diuturni sumptus, ipsumque regem cum tot nobilibus amisisse : nec gratis tot munimenta, quæ in sua haberent potestate, a se restitutum iri. Cumque Cæsarei legati quærerent, quam ergo satisfactionem, & a quo peterent, responderunt : cum Imperator caussam belli dederit, ab eo & statibus se petere pro indemnitate & securitate sua, Silesiam, Pommeraniam, archiepiscopatum Bremensem, episcopatum Verdensem, Caminensem, Vismariensem &c. sub nexu feudali sibi tradendos : gloriosum fore Cæsari & Imperio, si non tantum regem Hispaniæ & Daniæ, sed etiam Sueciæ vasallum habeat adversus Turcas adjumento futurum. Postulata enormia.

In tertia classe circa reductionem pacis & ejusdem securitatem nihil admodum majoris momenti in exceptione Cæsarea Sueci arguebant.

Neque in quarta circa pacis executionem, quæ captivos, restitutionem locorum, exauctorationem militiæ, principes in pace comprehendendos, subscriptionem legatorum, ac ratificationem complectitur : præterquam, quod Sueci liberationem principis Eduardi urgerent, qui in obsequiis Cæsaris insons sit captus : Hanseaticas etiam civitates eandem petituras, ne captivitas illius suis in Lusitania commerciis sit fraudi. Queri Lusitanos, quod Mediolani vinculis & ferro onustus acerbe tractetur, nec vitæ satis sit securus.

## Num. II.

### *Replica Gallorum.*

EAdem die 7 Jan. etiam Franciæ legati replicam suam Monasterii Cæsareis per mediatores tradiderunt, in hæc capita. 155

1. Declarant, non esse sibi bellum contra Imperium, nec dubitare, quin status idem existiment. Placere tamen, ut includantur in hoc tractatu ex utraque parte. Cum Cæsar incluserit regem Hispaniæ, quærunt, an absque illo nolit inire pacem ? Suspensionem armorum respuunt, utpote quæ pacem retardaret. Lotharingum excludunt.

2. Ut Galli Suecis aliisque suis fœderatis non assistant, peti non posse: cum dispar sit ratio. Nam Imperatorem disponere non posse de viribus Imperii, sicut reges de subditis. Et hanc fuisse belli caussam, quod exercitus Imperii nunc in Borussiam, nunc in Italiam sola Cæsaris auctoritate adversus finitimos reges sint emissi. Nec obstare transactionem Burgundicam anni 1548, cum non sit observata; nec Imperium se miscuerit rebus Belgicis.

3. Coronas non posse admittere amnestiam Ratisbonensem: sed requiri universalem absque restrictione.

4. Res Imperii reducendas ad statum anni 1618.

5. Petunt, ut ad tollendam radicem dissidii status Catholici & Protestantes lites suas amice componant.

6. Nolle se præjudicare libertati Electorum, sed id tantum cavere, ne Imperium fiat hæreditarium. Huic periculo obviam iri posse, si eligendi reges Romanorum accipi non possint ex familia Imperatorum regnantium.

7. Persistunt in petenda libertate principis Eduardi, capti ab Imperatore, dum sub ejus signis militasset, quique ab ipso ad alios nunc sit transmissus.

8. Consentiunt, ut omnes pacis hujus consortes arma in eum convertant, qui eidem esset restiturus; tentata tamen prius compositione amicabili.

9. Pro satisfactione sua & regni securitate petunt sibi cedi superiorem & inferiorem Alsatiam, Suntgoiam, Brisgoiam, Brisacum, civitates sylvestres, cum omni caussa & jure, quo ante præsens bellum possidebantur a domo Austriaca: Philippoburgum insuper, cum omnibus pertinentibus ad securam communicationem cum Gallia. Si tamen Imperator & Imperium e re sua esse judicaverit, ut ditiones istæ recognoscantur ab Imperio, non recusaturam Galliam, modo sessionem & suffragium in diætis habeat, sicut alii principes & status Imperii.

Hæc si placeant, declarant, quod pro bono pacis sit restituenda Spira, Wormatia, & omnia occupata in tribus Electoratibus, Moguntino, Trevirensi, & Palatinatu inferiore, ita tamen, ut ab adversæ partis adhærentibus simul fiat restitutio omnium locorum, quæ in tribus hisce Electoratibus occupata tenent.

10. Persistunt in petenda satisfactione pro landgravia Hassiæ.

11. Lotharingum exclusum ab hac pace volunt, quod ejus negotia nihil commune habeant cum hoc tractatu, uti agnitum in præliminaribus, ubi ei negatus sit salvus conductus. Petunt insuper,

ſuper, ut Cæſar ſe obliget, quod nunquam ſe immixturus ſit poſſeſſioni Gallicæ in Lotharingia cœpta: cum ditiones hujus ducis diverſis titulis ad regem Chriſtianiſſimum pertineant; nec interſit Cæſaris ſe immiſcere, præſertim poſt tractatus cum Gallia a duce initos, in quibus omnibus fœderibus cum domo Auſtriaca renunciarit.

## Num. III.

### *Proteſtantium deſideria.*

HÆ replicæ ubi Cæſaris ac ſtatuum legatis fuerant communicatæ, triumphabant Proteſtantes, votorum metam ſe adeptos rati. Quare, quod ſolenne illis erat, habitis privatis inter ſe conventibus conſultabant, qua ratione errorem latius propagarent, ac perpetuo ſtabilirent, ut, ſi poſtea inter Catholicos ſtatus dicenda eſſet ſententia, aut cum Suecis, quos, religionem quod ſpectat, habebant in poteſtate, uno omnes ore loquerentur. 156

Sancitum itaque, 1. Catholicos etiam eccleſiaſticos Electores & prælatos cum capitulis ſuis juramento adſtringendos ad tractatus iſtius obſervantiam & tutelam.

2. Hanc pacem tanquam pragmaticam Imperii ſanctionem, perpetuo valituram, imo publicam conventionem, & legitimam transactionem, fundamentalibus Imperii legibus inſerendam: atque in omnibus Imperii comitiis confirmandam: uti etiam in omnibus Cæſareis capitulationibus.

3. Senatui judicii aulici & cameræ imperiali norma ſit & certa regula.

4. Omnibus feudorum collationibus & obligationibus inſeratur.

5. Omittenda deinceps in capitulatione Cæſarea verba illa, quibus Cæſar promittit defenſionem ſedis Romanæ & Pontificis; cum huic paci non congruant.

6. Status abſentes non minus ad illam obligandos: omnesque proteſtationes & contradictiones ſedis Romanæ aliorumque pro irritis habendas.

7. Per nullum receſſum aut legem Imperii, pacta vel conventiones, multo minus per Cæſarea mandata, decreta, edicta, reſcripta huic inviolabili & perpetuæ ſanctioni poſſit derogari.

8. Quæcunque ex conciliis aut decretis Papalibus contra illam afferri queant, robore omnino careant.

 9. Cir-

9. Circuli Imperii ordinentur, Liga vero Catholicorum penitus sit soluta.

10. Bohemia cum innexis provinciis, cum ab Imperio dependeat, & ad illius conservationem 400 equites & 600 pedites, pro simplici mense Romano, conferre debeat, ad hanc præstationem deinceps adstringendam, & tanquam undecimus Imperii circulus paci publicæ & Imperii constitutionibus se conformet, & judicio imperiali aulico se subjiciat. De reliquo propriis regni legibus vivat, & privilegio *Litterarum Majestatis* fruatur.

11. Si quid alicubi turbatum fuerit, circuli invigilent, & reos, etiam ecclesiasticos, puniant. Contra ejusmodi circulorum ordinationes nullæ Cæsareæ aliæve inhibitiones valeant.

12. Si cui statui Cæsar bellum inferret, gravatus, aut etiam totus circulus ad comitia provocare possit. Quæ si Imperator nolit indicere, Moguntinus, tanquam Imperii cancellarius, a læso requisitus, possit indicere, ut orta dissidia ab omnibus statibus componantur.

13. Uni personæ non plures episcopatus aut præbendæ conferantur, sed una tantum. Papalibus absolutionibus Catholici renuntient.

14. Electores capitulationes Cæsareas circulorum directoribus communicent: hi vero statibus circuli, ut invigilent, ne quid contra hunc tractatum immutetur.

15. Hispanus præsidium Juliaco aliisque Imperii munimentis deducat: cum propter Hispanum præsidium plures Imperii urbes a Batavis sint occupatæ.

Et hæc quidem tunc erant Protestantium quorundam desideria, ad evertendam non tantum auctoritatem sedis apostolicæ, sed deprimendum ecclesiasticum ordinem & ecclesiam Catholicam universam, imo ipsam quoque sacram Cæsaream Majestatem.

Denique acerbe invehuntur in Jesuitas, qui principia fidei publicæ & societatis humanæ, pactorum scilicet, jurisque naturalis & gentium observationem impugnent, doceantque, quod iis, qui Romanum Pontificem non agnoscunt, nulla sit servanda fides. Indigna sane principum legatis criminatio. Quam enim hæc falsa sint, vel ex ipso Dilingensium libro de compositione Pacis Religiosæ, quem toties reprehendunt, aliisque innumeris perspicere poterant.

## Num. IV.

### *De satisfactione Gallica.*

157 FAcile apparebat, pacem componi non posse, nisi punctum *satisfactionis* expediatur. Igitur Cæsarei per mediatores legatis nun-

nuntiarunt, licet Imperator neque ex contractu neque ex delicto aliquo coronæ Galliæ ad satisfactionem præstandam obligetur, eum nihilominus tres episcopatus, Metensem, Tullensem, & Virodunensem, cum Moyenvico & jure Imperii in Pignerolium eidem cessurum, ut proprietas & possessio civilis, quæ penes Imperium mansisset, cum possessione naturali, a Gallis per arma arrepta, consolidetur.

Tres episcopatus offeruntur.

Alsatiam nec peti nec cedi posse, cum pertineat ad pupillos innocentes, Ferdinandum Carolum, & Sigismundum Franciscum, Leopoldi archiducis, comitis Tyrolensis filios. Adhæc Gallos esse contestatos, quod omnia, quæ cis & trans Rhenum occupaverant, Imperio sint restituturi.

Responderunt Galli, res postea in alium statum fuisse mutatas. Episcopatus vero oblatos dudum esse in sua possessione. Collaturos se negotium satisfactionis cum Suecis, ut pari utrinque passu procedatur. Exceperunt Cæsarei, magnum esse hac in parte Suecos inter & Gallos discrimen. Nam 1. illos a Protestantibus cum oblatione satisfactionis in Germaniam fuisse vocatos. 2. jam in tractatu Schönbeckensi spem fuisse ostentatam. 3. Suecos multo plures regiones, urbes, & munimenta Imperii tenere occupata, nec fidem dedisse illa restituendi, prout Galli dederint.

## Num. V.

### *Consultationes statuum Osnabrugensium super exceptione Cæsarea & replica coronarum.*

Privatim hactenus Protestantes sub directorio Magdeburgensi Osnabrugæ convenerant, & in rem suam consultabant. Jam vero cum Austriaci, Bavarici, & Herbipolenses legati accessissent, sub directorio Austriaco sessiones publicas in curia celebrabant. 158

In prima de modo consultandi tractabant, ægre ferentes, quod legati Monasterienses, quæ ibi acta sunt, *conclusum* appellarint, antequam Osnabrugensium vota intellexerint; unum duntaxat esse conventum, in utrumque locum distributum. Id moris esse, ut primum quodlibet ex tribus collegiis seorsim in suffragia eat: dein principum senatus cum electorali votum suum curiatum conferat; denique utriusque votum civitatum collegio communicetur, ut integrum conclusum formari possit. Protestabantur Saxones, quod

Bava-

Bavarus in sæculari scamno principum priorem locum præripuerit, uti etiam Magdeburgicus contra Herbipolensem.

In 2 sessione idem ferme argumentum ventilatum fuit.

In 3 a directorio fuerunt ea proposita, quæ in proemio exceptionis Cæsareæ Sueci arguebant. Nempe 1. quod ipsi (Sueci) *arma in Imperium intulerint.* Austriacum & Bavaricum votum verba illa retinenda putabant, eo quod Sueci omnes ferme Imperii provincias vi armata invaserint &c.; reliqui vero omnes ea verba omittenda censebant. 2. Proposita quæstio, an Hispania inter adhærentes Cæsaris & Sueciæ hostes collocanda? affirmabat Austriacus. Quia Sueci etiam Hispanos invaserint, eorumque præsidia expulerint. Dein Suecos esse hostes totius domus Austriacæ, cujus pars magna sit rex Hispaniæ, cum jure successionis hæreditariæ etiam in provinciis Germanicæ lineæ. Sed Protestantes, ne Suecis displicerent, nomen Hispaniæ omittendum judicarunt: prout etiam mentionem tractatus Schönbeckiani, quæ minus grata erat Suecis.

In 4 *amnestia* in consultationem venit, quam Catholici in ecclesiasticis ad annum 1627, in politicis vero ad ann. 1630 referebant, prout in pace Pragensi an. 1635, & in comitiis an. 1641 Ratisbonæ conventum fuerat. Sed Protestantes per 22 suffragia annum 1618 pro termino, *a quo*, statuebant. Cum autem Monasterii magno consensu annus 27 & 30 designaretur, atque sic absolute multo plura vota pro hac sententia starent, negarunt Protestantes, hanc rem per majora posse decidi: sed definitionem termini coronis relinquendam, iisque Evangelicorum vota significanda. Non enim hic celebrari comitia, sed pacem cum coronis componi.

In 5 jura & privilegia statuum fuerunt discussa: statutumque, ut in omnibus statuum fœderibus Imperator & Imperium intelligantur excepti. Quod autem statibus fas sit, prout Succi contendunt, contra Imperatorem fœdera inire, si exorbitaret, quæstionem esse, quæ turbas excitaret. Pro eo casu satis provisum esse in constitutionibus.

In 6 afferebatur postulatum Gallorum, ut etiam pro legatis Lusitanis litteræ securitatis a Cæsareis traderentur. Quamvis autem bellum Lusitanum primum anno 1640 sit cœptum, atque ad res Imperii nihil pertineat, visum nihilominus, si hæc res pacis negotium impediret, suadendum Cæsari, ut eas litteras expediat.

In 7 quærebatur, quid respondendum ad eam Gallorum interrogationem, an Imperium absque Hispano pacem inire velit?

Quam-

quamvis autem ſtatus conſiderarent, regem Hiſpaniæ ratione Burgundiæ illuſtrem eſſe ſtatum Imperii, qui valida non raro adverſus Turcam miſerit ſubſidia, ac Cæſari ſanguine arcte conjunctus, propteraque curandum ſit, ut pax etiam illa promoveatur: ſi tamen pax in Imperio propter Hiſpaniam eſſet retardanda, ſuadendum fore Cæſari, ut exteris negotiis ſe non immiſceat.

In 8 agitata eſt quæſtio, an non inſtandum apud Gallos, ut duci Lotharingiæ ſalvum conductum concedant; prout Auſtriacus & Bavarus cenſebant, eo quod huic bello ſit implicitus, & inter Cæſaris adhærentes, atque ratione marchionatus Nomenienſis (*Nomeny*) ſtatus Imperii. Quamvis autem peculiari transactione Pariſiis ſub protectionem Galliæ conceſſerit, non deſiiſſe propterea eſſe vaſallum Imperii, (ſicut Elector Trevirenſis) præterquam, quod mox rurſus ad Imperium reſpexerit.

At Proteſtantes, ut Galliæ favorem aucuparentur, optima quidem duci ſunt precati, ſed hanc cauſſam morari non debere pacem definierunt. Lotharingum ratione aliquarum ditionum Imperio, ratione aliarum Galliæ obnoxium, & iterum ratione aliarum neutri, ſed ſui juris eſſe. Non propter Nomenium ditionibus fuiſſe pulſum. Denique Gallos præliminaribus inſiſtere, in quibus negatus duci conductus. Rejecta etiam oblata a Cæſare armorum ſuſpenſio: per feſtinatam pacem melius conſuli rebus Germaniæ.

In 9 ſeſſione vehementer agitabatur quæſtio de eligendo rege Romanorum, utrum videlicet ad omnes ſtatus pertineat deciſio, *an* ſit eligendus rex Romanorum? Nam Galli in prima propoſitione volebant, ut nunquam eligatur vivente Imperatore. Quia autem hoc cum libertate collegii Electoralis pugnare intellexerant, in replica id ſolum contendebant, ut nunquam eligatur ex familia Imperatoris regnantis.

Hoc equidem Gallorum petitum Oſnabrugenſes rejecerant, magnopere tamen Proteſtantes principum legati inſtabant, id temperamenti Gallis proponendum, quæſtionem, *an eligendus rex Romanorum*, deinceps in quovis caſu, quo de illius electione agitur, in plenis comitiis omnium ſtatuum ſuffragio fore decidendam; & poſtquam a ſtatibus quæſtio *an* ſit definita, quæſtionem, *quis eligendus*, Electoribus permittendam: obtineri hoc temperamento finem a Gallis intentum, ne Imperium evadat hæreditarium, ſeptemviris relinqui libertatem circa determinationem perſonæ, domum Auſtriacam, contra ac Galli intendant, non excludi. Aſſeri

ri etiam principum & civitatum collegio suam auctoritatem, & jus jam a centenis annis agitatum.

Et hæc sententia Osnabrugæ per majora fuit conclusa: reclamantibus licet Austriaco, Bavaro, & Pommerano. Quibus præsertim ultimo, objiciebant reliqui legati, eum hic non dicere sententiam in senatu Electorum, sed principum, adeoque licet Elector Brandenburgicus sit dominus Pommeraniæ, pro eo, ut principe, ferendum suffragium, principumque auctoritatem asserendam: jam fore in collegio electorali, qui pro Brandeburgico, ut Electore, pronuntiet. Principis eum in hoc senatu esse legatum ratione Pommeraniæ, non Electoris.

In 10 Directorium proposuit quæstionem, an Cæsari suadendum, ut spondeat, se non adstiturum Hispaniæ in bellis adversus Franciam, licet Galli nolint promittere, se non auxiliaturos Sueciæ in bellis adversus Imperatorem & Imperium? an vero insistendum renunciationi reciprocæ, prout in exceptione Cæsarea continetur? Imperatorem cum statibus non minori pollere jure & potestate ac Galliæ rex. Cur ergo uni manus ligentur, alteri liberrimæ relinquantur? Majorem esse nexum regis Hispaniæ cum Imperatore & Imperio, quam Sueciæ cum Gallia, cum ille non modo sit origine Germanus ex Cæsarea prosapia, sed etiam status Imperii, qui sessionis & voti jure gaudeat magnaque subsidia in rem communem conferat.

At legati hanc totam quæstionem ad classem tertiam de *assecuratione* pacis remittebant.

In 11. Monasteriensium votorum circa proemium *relatio* fuit facta. Quæ ab Osnabrugensibus conclusis parum differebat. Cumque Veldentinus legatus immediate post Bipontinum locum prætenderet, Saxones, Luneburgici, Hassi, aliique principes sunt protestati.

## Num. VI.

### *Continuatio consultationum.*

159 IN sessione 12 acriter disputabatur quæstio, utrum director in principum senatu teneatur *relationes*, ex votis & conclusis formatas, statibus singulis *per dictaturam* communicare, uti Protestantes contendebant: an vero sufficiat, si relationem, ex votis & conclusis collectam, toti collegio prælegat, prout voluit *directorium* Austriacum, Imperii usum & observantiam allegans.

Discepta-

Disceptationi huic occasionem fecit, quod Protestantes sint conquesti, directorem tantum Catholicorum conclusa & argumenta relationi suæ inseruisse, non autem Protestantium. Excepit director, moris esse, ut tantum illius sententiæ, quæ per *majora* fuisset conclusa, argumenta adducantur. Comparatis autem omnibus suffragiis, Osnabrugensium & Monasteriensium, majora esse eorum, qui terminum amnestiæ seu restitutionis non ab anno 1618, sed juxta pacem Pragensem & comitia Ratisbonensia in politicis ab anno 1630, in ecclesiasticis vero ab anno 1627 repetendum putabant. At illi negabant, *majoribus* hic locum esse, cum non sint in comitiis, sed in conventu extraordinario ad componendam pacem.

Lis de majoribus.

In 13 disceptabatur de modo *re- & correferendi* cum legatis Monasteriensibus. Moris alias esse in diætis comitiorum & deputationum, ut 1. collegium electorale senatui principum *in pleno* suam *relationem* prælegat. 2. & hic vicissim illi *suam correlationem.* Dein 3. utrumque collegium, si fieri possit, in eandem sententiam conveniat. Postea 4. utrumque collegium ad senatum civitatum conclusum suum *referat.* 5. hic vero suum votum curiatum *correferat.* 6. ex tribus hisce trium collegiorum curiatis suffragiis commune conclusum formetur. 7. denique hoc offeratur Cæsari, cujus si approbatio & consensus accedat, recessus & conclusum Imperii evadat.

De modo referendi & correferendi inter status.

Cum autem modo collegia sint in utrumque locum divisa, hunc re-& correferendi modum pati difficultatem. Hinc deliberandum, an 1 in uno loco omnibus conveniendum? sed obstare regios, Gallos nempe & Suecos (qui in præliminaribus duplicem locum statuerunt). An 2 per deputatos re-& correlatio facienda? sed hos nihil posse mutare, nisi prius ad eos, a quibus essent deputati, referrent; quod negotium in immensum retardaret. An 3 utrobique relatio & correlatio facienda? at hoc esse contra morem Imperii, ut duplex fiat re- & correlatio. An vero 5 re-& correlatio scripto communicanda. At etiam sic moras trahi.

Protestantes obnixe contendebant, ut duplex trium collegiorum fiat re-& correlatio, una Osnabrugæ, altera Monasterii, ita quidem, ut qualibet classe materiarum absoluta, qui ex tribus collegiis legati Osnabrugæ sunt præsentes, inter se referrent & correferrent: idem posse facere legatos Monasterii præsentes; conclusum vero Osnabrugensium circa quamlibet classem, per re-& correlationem Osnabrugæ absolutum, seorsim tradendum illico legatis Cæsareis, ut cum regiis de eo conferant.

In 14 director proponebat conclusum Monasteriense circa electionem regis Romanorum, videlicet, quod semper prius in comitiis sit deliberandum, *an* sit eligendus, a solo Hasso-Cassellano affirmative fuisse decisum. Verum Protestantes Osnabrugæ insistebant priori suæ opinioni; hoc enim temperamento Gallos placatum iri.

Cæterum querebantur, super eadem re toties consultandum cum temporis dispendio; ac proin rursus petebant, ut absoluta Osnabrugæ prima classe, mox suffragia cum suis argumentis legatis Cæsareis tradantur, ut habeant, quod cum regiis tractent, ac dein ad ulteriores classes procedatur.

Addebat dein director, Monasterii aliter a trium collegiorum legatis fuisse conclusum, nempe, ut primum post omnes materiarum classes absolutas, spectatis majoribus, ex utroque conventu simul collectis, fiat re- & correlatio; conclusum autem illud unicum omnium statuum Cæsareis tradatur.

De caussa Hispana, Lotharingica, & Lusitana idem ferme fuit Monasterii conclusum, quod Osnabrugæ, scilicet, indulgendum regiis, si hæc pacem retardarent.

In 15 fuit propositum, quod Monasterii agitata fuerit quæstio, an legati Electoris secundarii præcedere debeant legatis principum primariis? quam quæstionem inutilem & intempestivam censebant Osnabrugenses. Insistebant autem suæ petitioni, ut sua vota cum rationibus vel addantur concluso statuum universali, vel seorsim offerantur. Si autem hoc non fieret, se ipsos Evangelicorum conclusa cum eorum rationibus oblaturos. Urgebat denique director, ut punctum de satisfactione coronarum, prout Monasterii fieret, in deliberationem adducatur. Sed hoc Protestantes nolebant, veriti, ne hoc puncto expedito regii segniores fierent in expediendo puncto amnestiæ & gravaminum.

In 16 a directore fuit expositum consultum Monasteriense circa modum re- & correferendi, ut videlicet omnes quatuor classes uno contextu tractentur, & tum demum ad correlationem procedatur: sic enim potius fieri temporis compendium, quam si post absolutam quamlibet classem re- & correlationes instituerentur. Neque progressuros legatos Cæsareos in tractatu, nisi statuum omnium sensum de omnibus quatuor classibus collectum haberent: eo quod plura puncta arctam inter se connexionem habeant.

Verum Protestantes Osnabrugæ insistebant suæ opinioni, quod omnia, quæ hactenus super prima classe sunt tractata, in unam rela-

relationem colligantur, & Monasteriensibus transmittantur: tum vero protinus ad reliquas tres classes procedendum, easque omnes simul ad re-& correlationem adducendas.

In 17 habita 28 Febr. a directore facta est relatio omnium, quæ hactenus circa proemium & primam classem acta sunt in senatu principum Osnabrugæ. Circa ea, quæ in Cæsarea resolutione & regiis replicis erant discrepantia. Nempe

1. Quamvis in medio Imperio Sueci bellum gerant, cum tamen eam vocem *in Imperium* omissam velint, esse dissimulandam, ne caussæ belli videantur attingi.

2. Cum Sueci negent, se hostes Hispaniæ, id pariter omittendum: uti etiam mentionem de tractatu Schönbeckiano.

3. Cum caussa Lusitana non connectatur cum rebus Imperii, salvum conductum non esse concedendum, nisi ea res pacem moretur.

Ad classem 1 quantum ad amnestiam, terminum restitutionis per majora esse fixum in ecclesiasticis ad annum 1627, in politicis vero ad annum 1630.

1. Quia ita statutum in pace Pragensi, & publicis comitiis Ratisbonensibus cum clausula nihil amplius mutandi.

2. Quia bellum Bohemicum res fuit privata. Bellum Mansfeldicum & Brunsvicense per se diffluxit; civilia per pacem Pragensem & comitia Ratisb. composita: ipsum regem Gustavum contestatum, ante annum 1630 sibi cum Imperio amicam fuisse pacem.

3. Quia sic satis sit generalis; nam caussam Palatinam ad particulares tractatus remittendam: Wirtembergico, Durlacensi, & Sarepontano restitutionem oblatam; Protestantibus Augustanis exercitium non prohiberi, quin imo copiam fieri ecclesiæ ædificandæ. Egram & provincias hæreditarias huc non pertinere, utpote jam ante annum 1618 ad religionem Catholicam reductas: insuper status provinciales in diæta anni 1645 contrarium expetiisse. Litteras Majestatis, a Ferdinando II missas, non fuisse acceptatas sed remissas. Cumque Cæsar in comitiis Ratisb. provincias hæreditarias a restitutione excepisset, Protestantes acquievisse. Res etiam judicatas, quæ a bello non dependerent, merito excipiendas.

4. Impossibile esse omnia ad tam generalem regulam reducere. Imperatori vero Ferdinando II probrosum fore, si omnia ejus acta rescinderentur, & inter hæc etiam pax Danica, Mantuana, Sabaudica.

5. Non apparere, cur fomes belli per ejusmodi extensionem ter-

termini magis extinguatur. Nam externum bellum primum anno 1630 cœptum. Fomitem autem diffidiorum per compositionem gravaminum optime tolli : si enim ad originem diffidiorum esset ascendendum, terminum restitutionis ad tempora, Paci Religiosæ proxime subsecuta, fore retrahendum. (*Imo ad tempora Lutheri ; cum ab eo non tantum fomes sed fax fuerit ventilata, ad excitandum diffidiorum incendium*). His director in correlatione subjunxit contrariam Protestantium opinionem, cum eorum argumentis.

Secundum membrum complecti *jura & privilegia statuum* : in quo modicæ sint differentiæ. 1. Verba illa (*ab antiquo*) intelligenda *secundum modernum Imperii statum, ejusque legibus fundamentalibrs conformem*. Cum enim aliqua jura soli Imperatori competant, aliqua cum Electoribus, & aliqua cum omnibus statibus habeat communia, multaque ex illis ab antiqua consuetudine deriventur, quæ in jure scripto non inveniantur, intelligi modernum statum, *ab antiquo* derivatum. Si autem hæc verba pacem retardarent, non adeo tenaciter iis insistendum.

2. Verba illa, *modo ne sint contra Imperatorem & Imperium* merito retinenda : cum omnia statuum fœdera cum hac exceptione sint intelligenda : & alias per constitutiones satis provisum, ut ejusmodi fœderibus non sit opus.

3. Quæstionem Gallorum, utrum absque Hispania pax facienda, ad tractationem de *assecuratione* esse differendam.

4. Cum Lotharingus ob partem suarum ditionum sit status Imperii, per mediatores salvum conductum pro eo procurari oportere : pacem tamen propterea non retardandam (si Galli se opponerent.)

5. Postulatum Gallorum circa electionem regis Romani omnium consensu contrarium esse Aureæ Bullæ, libertati Electorum, & Imperii consuetudini.

Nihilominus tamen quibusdam ex Protestantibus id temperamenti visum opportunum, ut quæstio *an* ? semper prius in comitiis deliberetur, relicta dein Electoribus, personam ex quacunque familia determinandi, facultate. Sic enim satisfactum iri Gallis, ne Imperium evadat hæreditarium ; Electoribus nihil derogari ; pertinere ad statuum auctoritatem ; jamque a centenis annis hanc quæstionem (licet absque concluso) fuisse motam.

Cum autem hoc temperamentum Electorum libertati præjudiciosum, proprie ad petitionem Gallorum non pertineat, cum

usu

usu recepto pugnet, & per A. B. aliasque constitutiones satis sit cautúm, ne Imperium fiat hæreditarium, per majora id visum non satis maturum, vel, ut Pommeranus censuit, quæstionem illam ad comitia remittendam.

Hæc principum collegio Monasterium scripto missa, eo fine, ut prævia communicatione, seu re-& correlatione cum senatu Electorum, & civitatum, Cæsareis tradantur, ut tractatum cum regiis inchoent.

Cum dein hac super correlatione vota statuum exquirerentur, Austriacus, Bavarus, & Herbipolensis opponebant, quod aliqua a Confessionistis sint inserta, quæ a se acceptari aut approbari non possint. Protestantes vero varias exceptiones, minoris tamen momenti, reposuere. Uti, quod aliqua verba sint aliter ponenda; quod argumenta Catholicorum nimium sint amplificata: quod etiam unio successionis hæreditariæ inter domum Saxonicam, Brandenburgicam, & Hassiacam sit inserenda. Quod frustra protestatio a Catholicis sit injecta, cum hæc vota non sint decisiva, sed tantum consilia, Cæsareis suggerenda. Quo audito, Bavarus protestationem suam revocavit.

## Num. VII.

### *Ulterior continuatio consultationum, super puncto satisfactionis.*

IN sessione 18 in medium veniebat quadruplex satisfactio, pro 160
Suecis, Gallis, militia, & Hassia petita.

Quantum autem ad Suecicam pertinet, duas quæstiones directorium proposuit. 1. An præstanda? 2. quomodo?

Ad 1 legatus Austriacus respondit, nullam esse obligationem, ullam præstandi, sed potius Sueciam obstringi ad immensa damna, Imperio illata, compensanda. Alieno illam lusisse corio, bellumque Germano milite & nervo gessisse, ad quod per seipsam nequaquam suffecisset. Ac proin vi armata, contributionibus infinitis, cum extrema Germaniæ ruina satisfactionem sibi, & præsertim exercitibus extorsisse. Nec caussam belli Cæsari aut Imperio imputari posse, ut facile demonstrari posset, nisi nimium odiosum esset, ubi de pace agitur, in caussas belli inquirere.

Austriacus legatus negat Suecis satisfactionem.

Cum jacturam regis sui nullo pretio æstimandam dicant Sueci, cur ergo pretium pro eadem petant? honorem ipsis relinqui,

quod

quod cum inaudita Germaniæ pernicie mortem illam ſtrenue ſint ulti. Adhæc ſæpius conteſtatos eſſe Suecos, ſatisfactionem ſtatuum præcipuam ſuam fore ſatisfactionem.

Tertiam ferme Germaniæ partem ab ipſis exigi, quæ pluris ſit habenda, quam totum regnum Sueciæ. Hac exorbitante acceſſione ſi eſſent augendi, Germaniæ, regnis finitimis, Balthico, imo & Oceano, &, quod neceſſe ſit conſequi, navigationibus & commerciis dominaturos, quæſtu immenſo in unum monopolium abituro.

Aliis viſa neceſſitas.

Vera quidem dici, cenſebant legati, ſed non ea eſſe tempora, ut a Germanis dici, aut a Suecis audiri poſſint. Ferro eos jus dicere. Imparem eſſe patriam ferendo diutius bello: aut pereundum, aut quæſtione, *an*? ſuperſedendum. Præſtare, partem dare, quam totum amittere. Sed neque pecuniæ oblatione fore ſatiandos, cum ipſi dicant, nullam in Germania ſupereſſe pecuniam, ſed provincias populosque depoſcant. Quis autem dare debeat, quæſtionem plenam eſſe calamitatis. Videri relinquendum legatis Cæſareis, ut amica compoſitione hac ſuper re cum Suecis tractent, auditis tamen & in conſilium adhibitis, de quorum rebus agitur.

In 19 agebatur de ſatisfactione Gallica; retulitque director, ea ſuper re jam Monaſterii eſſe concluſum, quod Gallis equidem nulla debeatur ſatisfactio, quia tamen tres epiſcopatus in Lotharingia cum Pinerolio ipſis à Cæſareis jam ſint oblati, nihil ultra eſſe offerendum: ſed his ſtandum: & conceptui inſerendum, licet nihil ipſis debeatur, hæc tamen amore pacis ultro cedi.

Idem de Gallis viſum.

Hanc propoſitionem pluribus argumentis ſuadebat Auſtriacus: primum poſt pugnam Nördlinganam Gallos bellum ex profeſſo in Germaniam abſque cauſſa tranſtuliſſe. Nullam ſatisfactionem eis promiſſam. Quin imo anno 1634 ordinibus Francofurti fidem dediſſe, quod abſque Imperii detrimento omnia ſint reſtituturi, cum nihil aliud quærant, quam ſtatuum libertatem & ſalutem nationis Germanicæ. Atque hinc famæ ſuæ peſſime conſulturos, ſi fidem non liberarent: maxime, cum indigniſſimum ſit, inſontibus pupillis, Imperii ſtatibus, ſua adimere, hoc ſolo nomine, quod ſint archiduces. Nam ſæpius Gallos fuiſſe conteſtatos, ſibi nullum cum Imperio bellum eſſe: ergo neque cum Oenipontanis pupillis, qui (ſicut eorum pater Leopoldus) nunquam bellum Galliæ intuliſſent.

Verum Bavarus aliique quam vehementer optabant, ut Galli obla-

oblationi illi acquiescant, ita formidabant, ne ulterioribus suis postulatis tenacius insisterent. Visum itaque, ut Cæsarei legati hanc viam, a Monasteriensibus indicatam, tentent; si autem Galli obnixius plura peterent, viderent, qua ratione per aliam satisfactionem bellum, quod Germania sufferre non ultra queat, amoveri possit. Cæterum Protestantes iterum magnopere urgebant, ut relatio super prima classe quamprimum Cæsareis tradatur. Hac enim præcipuam satisfactionem contineri.

In hac sessione legatus Basileensis Episcopi prolixius enarravit, quod sub initium belli Suecici Galli non modo apud Helvetos, Nuntium apostolicum, sed ipsum etiam summum Pontificem sancte sint contestati, hoc bellum neque adversus Imperium neque ad Catholicorum Electorum & statuum detrimentum a Suecis esse intentum. Hinc Basileensem, cum belli procella quaqua versum se se diffunderet, ditioni suæ metuentem, neutras partes fuisse secutum, atque Gallos non modo amicos, sed etiam, dum Sueci irruerent, intercessores expertum, apposita etiam, ad arcendam injuriam, ad Bruntrutum militari custodia. Cum igitur sua celsitudo toto hoc bello mere *passive* se habuerit, non fore, ut Ferretum (Pfirrt) feudum Austriacum, cujus directum dominium ad Episcopatum spectet, pro sacrificio deputetur. Ferretum.

Similiter Electoris Brandeburgici pro Pommerania legatus (Wesenbecius) prolixa dissertatione suadebat, Pommeraniam Suecis non esse cedendam. Nam per pacta unionis hæreditariæ, a Cæsaribus confirmata, post extinctam ducum familiam, ad domum Brandenburgicam legitime fuisse devolutam: cui etiam, viventibus adhuc ducibus simultanea *Investitura* sit collata, & a provincialibus *eventuale* homagium præstitum: assumptis etiam a tempore immemoriali ducatus titulis & insignibus. Brandenburgicus pro Pomerania.

Adhæc aliorum etiam Brandeburgicæ stirpis principum, imo & unitarum domorum, Saxonicæ, & Hassicæ negotium agi. Sed neque status provinciales in sui alienationem consensuros: neque per eam consultum iri Germaniæ, cum per eam portam semper ab exteris invadi posset. Addebat plura de commerciis, communicatione cum Borussia, damnis hoc bello sibi illatis. Sperare proin, Pommeraniam non offerendam in lytrum redemptionis.

In 20 tractabatur de *satisfactione militiæ*, & *landgraviæ Hassiæ*. Questi enim fuerant Sueci, quod Cæsarei in sua exceptione nihil de illa meminissent. Sed Austriacus respondit, militibus Suecis nullam deberi satisfactionem: ipsos enim, præsertim cum pro se tam An militiæ?

multa petant, militibus ſuis ſolvere debere ſtipendium: nec ſatisfactionem ullam ab Imperio fuiſſe ipſis promiſſam; neque enim militaſſe Imperio, ſed regi ſuo.

Adhæc tanta ab Imperio fuiſſe extorta, itaque, duces præſertim, ditatos, ut merito contenti eſſe debeant. Si enim omnes eorum exactiones, contributiones, hoſpitationes &c. ad calculum revocentur, abunde ſibi ipſis ſtipendium procuraſſe, auro inſuper Gallico ditatos. Idem ſentiebant Bavarus, & Herbipolenſis.

At Proteſtantes (Thumshirnius maxime, Saxo-Altenburgicus legatus, Lutheranorum velut oraculum, Suecis efflictim addictus) non alieni erant a ſatisfactione etiam militiæ præſtanda. Rationem habendam tot præſtantium militum, ducum & nobilium Germanorum, qui ſtrenuam deinceps operam patriæ, adverſus Turcam præſertim, præſtare poſſint: non oportere eos offendi, ſed conciliari, alias ipſos vi armata ſatisfactionem ſibi daturos, cum extrema Germaniæ calamitate. Reſponderi tamen poſſe, ſatisfactionem militiæ in ſatisfactione coronæ Sueciæ contineri.

Altera dein quæſtio de ſatisfactione Haſſiæ fuit propoſita. Ubi Caſſellenſis petiit, ut Darmſtadianus pariter, cum ejus etiam cauſ-
An Haſſiæ? ſa propria hic agatur, a ſenatu abeſſe jubeatur. At viſum, cum hic non ſit nunc deſcendendum ad ſpeciem, ſed in genere tantum inſtituatur quæſtio, nihil obſtare, quo minus intereſſe & audiri poſſit; alioquin etiam Auſtriacis, Bavaris, Caſſellenſibus, Pomeranis, cum eorum cauſſa ageretur, abſcedendum fuiſſe. Dein concluſum eſſe, ut vota etiam ſingularia de rebus ſingularibus locum habeant.

Poſtulata autem landgraviæ, quæ tutricis munus gerebat, erant hæc. 1 Ut firmetur amneſtia & reſtitutio in eccleſiaſticis & politicis. 2 Ut includatur huic tractatui & Paci Religionis Haſſia. 3 Ut confirmetur confraternitas ſeu hæreditaria unio cum domo Saxonica & Brandenburgica, jus Primogenituræ, aliaque pacta, exceptis iis, quæ cum Darmſtadiano ſint inita: hæc enim petit reſcindi. 4 Ut reſtituantur ſibi, quæ Darmſtadiano ſunt adjudicata. 5 Ut remittantur Waldecianis belli ſumptus. 6 Ut compenſentur damna, a ligiſtico exercitu ſibi illata. 7 Ut ſatisfiat ſuæ militiæ.

Reſpondit Auſtriacus, cum landgravia, Haſſiæ vidua, jam fuiſſe tranſactum; ſed eam rurſus receſſiſſe, & cum Gallia fœdus iniiſſe, atque ab ea ſubſidia accepiſſe. Non aliam igitur dandam ſatisfactionem, niſi quam Moguntinus promiſerit, & ipſa acceptarit: præſertim cum arma adverſus Imperatorem & Imperium arripuerit,

puerit, & adhucdum manibus gestet: præterquam, quod graves contributiones, maxime ex Westphalia collegerit.

Conclusum: quæsitam satisfactionem a generali tractatu cum coronis circa amnestiam dependere. Particulares autem controversias amica transactione componendas.

In hac sessione legatus Darmstadianus votum suum scripto obtulit, quo asseruit, iniquissimum & pessimi exempli fore, si conventiones & pacta familiæ, jurata & confirmata, rescinderentur, aut Marpurgenses ditiones Cassellensi lineæ essent adjudicandæ, cum Darmstadianus justissimum titulum e testamento habeat, prout post longam litem Cæsar, assentientibus Electoribus & principibus Imperii, anno 1623 Ratisbonæ declararit, executione Electori Coloniensi demandata. Cum autem Mauritius landgravius Cassellanus quoad fructus restituendos non acquiesceret, cum Wilhelmo ejus filio transactionem fuisse initam, quæ a Cæsare, Electoribus, & multis principibus sit approbata & confirmata. Pergit dein conqueri, quod gravi armorum violentia Marpurgensis ditio a Cassellanis sit ablata, & plurima alia damna illata, ne quidem juris emigrandi subditis relicto flebili beneficio. Rogat denique restitutionem in integrum.

Caussa Hassiaca.

## Num. VIII.

### *Reliquæ consultationes*

### *De assecuratione Pacis & gravaminibus politicis.*

IN 21 conclusum, quod si Galli petant, ut Imperator una cum statibus non assistat Hispaniæ, æquum esse, ut ipsi reciproce se obligent, neque Suecis assistere. Qua archiduci autem ei liberum esse cum exteris inire fœdera, sicut aliis statibus, modo non sint contra Imperium. Quædam dein verba censebantur omittenda, aut mitiganda; ne per ea pax retardetur. 161

In hac sessione Protestantes plura capita privatim in rem suam proponebant de assecuranda hac pace. Quæ jam supra sunt memorata.

In 22 visum 1 suadendum Cæsari, ut pro liberando principe Eduardo apud Hispanum se interponat.

2 a Regiis nulla alia belli tormenta aut alia mobilia ex restituendis locis avehenda, nisi quæ ipsi importassent.

3 Mox a conclusa & subscripta pace restitutionem occupatorum locorum faciendam.

4 Ita exauctorandam a Cæsare militiam, ut neque coronis neque statibus suspicionem pariant.

In hac sessione Protestantes per Magdeburgicum *gravamina politica* obtulerunt: nempe

1 Ut singulis saltem trienniis comitia a Cæsare indicantur, nec ullus ex statibus prætereatur.

2 Matricula Imperii reformetur. Circuli integrentur. Contributiones imperiales & circulares nimium gravatorum temperentur. In defectu aliorum mediorum statibus juxta Pacem Publicam se ipsos fas sit defendere.

3 Ad conservandam statuum æqualitatem opportunum fore, si variis præjudiciis, quæ ab Electorali collegio reliquis statibus inferuntur, obviam eatur. Nam ex Cæsareis capitulationibus patere, quod ferme in omnibus mutationes fiant, ut adeo jura reipublicæ perpetuo fluctuent, nisi stabilis capitulatio ab omnibus statibus vel in hoc tractatu vel in comitiis conficiatur. Neque concedendum, ut Electores in collegialibus suis conventibus reliquorum statuum jura communia, uti pacis & belli, fœderum, collectarum, proscriptionum, vectigalium, aliaque id genus paulatim per majora ad se trahant, Imperii statum mutent, aut constitutiones concipiant, per quas statuum jura graventur, sicut ab aliquo tempore contigerit.

Gravamina contra Electores.

Neque, ut Electorales legati in diætis imperialium deputationum cum principum & statuum reliquorum legatis se nolint conjungere; cum tamen juxta Imperii Recessus in uno loco collecti viritim suffragia ferre debeant.

Inter gravamina etiam recensendum, quod Electorum legati præsenti tractatu inauditum titulum *Excellentiæ* a principum legatis exigant, quod ad depressionem principum pertineat, & omne cum iis commercium tollat, non sine noxia dilatione pacis. Id genus autem titulos ipsis nunquam tributum iri.

5 Gravamen esse, quod liberarum Imperii civitatum votum curiatum in controversiam trahatur: acsi meri essent consiliarii, & accessores; cum tamen ad comitia & diætas vocentur, ut sicut reliqua duo collegia votum curiatum ferant.

Votum civitatum.

6 Quod de statuum subditis fuerit dispositum, eos eximendo aut immediatos Imperii pagos, ut Senfeldam, aliis subjiciendo.

7 Quo

7 Quod ſtatus quidam præcipui ſe ſuosque ſubditos a jurisdictione & oneribus Imperii ſubtrahant, alios vero ſtatus, immediatos & privilegiatos, faciant provinciales ac municipales ſubditos. Item, quod communes Imperii contributiones absque cauſſa quibusdam remittantur, non ſine aliorum gravamine. Standum Matricula. Exemptiones.

8 Quod ſtatuum ſubditis privilegia, immunitates, & exemptiones, ſtatibus non auditis concedantur.

9 Quamvis regale ſeu poteſtas conferendi dignitates ſit annexa Cæſareæ Majeſtati: has tamen eſſe debere præmium virtutis & meritorum in patriam. Id vero a tempore aliquo non ſemper fuiſſe obſervatum. Curandum autem deinceps, ut, qui principis aut comitis dignitate recens ſunt aucti, ad ſeſſionem in comitiis non admittantur, niſi præter reliqua requiſita, bonis immediatis inſtructi, onera Imperii ſufferre queant. De novis principibus.

10 Cum primum anno 1627 pro litteris, ad aulam Cæſaream ſcriptis, ſolutio a Poſta exigi cœperit, rogant, ut principes & ſtatus, ſicut antea, ab hoc onere immunes habeantur.

11 Quod comites Wetteravienſes, ad ordinarias deputationum diætas non admittantur, cum tamen multa ſuſtineant gravamina. Mandata & proceſſus, a comitibus obtentos, non dari executioni adverſus potentiores. Contra quos, & etiam Catholicos varia alia gravamina attulerunt (*Meiern in act. P. W. lib.* 14 §. 5.)

## Num. IX.

### *Correlatio I Claſſis.*

POſtquam ea, quæ dicta ſunt hactenus, in ſenatu principum Osnabrugæ fuerunt acta, directorium Auſtriacum eorum correlationem prælegit. Videlicet in proemio vocem *in Imperium* omittendam, cum cauſſas belli ultro citroque diſſimulare placeat. 162

Addita ſunt ea, quæ ſupra jam ſunt memorata de rege Hiſpaniæ, de duce Lotharingiæ, Luſitaniæ legatis, Schönbeckiano tractatu. Circa quæ omnia ſuadendum legatis Cæſareis, ut potius in his cedant, ſi pacem retardarent.

Circa primam claſſem *de amneſtia* relatum, quod in toto ſenatu, Monaſterii & Osnabrugæ congregato per majora fuerit conclusum, terminum reſtitutionis figendum ad annum 1627 in eccleſiaſticis, in politicis vero ad annum 1630, auditis tamen iis, qui Terminum reſtitutionis in eccleſ. ab ſe anno 1627

ducendum, in politicis ab anno 1630. se gravatos existimant: Palatina vero caussa ad tractatus particulares inter eos, quorum res agitur, remissa.

Hanc enim amnestiam publicis in comitiis ab universo Imperio fuisse statutam, *in quamcunque dein partem armorum fortuna se vertat*. Et æquum esse, ut a belli origine restitutionum origo ducatur. Bellum Bohemicum, Mansfeldicum, Brunsvicense, Durlacense, Danicum, Protestantium in Germania, aut per se ipsa fuisse extincta, aut tractatibus composita; Suecicum vero primum anno 1630 & Gallicum adhuc serius cœptum; ante quod tempus ipse rex Gustavus sit contestatus, amicam sibi pacem, nullamque belli caussam fuisse cum Imperio: adeoque nullam anterioris amnestiæ.

Hanc autem sufficere ad pacandum totum Imperium. Si enim ad ipsos dissidiorum fontes esset ascendendum, male id cessurum Protestantibus; cum omnia ablata deberent restituere. Cæterum in exceptionem provinciarum Austriacarum a generali amnestia omnes status Ratisbonæ consensisse. Iniquum autem fore, si omnes res judicatas, quæ ad bellum non pertinent, oporteret rescindere: simulque probrosum Ferdinando II Cæsari, si omnia ejus acta contingeret irritari.

Contra vero Protestantes existimasse, ad reducendam animorum conjunctionem & germanam fiduciam, amnestiam prorsus universalem statuendam, eamque ab anno 1618 ducendam. Cum Regii hanc petant: atque plures ex Protestantibus eandem etiam Ratisbonæ petierint. Palatinam caussam non ad tractatus peculiares remittendam, sed tanquam partem generalis pacificationis agendam. Wirtembergiam, Durlacum, Sarepontum, Argentinam, Augustam, Kauffburam, Ravensburgum, Lindaviam, Egram, Erfordiam, Osnabrugam, Hildesium, Mindam &c. ad statum anni 1618 reducendas.

Protestantes statuunt ann. 1618.

Addita multa de Litteris Majestaticis Bohemorum: de Jägerndorffio Brandeburgis restituendo: de Pace Pragensi abroganda: de commerciis &c. prout supra ex protocollo sunt excerpta.

## Num. X.

### *Prætensa Protestantium Gravamina: Catholicorum responsio.*

1645 ORdines Protestantes Osnabrugæ ad *Gravamina Ecclesiastica* deputaverant, Altenburgicum, Vinariensem, Brunsvicensem, Cassel-

Caſſellanum, Mechlenburgicum, & Wetteravienſes comites. Qui ſequentia compilarunt: atque

*Conqueruntur*, quod Catholici contra ſanctiones Pacis Religioſæ archiepiſcopos & prælatos, qui ad Auguſtanam Confeſſionem tranſiiſſent, illico loco moviſſent, uti Gebhardum Colonienſem, ſeſſione & voto privaſſent. Cum tamen in Pace Religionis cautum ſit, ut nullus ſtatus propter Confeſſionem Aug. gravetur aut contemnatur.

Gravamen de Reſervato.

Nota. *Hoc intelligendum de ſtatibus, qui tunc (nempe anno 1555) erant Auguſtanæ Confeſſionis. Alias pax illa ſibi ipſi eſſet contraria, cum aperte ſtatuat, ut ſtatus Catholici in poſſeſſionibus ſuis relinquantur. Deinde* Reſervatum Eccleſiaſticum *claram in hac re præſcribit regulam. Neque dicere poſſunt, Proteſtantes in hanc exceptionem non conſenſiſſe. Nam licet initio reclamarint, tamen, cum rex Ferdinandus non cederet, ſed vigore plenitudinis poteſtatis, a Cæſarea Majeſtate ipſi conceſſæ, eandem pacis tractatui inſeruiſſet, acquieverunt, & abſolute ac ſimpliciter ſine omni limitatione aut reſervatione totum complexum pacis acceptarunt, & ſubſcripſerunt; ſe nec velle nec poſſe ſuæ Majeſtati quoad hoc menſuram aut limitem præſcribere, conteſtati.*

Reliqua prætenſa gravamina verſabantur circa jus reformandi territoriale, decimas, jurisdictionem eccleſiaſticam, libros Catholicorum, pluralitatem votorum, deputationes, juſtitiam adminiſtrandam, cauſſam Donawerdanam. Ad quæ omnia Catholici prolixe reſponderunt.

Sed Proteſtantes extremis inhærebant. Reſtitutionis cauſſam in eccleſiaſticis ad annum 1618 reducendam. Lutheranis non migrandum e terris Catholicorum: exercitium religionis ibidem illis permittendum.

Catholici anno 1627 inſiſtebant, ita tamen, ut Proteſtantibus bona eccleſiaſtica, quæ illo anno poſſidebant, pacis gratia ad 40 annos relinquerentur, reſervatis actionibus; & ne tum quidem per vim illis eriperentur, ſed per media pacata & viam juris. Proteſtantes vero ceſſionem abſolutam & perpetuam volebant. Reſervatum vero Eccleſiaſticum eatenus admittebant, ut prælatus ad eos deficiens non poſſit quidem reformare ſubditos, ad dies vitæ tamen dignitatem & bona prælaturæ ipſi eſſe permittenda: monachum quoque, ad eos tranſeuntem, in monaſterio tolerandum & ſuſtentandum.

Cum autem ſcriptis, inter Monaſterienſes (pleroſque Catholicos) & Osnabrugenſes (pleroſque Acatholicos) legatos, ultro citroque miſſis, nihil efficeretur, Catholicorum deputati, ut coram melius conficeretur negotium, Osnabrugam conceſſerunt, communi ut conſilio opus tam grande ac difficile promoveretur. Sed multis ſeſſionibus, conſultationibus, re- & correlationibus toto hoc anno 1646 nihil ferme eſt actum, niſi ut ſerra contentionis magno conatu traheretur & retraheretur, nec tamen nodus difficultatis diſſecaretur.

Cum igitur ordinum legati convenire inter ſe non poſſent, Proteſtantes cauſſam ad Cæſareos, Gallos & Suecos detulerunt. Dux Longavillanus, princeps Galliæ legatus, reſpondit, ex principiis Catholicorum certum eſſe, quod in ipſorum poteſtate non ſit, bona eccleſiaſtica absque conſenſu ſummi Pontificis in perpetuum abdicare. Quare ejusmodi tractationem per ſe nullam fore & irritam, atque Catholicos absque perfidiæ nota prima occaſione bona illa, invalide ceſſa, repetituros & reducturos. Igitur ne peterent id, quod bona conſcientia dari non poſſit; ſed transactionem quoad hæc bona inirent ad 60, 80 aut 100 annos, quibus omnis repetitio & actio eſſet ſuſpenſa. Credere ſe, tantam eſſe ſummi Pontificis in Germania poteſtatem, quanta in Gallia & Hiſpania.

Relatio Electoralis.

Secuta eſt *relatio collegii Electoralis:* 1 Cauſſam *Luſitanam* nihil pertinere ad Imperium; Cæſaris tamen arbitrio relinquendum, an ſalvum conductum velit concedere. 2 Quæſtionem de excludendo a pace *Hiſpano* differendam. 3 Inſiſtendum, ut pro *Lotharingo* obtineatur ſalvus conductus. 4 *Amneſtiæ* univerſalis, & dependentis ab ea reſtitutionis terminus in politicis ſit *annus* 1630, in eccleſiaſticis 1627, prout in pace Pragenſi & comitiis Ratisbonenſibus anni 1641 conventum. 5 *Jura ſtatuum* ad externos non ſpectare, ſed a Cæſare & ſtatibus ſeorſim tractanda, quin duæ coronæ ſe immiſceant. 6 *Cæſari* ea eſſe *propria*, quæ per Bullam Auream, capitulationes Cæſareas, conſtitutiones Imperii non ſunt reſervata aut limitata. *Electoribus* vero illa, quæ per conſtitutiones illis ſunt conceſſa.

7 Limitationem illam de fœderibus a ſtatibus ineundis, *modo non ſint contra Imperatorem & Imperium*, eſſe retinenda. 8 Quod coronæ poteſtatem Electorum circa electionem *Rom. Regis* velint reſtringere, mirum ſibi videri, cum profiteantur, quod ſtatus in ſuis juribus velint conſervare ac defendere. 9 *Vectigalia*, hoc bello

bello absque Cæsaris & Electorum voluntate erecta vel aucta, in pristinum statum reducenda, ne commercia turbentur.

10 *Satisfactionem* coronis nullam deberi, præsertim cum Imperium funditus vastarint, & ingentia ex eo spolia collegerint. 30 vero principatuum petitionem esse prorsus enormem. Ita tamen cum coronis tractandum, ut hæc res pacem, Germaniæ tantopere necessariam, non moretur. Cassellensibus autem satisfactionem omnino negandam. 11. Si coronæ insistant petitioni, ut *Hispanus* non juvetur, exigendam promissionem reciprocam, quod neque ipsæ hostibus Imperii velint assistere. 12. Sicut Imperium non præscribit coronis, quot milites debeant retinere, sic neque illas Imperio metam debere ponere.

Huic senatus electoralis concluso acriter se opposuit quoad aliqua Brandeburgus, restitutionis initium ab anno 1618 sumendum contendens, præsertim vero Palatinatum, Wirtenbergiam, Badenam, Augustam in statum illius anni reducendas, cassatis omnibus transactionibus & rebus judicatis. Reformatos absolute sine omni conditione paci inserendos. Pommeraniam non esse cedendam Suecis: aliam illis præstandam satisfactionem.

In pleno dein statuum senatu etiam civitatum collegium correlationem suam proponebat. Divisa autem erant suffragia. Catholicæ urbes idem ferme cum catholicis Electoribus & principibus sentiebant, acatholicæ cum acatholicis, nisi quod varia de commerciis statuerent, & monopolium quoddam sibi attribuere viderentur. Correlatio.

Hoc dein trini collegii placitum (quamvis dissonum) Cæsareis offerebatur, ut ex eo *duplicam* suam ad coronarum *replicam* formarent: excludendum Lusitanum, inserendum Lotharingum & Hispanum: vi transactionis Burgundicæ Belgium & Burgundiam esse circulum Imperii, cum jure sessionis & voti. Gallos non habere caussam, amnestiam figendi ad an. 1618, cum ab eo tempore ad annum usque 1630 bellum cum illis non fuerit: quæ autem in Italia contigissent ratione ducatus Mantuani, Chierascena & Ratisbonensi pace fuisse composita; statibus autem satis esse provisum per amnestiam Ratisbonensem anni 1641 & cassationem suspensionis, nunc concessam.

Satisfactionem quidem Gallis nullam deberi: cessionem tamen aliquam in Lotharingia & Alsatia ad particularem tractatum remittendam. Gallos, tanquam Catholicos, non debere firmare Suecorum & aliorum Protestantium pertinaciam in præjudicium religionis. &c. Duplica.

Miſſa pariter ad Suecos duplica, in qua ipſis a Cæſareis conceſſa Pommerania, ceu feudum Imperii poſſidenda, cum Bremenſi & Verdenſi epiſcopatu: Palatino octavus electoratus cum Palatinatu inferiore, ſalvo catholicæ religionis exercitio; prout etiam in aliis locis ceſſis: Brandeburgo loco Pommeraniæ Halberſtadium. Militibus ſuis quælibet pars ipſa ſatisfaciat &c.

Hanc *duplicam* Cæſarei Suecis, hi Proteſtantibus aliis communicarunt, qui varia in ea carpebant, petebantque, ut antea, annus 1618 *ſit normalis*: Palatinus integre reſtituatur: nova tribunalia erigantur: pax Pragenſis & amneſtia anni 1641 aboleantur: paritas aſſeſſorum decernatur. Brandeburgus graviter tulit, quod Cæſarei Suecis Pommeraniam obtuliſſent, imploratis etiam Batavis, qui nolebant Suecos Balthico ex utraque ripa dominari.

Sueci dein cum Cæſareis legatis congreſſi antiqua ferme repetebant, prout etiam Cæſarei, ut adeo in multis adhuc diſſentirent. Cum igitur quoad politica convenire non poſſent, reſumptum eſt caput gravaminum circa religionem. Sed in hoc adhuc minus conventum. Galli, a Proteſtantibus iterum implorati, reſponderunt iterum, perpetuam abdicationem bonorum eccleſiaſticorum ſperari a Catholicis non poſſe, cum ea conſcientiæ adverſetur; ſufficere, ſi actionibus in centum annos renuntient, & viæ facti in perpetuum, quod Catholici facere ſint parati. Ne Proteſtantes extremis pergant inhærere, præſertim circa annum normalem, & ſubditos domus Auſtriacæ.

Trautmansdorffius Cæſareæ legationis princeps jus emigrandi ad 7 vel 8 annos extendit, cætera pleraque Proteſtantium poſtulata vel negavit vel ad comitia remittenda cenſuit. Elector Saxoniæ, multo aliis Proteſtantibus pacatior, rigorem eorum temperare conatus eſt, aliorum acerbo in Catholicos odio præpollente, quos inter præcipui Thumshirnius, Saxo-Altenburgicus, & Lampadius Lüneburgicus legatus, principibus ſuis multo duriores.

Querebantur acerbe Catholici, quo plura a ſe concedantur, eo plura a Proteſtantibus poſtulari. Reductum a ſe terminum ad annum 1624: actiones ad 100 annos ſuſpenſas: viæ facti in perpetuum renuntiatum: ſeſſionem & votum indultum iis, qui nunquam habuerant. Oppreſſam laceratamque undique Germaniam ultimum velut ducere ſpiritum, & a propriis ſuis filiis in extremam ruinam impelli.

Gallorum mens. Quapropter Galli, iniquitatem poſtulatorum in religionis negotio deteſtati 6 Julii Cæſareis per mediatores referri volebant, in

in caussa religionis se omnem Catholicis opem laturos, nec concessuros, ut Protestantes ultra id, quod indultum jam est, quidquam extorqueant. Satisfactionem Suecicam Protestantibus imponendam, qui Suecos in Germaniam vocassent. Hassiacam autem domum non posse se deserere. 20 dein Augusti ulterius declararunt, se etiam sine Suecis pacem innituros, si serio velint Cæsarei. Circa gravamina standum ultimo scripto Catholicorum, nec ultra quid indulgendum: circa caussam Palatinam Cæsareæ propositioni se accedere: Suecos dimidia Pommeraniæ parte debere esse contentos.

Vehementer ussit Suecos hæc privatà Gallorum tractatio. Exigere rationem fœderis, scripsit illis Salvius, ut pari utrinque passu commune negotium agatur; cœpitque mox iterum apud Gallos refrigescere pacis studium. Secedente dein etiam Bavaro milite, Trautmansdorffius Suecis ac Protestantibus plura indulgere coactus est, quæ status Catholici, Monasterii congregati, improbabant, negabantque, se privato hoc tractatu obligari; & cum nollent cedere, congressus ferme dissolutus est; at sub initium anni 1648 resumptus. Tandemque post infinitas superatas difficultates ab Osnabrugensibus legatis Protestantibus, & paucis Catholicis, cum Suecis pax fuit conclusa, reclamantibus licet, & vehementer se opponentibus Monasteriensibus legatis Catholicis; qui ea, quæ circa bona ecclesiastica & religionem concepta sunt, tolerari non posse existimabant, & propterea contra ea, quæ se præteritis sunt indulta, protestabantur. Ipse etiam Imperator eam rem improbabat, donec, desertus a potentioribus Catholicis, consentire tandem coactus est.

Locus hic jam esset de instrumento pacis Osnabrugensis differendi; & jam multum materiæ comportaveram, cum amicorum consilio cœptis destiti. Ne tamen hiulcus omnino in hac re gravissima apparatus hic eruditionis compareat, succinctam epitomen articulorum apponendam duxi, sine notis, observationibus, dissertationibus.

*Videri possunt acta publica P. Meyeri: Pfeffinger in Vitriar. Obrecht. Mascov. Desing. Struv. Schwarz. Buckisch. Heninges. Adamus Adami. Brachel. Hübn. Lundorp. Burgold. Stryck.*

# Caput VII.

## *SYNOPSIS INSTRUMENTI PACIS OSNABRUGENSIS.*

164 IN proemio dicitur, post enatum bellum diuturnum atque gravissimum inter Ferdinandum II Imperatorem, & Gustavum Adolphum regem Sueciæ, atque post horum decessum inter Ferdinandum III & Christinam, Gustavi filiam, conventum tandem Hamburgi anno 1641, ut 11 Julii 1643 Osnabrugæ & Monasterii Westphalorum congressus instituatur. Comparuisse igitur ex parte Imperatoris comitem Trautmansdorffium, Lambergium, & Cranium, a parte reginæ Sueciæ vero comitem Oxenstirnium, & Joannem Salvium, atque in has pacis & amicitiæ leges convenisse.

### ARTICULUS I.

Pax sit Christiana, universalis, *perpetua*, veraque amicitia inter utramque partem.

### ARTICULUS II.

Decernitur *amnestia* & oblivio omnium, quæ hostiliter acta sunt.

### ARTICULUS III.

Restitutio fiat plenarie in eum utrinque statum in sacris & profanis, quo ante destitutionem gavisi sunt, aut jure gaudere potuerunt, *salvis tamen cujusque juribus*. Clausula tamen hæc salvatoria restitutionem non impediat. Facta autem restitutione coram competenti judice jura examinentur.

### Art. IV. DE RESTITUTIONE &c.

### I.

#### *De caussa Palatina.*

165 D*Ignitas electoralis*, quam Electores Palatini antehac habuerunt, cum omnibus regaliis, officiis, præcedentiis, insignibus, & juribus quibuscunque, ad hanc dignitatem spectantibus, nullo prorsus excepto, ut & *superior Palatinatus* totus, una cum comitatu *Cham*, cum omnibus eorum appertinentiis & juribus, maneant penes Maximilianum Bavariæ ducem, ejusque liberos,

&

& totam *lineam Wilhelminam*, quamdiu masculi ex ea superstites fuerint. Elector tamen Bavariæ renuntiat debito *tredecim millionum*, omnique prætensioni in *Austriam superiorem*.

Pro domo autem Palatina instituitur *electoratus octavus*: simulque in *Palatinum inferiorem* plenarie restituitur, cassatis iis, quæ in contrarium acta sunt.

*Strada Montana*, a Moguntino Palatinis oppignorata, cum perpetuæ reluitionis pacto, eidem Moguntino maneat, modo pecuniam acceptam restituat.

Trevirensi & Wormatiensi jura in bona quædam, intra territorium Palatinum sita, in foro competente prosequi liberum esto.

Si *linea Wilhelmina masculina* prorsus deficeret, superstite Palatina, non modo Palatinatus superior, sed etiam dignitas electoralis ad Palatinos redeat, *simultanea* interim *investitura* gavisuros, octavo electoratu tunc prorsus extinguendo, ita tamen Palatinatus superior hoc casu ad Palatinos superstites redeat, ut hæredibus allodialibus Electoris Bavariæ jura sua reservata maneant.

Pacta quoque gentilitia inter Heidlbergensem & Neoburgicam super successione rata sunto.

Si quæ feuda Juliacensia aperta esse evictum fuerit, ea Palatinis evacuentur.

Cæsar ordinabit, ut fratribus Caroli Ludovici pro *appanagio* 400000 imperialium intra quadriennium tradantur.

Palatini Cæsari obedientiam & fidelitatem præstent, sicut alii Electores & principes, & Palatinatui superiori renuntient, donec ex linea Wilhelmina masculus supersit. Provisum etiam matri viduæ & filiabus de victalitio.

Tractatur deinde hoc articulo de libera Imperii nobilitate in suo statu immediato relinquendis; de libero exercitio Lutheranorum in inferiore Palatinatu; de restituendis aliis principibus Palatinis.

## II.

## *De aliis restitutionibus.*

ENumerantur multa, *domui Wirtembergicæ* restituenda, salvis 166
tamen domui Austriacæ juribus. Restituenda quoque linea *Mompelgardica*: prout Marchio *Badensis* & *Hochbergensis*. Alternetur etiam in posterum inter utramque lineam præcedentia, & sessio in comitiis, & circulo Suevico; pro nunc tamen penes Durlacensem, dum vivet, præcedentia permanente. Disponuntur etiam

am plura de domo Croyensi, Nassovia, Hanovica, Solmensi, Isenburgica, Saynensi, Falckensteinensi, Waldecciana, Oetingensi, Hohenlöensi, Löwensteinia, Erbacensi, Brandensteinensi, earumque restitutione.

### III.

*De caussa contractuum, debitorum, sententiarum, feudorum.*

HIc omnes contractus, transactiones, actiones cessæ, instrumenta debitorum, & quæcunque alia, vi metuve extorta, nulla sunto. Sententiæ de rebus, mere sæcularibus, tempore belli latæ, non quidem omnino sint nullæ, (nisi processus vitium manifeste pateat) ab effectu tamen rei judicatæ suspendantur, donec acta, si pars alterutra revisionem petat, in judicio competente revideantur, de novo ponderentur, atque sic illæ sententiæ vel confirmentur vel emendentur. Si quæ autem feuda vel regalia ab anno 1618 non fuerint renovata, aut eorum nomine nulla præstita servitia, nemini id fraudi sit, sed tempus repetendæ investituræ a die factæ pacis cedere incipiat.

### IV.

*De restituendis subditis. De caussa Juliacensi.*

REstituendi omnes exules in bona sua, qui uni vel alteri parti adhæserunt, exceptis subditis domus Austriacæ, quibus bona, ante annum 1630 confiscata, non debent restitui. Excipiuntur etiam bona mobilia, fructus percepti, destructa, deposita, hostilitatis intuitu confiscata.

Quia vero etiam caussa Juliacensis successionis, nisi præveniatur, magnas aliquando in Imperio turbas excitare posset, ideo conventum est, ut ea quoque pace confecta ordinario processu coram Cæsare, vel amicabili compositione, vel alio legitimo modo sine mora dirimatur.

## ARTICULUS V.

*Caussa religionis.*

### I.

*Confirmatur Pax Religionis; statuitur æqualitas.*

167 1. COnfirmatur *Transactio* 1552 Passavii inita, & secuta 1555 Pax Religionis, prout ea 1566 Augustæ, & postea in variis

riis comitiis fuit confirmata. Quæ vero controversa in ista transactione statuta sunt, pro illius declaratione habeantur, donec de religione ipsa convenerit, non attenta cujusvis contradictione.

In reliquis omnibus autem inter omnes utriusque religionis sit æqualitas exacta mutuaque, quatenus formæ reipublicæ, constitutionibus Imperii & præsenti conventioni conformis est, ita, ut, quod uni parti justum est, alteri quoque justum sit, violentia omni & via facti, uti alias, ita & hic inter utramque partem perpetuo prohibita.

## II.

### *Terminus a quo restitutionis. Ordinatio de Augusta, & aliis mixtis civitatibus.*

2. Terminus a quo restitutionis omnium immediatorum in Ecclesiasticis sit dies prima Januarii anni 1624, cassatis omnibus contrariis actis.

3. Augusta, Dinckelspihla, Biberacum, & Ravensburgum retineant jura, bona, & exercitium dicti anni; sed in senatu & muneribus publicis sit æqualitas & idem numerus.

4. Augustæ sint septem senatores secretioris consilii, ex familiis patriciis electi: ex his duo præsides, unus Catholicus, alter A. C. ex reliquis tres Catholici, & duo A. C. addicti. Reliqui senatores, syndici, aliique officiales sint æquali utrinque numero. Quæstores rei nummariæ sint tres, duo unius religionis, unus diversæ, singulis annis alternando.

5. Similis alternatio sit inter rei tormentariæ præfectos, collectores annonæ, ædiles, & alia officia, quæ tribus committuntur.

6. Munera uni soli committi solita similiter alternentur.

7. Templorum tamen & scholarum cuique parti suarum jura integra reservantur. Ii autem Catholici, qui tempore pacificationis in magistratu vel officiis supersunt supra numerum prædictum, voto careant, non tamen honore & commodis aliis.

8. Neutra pars alteram deprimat. Catholicum præsidem seu duumvirum & senatores Catholicos Catholici eligant. A. C. vero præsidem & senatores iidem.

9. Pluralitas votorum in caussis, religionem sive directe sive indirecte concernentibus non attendatur.

10. De cetero Pax Religiosa, ordinatio Carolina de electione magistratuum, & transactiones (quatenus huic dispositioni non repugnant) salvæ maneant.

11. Dünckel-

11. Dünckelſpihlæ, Biberaci & Ravensburgi duo ſint conſules, alter Catholicus, alter A. C. item 4 ſecretioris conſilii, & alii ſenatores atque officiales pari ſint utrinque numero. In officiis vero, quæ uni tantum conferuntur, fiat alternatio.

12. Si in proximis comitiis Donawerda in priſtinam reſtituenda libertatem judicabitur, iisdem ac aliæ liberæ civitates juribus gaudeat, ſalvis tamen, quorum intereſt, juribus.

13. Terminus autem anni 1624 nullum præjudicium afferre debet iis, qui ex capite amneſtiæ, aut *aliunde* reſtituendi veniunt.

## III.

### *De epiſcopatibus & bonis eccleſiaſticis* **immediatis** *: de Reſervato Eccleſ. electionibus.*

14. Bona eccleſiaſtica *immediata* omnia eis, qui 1 Jan. anni 1624 poſſederint, ſive Catholici fuerint, ſive A. C. relinquantur, donec de religionis diſſidio conventum fuerit. Si autem conveniri non poſſet, nihilominus hæc pax ſit perpetua.

15. Statuitur hic, ut Reſervatum Eccleſiaſticum ſit reciprocum, ita, ut, prælato religionem mutante, quæcunque bona eccleſiaſtica ejus religionis conſortes, quæ dicto tempore in reali poſſeſſione fuit, deinceps poſſideant.

16. In omnibus fundationibus immediatis jura eligendi & poſtulandi maneant, quatenus conſcientiæ, huic transactioni aliisque Imperii conſtitutionibus ſunt conformia.

17. Dignitates & beneficia eccleſ. ne fiant hæreditaria, ſed capitulis libera electio relinquatur.

## IV.

### *De primis precibus, annatis, uſu pallii, electis Proteſtantibus, Canonicis &c.*

18. Jus primarum precum Cæſari ſalvum eſto, modo præſentandus ejusdem religionis ſit cum defuncto.

19. Jura annatarum, pallii, confirmationum, menſium papalium in bonis eccleſiaſticis A. C. executione careant.

20. In mixtis autem eccleſiis quoad Catholicos maneant.

21. Electi aut poſtulati A. C. immediati a Cæſare inveſtiantur,

tur, ultraque taxam ordinariam insuper ejusdem dimidium pendant: tum vero jure suffragii in comitiis gaudeant.

22. Status ecclesiastici A. C. titulo *electi aut postulati in episcopum &c.* utantur. Sessionem autem in scamno transverso, inter ecclesiasticos & saeculares medio, capiant.

23. Quot canonici 1 Jan. 1624 ex utraque religione fuerunt, totidem permaneant, & decedentibus ejusdem religionis subrogentur.

24. Episcopatus & bona ecclesiastica, Suecis concessa, specialibus infra conventionibus relinquuntur.

## V.

### *De bonis ecclesiasticis* mediatis: *libera nobilitate, civitatibus.*

25. Quaecunque monasteria, aut bona ecclesiastica *mediata* A. C. status 1 Jan. 1624 possederunt, eadem porro possideant, donec controversiae religionis definitae fuerint.

26. Pariter, quaecunque bona eccles. Catholici eo tempore possederunt, etiam deinceps possideant, licet in statuum A. C. territoriis illa sint sita; non tamen in alios religiosos ordines transferantur. Ubi autem utriusque religionis consortes promiscue vixerunt in templis, collegiis, hospitalibus &c. vivant etiam posthac, sicut anno 1624 eodem numero. In quibuscunque fundationibus circa bona mediata, quoad primas preces, annatas, menses papales, idem observandum, quod circa bona immediata. Oppignorationes imperiales non luendae.

27. Fas est principi aut alteri domino directo in terras, prius oppignoratas, sed per reluitionem ad se reversas, suae religionis introducere exercitium publicum, salva tamen possessione aliorum.

28. Libera & immediata Imperii nobilitas cum subditis quoad religionem idem jus habeat, quod status.

29. Liberae Imperii civitates, in quibus anno 1624 unica tantum in usu fuit religio, idem ac alii altiores status jus reformandi habeant: salvis anni 1624 possessionibus. In mixtis vero civitatibus neutra pars alteram turbet.

## VI.

### *De mediatis Imperii subditis, jure reformandi: possessione anni 1624. Pactis. Jure emigrandi.*

30. Quantum deinde ad comites, barones, nobiles, civitates mediatas pertinet, cum statibus immediatis *cum jure territorii* 168

*& ſuperioritatis, ex communi per totum Imperium uſitata praxi etiam jus reformandi exercitium religionis competat*, ac dudum in pace religionis talium ſtatuum ſubditis, ſi a religione domini territorialis diſſentiant, beneficium emigrandi conceſſum, conventum eſt, hoc idem porro obſervari, nullique ſtatui immediato jus, quod ipſi ratione territorii & ſuperioritatis in negotio religionis competit, impediri oportere.

31. Hoc tamen non obſtante, ſtatuum Catholicorum landſaſſii & ſubditi, qui quacumque parte anni 1624 A. C. exercitium habuerunt, retineant id etiam in poſterum, una cum annexis: quatenus illa dicto anno exercuerunt, & exercita fuiſſe probare poterunt. Nec minus maneant in poſſeſſione templorum, fundationum, monaſteriorum, donec de religione fuerit conventum.

32. Turbati aut deſtituti vero, in eum, quo anno 1624 fuerunt, ſtatum utrinque plenarie reſtituantur.

33. Pacta autem, tranſactiones &c. quæ inter tales immediatos Imperii ſtatus, eorumque ſtatus provinciales & ſubditos de religionis exercitio interceſſerunt, ratæ manento, quatenus obſervantiæ anni 1624 non adverſantur. Catholicis reſervantur novem monaſteria, in epiſcopatu Hildeſienſi ſita, quibus duces Brunsvicenſes certis conditionibus ceſſerunt.

34. Placuit porro, ut ſubditi, qui nulla parte anni 1624 religionis exercitium habuerunt: item qui deinceps poſt confectam pacem religionem mutabunt, a domino territorii patienter tolerentur, & devotioni ſuæ privatim domi vacare, aut in viciniam ad religionis exercitium excurrere non prohibeantur.

35. Nemo propter religionem alterutram habeatur deſpectui, nec a mercatorum, tribuum, opificum communione vel ab hæreditatibus, hoſpitalibus, eleemoſynis arceatur.

36. Quodſi vero ſubditus, qui nullum anno 1624 religionis ſuæ exercitium habuit, vel qui poſt confectam pacem religionem mutabit, ſua ſponte emigrare voluerit, *aut a territorii domino juſſus fuerit*, retentis bonis aut alienatis diſcedet.

37. His tamen non minus quam triennii ſpatium ad emigrandum præfigatur. Neque, ſive voluntarie ſive *coacte* emigrantibus honeſtæ vitæ teſtimonia denegentur.

VII.

## VII.

### *De exercitio religionis in Silesia.*

38. Silesiæ principes, A. C. addicti, nempe duces in Brieg, 169
Ligniz, Münsterberg, & Oels, item Uratislavia, in libero religionis & jurium suorum exercitio, ex gratia Cæsarea & Regia ipsis concesso, relinquantur.

39. Quod vero ad nobiles eorumque subditos spectat in reliquis Silesiæ ducatibus, qui immediate ad cameram regiam spectant, tum etiam in Austria inferiori degentes nobiles attinet, quamvis Cæsari jus reformandi non minus ac aliis principibus competat, ad intercessionem tamen coronæ Sueciæ & A. C. statuum, permittit, ut nobiles illi eorumque in Silesia subditi ob religionem C. A. loco aut bonis cedere aut emigrare non teneantur; nec prohibeantur exercitium in locis vicinis extra territorium frequentare, modo quiete vivant &c.

40. Præterea S. C. Majestas permittit, ut suis sumptibus tres ecclesias extra civitates Schweiniz, Jaur, & Glogau prope mœnia construant.

41. Et cum de majore libertate religionis in domus Austriacæ regnis, & provinciis concedenda conveniri non potuerit, Protestantes reservant sibi facultatem in proximis comitiis demisse intercedendi.

## VIII.

### *A quibus jus reformandi non dependeat. De jurisdictione ecclesiastica, reditibus &c.*

42. A sola qualitate feudali (cum jure territoriali non conjuncta) jus reformandi non dependet.

43. Jure territoriali controverso possessio anni 1624 tenenda, donec super possessorio & petitorio cognoscatur & decidatur.

44. Neque sola criminalis jurisdictio tribuit jus reformandi.

45. Ratione redituum ecclesiasticorum observentur, quæ in P. R. sunt statuta.

46. Circa reditus, post P. R. a Protestantibus acquisitos observetur possessio anni 1624.

47. Idem de decimis, pensionibus &c.

48. Jus diœcesanum & tota jurisdictio ecclesiastica in A. C. consortes sit suspensa usque ad compositionem religionis. Ad con-

 sequen-

ſequendos tamen reditus, cenſus, decimas, penſiones, ex territoriis A. C. obſervetur poſſeſſio Catholicorum anni 1624. Similiter Proteſtantes in territorio ſtatus Catholici jurisdictioni eccleſiaſticæ ſubſint in iis caſibus, qui Aug. Confeſſionem non concernunt; ſi anno 1624 eandem jurisdictionem agnoverunt. Extenditur eadem in Catholicos Proteſtantium ſubditos, quatenus epiſcopi dicto anno illam quiete exercuerunt.

49. In civitatibus mixtis epiſcopis in Proteſtantes nulla ſit jurisdictio.

50. Magiſtratus ſevere prohibeant, ne quis T. P. aut P. R. vel hanc tranſactionem impugnet. Si autem quid dubii incidat, de eo in comitiis vel aliis Imperii conventibus amicabili ratione tranſigatur.

## IX.

### *De numero in deputationibus: pluralitate votorum. Camera Imperiali.*

51. In conventibus deputatorum ordinariis numerus ex utraque religione ſit æqualis. Si negotium ſolos A. C. tangat, ab illis ſolis decidatur; ſi autem ſolos Catholicos, ab iſtis ſolis.

52. In cauſſis religionis, omnibusque aliis negotiis, ubi ſtatus tanquam unum corpus conſiderari nequeunt, uti etiam Catholicis & A. C. ſtatibus omnibus in duas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate. Quod vero pluralitatem votorum in materia collectarum attinet, cum res hæc in præſenti congreſſu decidi non potuerit, ad proxima comitia remiſſa eſto.

53. Cum de judicio Cameræ Imperialis in alium commodiorem locum transferendo, de judice, præſidibus, aſſeſſoribus, pari numero ex utraque religione conſtituendis, aliisque ad Cameram ſpectantibus, in præſenti congreſſu pro negotii gravitate tractari non ſatis potuerit, hæc materia ad proxima comitia remittitur.

Ne tamen hæc res non omnino incerta relinquatur, placuit, præter judicem quatuor præſides deſignari, & quidem duos A. C. a Cæſare: numerum aſſeſſorum ad 50 augeri, ita ut Catholici 26, A. C. ſtatus 24 præſentent: atque ex his mixtæ religionis circuli, quatuor, duos Catholicos & duos A. C.

In judicio hoc camerali cauſſæ eccleſiaſticæ & politicæ, inter Catholicos & A. C. ſtatus, vel inter hos ſolos vertentes, aut ſi ter-

ſi tertius ex utralibet religione ſtatus intervenerit, pari aſſeſſorum ex utraque religione numero diſcutiantur & decidantur. Idemque in judicio aulico obſervetur; unde Cæſar doctos aliquot A. C. viros aſciſcet, ut eveniente caſu paritas judicantium ex utraque religione obſervari poſſit.

## X.

### *De Judicio Aulico, ſupplicatione, privilegiis primæ inſtantiæ. Aſſeſſoribus Cameræ.*

54. Ordinatio cameræ etiam in judicio aulico obſervetur; & 170
ne partes ibidem litigantes omni remedio ſuſpenſivo deſtituantur, loco *Reviſionis*, in camera uſitatæ, licitum eſto parti gravatæ a ſententia, ad Cæſarem *ſupplicare*, ut acta judicialia denuo, adhibitis aliis, æquali ex utraque religione numero conſiliariis, qui priori ſententiæ non interfuerant, revideantur.

55. Viſitatio conſilii aulici fiat ab electore Moguntino, quoties opus fuerit. Si Catholici in unam, Proteſtantes in alteram partem eant, ad comitia Imperii remittatur cauſſa. Aliud foret, ſi unus aut alter aſſeſſor ex altera religione accederet.

56. Privilegia tamen primæ inſtantiæ, *Auſtregarum* jura, & privilegia de non appellando ſtatibus Imperii illibata ſunto, nec per mandata, aut commiſſiones, aut avocationes, aut quovis alio modo turbentur. Denique cum etiam de abrogandis, curia imperiali Rottwilenſi, judiciis provincialibus Sueviæ, & aliis hinc inde per Imperium hactenus uſitatis mentio injecta fuerit, reſque hæc gravioris momenti viſa fuerit, ad proxima comitia remittitur.

# SCHEMA

## Aſſeſſorum,

### *Qui ab A. C. addictis ad cameram præſentari poſſunt.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Ab electore | Saxonico | | 2. |
| | Brandeburgico | | 2. |
| | Palatino | | 2. |
| A circulo | ſuperioris Saxoniæ | | 2. |
| | inferioris Saxoniæ | | 2. |

| | |
|---|---|
| Alternando per hos circulos | 1. |
| A circ. Francon. ſtatibus A. C. | 2. |
| Suevici - - | 2. |
| Sup. Rhenani - | 2. |
| Weſtphalici - | 2. |
| Alternando per hos 4 circulos | 1. |

*Circa Catholicos, quos ipſi ad cameram præſentare poſſint, nihil fuit diſpoſitum, ſed totum negotium fuit ipſis relictum. Fuit autem diſpoſitum poſtea in receſſu noviſſimo anni 1654, prout ex ſchemate ibi exhibendo patebit.*

57. Quamvis autem ſub ſchemate, ſupra poſito, nulla fiat mentio ſtatuum Imperii A. C. qui ſub circulo Bavarico comprehenduntur, nihil tamen ex eo ipſis præjudicetur, ſed ſalva maneant horum jura, privilegia, libertates.

*Clauſula hæc adjecta fuit propter inſtantiam Ratisbonæ, quæ circulum Bavaricum mixtis annumerari volebat, nullum in eo A. C. conſortibus præſentandum relinqui conqueſta.*

## ARTICULUS VI.

### *Helvetiorum libertas.*

BAſilea & ceteri Helvetiorum Cantones in poſſeſſione, vel quaſi, plenæ libertatis & exemptionis ab Imperio, ac nullatenus ejusdem Imperii dicaſteriis & judiciis ſubjecti declarantur; atque idcirco ejusmodi proceſſus una cum arreſtis, eorum occaſione quandocunque decretis, prorſus caſſos & irritos eſſe debere.

## ARTICULUS VII.

### *Reformati admittuntur.*

QUæ A. C. addictis hac pace permittuntur, eadem reſpective etiam reformatis permittuntur, declaraturque, quo jure reformandi Proteſtantes inter ſe ipſos uti poſſint aut debeant.

ARTI-

# ARTICULUS VIII.

## *De juribus ſtatuum politicis.*

OMnes electores, principes & ſtatus Imperii in antiquis ſuis juribus, libertate, privilegiis, libero juris territorialis tam in eccleſiaſticis quam politicis exercitio, ditionibus, regalibus firmati ſunto, ut a nullo unquam ſub quocunque prætextu de facto turbari poſſint. 171

Gaudeant jure ſuffragii in omnibus deliberationibus ſuper negotiis Imperii, præſertim ubi leges ferendæ vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hoſpitationes militum inſtituendæ, nova munimenta intra ditiones ſtatuum exſtruenda: ubi pax aut fœdera ſancienda, aliaque ejusmodi negotia peragenda fuerint. Nihil horum aut ſimile quidquam poſthac fiat, niſi de comitiali liberoque omnium ſtatuum ſuffragio.

Comprimis vero jus faciendi inter ſe, aut cum exteris fœdera, pro ſua cujusque ſecuritate, ſingulis ſtatibus perpetuo liberum eſto, ita tamen, ut ejusmodi fœdera non ſint contra Imperatorem & Imperium, pacemque ejus publicam, vel hanc tranſactionem, fiantque ſalvo per omnia juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt.

Habeantur autem comitia Imperii intra ſex menſes, & quoties utilitas vel neceſſitas poſtulaverit. In proximis autem comitiis emendentur priorum conventuum defectus; tum vero de electione regis Rom. conſtanti capitulatione, banno Imperii; renovanda matricula, reducendis ſtatibus exemptis, Imperii collectis, reformatione politiæ & juſtitiæ, taxa ſportularum in camera, ordinariis deputationibus, munere directorum in collegiis Imperii, & ſimilibus negotiis, quæ hic expediri nequiverunt, ex communi conſenſu ſtatuum decernatur.

Tam in univerſalibus vero quam particularibus diætis liberis Imperii civitatibus non minus quam ceteris ſtatibus competat votum *deciſivum*, & ſalva maneant jura, legitime impetrata, vel longo uſu ante hos motus obtenta, & exercita, cum omni jurisdictione intra muros & in territorio, caſſatis contrariis actis.

Indaganda ratio, qua debitoribus, ob bellicas calamitates, aut fortuna lapſis, aut nimio uſurarum curſu aggravatis ſuccurri poſſit, ne immoderatis executionibus opprimantur.

ARTI-

## ARTICULUS IX.

### *De commerciis, teloniis, postis.*

HÆc omnia ita ordinentur, ut abusus, qui occasione belli irrepserunt, tollantur. Telonia, ab Imperatore cum consensu Electorum concessa, in pleno suo vigore maneant, cum juribus negotiandi, ante hos motus usitatis.

## ARTICULUS X.

### *Suecis cessa.*

172 COnceduntur illis sequentes ditiones tanquam immediatum Imperii feudum: *Pommerania citerior* cum Insula *Rugia*. Ex Pommerania ulteriore *Stetinum*, *Garz*, *Dam*, *Golnau*, *&* *Insula Wollin*, una cum interlabente Odera & mari, cum tribus ostiis, & adjacente utrinque terra usque ad mare Balthicum, cum omnibus appertinentiis & juribus, prout ea Pommeraniæ duces habuerant: prout etiam jura in capitulum Caminense: *Wismariam* cum portu: archiepiscopatum *Bremensem* & episcopatum *Verdensem* titulo ducatus, cessante eligendi, postulandive, omnique alio jure: salvo civitati Bremensi præsente statu.

Assumitur Suecia ratione harum ditionum in statum Imperii immediatum, cum jure suffragii in scamno principum sæculari ratione Bremensis ducatus *loco quinto*, ratione Verdensis & Pommerani ordine antiquo. Conceditur privilegium de non appellando, jus erigendi Academiam. Suecia autem feuda hæc a Cæsare & Imperio recognoscat, investituram petat, renovetque, juramentum fidelitatis eique annexa sicut alii vasalli præstet; Stralsundæ competentem libertatem concedat &c.

## ARTICULUS XI.

### *Brandenburgica compensatio.*

173 PRo citeriore Pommerania & Rugia Suecis cessa Electori Brandenburgico ejusque hæredibus traditur episcopatus *Halberstadensis* in feudum immediatum. Religionem autem & bona ecclesiastica

eo

eo statu relinquat, quo per archiducem Leopoldum, inito cum capitulo pacto, fuit collocata. Traditur eidem etiam comitatus *Hohenstein* qua feudum episcopatus Halberstadensis: item episcopatus *Mindanus*, & *Caminensis*, cum exspectantia in archiepiscopatum *Magdeburgensem*, ita quidem, ut mox post mortem Augusti Saxoniæ ducis, præsentis administratoris, totus eidem obtingat, cum omnibus appertinentiis & juribus: salva tamen Magdeburgensis urbis libertate. Plura alia disponuntur circa aliquas præfecturas domui Saxonicæ relinquendas, circa liberum A. C. exercitium, circa restituendam Brandeburgo ulteriorem Pommeraniam &c.

## ARTICULUS XII.

### *Restitutio Mechlenburgica.*

DUci Sverinensi pro Wismaria datur episcopatus *Sverinensis*, & *Razeburgensis*, cum potestate extinguendi canonicatus. Duci vero Gustroviensi pro episcopatu Razenburgensi conceduntur duo canonicatus, cum commenda Melitensi Nemerow, Sverinensi vero obtingat commenda Mirow, &c.

## ARTICULUS XIII.

### *Cessa Brunsvicensibus.*

DUcibus Brunsvicensibus & Lüneburgicis conceditur *alternativa* 174
cum Catholicis in episcopatum *Osnabrugensem*; Gustavo autem Gustavi comiti in Wasenburg, senatori regni Sueciæ (*Gustavi Adolphi regis filio illegitimo, a Suecis intruso*) Franciscus Wilhelmus (*ex comitibus de Wartemberg, legitimus episcopus Osnabrugensis, sed a Suecis spoliatus*) cum capitulo & episcopatu octoginta thalerorum millia solvat; atque hac conditione restituatur, secundum capitulationem, cum Brunsvico-Lüneburgicis ineundam; religione ad statum anni 1624 reducta. Defuncto succedat Brunsvico-Luneburgicus, jurisdictione tamen ecclesiastica in Catholicos ad archiepiscopum Coloniensem pertinente, quoties acatholicus alternabit.

Addicitur insuper Lüneburgicis & Brunsvicensibus monasterium *Walckenriedense* & *Gröningense*. Remittitur eis debitum,

apud regem Daniæ contractum, & ab hoc cessum Imperatori, atque ab isto Tillio &c. duces autem isti renuntient postulationibus & coadjutoriis in archiepiscopatum Magdeburgensem & Bremensem &c.

## ARTICULUS XIV.

CHristiano Wilhelmo marchioni Brandenburgico, qui archiepiscopatum Magdeburgensem olim possederat, pro alimentis cœnobium & duæ præfecturæ assignantur.

## ARTICULUS XV.

*Domus Hasso-Cassellanæ emolumenta.*

175 1. Pacis plenarie sit particeps.

2. Obtineat abbatiam Hirschfeldensem cum omnibus appertinentiis, salvis tamen domus Saxonicæ juribus.

3. Jus directi & utilis dominii in præfecturas Schaumburg, Bückenburg, Saxenhagen, Statthagen; salva tamen transactione cum duce Brunsvicensi.

4. Pro indemnitate & restitutione locorum sexcenta thalerorum millia illi pendantur a Moguntino, Coloniensi, Paderbornensi, Monasteriensi.

5. Retentis interim pignoris loco Neus, Cossel, & Neuhaus. Si intra novem menses dicta summa non solveretur, pro singulis centenis quinque thaleri census nomine solvantur, donec tota summa fuerit persoluta.

6. Reliqua omnia landgravia restituat, quæ de episcopatibus abstulerat.

7. Ratificatur transactio domum inter Cassellanam & Darmstadiensem inita: item jus primogenituræ introductum.

## ARTICULUS XVI.

*De executione pacis.*

SImul ac instrumentum subscriptum & subsignatum fuerit, cesset omnis hostilitas. Imperator per edictum mandet restitutiones, adhibita etiam opera, si necesse sit, directorum circularium & præfectorum militiæ: atque etiam, si restituendus velit, commissariorum, a Cæsare deputandorum. Pro militiæ Suecicæ exauctoratione & satisfactione status sex milliones thalerorum conferent. Circulus autem Austriacus & Bavaricus ab hac Suecico militi præstanda pensione exempti sunto, quia ille Cæsareo, hic autem Bavarico militi solvet.

Resti-

Restitutione autem ex capite amnestiæ & gravaminum facta, liberatis captivis, ratihabitionibus commutatis, præstitaque Suecis primi termini solutione, omnia utriusque partis præsidia, sine mora aut noxa, pari passu educantur: restituanturque omnia loca pristinis possessoribus, cum archivis, documentis litterariis, tormentis bellicis, quæ in loco tempore occupationis reperta sunt, si adhuc salva ibidem reperiantur: quæ vero aliunde invecta sunt, exportare secum & evehere liceat; suppeditatis a subditis loci curribus, equis, navibus, victu.

## ARTICULUS XVII.

### *Firmatur pax.*

HÆc transactio, intra octo hebdomades ratihabenda, sit lex perpetua, & Imperii sanctio pragmatica, sicut aliæ leges fundamentales, proximo Imperii recessui, ipsique capitulationi Cæsareæ inserenda, obligans non minus absentes quam præsentes, ecclesiasticos æque ac politicos, sive status Imperii sint sive non. 176

Contraque illam nulla jura valeant, nullæ actiones, nullæ exceptiones. Si quis vero contrarium quidpiam attentet, pœnam fractæ pacis ipso jure & facto incurrat.

Teneantur omnes hanc pacem tueri; &, si a quopiam violetur, læsus lædentem imprimis quidem a via facti dehortetur, caussa ipsa vel amicabili compositioni aut juris disceptationi submissa.

Si tamen neutro modo intra spatium trium annorum terminetur controversia, tenentur omnes hujus transactionis consortes junctis cum læso consiliis viribusque arma sumere & injuriam repellere, a passo moniti, quod nec amicitiæ nec juris via locum invenerit. Nulli tamen omnino statui liceat, jus suum armis persequi; sed si quid controversiæ, sive jam exortum sit, sive posthac inciderit, unusquisque jure experiatur: secus faciens reus sit fractæ pacis. Quæ vero judicis sententia definita fuerint, sine discrimine statuum executioni mandentur, sicut Imperii leges de exequendis sententiis constituunt.

Quoties milites per aliorum territorium ducuntur, ducentis sumptibus id fiat, atque sine omni damno, ac noxa.

Enumerantur deinde, quos pars utraque in pace ista comprehensos velit, omnis videlicet prope Europa.

Subscripserunt autem Osnabrugæ, præter Cæsareos & Sue-

cicos, legati, Moguntinus, Bavaricus, Saxonicus, Brandenburgicus, Austriacus, Bambergensis, Herbipolitanus, Altenburgicus, Culmbacensis & Onolsbacensis, Cellensis, Callenbergensis, Weteraviensium comitum, civitatum aliquarum.

Reliquis autem statuum plenipotentiariis (*quales plerique erant Catholici, Monasterii congregati*) liberum relictum fuit, an velint subscribere; ea tamen conditione (*a legatis Osnabrugensibus praescripta*) ut, sive subscribant, sive non, transactione ista obligentur, nec ulla admittatur contradictio vel protestatio.

*Acta Osnabrugis 24 Oct. anno 1648.*

*Contra hanc pacem major Catholicorum pars, Monasterii congregata, aperte est protestata; imo etiam Innocentius X summus Pontifex, edita in hanc rem Bulla, quae incipit:* Zelo domus DEI.

Igitur per pacem Westphalicam statutum, ut tres tantum religiones in Romano Imperio, & nullae aliae tolerentur. Circa bona vero ecclesiastica Pax Religionis pro fundamento statuitur, salva cuivis possessione, anno 1624 1 Jan. habita.

*Galliae* concessa Alsatia, in quantum ad domum Austriacam pertinuerat, salvis Imperio cum Argentina decem civitatibus imperialibus & bonis ecclesiasticis immediatis: item Suntgovia, Brisacum, & Philippoburgum.

*Sueciae* anterior Pommerania, Rügia, Stetinum, Garz, Dam, Gollman, Wollin, archiepiscopatus Bremensis, episcopatus Verdensis, Wismaria, cum quinque imperialium millionibus.

*Bavariae* superior Palatinatus cum Electorali dignitate.

*Brandeburgo* Pommerania ulterior, episcopatus Caminensis, Halberstadiensis, Mindensis, cum archiep. Magdeburgensi.

*Palatino* Palatinatus inferior cum quadringentis florenorum millibus. Pro Franckenthalio data Hispanis Vesuntio. Strata Montana ad Moguntinum rediit.

Domui *Lüneburgicae* attributum opulentum monasterium Walckenriedense, cum jure alternationis in episcopatu Osnabrugensi.

*Hasso-Cassellanis* abbatia Hirschfeldensis, cum potissima parte comitatus Schaumburgici, & sexcentis florenorum millibus.

*Mechlenburgicis* episcopatus Schwerinensis & Razeburgicus cum commendis Melitensibus duabus.

*Helvetis* possessio plenae libertatis.

CAPUT

# Caput VIII.

## *De executione pacis in Norimbergensi conventu. Anno* 1649.

Composita dissidentes inter partes videbatur pax Westphalica, & laboranti Europæ quies data: sed cum ad executionem restitutionis ex capite amnestiæ & gravaminum ventum fuit, ingentes adhuc se opponebant difficultates, detrectantibus Suecis, suas ex Imperio copias deducere, nisi omnes ex norma instrumenti restituti, & quinque thalerorum imperialium milliones sibi essent soluti. Sed hoc propter pecuniæ penuriam & exhaustos multos ex statibus, illud ob multitudinem & varietatem casuum, difficultatem probationum, & distantiam locorum, arduum omnino & factu impossibile videbatur. 177

Convenerunt igitur sub finem anni 1648 Cæsaris & Suecorum legati in ponte Pragensi, qui veterem Pragam cum minore committit, de executione pacis tractaturi. Sed arrogantia adeo fuerant Suecorum postulata, ut satis appareret, eos necdum Germaniam liberandi animum induxisse, sed fessum bellis militem ultimo illius spiritu saginare statuisse. Ut autem consiliis suis fucum allinerent, eo usi sunt prætextu, ad gloriam famamque secundam gentis suæ pertinere, ne Germaniam deserant, donec executioni pacis finis esset impositus, novisque suis postulatis delatum obsequium: quod brevi temporis spatio fieri non posse satis perspiciebant.

Et quamvis Suecorum stipendia immanibus starent impensis, & Protestantium quoque provinciæ gravissimo jugo premerentur, complures tamen ex illis malebant sub pondere fatiscere, quam patriam ab exteræ gentis servitute liberare.

Cœptus proin Norimbergensis conventus, legatis ultro confluentibus. Carolus Gustavus dux Palatino-Bipontinus, rex postmodum Sueciæ, tunc vero supremus militiæ Suecicæ præfectus Imperii ordinibus proposuit, ex Germano solo copias se non deducturum, nisi & restitutio ex lege pacis esset confecta, & satisfactio militiæ opere ipso exhibita.

Respondit Piccolomineus dux Amalphitanus, Cæsareæ militiæ imperator, Norimbergæ præsens; distinguendum, quantum restitutionem concernit, inter casus liquidos, & dubios ac controversos.

 versos.

versos. Illos quod spectat, mox ab ipsa pace conclusa omnem industriam fuisse adhibitam, ut secundum amussim instrumenti fiat executio. Quantum autem ad dubios juxta pacis normam commissarios ex utraque religione fuisse designatos, ad quos pertineat pronuntiare, non autem ad Suecos, ut cuilibet, quantum petit, adjudicent. Neque casus istos ambiguos, qui multa cognitione & disquisitione indigeant, exauctorationem militiæ, & evacuationem locorum debere remorari.

Sed flecti non poterant Sueci, simulque cum Gallis vehementer instabant, ut Cæsar fidem suam liberet, atque auctoritate sua restitutionem Franckenthalii ab Hispano evincat: eo etiam progressi, ut minarentur, universas suas copias in hæreditarias Cæsaris provincias infundere. At præstare non poterat Cæsar factum alienum, maxime, cum rex Hispaniæ ob neglectum circulum Burgundicum, atque a pace exclusum, solus bello Gallico relictus esset, ac propterea summopere offensus, missa etiam Norimbergam protestatione.

Quapropter ne ea res exauctorationem peregrini militis moraretur, illud tandem expedire visum, ut Carolo Ludovico Electori Palatino interim, donec Franckenthalium recipiat, Hailbronna, libera Imperii civitas, utut reluctans, traderetur.

Cæterum, cum restitutionis ex capite amnestiæ & gravaminum negotium viros requireret, qui ipsi paci West. interfuerant, utpote omnium maxime gnaros, quæ mens paciscentium fuerit, quove sensu instrumentum intelligendum veniat, accitus est a Cæsare, loco Blumenthalii avocati, ad Norimbergensem conventum Isaacus Volmarus: quem tamen Carolus Gustavus, Suecici exercitus per Germaniam imperator, legatum agnoscere detrectabat, id caussæ obtendens, quod executio pacis ad supremos belli præfectos sit delata, ac proin Volmarum non ut legatum, sed ut subdelegatum duntaxat Piccolominei considerari posse. Timebant nempe eruditionem viri perspicacis, & in rebus agendis experientiam, quam Osnabrugis jam & Monasterii vel inviti senserant. Sed necesse erat, Salviis, Erskeiniis, Thumshirniis, Carpzoviis, Heheris pares opponere.

Quia vero plena liberatio Germaniæ, propter restitutionis & satisfactionis difficultates, obtineri a Suecis Gallisque non poterat, conceptus fuit interim recessus præliminaris, quo conventum fuit, ut ad restitutionem ex capite amnestiæ & gravaminum absque respectu personarum religionis, aut jurium petitorii, procedatur,

secun-


ſecundum nudum factum poſſeſſionis , uſus , obſervantiæ , & exercitii. Caſus *liquidi* ab *illiquidis* ſeparentur , ita , ut illi ante primum , ſecundum & tertium exauctorationis & evacuationis terminum executioni dentur. Secus reſtituendis , tentatis prius aliis remediis , armata tandem manu reſtitutionem evincere fas ſit.

Reliqui vero caſus , cum propter multitudinem & diverſitatem , difficultatem probationum , ac diſtantiam locorum omnes tam cito expediri non poſſint , intra trimeſtre ſpatium executioni mandentur , juxta normam inſtrumenti , edicta Cæſarea , per Imperium publicata , contentasque in iis adverſum renitentes pœnas.

Eum in finem a præſentibus Norimbergæ ſtatuum legatis certi ex utraque religione commiſſarii deputentur , qui puncta amneſtiæ & gravaminum examinent , caſusque liquidos illico circulorum directoribus ad executionem mittant. Quæ vero , propter defectum probationis aut informationis , vel abſentiam partium , dubia occurrant , iisdem directoribus ad ulteriorem cognitionem ſubmittantur : caſſatis omnibus contrariis mandatis , etiam Cæſareis.

Pro militiæ Suecicæ ſatisfactione primo termino ſolvantur 1800000, altero 600000 , tertio rurſus 600000 thaleri imperiales , 14 dierum ſpatio ab uno termino ad alterum interjecto : atque ſimul ad ſingulos terminos urbes aliquæ invicem commutatæ evacuentur : & pars militiæ abducatur. Pro quarto & quinto millione realis cautio præſtanda. Similiter Cæſar 200000 thaleros , quos privato articulo Suecis promiſerat , tribus terminis perſolvat ; & primo quidem Sueci decedant Bohemia , altero Moravia , tertio Sileſia. Superior Palatinatus evacuetur pro inferiore , Praga pro Auguſta &c.





# LIBER II
## DE
# STATU GERMANIÆ
## ALTERO SÆCULI XVII DIMIDIO.
## CAPUT I
### DE
## *STATU GERMANIÆ*
### SUB
## FERDINANDO III.
## ARTICULUS I.

*Bellum Juliacense.*

1 COmposita per pacem West. & executionem Norimbergensem videbatur Germania, cum anno 1651 subito ad Rhenum inferiorem bellum recruduit Fridericum inter Wilhelmum Electorem Brandenburgicum, & Wolfgangum Wilhelmum ducem Neoburgicum.

Vertebatur religionis negotium in ducatibus Juliacensi, Clivensi, Montensi &c. quippe defuncto anno 1609 sine liberis Joanne Wilhelmo, provinciarum illarum domino, cum ea de ducatibus istis controversia in apertum bellum erupisset, prout lib. superiore prolixe retulimus, transactione Tremoniæ inita conventum, ut ditiones istas pari consilio & opera administrarent, donec de jure aut transactum, aut judicio definitum foret.

Lis de religione.

De religione vero, datis ad ordines provinciarum litteris, cautum, ut in statu præsenti permaneant. Cum autem tunc temporis solius ferme Catholicæ religionis exercitium in illis vigeret, princeps uterque, quorum alter Reformatam, alter Lutheranam Confessionem sectabatur, contra hæc pacta, inter se, & cum statibus

ſtatibus provincialibus inita, pro ſua quisque religione introducenda adverſus Catholicam æmulabatur.

Poſtquam vero Wolfgangus Wilhelmus anno 1614 Catholicam veritatem Düſſeldorpii publice amplexus eſt, eo curas intendit, ut, quod ſolennibus pactis ſancitum eſſet, Catholicæ religionis exercitium ſartum ubique tectumque conſervaretur, ejectis, qui irrepſerant, alienæ profeſſionis hominibus; atque id eo magis, quod pactis nuptialibus, tam Boruſſicis quam Neoburgicis, quibus ducis Guilielmi filiæ elocatæ ſunt, & unde jus ſuum in has provincias utrique deducunt, expreſſim conventum cautumque fuerit, ut, ſi forte ditionum iſtarum hæreditas ad filias pervenerit, nihil in iis circa religionem innovaretur, ſed ubique antiqua & vera religio Catholica ſine omni impedimento ſancte coleretur, & retineretur. *Adolphus Brachelius ad an.* 1651.

At vero Brandenburgici contra exiſtimabant, non obſtare pactis nuptialibus, nec ſponſioni ordinibus datæ, ſi aliarum etiam religionum, quæ in Imperio ſunt uſitatæ, cultores introducerentur, modo id ſine damno & injuria Catholicorum fieret, & illi hos inter quiete & pacate vivant: quin imo ſic conſuli tranquillitati animorum & conſcientiæ, totique patriæ ac rei publicæ: cum indecorum ſit, & alienum a dignitate principis, nullum in ipſius provinciis religionis, quam ipſe profiteretur, exercitium permitti ſubditis, quorum amorem ac venerationem religionis ſocietas principi conciliet. *Brachelius loco cit.*

Ecce ſententiam, quam Proteſtantes tunc tuebantur: licet pactis nuptialibus, Prutenicis & Neoburgicis, diligenter cautum fuerit, ut ſtatus religionis Catholicæ conſervetur, qualis erat tempore Guilielmi ducis: quamvis id etiam transactione Tremonienſi fuerit conventum, & ſtatibus provincialibus promiſſum; quin imo licet per pacem Weſt. poſſeſſio & exercitium anni 1624 ſit firmatum, Brandenburgici nihilominus mordicus propugnabant, his non obſtantibus Proteſtantium religiones poſſe introduci, *modo id ſine damno & injuria Catholicorum fieret.* Quid autem hoc aliud eſt, quam principem territorialem poſſe *ſimultaneum* ſuæ religionis exercitium introducere, quin propterea pactis aut Weſtphalicis conſtitutionibus vis fiat?

Hanc autem ſententiam ſuam ardentius adhuc defendebant Brandenburgici, poſtquam cum Neoburgico provincias illas partiti ſunt. Imo fœderati Belgii Ordines armata etiam manu non modo eandem propugnabant, ſed in Catholicos etiam ſæviebant.

Quippe in Juliæ & Montium ducatus irrumpentes, sacerdotes & religiosos homines passim captivos abduxerunt, diuturna aliquot annorum custodia deinde detentos, ea atrocitate, ut plures squalore & pædore contabescerent, ingenti sane illis in partibus rei Catholicæ, sacerdotibus orbatæ, detrimento.

Quibus calamitatibus ut mederetur Neoburgicus, anno 1647 Düsseldorpii novam cum Brandenburgicis transactionem iniit, ut exercitium religionis ad statum anni 1612 reduceretur: ecclesiæ vero earumque bona iis restituerentur, qui anno 1609 possedissent. At, quamvis hæc conventio ab Electore fuerit confirmata, cum Dusburgi ad executionem ventum, resilientibus a pacto Brandenburgicis, re infecta discessum est. *Brachel. loc. cit.*

Quapropter, cum privatis pactionibus non staretur, Neoburgicus ad possessionem anni 1624 Westphalicis tabulis assignatam confugit, ac pro restituenda religione ejusque exercitio ejusdem observantiam assumpsit.

Verum Elector Brandenburgicus, ob adquisitas per P. W. novas provincias, majoribus jam imbutus spiritibus, anno 1651 cum armatis copiis Civiam profectus, mandatum publicavit, mox aliquot locis in ducatibus Montensi & Juliacensi affixum, quo conabatur Neoburgici subditos ab obsequio & fide illius abducere, secus si facerent, pro hostibus habiturum. Protinusque copias armatas immisit, quæ agrum Montensem populabantur, interceptis etiam quibusdam locis.

Caussa defertur ad Cæsarem.

Interea autem, dum hæc ageret, legatum ad Cæsarem excusatum misit: Neoburgicum, in eas provincias nullo jure sed solo pacis amore admissum, majorem multo partem quam Electorem obtinere, atque in id intendere, ut portionem suam adhuc magis augeat. Comitatum Ravenspergensem contra transactionem anni 1619 ab eo retentum. Augustanæ ac Reformatæ religionis cultores sedibus suis ejectos: ac propterea Hollandos jure talionis usos. Opperiri eum occasionem, qua Civiam invadat. Haud ignotam esse cum Lotharingo amicitiam: cum vicinis quoque principibus ecclesiasticis misceri consilia. Juniorem quoque Neoburgicum aperte denuntiasse, ne unicum quidem terræ pedem in ducatu Clivensi retenturum Electorem. Pertinuisse itaque ad eum, ut rebus suis mature prospiciat.

Respondit Cæsar, tanti querelas istas non videri momenti, ut Elector propterea Neoburgici provincias vi armata invadat, novumque in Imperio bellum excitet. Provisum satis esse constitutioni-

tionibus Imperii, & pacificatione Westphalica, quomodo id genus controversiis obviam iri debeat. Itaque Electorem recte & ordine acturum, ut legibus Imperii & dehortationi ad eum missæ parcat, militem ex terris Neoburgici deducat, atque in statum pristinum omnia reponat: lites denique arbitrio commissariorum, qui anno 1649 a se nominati atque ab ipso acceptati sint, componi sinat. Eodem die ad Juliacenses & Montenses mandatum dedit, abrogato edicto Brandenburgico, ut in fide atque officio erga Neoburgicum maneant, donec caussa aut via juris aut amica compositione finiatur.

At vero Palatinus dux Neoburgicus improviso armis invasus, quæ adversum se allatæ fuerant, querelas, scripto publico confutavit, temeritatem legati Brandenburgici coarguens, qui aures Cæsaris tam falsis criminationibus implere non erubuerit. Priorem se vacantium provinciarum possessionem cepisse, & pacis duntaxat amore Brandenburgicos admisisse in earum communionem, nihilque optasse magis & optare etiamnum, quam ut caussa judicio tandem finiatur: quod pars adversa semper protraxisset. Transactionem anni 1619 a se sancte observatam, neque de comitatu Ravenspergensi plus obtinuisse, quam duas dynastias, reliquis duabus Electori relictis. Transactionem autem anni 1629 ab Electore violatam, dum copias armatas in ducatum Montensem immisit, ut novam transactionem extorqueat. Sed neque hanc observari, immissis denuo copiis, quæ omnia undique populentur, contra omnia divina ac humana jura, contra publicas Imperii constitutiones, atque pacem, nuper primum adeo solenniter initam. Reliqua accusationis capita de minis ac suspectis confœderationibus, de occultis consiliis, de ejectione Protestantium, quoniam vana ac falsa sint, atque Electori a malevolis suggesta, responsione duci indigna. *Bracbelius ad ann.* 1651.

Inter hæc Neoburgicus ad repellendum inopinum bellum imparatus, vicinorum principum auxilia circumspexit, misso in Belgium ad archiducem Leopoldum Philippo Wilhelmo filio, uti etiam ad Carolum ducem Lotharingiæ, Egone vero Fürstenbergio, cujus sororem paulo ante duxerat, ad Cæsarem: per omnes vero ditiones suas militem sub signa legit, eumque subsidiis junxit Lotharingicis. Bellum.

Jamque in conspectu erat uterque exercitus, crebris velitationibus collisus, cum colloquio principum locus datus, atque in has leges pax sancita. Controversia de religione ejusque exercitio de- Pax.

cidatur per commissarios Cæsaris, dudum designatos, Monasteriensem nempe episcopum & ducem Brunsvicensem: iisque adjungantur ex parte Neoburgici Paderbornensis, & Osnabrugensis, ex parte Electoris vero Anhaltinus & Nassovius. Si autem propter votorum paritatem hi commissarii nihil possent statuere, Imperator adhibitis aliquot ex utraque religione Imperii proceribus, in proximis comitiis per eosdem litem definiat. Interim vero omnia restituantur in statum, quo ante hos motus fuerunt, nec quisquam ob religionem turbetur. Deinceps vero neuter alteri sub quocunque prætextu bellum inferat, sub pœna fractæ pacis, & amissione juris in has provincias: sed controversias, forte orituras, ad amicam compositionem, aut judicialem sententiam remittet. Reliqua autem, quæ statum politicum spectant, ita permaneant, prout diversis transactionibus principes inter fuit conventum, absque tamen præjudicio eorum, qui successionem Juliacensem prætendunt. Quibus peractis statim sunt arma posita. Brachelius *ad ann.* 1651 qui hic suam finit Historiam.

## ARTICULUS II.

### *Turbæ Leodienses & Trevirenses.*

2. COmposita paulo ante fuerat Leodiensis seditio. Quippe ea in urbe res eo demum paucorum insolentia fuerat perducta, ut, excusso omni erga principem suum obsequio, in libertatem sese asserere, aut certe alterius imperio subjicere niteretur. Nam & legatos in Galliam miserant, & a Batavis auxilia petebant: ejectoque supremo justitiæ tribunali in jura principis involabant.

Leodium expugnatum.

Igitur Ferdinandus, Elector Coloniensis, idemque princeps & episcopus Leodiensis, cum alia frustra tentasset remedia, statuit Leodium proficisci, sua ut præsentia & authoritate tumultum componat. At Leodienses portas venienti occluserunt, vim minitati, si propius accederet. Furori igitur rebellis populi cedendum tantisper ratus Hujum rediit, ubi celebrato ordinum comitio, armis eundem ad officium reducere decrevit. Pagi initio & oppida Leodio proxima, atque seditionis socia vi subacta, tum urbi admota castra, globis ignivomis ultro citroque certatum, repulsæ eruptiones, expugnata propugnacula, cum Leodienses misso caduceatore pacem & veniam rogant; sumptoque de auctoribus supplicio recepti in gratiam. Consulum alter in velitatione cecidit, alter, quia jura-

juraverat, se vivo principem urbem non ingressurum, pridie ejusdem ingressus publico in foro capite plexus.

Ordinata tum civitate Ferdinandus Elector, devexa jam in senium ætate, ut ecclesiæ quoque Leodiensi a capitulo cathedrali coadjutor detur, petiit. Electus Maximilianus Henricus, Ferdinandi ex Alberto fratre Bavariæ duce nepos: jam antea Coloniensis ecclesiæ coadjutor.

Nec diu superstes vixit *Ferdinandus*, omnium virtutum, pietatis præsertim, beneficentiæ, ac continentiæ ornamentis celebratus princeps. Natus est anno 1577 ex Wilhelmo V duce Bavariæ & Renata Lotharinga. Ad Electoratum & archiepiscopatum Coloniensem post mortem Ernesti patrui anno 1612 admotus, quem una cum quatuor episcopatibus, Leodiensi, Monasteriensi, Hildesiensi, & Paderbornensi per annos 38 in gravissimo illo tricennali bello sapientissime gubernavit.

Successit *Maximilianus Henricus* ex fratre Alberto nepos, ecclesiæ Coloniensis, Leodiensis, & Hildesiensis jam antea coadjutor: qui pulcerrimo exemplo per integrum sæculum apud ejus præcessores non viso, sacerdos ordinatus, solenni ritu primum DEo sacrificium Coloniæ obtulit. Auxitque celebritatis & sacræ lætitiæ magnitudinem professio publica fidei Catholicæ, quam ante sacram liturgiam coram archiepiscopo neomysta emiserunt Ernestus landgravius Hassiæ, ejusque conjux comes Solmensis. Fuit is Mauritii Hasso-Cassellani landgravii filius, stirpis Rhenofelsensis fundator: in cujus posteris, in Rotenburgensem & Wanfridensem lineam divisis, hodiedum Catholica religio floret.

Haud multo post Electorem Coloniensem vitam turbulentam finiit Philippus *Christophorus*, ex illustri familia baronum de *Sötteren*, Elector Trevirensis & episcopus Spirensis. Is anno 1623 ad ecclesiæ Trevirensis gubernacula assumptus, perstrepentibus undique victricibus Suecorum armis, sub protectionem Galliarum regis anno 1632 concessit, tradito in ejus manus Ehrenbreitsteinio, validissima ad Rhenum arce. Quæ res Cæsarem & Catholicos Electores graviter perculit: præsertim, ubi etiam Augusta Trevirorum, specie reducendi Electoris, qui metu ordinum (quos in eandem secum sententiam frustra impellere nitebatur) inde profugerat, a Gallis capta, & valido præsidio firmata est. Mors Trevirensis. ejus Hist.

Verum anno 1635 Hispani, sub comite Embdano Lucemburgi gubernatore & barone Metternichio, e Belgio secundo Mosella vecti, Treviros improviso capiunt. Elector vero captivus Bruxel-

 las

las primum, dein Gandavum, ac demum Viennam abducitur: liberali ubique & honorata custodia habitus. Treviris valido Hispanorum præsidio communita. Biennio post Ehrenbreitsteinium a Joanne Werthio fame ad deditionem compulsum.

Elector porro post decennem apud Cæsarem custodiam, urgentibus Galliæ & Sueciæ legatis, qui ad tractandam pacem convenerant, anno 1645 liber dimittitur. Treviris cedentibus Hispanis Electori restituta. Sed necdum quies data tumultibus. Quippe Elector cum Metropolitanæ ecclesiæ collegio gravi dissidio collisus, canonicos pene omnes urbe pulsos excommunicatosque præbendis & dignitatibus exuere nitebatur. At illi implorato Cæsare ac Pontifice justitiam caussæ suæ strenue sunt tutati, atque adjuti aliquot copiis Cæsareis & Hispanicis, Treviros, ipsamque arcem, in qua erat Elector, capiunt, & consiliarios ejus præcipuos in custodiam abducunt. Sæpe hæc res Monasterii, Osnabrugæ, & Norimbergæ agitata. Cumque Elector Cæsareis mandatis parere detrectaret, ac etiam provinciam suam ab Imperio abscindere conaretur, de feudo illi adimendo agebatur. Sed tandem post multas discordias assumpto, quem major canonicorum pars elegerat, Leyensi in coadjutorem, aliquam cum capitulo concordiam iniit, cujus leges Moguntinus, Coloniensis, & Bambergensis, Cæsaris & Imperii voluntate composuerant. Summa hujus concordiæ eo spectabat, ut publicata amnestia, omnia in statum, quo ante hos motus fuerant, reponantur: atque ut electio Reiffenbergii in coadjutorem, a paucis contra canones suscepta, irrita, Leyensis vero electio, canonice facta, rata habeatur.

Tractatibus Westphalicis atque Norimbergensibus remoræ & difficultatis non parum injecerat Franckendaliæ, munitæ tunc urbis, detentio. Ab anno 1652 res eo tandem perducta est, ut numerata regi Hispaniarum pecunia & transcripta illi Vesuntione præsidium Hispanicum decederet, locus Electori Palatino redderetur: simulque ab hoc Hailbronna præsidio Palatino liberaretur.

Hoc tempore, cum adhuc multi in Austria, heterodoxis imbuti principiis, versarentur, non obstantibus Protestantium intercessionibus, aut fidem aut solum vertere jubebantur, prohibita severe omni adversus sacros ritus & ceremonias irreverentia.

ARTI-

# ARTICULUS III.

*Elogium Maximiliani Elect. & Wolfgangi Wilh. ducis. Variæ converſiones. Electio & coronatio regis Rom.*

NEc minore cura atque religionis & animarum zelo Maximilia- 3
nus Bavariæ Elector per Palatinatum ſuum ſuperiorem Catholicam antiquam fidem ubique reduxit. Sed tandem his ſanctis laboribus immortuus eſt Ingolſtadii anno 1651, ætatis 78, glorioſi regiminis 56, princeps fide, religione, fortitudine, conſtantia, magnanimitate, ſapientia ſummus, omniumque virtutum excelſarum, quæ magnum formant principem atque heröem incomparabilem, ornamentis multo celebratiſſimus, ſæculi ſui Salomon merito appellatus.

Multum ſane virtuti ejusdem tota debet eccleſia: domus vero Boica redditum S. R. I. Electoratum: additum ducatum ſuperioris Palatinatus, acceſſionem Leuchtenbergici landgraviatus, Cambenſis comitatus, dynaſtiæ Mindelhemienſis, Deggenbergicæ toparchiæ, duarum tertiarum Wiſenſtaigianæ arcis, & dominii Winzerenſis, arcis item & dynaſtiæ Mattikovienſis, Haldenbergenſis, Praiteneggenſis: Donawerdam poſtliminio reductam, & orthodoxæ fidei redditam, novum denique & locupletius Juris Bavarici opus &c.

Grates conditori ſuo nunquam morituras loquentur publica operum monumenta: ſtupendus ſane aquæductus, quem a ſalſa ſcaturigine fontis Reichenhallenſis Traunſteinium usque produxit per longum mediæ diei iter, canalibus ſupra præruptos montes ad ſalſam aquam devehendam protenſis. Admirabilis palatii Monacenſis magnificentia, urbis munimenta, Schleishemiano palatio impoſita ſuprema manus: Brunovium foſſa extima, lorica duplici, & tormentorum ſuggeſtis egregie munitum: valla Ingolſtadii abſoluta: Schardinga, Burghuſium, Rhaina, Landſperga, Amberga, novis operibus munitæ.

Taceo baſilicas, templa, ſacella, aliaque ſacrata opera, per totam Bojariam aut magnifice exſtructa, aut a ruinis & vetuſtate reparata: fundationes ſacras innumeras: Patres Capucini ejus liberalitate & auxilio 14 monaſteriis in Bavaria aucti ſunt, Patres Franciſcani novem. Ingentes profecto ſunt opes, quas in hos aliosque ſacros Religioſorum ordines plus quam regia liberalitate eſt elargitus. Patribus Societatis JEſu erexit quinque collegia, Burg-

Burghusianum, Ambergense, Mindelhemiense, Heidelbergense, Leodiense Anglicanum: nam in Missiones quoque Anglicanas, imo & Indicas, atque Sinenses curam suam & liberalitatem extendit. Lauretana in æde sacra duas Missas singulis diebus in perpetuum dicendas fundavit. Finem vix inveniam, si vel obiter singula liberalitatis monumenta recensere velim. Videri ea possunt apud Adlzreiterum in *idea boni principatus ex vita & rebus gestis Maximiliani*: cum quibus annales Boicæ Gentis finit.

Subjungere adhuc juvat epitaphium, quod ejus Mausolæo fuit inscriptum. *Maximil. I Guilielmi V Filius, utriusque Bavariæ & superioris Palatinatus dux, comes Palatinus Rheni, S. R. I. Archidapifer, & Elector, Leuchtenbergensis Landgravius, natus Landishuti 1573 vivo adhuc serenissimo parente 31, post ejus obitum 25 annis, universim 56 Bavariam rexit. Post Elisabetham Lotharingicam anno 1635 sine prole defunctam, e Maria Anna Austriaca, Ferdinandi II Imperat. & Mariæ Annæ, sororis suæ filia, Ferdinandi III Imperatoris sorore Ferdinandum Mariam ac Maximilianum filios habuit. Obiit Ingolstadii 1651 27 Sept. vixit annos 78.*

*Fuit prudentia temporis sui Salomon, militari gloria, pietate, famaque toto orbe celebris. Cum quatuor regibus bellum gessit, duos armis, omnes vivendo vicit. Electoratum cum superiore Palatinatu postliminio ad Bavariam, summis in Rempub. meritis, & in Cæsarem socerum fide reduxit. Post tricennale bellum Germaniæ pacem promovit, ac vidit. Ditionem ac titulos Leichtenbergensi comitatu aliisque dynastiis auxit. Ferdinando filio natu majori conjugem Sabaudam dedit. Tandem tot rebus in terris clarus princeps magnam animam superis, ut speramus, gratulantibus ostendit, cui omnes vel mortuo applaudant: æternum vivat Maximilianus.*

Similia epitaphia inscripta visuntur in sacro sacello Deiparæ Virginis Oetinganæ, in quo ejus cor, & in basilica B. Virginis Ingolstadii, in qua ejusdem viscera sunt condita.

Maximilianum Electorem altero post anno ad felicem æternitatem secutus est sororius, Wolfgangus Wilhelmus, dux Neoburgicus, ex serenissima domo Palatina, princeps naturæ & gratiæ dotibus, fide, integritate, pietate, constantia, religione pariter summus, ac sublimium Maximiliani virtutum æmulator strenuus. Nascendi conditio Lutheri erroribus eum involverat. Haustis subin illustri ingenio litterarum disciplinis, lustrataque Dania,

Anglia,

Anglia, Hiſpania, Italia &c. anno 1614 indignante licet patre Philippo Ludovico, Catholicam Apoſtolicam religionem palam profeſſus eſt: ingens deinceps illius columen & incrementum. Mortuo dein paucos intra menſes patre, provinciarum ad Iſtrum & Rhenum regimen eſt auſpicatus, illudque per 40 ferme annos difficillimis reipublicæ temporibus, totius videlicet tricennalis belli, ſumma prudentia, & immota in adverſis juxta & proſperis rebus conſtantia præclare geſſit. Ducatum Neoburgicum totum ad Catholicam fidem reduxit; Juliacenſes & Montenſes etiam provincias, quas domui ſuæ intulit, quantum, ut ſupra demonſtratum, poterat, in avita religione orthodoxa conſervavit, a fidei ſuſceptæ conſtantia atque tutela nullis adverſis motuum fluctibus ſe paſſus abſterreri. Sacerdotum & Religioſorum cultor, & patronus, imo pater, multa bona, a Proteſtantibus abſtracta poſtliminio ad eccleſias reduxit, cultui divino augendo & animarum proventui, ubi ubi ſe dabat occaſio, ſollicite intentus: ut adeo ſummos inter principes ab omnibus æquis rerum æſtimatoribus cenſeri merito debeat.

Demum meritorum in eccleſiam & rempublicam plenus diem ſupremum pientiſſime Düſſeldorpii obiit 20 Martii 1653, omnibus morientium præſidiis ritu Catholico munitus, relicto unico, ſed tanto patre digno filio, Philippo Wilhelmo, quem ex Magdalena, Guilielmi V Bavariæ ducis filia, ac Maximiliani Electoris ſorore, prima ſua conjuge ſuſceperat. Ex altera conjuge Bipontina, & tertia Fürſtenbergica nullos reliquit liberos. Vixit annos 73, fama & nominis gloria poſthuma in ævum omne duratura.

Eodem anno & menſe vitam mortalem finiit Joannes Ludovicus princeps Naſſovius, qui lineam Hadamarenſem fundavit, rebus præclare geſtis immortali & ipſe vita digniſſimus. Quippe abjecto, quem ab incunabulis imbiberat, Calvino, Catholicam veritatem amplexus, omnium virtutum ornamentis enituit: ab Imperatore Ferdinando III ad ſumma propterea Imperii negotia adhibitus, princeps demum ejusdem Cæſaris legatus Pacem Weſt. compoſuit. Quibus fidem & integritatem ita probavit Cæſari, ut confecta pace inter S. R. Imperii principes eum adlegeret. Societatis JEſu Patres litterarum & pietatis cauſſa Hadamari ditionis ſuæ urbe recepit, quibus cor ſuum tradi poſt mortem voluit. Seraphico vero ordini cœnobium conſtruxit, dotavitque. Maſculina autem ejus poſteritas in nepote, principe Franciſco Alexandro, cameræ Imperialis judice anno 1711 extincta eſt.

Naſſovius converſus.

Electio regis Rom.

Viventium porro principum curæ ad pacis studia conversæ, ut in futurum etiam Imperii quieti consuleretur, in electionem Romanorum regis consentiebant. Locus in hanc rem condictus Augusta Vindelicorum. Comparebant sub finem Maji 1653 Octoviri, Moguntinus, Trevir, Coloniensis, Bohemus, Palatinus, reliqui tres per legatos: atque una voce regem Romanorum dixere *Ferdinandum* Cæsaris filium, Hungariæ jam ac Bohemiæ regem.

Tum vero Cæsar, qui Augustæ præsens aderat, cum Electoribus Ratisbonam ad coronandum regem abiit. Quod magna solennitate a Moguntino peractum, protestante licet Coloniensi, qui, allegatis exemplis, eum ad se honorem spectare existimabat. Idem præsul Moguntinus Eleonoram Mantuanam coronavit Imperatricem. Jacta tunc sunt etiam Ratisbonensium comitiorum initia, quæ deinceps in hanc usque diem sunt continuata.

Amalia conversa.

Majorem adhuc lætitiam attulit populo Christiano conversio ad fidem Catholicam *Elisabethæ Amaliæ*, ex Georgio II Hasso-Darmstadiensi landgravio prognatæ, quæ Philippo Wilhelmo duci Palatino-Neoburgico nupta, anno 1653 coram archiepiscopo Coloniensi Düsseldorpii professionem fidei edidit; mater deinceps multorum principum, quos nostra ætate vidimus.

Exemplum multo illustrissimum omnibus, in aliena dogmata abreptis, totique orbi Christiano anno sequenti pariter dedit Christina regina Sueciæ, princeps multo sapientissima, multifaria litteratura supra conditionem sexus culta, omnibusque naturæ donis cumulatissima: diuturna indagatione veritatis, perspectisque Lutheri erroribus, rejectis coronatis, quæ offerebantur, connubiis, abdicatoque demum florentissimo regno, quin & patria relicta ad avitam Catholicam & Apostolicam religionem publice transiit.

Quid sentitis, quoscunque in adversas credendi leges error abripuit, dum tot illustria conversorum utriusque sexus principum exempla præ oculis habetis? Est profecto vis magna veritatis, quæ sceptra etiam & coronas deponere, atque amplissimis cum dulci patria relictis fortunis, voluntarium exilium persuadet eligere. Qualia exempla hodie quoque intuemur. Quis unquam regnum, quis principatum deseruit, ut Augustanam Confessionem amplecti possit? Plures principes in illo corrupto ignorantiæ sæculo communi cataclysmo raptos novimus, ut amplissimis ecclesiarum spoliis ex novi Evangelii disciplina ditentur: qui propter novam religionem vel dynastiam dimiserit, neminem. Ne tamen illustre adeo exemplum nimium perstringat intuentium oculos, sunt ex Protestantibus non

pauci

pauci, qui abdicationem Chriſtinæ, indolem, mores, quin ipſas ſummas virtutes, ceu vitia, in deteriorem partem interpretari conentur.

# ARTICULUS IV.

## *Acta Comitiorum Ratisbonenſium. Anno 1653.*

CUr poſt mortem Maximiliani II Cæſaris pauca admodum Imperii comitia ſint habita, eaque haud parum perturbata, cauſſas parte VII prolixe ſatis pro inſtituto meo retuli. Diſſidium nempe religionis, indeque nata diffidentia, diſceſſus in partes, unionum ligarumque diſcordiæ, odia & bella civilia ejusdem reipublicæ atque Imperii membra tantopere collidebant, ſcindebantque, ut nihil firmum ac ſtabile communibus conſiliis ex ordine & uſu Imperii definiri potuerit. 4

Cum autem per tractatus Weſtphalicos pacandæ Germaniæ morbisque ſanandis remedium quæreretur, multa quidem in iisdem conſtituta perſpiciuntur, plura tamen, quæ ob rerum molem, & paciſcentium diſcordes ſententias, confici tunc temporis non poterant, ad proxima Imperii comitia ſunt remiſſa.

Tractandum in his *art.* 8 §. 3 *P. W.* decernitur, de anteriorum comitiorum defectibus, de electione Romani regis, de certa conſtantique capitulatione Cæſarea, de banno imperiali, de redintegrandis circulis, renovanda matricula, reducendis ſtatibus exemptis, collectis Imperii, reformatione politiæ & juſtitiæ, taxa ſportularum in camerali judicio, deputatis Imperii ordinariis, munere directorum in collegiis Imperii, & ſimilibus negotiis.

Quamvis autem proxima comitia intra ſex menſes a rata pace habenda decernerentur, quia tamen circa executionem pacis innumeræ propemodum ſe obtrudebant difficultates, quibus ſuperandis plus quam biennium Norimbergæ impendi oportuit, ante annum 1652 indici a Cæſare nequiverant.

Sed ſtatim in limine offendit negotium: nam præter varias de ordinis prærogativa contentiones, inter præſentes principes & abſentium legatos, inter quinque domos alternantes, Pommeranam, Mechlenburgicam, Würtenbergicam, Badenſem, & Haſſiacam, itemque Holſatam, & Lavenburgicam, in alternationis communionem admitti poſtulantes, aliasque plures exortas, ingreſſum comitiorum Cæſarisque propoſitionem morabatur lis, Suecos inter & Brandenburgum agitata. Quippe, cum Sueci ulteriorem Pomme-

raniam necdum restituissent, institit apud Cæsarem & ordines Brandenburgus, ut Sueci investitura, sessione, & voto non donarentur ante, quam restitutionem illam opere ipso complessent. Atque petito huic, indignantibus licet Suecis, delatum.

Quamvis autem moris in Imperio non sit, ut ante propositionem Cæsaream conventus instituantur, & publica negotia a statibus tractentur, placuit tamen hac vice legem illam remittere, & eam, quam dixi, de ordinis prærogativa, & Pommeraniæ caussam, aliasque, quæ celerem expeditionem requirebant, suscipere, non quidem in curia, sed in domo Ferdinandi Curtii Imperii procancellarii.

Deliberanda. In deliberationem adductum, quæ ratio ineunda videatur, ut Vechta, Suecis in securitatem solutionis pignori data, Monasteriensi restituatur: ut Lotharingus & Condæus, ad Hispanos transgressus, qui Eburones, Spirensem agrum, aliasque Rhenanas provincias infestabant, atque Hammersteinium, Homburgum, Landstulium, atque alia munita Imperii loca occupata præsidiis adhuc tenebant, e Germaniæ finibus eliminarentur: quibus mediis cameralis judicii ministrorum sustentationi providendum: quo pacto restitutio ex capite amnestiæ & gravaminum sit facienda, ubi facta necdum reperitur. Quo modo controversia de electione Romanorum regis, & perpetua capitulatione sit decidenda. Quodnam temperamentum circa æs alienum, & restantes census sit inveniendum. Qui collegium principum per Suecorum admissionem ad Bremense, Verdense, & Pommeranum votum, & fundationum, quæ sæcularis factæ sunt juris, ad sessionem, sit complendum.

De rege Rom. Cum autem immineret electio Romanorum regis, vehementer disceptatum est, num ad omnes status pertineat, quæstionem, *an vivo Imperatore eligendus sit rex Romanorum*, dirimere. Protestantium plerique in senatu principum hoc volebant, eoque nitebantur argumento, quod electionis negotium fuerit omnibus Imperii proceribus olim commune, & solummodo pro casu vacantis Imperii per Bullam Auream ad septemviros devolutum: de electione regis Rom. vivente Imperatore nullam in ea fieri mentionem, ac proin casum istum manere in terminis juris & usus antiqui. Quapropter caussam istam in pace West. art. 8 non ad Electores sed ad comitia, quæ ex omnibus ordinibus constant, fuisse remissam. Non equidem id agere senatum principum, ut ipsi electioni se conetur ingerere. Quæstionem tamen, *an*, ab omnibus statibus esse definiendam.

At

At vero Electores, totum electionis negotium sibi solis commissum reponebant; non enim a Bulla Aurea fieri distinctionem inter casum, quo vacat Imperium, aut eum, quo justa de caussa regnante adhuc Imperatore rex Rom. est eligendus, sed verba illius, *quandocunque futuris temporibus necessitas sive casus electionis regis Romanorum, in Imperatorem promovendi, emerserit, Electores ad electionem* &c. esse omnino universalia & illimitata.

Idque salubriter sane a Carolo IV consentiente Imperio fuisse constitutum, ut turbæ & noxiæ moræ evitentur. Atque hanc ipsam legem & prærogativam Electorum præcipuam usu deinceps, observantia, & possessione perpetua confirmatam, dum a tempore Friderici III plerique vivente Imperatore in Romanorum reges a solis Electoribus pro nomine & munere suo sint electi, quin reliqui status in consilium sint adhibiti, an sufficiens caussa electionem illam & provisionem exigat. Accedere communem in hanc rem doctorum sententiam.

Catholicorum plerique pro Electoribus tulere suffragium; cumque insuper Electores in senatu principum multa per se ipsos ferrent suffragia, uti *Moguntinus* Herbipolense: *Coloniensis* Hildesiense, Leodiense, Berchtolsgadense, Stablense: *Bavarus* Bavaricum, & Leuchtenbergense: *Palatinus* Lauterense & Simmerense: *Brandenburgicus* Pommeranum, Mindense, & Halberstadiense &c. in collegio etiam principum facile *majora* obtinebant, excipientibus licet constanter antiquioribus principum domibus, quæstionem *an eligendus*, ad totum pertinere Imperium obnixe contendentibus.

Nec minor cum Electoribus erat de capitulatione Cæsarea disceptatio: nam principes, Protestantes maxime, perpetuam ac stabilem communi omnium ordinum suffragio confici volebant, quæ deinceps tanquam fundamentalis totius Imperii constitutio invariata permaneret atque immota. Atque propterea per instrumentum pacis negotium istud ad generalia comitia fuisse remissum. De capitulatione.

Electores contra, adstipulantibus plerisque in curia principum Catholicis, totam hanc pariter caussam, ceu propriam sibi vindicabant, usu & possessione constanti pro se allegata. E re non esse Imperii, stabilem capitulationem præfigere, in qua mutari nil possit, sed eam rerum, personarum, & temporum circumstantiis accommodandam. Non tamen detrectabant, monita a reliquis statibus accipere, capitulationi, si sibi videretur, inserenda. At principes Protestantes ea non nisi cum jure suffragii volebant offerre: negabantque, fas esse Electoribus ab iis pro arbitrio recedere.

Dum ita ſtatus de electione & capitulatione inter ſe diſceptant, Cæſar cum Electoribus Auguſtam abiit, ubi ejusdem filius Ferdinandus rex Romanorum fuit electus, eique a ſolis Electoribus capitulatio oblata.

Ferd. IV. In hac Ferdinandus IV ſe obligat, ſedem pontificiam, & eccleſiam Catholicam veluti ejusdem advocatus protegere. Pacem & juſtitiam promovere: octavum Electoratum, A. B. P. R. P. W. & quæ in his comitiis Ratisbonenſibus concluſa fuerint, manutenere. Electorum prærogativas, omniumque ſtatuum jura ac privilegia defendere. Nulla cum exteris nomine Imperii fœdera inire, niſi de conſenſu ſtatuum, aut pro caſu neceſſitatis ſaltem Electorum. Nihil de Imperio alienare: perperam alienata reducere. Cum exteris pacem colere. Exteros milites in Imperium non inducere. Concordata Germaniæ tueri, abſque tamen Proteſtantium præjudicio. Non permittere, ut cauſſæ civiles ad nuntium Apoſtolicum, vel Romam deferantur. Monopolia abolere. Nulla telonia aut jus ſtapulæ ſine conſenſu Electorum concedere: ſalvis antiquis, legitime conceſſis. Feuda mediata caduca non appropriare fiſco Cæſareo, ſed dominis territorii relinquere. Nullum ſtatum banno ferire, niſi cauſſa cognita & de conſenſu Electorum, qui non fuerint cauſſæ participes.

Feuda Imperio aperta abſque conſenſu ſeptem Electorum nemini concedere, ſed ad ſuſtentationem Imperii, valde imminuti, & Imperatorum applicare, ſalvis tamen D. A. hæreditariis provinciis, & juribus cujuscunque. Defectus rei monetariæ corrigere. Sine Electorum conſenſu nemini jus cudendæ monetæ concedere: abutentibus jus ſuſpendere, eosque, qui non legitime acceperint, omnino privare. Ad hæreditariam Imperii ſucceſſionem nunquam adſpirare, ſed *Electores omni tempore in libera ipſorum electione Romani regis quiete relinquere, illos etiam quandocunque ad Imperatoris commodum, vel alias ad utilitatem S. R. I. putaverint, etiam in vita Romani Imperatoris cum ipſo, vel (ſi ipſe ad inſtantiam & petitionem Electorum ſine ſatis relevante cauſſa denegaret) ſine regnantis Imperatoris conſenſu hanc permittere*, ſalvis omnino vicariorum juribus.

Adhæc coronam regis Romani ſuſcipere, & ad ſuſcipiendam coronam Romanam urgere, & omnia, huic annexa facere. Secundum conſtitutiones Imperii gubernare. Si quid contra eas fieret, irritum habere. Feuda & litteras feudales in forma priori quamprimum (exceptis litis pendentiis) ſine contradictione expedire,

dire, ac privilegia confirmare. Super rebus Imperii magni momenti altiorisque indaginis, Electorum, & pro meritis cauſſæ ſtatuum etiam conſilio uti. Ad officia aulica Germanos potiſſimum aſſumere. In ſcriptis & actis Imperii lingua germanica vel latina uti: exceptis locis, in quibus ſemper alia lingua in uſu fuiſſet. Concilio aulico certam inſtructionem ſecundum P. W. præſcribere, illudque annue vel ſaltem quovis biennio cum Moguntino viſitare. Reſcripta gratiæ per cancellariam Imperii expedire. Ad principum comitumque dignitatem promovere præ aliis meritos, & in Imperio bona pro dignitate poſſidentes: neque ad ſeſſionem & votum introducere, niſi circulo alicui adſcribatur, & Electoribus atque collegio illi, ad quod aſſumendus eſt, debite antea fuerit inſinuatum. Curare, ut Electorum officiales hæreditarii in aula Cæſarea debito honore afficiantur: &, ſi eorum officia per aulæ miniſtros peragantur, emolumenta nihilominus percipiant. Se non immiſcere regimini imperiali, niſi in quantum a Cæſare fuerit conceſſum. Denique rex Rom. promittit jurato, hæc pacta, cum Electoribus inita, integre ſervare, 26 *Junii* 1653.

Patet ex his, quod Electores, non obſtante contradictione Proteſtantium in ſenatu principum, ad electionem Romani regis, atque ad capitulationem concipiendam proceſſerint, imo, quod Ferdinandus in regem electus privilegium ac jus *eligendi regem Romanorum, quandocunque putaverint, etiam in vita Imperatoris*, per hanc capitulationem Electoribus confirmarit.

## ARTICULUS V.

### *Continuatio actorum Ratisbonenſium, anno 1653.*

ELecto Romanorum rege, Cæſar cum Electoribus Ratisbonam regreſſus ad comitia, poſtquam Sueci, reſtituta Brandenburgo Pommerania ulteriore, ad ſeſſionem & votum fuerant introducti, per Pappenheimium Imperii Mareſchallum ordines ad audiendam *propoſitionem* Cæſaream invitavit. 5

Hæc autem propoſitio tres partes complectebatur. 1. Quomodo pax inter caput & membra, atque inter ipſa membra, pro- *Propoſitio Cæſ.* ut etiam cum coronis exteris ſtabiliri poſſit, ut communis patria, tot malis feſſa, ulterioribus convulſionibus liberata permaneat. 2. Ut omne illud, quod vigore pacis adhuc exequendum reſtat, decenter executioni demandetur. 3. Quomodo illa, quæ per inſtrumentum pacis ad hæc comitia ſunt remiſſa, ſine longis ambagibus decidi queant.

De cetero nihil a Cæsare fuisse intermissum, quod sui esset officii, Franckenthaliam Palatino restitutam, Hailbronnam a præsidio Palatino liberatam. Difficultates circa renuntiationem & ratificationem Palatini, item circa Weidenam, Marcksteinium, & Blechsteinium fuisse sublatas.

Ubi nota, cum Protestantes prohibere vellent *Weidenæ* simultaneum Catholicæ religionis exercitium, eo quod anno 1624 ibidem non viguisset, dux Neoburgicus, id instrumento pacis, & confirmato in eo juri reformandi principi territoriali asserto, adversari ratus, querelam ad Cæsarem detulit. Unde judicium aulicum unanimi, etiam Protestantium, sententia decidit, introductionem simultanei Catholicorum exercitii conclusioni pacis esse conformem, nec impediri oportere. Prout testatur Meierus, Aug. Conf. assecla in *act. comit. Ratisb. lib.* 1 §. 9, eandem fuisse jureconsultorum eo tempore sententiam, uti Benedicti Carpzovii *in definit. consist. l.* 1 *defin.* 2. Weberi de *jure consist. c.* 6. Syringi *in thes. Basil.* Ohmi *de P. R. & jure episc.*

Recruduit tunc controversia, jam Osnabrugæ agitata, liberas Imperii civitates inter & duo superiora collegia. Nam petebant civitates, cum illis pariter ad re- & correlationem admitti, alias enim frui se non posse cum effectu voto decisivo, per instrumentum pacis diserte adeo sibi concesso; suffragium proin suum curiatum cum reliquis duobus eodem tempore & loco conjungendum. At vero Electorum principumque collegia, prærogativæ suæ retinentia, veritaque, ne hoc pacto, si duo superiora collegia dissentirent, conclusum Imperii in civitatum arbitrium conjiceretur, prisco mori insistendum censebant, quo, postquam re- & correlatio inter duas curias esset facta, vocarentur civitates ad votum suum referendum: quod dein, si a voto Electorum & principum differret, & conciliari non posset, concluso insertum ad Cæsarem mitteretur, ut mentem illius circa punctum controversum status exquirant, obtentoque responso ulterius deliberent, an & quomodo cum Cæsare consentire possint.

Lis cum civitatibus.

Neque alium effectum voti esse, nisi, quod si unum ex tribus a reliquis duobus dissentiat, conclusum Imperii formari non possit, sed referendum sit ad Cæsarem. Nam licet in quolibet collegio *majora* valeant, non tamen inter collegia.

Altera cum civitatibus erat controversia circa deputatos Imperii ordinarios; cum enim in collegio principum deputatorum numerus esset auctus, adjunctis pluribus, ut numerus ex utraque religione

Paritas votorum.

gione æquetur, Proteſtantibus, civitates pariter petebant, in ſuo collegio Colonienſi & Norimbergenſi quatuor adhuc addi. Conceſſi tandem duo, Aquisgranenſis & Ratisbonenſis.

Major multo fervebat diſceptatio de *parificatione* votorum, uti vocabant. Quippe in ſenatu principum, & civitatum Proteſtantes duas res acriter poſtularunt, 1 ut omnes e trino collegio deputati in uno loco congregati viritim ſua darent ſuffragia. 2 ut, cum in curia Electorali quatuor ſint Catholici, & tres tantum Proteſtantes, unius ex Catholicis votum ſuſpendatur, aut Proteſtantibus quartus deputatus addatur. Atque huic voto Brandenburgus etiam accedebat, reliqui vero Electores, una cum Catholicis in curia principum & civitatum per majora concluſerant, nihil innovandum; cum enim in religionis negotiis majora non valeant, non eſſe rationem, cur aliquis Electorum jure ſuo atque ſuffragio privetur, maxime cum Electores non ut deputati, ſed jure ſuo proprio, tanquam intimi Cæſaris & Imperii conſiliarii conſultationibus interſint. Atque eadem erat ſententia Cæſaris, cum hac de re ad eum referretur.

Non tamen ceſſerunt Proteſtantes. Quibus, ne contentio iſta ulteriorem negotiis moram injiciat, id tandem datum, ut tres Proteſtantes Electores, attamen pro hac duntaxat vice, quatuor per turnum ſuffragia ferant.

Altera quæſtio, magnis partium ſtudiis acta, an circa indicendas Imperii contributiones pluralitas ſuffragiorum valeat? negabant Proteſtantes, uſi diſtinctione inter neceſſarias & voluntarias, affirmabant Catholici. Concluſum tandem: cum prius examinetur neceſſitas contribuendi, per majora hoc negotium definiendum, ea tamen lege, ut Matricula ordinetur ſecundum proportionem facultatum cujusvis ſtatus geometricam. Ceterum Cæſarem non exacturum collectas citra Imperii neceſſitatem.

Cum autem ſæpius Proteſtantium plerique in partem irent, per majora autem in collegiis vota contrarium concluderetur, volebant illi, ſententiam ſuam concluſo inſeri, adducto civitatum exemplo, quarum reſolutio, ſi a duobus ſuperioribus collegiis diſſentiat, concluſo Imperii ſit inſerenda, atque ad Cæſarem mittenda. Sed repoſuit Moguntinus Imperii director: hoc eſſe concluſum totius collegii, illud vero aliquorum duntaxat, contra majora totius collegii. Non autem eſſe moris, ut particulares aliquorum ſententiæ, ac rationes concluſo Imperii inſerantur; ſecus nullum diſpu-

tandi finem fore. Posse A. C. consortes dissidentes suas opiniones, earumque argumenta, peculiariter ad Cæsarem referre.

Caussa denique Bremensis hoc anno finita. Nam urbs illa, quod comiti Oldenburgico telonium ad Visurgin pertinaciter negasset, banno imperiali fuit proscripta: at cum ad obsequium redux, flexo coram throno Cæsareo genu veniam petiisset, absoluta fuit: atque mox libertatem suam adversus Suecos, municipalem esse, semperque episcopo subjectam, contendentes, evicit, exhibito Cæsareo privilegio: ad sessionem etiam & votum admissa.

## ARTICULUS VI.

### *Acta comitiorum Ratisbonensium anno* 1654.

6 SIcut anno superiore, ita hoc etiam sæpius in deliberationem adductum, quomodo solutione Suecis præstita liberanda sit *Vechta*? qua ratione Condeæ & Lotharingicæ copiæ a tractu Rhenano & Mosellano amovendæ. Monitus Carolus Lotharingiæ dux, respondit, se 32 annis omnes vires suas consecrasse Cæsari & Imperio: hoc intra tempus centum armatorum millia pro iisdem a se conducta. A viginti annis ad centum milliones ex Lotharingia a Gallis collecta. Immensos sumptus ad provincias suas recuperandas impensos: ad ultimum se desertum, pace exclusum, hosti præpotenti relictum. Non igitur vitio vertendum, si aliquot Imperii propugnacula, quæ præsidiis suis occupata teneat, non statim gratis reddat. Millionem thalerorum in compensationem juste a se peti.

Lotharingus.

Ordines Imperii, cum armis invadendus non videretur, nec illa pro temporis ratione præsto essent, trecenta thalerorum millia eidem decernunt. Sed dum hoc agitur, affertur ex Belgio nuntius, quod ab archiduce Leopoldo jussu Hispaniarum regis custodiæ sit traditus. Qua de re in Belgicis uberior redibit tractatio.

Gallos quoque inter Germanosque querelæ. Archidux Oenipontanus trecenta librarum Turonensium millia poscebat: Spirensis episcopus provincias suas infestari acerbe ferebat. At Galli missa Hispano contra Instrumentum pacis auxilia, & cessam necdum ab Hispano Alsatiam, objiciebant. Unde frequens de istis in comitiis consultatio. Prout etiam de subsidiis regi Poloniæ, & Anglo exuli mittendis. Cessa pro Franckenthalia Vesuntio Hispanis, salvis tamen episcopi juribus. Sabaudus investituram ratione ducatus Montisferrati urgebat, auxiliantibus Gallis, at Cæsare in Hispanorum, & Mantuæ ducis favorem cunctante. Intro.

Introducti tandem post varias disceptationes ad sessionem & votum complures novi Imperii principes. Difficultatem maxime movebant antiquiores principum domus. In comitiis anni 1641 tria requirebantur. 1 Ut immediata in Imperio bona possideant, principe digna. 2 Ut sub onere competentis æstimationis Matriculæ inserantur. 3 Ut ratione ordinis in sessione & voto, si in persona adsint, cum antiquis familiis conveniant. Nolebant enim eos locum occupare ante suos legatos. Occupabant tamen in his comitiis: suffragium autem suo loco post legatos illorum ferebant. Novi principes.

Introducti igitur principes Salmensis, Hohenzolleranus, Lobkovitius, Eggenbergius, Piccolomineus dux Melphitanus, Nassovio-Hadamarensis, & Dillenburgicus, Dietrichsteinius, Auerspergius. Concessum etiam comitibus Westphalicis, a Wetteravicis separatis, speciale votum, ut adeo quarto inter Imperii comites fruerentur.

Præterea acriter sunt quatuor puncta disputata: 1 An etiam cancellariæ cameralis ministri ex utraque religione debeant esse pares numero: Catholicis pro una, Protestantibus pro altera parte decertantibus. Cum autem hæc quæstio in Instrumento pacis non fuerit decisa, Moguntinus, Imperii concellarius, cujus est, ministros cancellariæ constituere, legem sibi in hac re dici noluit.

2. Qualem effectum habeat Revisio, in camera imperiali concessa? an videlicet tantum habeat effectum devolutivum, an vero etiam suspensivum executionis sententiæ, a camera latæ? Hoc posterius contendebant Protestantes, ea ducti ratione, quod supplicatio, in judicio aulico interposita, effectum illum utrumque habeat. Cum ergo par utrobique sit ratio, & ordinatio cameræ etiam in judicio aulico sit servanda, eandem sortiri vim debere revisionem, quam habet supplicatio. At vero Catholici oppositam tuebantur sententiam. Quod supplicatio effectum etiam suspensivum nanciscatur, expressum esse in Instrumento pacis, ac proin specialem hic haberi exceptionem ab ordinatione cameræ. Quapropter etiam Protestantes facile assentiebantur, in rebus politicis nullum esse revisionis effectum suspensivum: in caussis autem religionis contrarium urgebant. Ceterum cum Cæsar novam confecisset ordinationem judicii aulici, Protestantes eam sibi communicari petebant, licet jam typis impressa in publicum nota esset. Volebant insuper, omnes in judicio aulico & camera processus suspendi, sed non fuerunt exauditi. Revisio.

3. Cum diverſitas calendarii in politicis juxta atque eccleſiaſticis haud modicam confuſionem pareret, inſtabat Cæſar cum Catholicis ſtatibus, ut Proteſtantes etiam novum calendarium, optime correctum, reciperent. At illi, licet utilitatem, quin & neceſſitatem correctionis cernerent, nec negare poſſent, calendarium Gregorianum ad uſus ſacros & politicos in perpetua tempora ſcite omnino apteque fuiſſe accommodatum, quia tamen, quidquid a ſummo pontifice proficiſcitur, aſpernantur, adduci non poterant, ut errorem ſuum corrigerent.

Calendarium.

4. Quænam ſit ineunda ratio, ut debitoribus ære alieno preſſis aliquantum conſulatur, nec tamen creditores nimium graventur. Exquiſitum in hanc rem conſilium judicii aulici & cameralis, quæ prolixa deductione mentem ſuam comitiis explicarunt. Quænam autem ex his ſint acceptata, ex articulo ſequente conſtabit.

Debitores.

Multa alia in conſultationem fuerunt adducta, uti de religionis exercitio, de reſtitutione ex capite amneſtiæ & gravaminum, aliisque negotiis, religionem concernentibus, ſed quia in his ſuffragiorum pluralitati a Proteſtantibus non deferebatur, concluſum Imperii fieri non poterat.

Quapropter Cæſar, cum res adeo lente procederent, in menſem Aprilin ſuum Viennam diſceſſum ordinibus denuntiat; prorogatis tamen his comitiis, ut absque nova indictione & convocatione ſtatuum, poſt biennium reaſſumantur: ubi renovata propoſitione Cæſarea decernantur reliqua, quæ nunc expediri non poterant. Præparandas interim materias, ut ad maturitatem perducantur. Ante abitum autem Cæſar a ſtatibus petiit, ut præter centum menſium Romanorum contributionem, in tractatione Osnabrugenſi addictam, atque in abdicationem militiæ aliasque Imperii neceſſitates jam abſumptam, adhuc 60 adderent.

Fructus autem horum comitiorum maximus is fuit, ut circa cauſſam juſtitiæ receſſus Imperii formaretur, quem multo celeberrimum hodiedum *noviſſimum* appellamus. Jam anno 1643 & 44 deputati Imperii Francofurti hanc materiam præparaverant, multaque ex ibidem tunc actis in hunc receſſum fuerunt translata. Operæ pretium fuerit, ſynopſin aliquam hujus receſſus huic eruditionis apparatui inſerere.

ARTI-

# ARTICULUS VII.

## *Receſſus Imperii de anno 1654 ſynopſis.*

## § I.

### *De ſuſtentatione cameræ.*

IN præfatione dicit Imperator, ſe omnem curam impendiſſe, ut poſt tam cruenta bella pax conficiatur, & executioni detur. Sed cum huic dilata ratificatio, abdicatio militiæ, & reſtitutio locorum, moram injeciſſent, ac propterea opus fuerit novo tractatu Norimbergenſi, aliæque difficultates inciderint, non potuiſſe intra definitum Art. 8 § 3 ſex menſium ſpatium comitia celebrari. Miſſa tamen Cæſarea edicta, & mandata executorialia ad directores circulorum, aliosque Electores & principes, etiam ſub arctiori exequendi modo. 7

1. Nec minus eo tandem rem perductam, ut, reſtituta Franckenthalia, liberata Hailbronna, renuntiatione & ratificatione Palatina facta, exortis ratione Weidenæ, Parckſteinii & Bleiſteinii impedimentis ſublatis, comitia Imperii in ultimam Octobris anni 1652 fuerint indicta, ad pacem inter caput & membra, atque inter ſe ipſa, prout etiam cum exteris coronis ſtabiliendam, &, quæ in pacis Inſtrumento ſunt conventa, executioni danda.

2. Eapropter Cæſarem in propria perſona, Electores vero & ſtatus vel per ſe vel per ſuos legatos eo ſe contuliſſe.

3. Sed propoſitionem Cæſaream propter incidentia obſtacula differri debuiſſe usque 16 Junii 1653, ubi tria illa principalia puncta ad deliberationem ſtatibus fuerint propoſita. Interea tamen tantum temporis permiſſum (absque tamen moris imperialis præjudicio) ut de cauſſa juſtitiæ, Wechtæ, Lotharingicæ per deputatos prævie tractetur.

4. Cum autem in Inſtrumento P. W. ſit decretum, ut Pax illa, tanquam ſanctio pragmatica & fundamentalis Imperii lex proximo Imperii Receſſui inſeratur.

5. Ideo totius Inſtrumenti tenorem, cum arctiori exequendi modo, & receſſu executionis Norimbergenſi huic Imperii receſſui ad verbum inſeri. ***

6. Sit igitur P. W. fundamentalis Imperii lex & perpetua norma judicandi. Nec ullus ei contraveniat, aut alias etiam ulli fas

ſit, jus ſuum armis perſequi. *Ecce! hic expreſſe probibetur armata illa vis, quam ſui tuitionem vocant, quæque apud aliquos hodie invaleſcit.*

7. Ad ſtabilimentum pacis viſum, cauſſas, quæ plenæ ejusdem executioni hactenus obſtabant, tollere, maxime vero ab externa & interna vi, alienis præſidiis, invaſionibus, tranſitus hoſpitationibus, & contributionibus Imperium liberare, contra vero lapſam juſtitiam, ſine qua nullum regnum incolumitatem ſuam tueri poteſt, rurſus erigere. In quem finem deputatorum Francofurtenſium & cameræ Spirenſis conſilium in conſiderationem fuit adductum.

8. Viſum itaque hoc punctum juſtitiæ ante omnia expedire: & quantum ad camerale judicium ſpectat, quatuor dubia ad Imperii conſultationem proponere: 1 De ejusdem ſuſtentatione. 2. De aſſeſſoribus conſtituendis. 3. De reformatione proceſſuum. 4. De tribunalis illius in alium locum translatione. De quibus cum ſtatibus ſequenti modo concluſum.

9. Atque imprimis, quod ſuſtentationem attinet, antiquus contribuendi ſecundum taxam Matriculæ modus interim conſervetur: & ſecundum deſignatos terminos Francofurti quæſtori ſolvatur.

10. Decreta in moroſos pœna.

11. Annuum aſſeſſorum ſalarium ad mille thaleros imperiales evehitur. Cameræ judici 4400 thaleri decernuntur: ſingulis ex 4 præſidibus 1371, aſſeſſori 1000, fiſcali 1000, advocato fiſci 571, medico cameræ 285 &c.

12. Hæredibus defunctorum cameralium reſtantia debita ſecundum auctum ſalarium ſolvantur, ſublatis tamen *neglectis*, ſeu iis ſalariis, quæ prætenduntur pro tempore, quo cameralis officio ſuo non eſt functus.

13. Neglecta reſignantium aut mortuorum aſſeſſorum ad caſſam cameralem reducantur. Neglecta vero abſentium præſentibus diſtribuantur.

14. Ut auctum ſalarium miniſtrari poſſit, aſſumpti in ſtatus principes & comites pro rata contribuant; augetur cameralis Matricula: vocare tamen poſſint ſtatus ſuos ſubditos in partem contributionis.

15. Contra moroſos fiat executio. 1 A camera moneantur. 2 Directores circulorum requirantur. 3 Executioni ſe opponens ſtatus in bannum declaretur &c.

16. Si

16. Si dominia familiarum dividantur, quilibet pro rata contribuat.

17. Si ipse director esset in mora exequendi, per mandata executorialia a camera urgeatur, aut executio alteri committatur.

18. Si autem director suam taxam non solveret, vicini circuli director exequatur.

19. Qui necdum solverunt, intra sex annos certis terminis duas tertias restantium solvant, reliqua tertia ad Imperii ulteriorem ordinationem remissa.

20. Ex duabus illis tertiis restantia debita cameralibus solvantur. Et si non sufficiant, addatur residua tertia, a statibus solvenda.

21. Indaganda ratio, qua camera sustentari possit sine onere statuum.

## § II.

### *De præsentatione cameralium.*

22. PRæscriptus in ordinatione camerali modus præsentandi assessores diligenter observetur. Et, si status intra sex menses non præsentet, camera ipsa vacanti sedi provideat.

23. Recipiendus tamen a camera sit ejusdem religionis, cujus præsentandus a statu esse debuisset.

24. Quia autem integratio numeri, in Instr. pacis conventi, prima hac vice (nempe anno 1654) difficilis accidere posset; terminus præsentandi 6 mensium pro sola ea vice ad annum extendatur.

25. Potest tamen hoc tempus præveniri : & recepto mox currit salarium.

26. Si in circulo aliqui status sunt morosi, possunt reliqui præsentare.

27. Deinceps non amplius necessarium, uti hactenus, duos vel tres præsentare: sed sufficiat præsentare unum aptum.

28. Si autem duo vel tres præsententur, sufficit, unum esse aptum: ut adeo non sit necesse, ut camera habeat electionem. Nec amplius requiritur quinquennale juris studium; sed respicienda habilitas personæ.

29. Numerus assessorum, in P. W. designatus maneat.

30. Quamvis de schemate necdum satis conveniri potuerit.

31. Differentiæ circa præsentationem in circulo Westphalico vel componantur, vel reliqui status præsentent.

32. Taxa

32. Taxa nihilominus a possessoribus provinciarum litigiosarum (Juliacensium &c.) solvatur.

33. Qui in circulo Rhenano superiore hactenus præsentarunt, præsentent etiam deinceps, uti Wormatiensis, Spirensis, Argentinus, Simmerensis, Bipontinus, & Hassus: absque tamen præjudicio aliorum statuum, idem jus prætendentium.

## § III.

### *De reformatione processus judicialis, in casu simplicis querelæ.*

34. MOdus per articulos conficiendi libellos, quia processum prolongat, prohibetur, exceptis articulis probatorialibus, & responsionibus ad eosdem: (qui formari possunt, si partes velint) sed summarie, nervose, & distincte factum proponatur, cum adjuncta petitione, non tantum partem adversam citandi, sed etiam condemnandi. Citato libellus actoris offeratur, ut dispiciat, an litem contestari velit.

35. Liberum est actori, probationes libello conjungere, vel post responsionem rei, judicialiter proponere.

36. Citato minimum 60 dierum terminus præfigendus. Si autem eo elapso non compareat, integrum est actori ad ulteriora usque ad finem in caussa principali procedere, sublata tamen usitata hactenus pœna banni, & immissione in bona ex primo vel secundo decreto.

37. Reus statim in primo termino ad libellum actoris respondeat, quomodo factum se habeat: omnesque exceptiones, sive dilatorias sive peremptorias, sub pœna præclusi, simul proponat. Et, si actor probationes libello adjunxerit, ad illas pariter respondeat.

38. Licet citato prorogationem termini rogare, ea tamen lege, ut caussas dilationis juramento confirmare sit paratus.

39. Si actor ad accelerandum processum, sua documenta, testimonia, instrumenta, contractus, testamenta, aut alias probationes, simul cum libello gravatoriali, atque actione in vidimata copia obtulerit, reus in primo termino ad ea respondeat. Si autem actor primum post oblatum libellum in judicio ea protulerit, reo spatium ad responsionem formandam concedatur.

40. Non obstantibus exceptionibus dilatoriis, in caussa principali procedatur. Aliud, si exceptio fori declinatoria opponeretur: si autem hæc esset frivola, reus ad pœnam condemnetur.

41. Usus

41. Uſus articulorum poſitionalium, in quibus rei ſubſtantia vertitur, permittitur: ſed diſputatio ſuper reſponſione prohibetur.

42. Procuratores ſuum mandatum in primo termino exhibeant, & ſuper eo caveant.

43. Si juramentum calumniæ partes exigant, aut judex ex officio imponat, præſtandum, (exceptis conſiliariis ſtatuum in negotiis ſui domini) quod nempe credant, ſe juſtam habere cauſſam, ſine fraude aut mala intentione abſque protelatione proceſſurum, veritatem non celaturum, &, ſi in progreſſu advertat, ſe malam habere cauſſam, a lite deſtiturum.

44. Contra non comparentes per proclamationem procedendum.

45. Poſtquam reus ad libellum actoris excipiendo reſpondit, poteſt actor in ſecundo termino replicare: &, ſi prius non ſit factum, probationes ſuas afferre.

46. Si dein reus in ſecundo prorogato termino reſponderit, actor ad tertium terminum poteſt progredi.

47. Si reus factum negat, & actor per teſtes probare velit, commiſſarii conſtituantur ad examinandos teſtes.

48. Idem, ſi reus exceptionem ſuam teſtibus vult probare.

49. Utrique parti ſit liberum, probatoriales articulos ponere.

50. Quæ probata non relevant, ad probationem non ſunt admittenda. Dilationes probatoriales reſtringendæ. Secunda dilatio non niſi cauſſa cognita concedenda: tertia autem non niſi prævio juramento.

51. Si inſpectio ocularis circa terminos &c. ſuſcipienda, pars utraque deſignationem judici exhibeat.

52. Si opus non ſit probatione, actor ſtatim in cauſſa concludat. Commiſſarii depoſitiones teſtium in ſuo rotulo ſeu relatione ita collocent, ut ad ſingulos articulos ſingulorum teſtium nomina cum propriis eorum verbis apponantur, ut judex ſine operoſo extractu ad ſingulos articulos ſingulorum depoſitiones uno ſub aſpectu habeat.

53. Interrogatoria autem non ſint criminoſa, quæ teſtis turpitudinem contineant.

54. Poſt lapſum termini probatorialis actor in quarto termino publicationem rotuli petat, aliaque ſua jura & documenta afferat. Adverſæ parti idem jus eſto.

55. Ubi ulteriore probatione non eſt opus, concludendum in cauſſa.

56. Quamvis judicis ſit arbitrari, quantam fidem mereantur teſtium depoſitiones, conceditur tamen cuivis parti poſt publica-

tas atteſtationes unam adhuc ſcripturam offerre, per quam tamen concludant.

57. Ad judicis arbitrium pertinet, an actori vel reo concedenda ultima ſcriptura.

## § IIII.

### *De appellationibus &c.*

10 58 Appellans in primo termino proceſſum appellationis breviter reproducat. In puncto autem compulſorialium, inhibitionum & attentatorum vel ad pœnam vel alias procedatur.

59. Si autem contra inhibitionem aliquid notorie eſſet attentatum, ad petitionem appellantis mandata de revocandis attentatis ante omnia decernantur & executioni dentur.

60. Compulſoriales petantur ante primum terminum. Judex a quo rationes decidendi una cum actis mittat ad cameram.

61. Quare appellans ſub pœna litis deſertæ intra 30 dies a die interpoſitæ appellationis acta a judice primæ inſtantiæ petat: qui, non exſpectatis compulſorialibus, illa extradat. Addantur etiam conſilia juridica Univerſitatum, ſi quæ ſunt facta.

62. Acta a judice inferiore in præſentia partium aut procuratorum inrotulentur, atque ſub pœna clauſa edantur.

63 Appellans acta intra tempus, a judice priore determinatum offerat, ſub pœna abſolutionis.

64. Gravamina appellationis per puncta ſummarie cum ſupplicatione pro proceſſibus offerantur. Simulque appellans ſignificet, in quibus ſe gravatum ſentiat. Quænam melius probare, aut deducere intendat.

65. Si autem appellans nulla gravamina vellet proponere, ſed ad priora acta præciſe ſe referat, id in ſupplicatione pro proceſſibus ſignificet. Partes actorum judicialium copias diligenter aſſervent, ut iis uti poſſint.

66. Judex pro arbitrio ad gravamina offerenda dilationem indulgere poteſt.

67. Appellans ſub pœna deſertionis ſupplicationem pro proceſſibus tam mature offerat, ut inſinuatio adhuc ante finem quatuor menſium (a die interpoſitæ appellationis) fieri poſſit: & poſt inſinuationem appellato adhuc duo menſes ſuperſint ad reproductionem.

68. Unde ſupplicationes pro proceſſibus ſine dilatione expediantur, & per curſores camerales inſinuatio maturetur.

69. Ap-

69. Appellatus exceptiones non devolutionis, aut desertionis in primo termino proponat, sub pœna præclusi.

70. Libellus gravaminum simul insinuetur. Appellatus vero suas exceptiones contra gravamina in primo termino proponat. Si autem appellaretur ab interlocutoria, quæ non habet vim definitivæ, appellatus suas exceptiones simul proponat.

71. Si partes nihil diversum a prima instantia habeant, priora acta statim ad sententiam submittant.

72. Quod ad secundum, tertium, & ulteriores terminos spectat, observandum id, quod de caussis simplicis querelæ fuit ordinatum.

73. Quæ in priori instantia non sunt producta, aut non satis deducta, in posteriori produci & deduci possunt: sub conditione tamen juramenti, quod in priori instantia ea producere, aut deducere non potuerint.

74. Factum magis declarare & probare pariter est concessum.

75. Studeant tamen partes, ut in prima instantia caussam bene instruant, ut secunda instantia eo celerius absolvatur.

76. Quod spectat mandata sine clausula, reus de reali paritione doceat in primo termino, aut exceptionem sine dilatione proponat. Si illa sit frivola, sequitur sententia *paritoria*, per quam ad parendum condemnatur: nisi ulterior terminus ei concedendus videretur.

77. Si autem exceptio relevet, actor ad replicandum admittatur, præfixo termino.

78. Pro casu mandati S. C. reus ad duplicandum non admittendus, sed in exceptione omnia sua afferat. Nisi in replicis actoris novi quid contineatur, aut juret, se ante ignorasse.

79. Supplicantes narrata sua aliquibus documentis firment, ne referens decipiatur, mandata autem S. C. tantum in caussis in constitutionibus expressis expediantur.

80. An *impetranti* sive actori, an vero *impetrato* sive reo onus probandi sit imponendum, relinquitur arbitrio judicis.

81. In mandatis cum clausula reus loco causalium articulorum brevem & nervosam deductionem sui juris in primo termino producat, cur mandato non paruerit. Impetrans autem vel per generalia contradicat, aut in secundo termino replicet, & in tertio reus potest duplicare: ad triplicas autem regulariter non procedendum.

82. Circa examen testium & probationes idem in caussa appellationis, quod in caussa simplicis querelæ.

83. Remedio legis diffamari non abutendum. Diffamantes in

specie nominandi. Diffamatio ante citationem probanda. Tum vero caussa ad forum competens remittenda.

84. Dilationes non ultra 4 menses indulgendæ.

85. Advocati & procuratores sub juramento prohibentur, frivolas exceptiones opponere, aut dilationes sine justa caussa petere, sub pœna in sumptus, litis retardatæ, & arbitraria.

86. Quoties judex pœnam decernit, toties terminus ejusdem fiscali cameræ pendendæ assignetur, sub pœna dupli & executionis. Quæ a magistratu loci, aut si status sit immediatus, a circulorum directoribus facienda.

87. Prout quilibet magistratus loci, in quo punitus degit, obligatur fiscali cameræ requirenti assistere.

88. Quæ hic dicuntur de acceleratione processuum & sessionibus cameralium, posterioribus annis per communia decreta, videlicet anno 1655, 59, 60, 66 fuerunt determinata.

89. Termini judiciales non amplius eludendi.

90. Si procurator caussam habet præparatam, eam tradat, licet terminus necdum sit finitus, sub pœna temere retardatæ litis.

91. Si post lapsum terminum adversæ partis procurator petit, caussa proponenda sub pœna præclusi.

92. Caussa fiscalis primo suscipienda, & expedienda.

93. In caussis fiscalibus cameræ fiscali duo assessores utriusque religionis adjungendi. Jura fisci bene observentur. Et in caussis exemptionis fiscalis ex officio procedat.

94. 95. Hic tractatur, quando judicium ad accelerandos processus habendum.

96. Ad tollendas protelationes advocati & procuratores solum factum sine ambagibus narrent, sine multa allegatione juris. Possunt tamen in margine unum vel alterum textum vel probatum scriptorem, qui in terminis terminantibus eadem re scribit, allegare: uti etiam consilia & responsa juridica cum præmissa specie facti, & rationibus dubitandi.

97. Præjudiciales termini melius observentur, nec prorogatio concedenda sine necessitate.

98. Dictantur pœnæ procuratoribus processum nimis protendentibus.

99. Potestas procuratori data etiam ad partium hæredes extendatur.

100. In mandato autem procuratori dato in casum mortis alius substituatur: qui tamen a principali mutari potest.

101. Quilibet procurator generali mandato se legitimet. Cui speciale etiam adjungi potest.

102. Quod oretenus non poteſt breviter exponi, ſcripto communicetur procuratori adverſæ partis.

103. Prorogatio prorogationis regulariter non concedenda.

104. Emendatio cancellariæ Electori Moguntino relinquitur.

105. Obſervatio legum & conſuetudinum cameræ mandatur. Violatores primæ inſtantiæ puniendi. Antequam ſubditi adverſus magiſtratum audiantur, petenda informatio.

106. Si in cauſſis politiæ, tribuum & opificum appellatio ad cameram deferatur, bonum ſtatus publici cujusque loci attendatur: nec facile inhibitio decernatur: ſed, ſi res exigat, cauſſa ad magiſtratum loci remittatur.

107. Cum negotia cambialia & mercaturæ in nundinis paratam habere debeant executionem, judex primæ inſtantiæ ad executionem poteſt procedere, non obſtante appellatione.

## § V.

### *Ordinationes pro minuendis appellationibus.*

108. UT nimis frequentes, & non raro frivolæ appellationes ad cameram impediantur, ſtatus Imperii idoneos juſtitiæ miniſtros tribunalibus ſuis præficiant, qui officio ſuo gnaviter fungantur, ne opus ſit appellatione. II

109. Si autem camera ex cauſſa appellationis deprehendat, quod aut ex imperitia judicis, aut corruptione, malitia, vel negligentia, parti damnum ſit illatum, vel denegata juſtitia, camera tam magiſtratui culpæ reo, quam ſubordinato judici pœnam imponat, quam fiſcalis exigat.

110. Judex primæ inſtantiæ in rebus dubiis ad amicam transactionem diſponat, non modo ante litis conteſtationem,, ſed in quacunque judicii parte: ſic tamen, ut parti, cui jus favet, nullum præjudicium inferatur.

111. Statuum privilegia de non appellando ſtricte obſerventur, tam abſoluta, quam ad certam ſummam limitata: quem in finem hæc privilegia in curia cameræ ſint affixa.

112. Summa appellabilis ſit 400 thaleri imperiales capitale, circa cenſus vero 16 thaleri. Salvis tamen cujusque ſtatus juribus.

113. Si tamen ſumma non eſt appellabilis, acta inrotulata vel ad Academiam, vel alios jureconſultos ad inſtantiam partis mittantur.

114. Si appellans juret, ſe in bonis non plus habere quam

2000 florenos, tunc 300 floreni habeantur pro summa appellabili.

115. Cuivis statui fas sit a Cæsare petere, ut major summa pro materia appellabili statuatur.

116. Ne jurisdictio Imperii nimium minuatur, aut tertio inferatur præjudicium, Cæsar non facile concedet privilegia de non appellando, electione fori, aut prima instantia, vel austregis, si hactenus non sunt habita.

117. Si privilegium exigat certas conditiones, e. g. juramentum calumniæ, cautionem &c. eæ coram judice a quo ab appellante præstentur, & non primum in camera, sub præjudicio caussæ.

118. Juramentum de non frivole appellando in termino reproductionis ab advocato & principali præstetur, sub pœna desertionis.

119. Si deprehendatur, caussam ad cameram non esse devolutam, ad priorem judicem remittatur, & frivole appellans non modo in expensas, sed etiam in pœnam temere litigantium condemnetur.

120. Et cum in Imperio libido litigandi adeo invaluerit, ut ab inferioribus judicibus vix ulla sententia feratur, a qua non appelletur, pœna temere litigantium a 2 usque ad 20 libras auri augeatur. Nec appellationes admittantur, nisi ostendatur, omnia in termino a quo secundum privilegia loci esse peracta. Advocatus temere litigans magis puniendus, quam partes, sæpe juris minus gnaræ.

121. Cum hactenus disputatum sæpe fuerit, an sententia nulla sit, an injusta: & in illo casu de jure communi 30 anni dentur ad actionis prosecutionem: in hoc vero intra 10 dies appellandum; placuit, ut, ad amputandas litium ambages, in utroque casu fatale 10 dierum observetur.

122. Circa nullitates autem, quæ insanabilem defectum continent, vel ob personam judicis, vel partis, vel substantialia processus, manet dispositio juris communis.

123. Statuum privilegia de non appellando, vel non nisi pro casu certæ summæ, curate attendenda. Et in dubio inhibitiones non decernendæ: vel saltem prius a judice a quo informatio petenda.

## § VI.

### *De revisione.*

P2 124. UT revisiones, adversus sententiam cameræ concessæ, abbrevientur, solum deinceps effectum devolutivum sortian-

tiantur, non autem suspensivum : ea tamen conditione, ut pars in camera victrix idoneam cautionem præstet de restituendo in casum succumbentiæ in judicio revisorio. Cassatio autem effectus suspensivi tantum concernit revisiones post annum 1654. In religionis autem negotiis maneat effectus suspensivus, donec in prorogatis his comitiis aliud decernatur. Attamen caussæ ecclesiasticæ ante omnia alia negotia in revisorio expediantur.

125. In casibus, in quibus appellatio de jure communi locum non habet, neque revisio conceditur. Revisio autem intra quatuor menses, a lata camerali sententia, a Moguntino petatur, vel, si illius caussa agatur, a Trevirensi, & cameræ insinuetur. Intra quod tempus etiam gravamina proponantur, & juramentum revisorium præstetur.

126. Ut partes a frivolis revisionibns absterreantur, acta a revisoribus taxentur, & sportulæ ab eo, qui revisionem petiit, ad archivum deponantur, amittendæ in casum succumbentiæ, atque revisorum sustentationi applicandæ. Insuper frivole petentes revisionem mulctentur pœna, cameræ attribuenda.

127. Ut summa sit revisibilis, capitale absque censu aut interesse ad 2000 thaleros Imp. ascendat. Casus autem non appellabiles neque sunt revisibiles.

128. Ut revisiones, hactenus accumulatæ, expediantur, & in futurum provideatur, visitationes annuatim instituantur, quibus duo principes vel per se vel per suos consiliarios intersint.

129. Statuitur pœna in revisores & visitatores, non comparentes. Eorum absentia per alios suppleatur.

130. Ut revisiones accumulatæ expediantur, extraordinaria deputatio constituitur. Revisores nulli parti sint addicti, nec unus duo suffragia ferat.

131. Deputati revisores, antequam ab aliis subleventur, caussas a se cœptas absolvant.

132. Quia 70 annis nullæ ordinariæ visitationes sunt habitæ, statuitur ut deinceps singulis annis instituantur, secundum schema erectum.

133. Revisores studeant partes amice componere : ubi metus armorum, acta ante alia expedire, frivole petitas revisiones rejicere.

134. Ordinatio cameræ in proxima visitatione in unum corpus redigatur, atque in futuris prorogatis comitiis statibus proponatur.

135. Assessores conclusa sua super dubiis cameralibus cancellariæ Moguntinæ tradant, indeque visitatoribus & revisoribus communicentur.

136. Præ-

136. Præjudicia cameralia contraria assessores in pleno senatu componant.

137. Ordinatio cameræ in inferioribus etiam judiciis, quantum fieri potest, observetur.

138. De caussis pignorationum in proxima visitatione & prorogatis comitiis tractetur.

139. Quomodo interim procedendum.

140. Si assessor officio suo cogitat decedere, relationes suas & vota prius deponat.

141. Ut personæ idoneæ habeantur in camerali judicio, & constantius officium suum retineant, cum uxoribus viduis & liberis, quamdiu in loco cameræ permanserint, nec statum mutaverint, ab omnibus in Imperio oneribus sint exempti, modo cauponariam, aut mercaturam non exerceant.

142. Quod vero spectat ad cameralium liberos, qui propriam œconomiam instituunt, commissioni inter cameram & Spiram deputatæ relinquitur, salvo utriusque partis jure.

## § VII.

### *De modo referendi.*

13 143. Cum modus hactenus referendi, dictando acta & votum ad calamum, valde lente processerit, I deinceps relationes prælegantur assessoribus, sicut in aliis tribunalibus fieri consuevit. Antequam tamen legat, referens summariam caussæ notitiam ac ideam proponat.

144. II lectam relationem & acta quilibet assessor inspicere, vel etiam ad breve tempus secum domum asportare potest ad statum legendi. Quilibet autem ex suo extractu, non autem ex actis originalibus referat.

145. III referens relationem ita maturet, ut correferens tempus habeat ex actis originalibus informationem capiendi, an bene & fideliter sit relatum.

146. IV cœpta relatio nulla alia caussa interpoletur, sed ad finem continuetur, votaque sine ulteriore dilatione ferantur.

147. V votum referentis sit breve.

148. VI si sequentes assessores se cum referente conformant, per verbum *placet*, id significent. Non tamen vetantur aliquid addere. &c.

149. VII si conclusum formatum, sententia lata ac scripta, Notario mox dictetur, atque a referente & correferente subscripta publicetur.

150. VIII referens suam relationem & votum subscribat, & si vel omnia vel majora vota cum ipso consentiant, sigillata judici cameræ tradat custodienda, nec aliis, quam revisoribus, vel si ad executionem aut liquidationem opus, communicanda.

151. IX in æstate senatus a quadrante post septimam ad nonam usque in definitivis continuetur: a quadrante post nonam vero ad decimam in interlocutoriis.

152. X partes, quæ magis sollicitant urgentque expeditionem caussæ, ante alias expediantur.

153. XI incompleta acta ad referendum non admittantur.

154. XII acta legi cœpta, si absolvi ea hora non possint, altera die continuentur.

155. XIII acta, quæ decedens assessor ad relationem accepit, non differantur ad illius successorem, sed statim aliis distribuantur.

156. XIV si autem referens moriatur, correferens ejus munus suscipiat.

## § VIII.

### *De executione aliisque ad cameram pertinentibus.*

157. IN caussis religionis absque studio partium judicandum, sub poena syndicatus. Vota in his scripto danda. 14

158. Cum diversitas calendarii etiam in judiciis multas inordinationes pariat, eaque super re conveniri necdum potuerit, in proximis prorogatis comitiis hoc negotium reassumendum & absolvendum.

159. Sententiæ definitivæ (sicut in processu mandatorum) statim addatur mandatum executionis sub pœna expressa, aut comminatione realis executionis, præfixo termino ad paritionem, & docendum de paritione.

160. Si termino præfixo non pareret condemnatus, ad instantiam partis victricis, declaretur in pœnam dictam, sumptus & damna; & executio per mandata executorialia magistratui condemnati, aut directoribus circuli, aut, si horum caussa agatur, vicinis directoribus a camera committatur. Hi autem executionem facere obligantur.

161. Qui autem, cujuscunque ſit dignitatis, demandatæ a camera executioni facto reſiſtit, in pœnam banni incidat.

162. Si per ſententiam definitivam condemnato ſolum omiſſio facti injungatur, in caſum contraventionis pariter dictetur certa pœna, & præſtanda cautio de non amplius turbando, impediendo, excedendo, attentando, offendendo.

163. Si ſub prætextu impoſſibilitatis non fiat executio, ſecundum conſtitutiones a camera procedatur.

164. Cum quidam ſtatus ſint conqueſti, quod in epiſcopatu Colonienſi, Leodienſi, Monaſterienſi, aliisque frequentior fiat recurſus ab officialium ſententia ad Pontificem & Nuntios, etiam in cauſſis civilibus & profanis, Cæſar apud Pontificem inſtabit, ne id porro fiat: neque relaxatio Nuntiorum a juramentis in judicio attendatur.

165. Cum camerale judicium Imperatorem & Imperium repræſentet, ejus ſententiis & mandatis ab omnibus obedientia præſtetur, ſub pœna arbitraria, fiſco addicenda. Quare etiam liber omnino curſus proceſſibus relinquatur.

166. In cauſſis in camera pendentibus nulla mandata, inhibitiones, reſtitutiones, avocationes, ſuſpenſiones alibi a partibus impetrentur ſub pœna 10 marcarum auri. Nec talia impetrata vim ullam habeant.

167. Translatio cameræ in alium locum necdum ſtatuenda: ſed in protectionem Imperatoris & Imperii aſſumitur, ut plena ſecuritas præſtetur, monita peculiariter Spira. Et quia Philippoburgi vi pacis Gallicum præſidium, propriis tamen Gallorum ſumptibus tolerandum, indeque moleſtiæ & timores cameræ immineant, Alſati etiam conquerantur, Cæſar apud regem Galliæ rem eo diriget, ut paci ſatisfiat.

168. Judicium aulicum non minus quam camera privilegia primæ inſtantiæ, & auſtregarum obſervabit.

169. Poſtquam in pace conventum, ut, præter duos aſſeſſores in camera, quos Cæſar præſentat, Catholici ſtatus rationem de 24 perſonis præſentandis inter ſe ineant, idque his in comitiis ſit factum, ſequens ſchema ab illis fuit confectum:

SCHEMA

# SCHEMA

## Aſſeſſorum Catholicorum.

| | |
|---|---|
| Cæſar præſentat - | 2. |
| Moguntinus - - | 2. |
| Trevirenſis - | 2. |
| Colonienſis - | 2. |
| Bavarus - - | 2. |
| Circulus Auſtriacus - | 2. |
| Burgundicus - | 2. |
| Bavaricus - | 4. |
| Franconicus - | 2. |
| Suevicus - | 2. |
| Rhenanus ſup. - | 2. |
| Weſtphalicus - | 2. |

*Schema aſſeſſorum A. C. exſtat in Inſtrumento pacis.*

### § IX.

*De debitoribus obæratis.*

170. CUm per Inſtr. pacis *Art. VIII. § de indaganda* proviſum ſit, ut in his comitiis ineatur ratio, quibus mediis debitoribus, qui aut per bellum fortunis lapſi ſunt, aut accumulatis cenſibus oppreſſi, ſuccurri poſſit, tria ſtatuum collegia, prævio conſilio judicii aulici & cameræ, ſequentia ſtatuerunt. 15

171. Hæc ordinatio ad eos ſolummodo debitores pertinet, qui bello fortunis lapſi, aut accumulatis penſionibus & cenſibus onerati ſunt, non vero ad eos, qui ſunt ſolvendo, ac proin creditoribus vi datæ obligationis ſatisfacere tenentur. Ea pariter, quæ ſtatus in ſuis territoriis hac in re ordinarunt, pariter obſerventur. Monentur autem creditores & debitores, ut negotium amice inter ſe componant. Quod ſi fieri non poſſit, obſerventur ſequentia.

172. Capitalia creditoribus integra ac ſalva maneant, nec ulla præſcriptio ob non exactos tempore belli tricennalis cenſus aut reſtitutionem capitalium valeat. Reſtitutio tamen capitalium intra tres annos non denuntietur. Tum vero debitor intra ſeptem annos capitale vel ſimul vel per certos terminos ſolvat, vel parata

pecunia, vel, si non habeat, per dationem in solutum, relicta tamen creditori optione, quas res mobiles vel immobiles velit pro solutione accipere. Hoc tamen beneficio non gaudeat debitor prodigus, nisi alia via creditori idonee caveat. Si debitor est pauper, eodem beneficio fruatur, salvo tamen judicis arbitrio.

173. Quod jam pensiones & census non solutos concernit, de præteritis quarta tantum pars solvatur. Hæc quarta pars autem intra decem annos ab hoc recessu solvatur, ita quidem, ut singulis annis census unus antiquus, & unus novus seu currens solvatur. Si autem ante lapsum 10 annorum capitale restitueret debitor, residuum quartæ partis censuum intra tres vel quatuor annos solvat, nec ante tenetur creditor litteras obligationis debitori reddere.

174. Futuri autem census & interesse, sive sint redimibiles, sive occasione mutui sint promissi, secundum constitutiones Imperii, nec ultra quincunces, singulis annis integre præfixo termino curate solvantur. Si autem debitor esset morosus, per paratam executionem contra eum procedendum.

*Ecce hic constitutionem Imperii, quæ non tantum loquitur de morosis censuum debitoribus, aut tempore belli fortuna lapsis, sed futuros post bellum census quincunces, occasione mutui ortos, præfixo termino, etiam ante moram, jubet solvere secundum constitutiones Imperii, ex præsumpto videlicet interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, vel periculi sortis, nec ultra quam 5 pro 100: prout in Germania passim fert consuetudo: unde etiam census Germanici appellantur.*

Ne tamen per supra dictas regulas æquitatis limites excedantur, excipiuntur 1 res jam transactæ. 2 Sententiæ jam executioni datæ. 3 Census jam soluti, qui repeti non possunt. 4 Debita, ad sui bonorumque defensionem tempore belli contracta. 5 Ad reparationem prædiorum mutuo accepta. 6 A fidejussore vel expromissore soluta. 7. Extra Imperium contracta debita. In quibus proin casibus census integri etiam præteriti, si necdum sunt soluti, solvi adhuc debent. Caussæ vero piæ quoad hoc ad judicis officium remittuntur.

175. Hæc ordinatio adeo firmiter observanda, ut nulla contra eam moratoria concessa valeant, nec in futurum sint concedenda.

176. Ratione Palatinatus propter afflictum illius statum speciali medio ab Imperatore & Imperio providendum.

§ X.

## § X.

### *De circulis, corumque defenſionis apparatu.*

177. POſtquam etiam in his comitiis de liberanda Vechta a Suecorum præſidio, & epiſcopo Monaſterienſi reſtituenda, ſollicite actum, conceditur eidem epiſcopo poteſtas, moroſos circulorum ſtatus, qui ſuam quotam pro ſatisfactione militiæ Suecicæ non ſolverunt, per executionem compellendi ad ſolutionem, & mutuo acceptam ſummam compenſandi, cum refuſione ſumptuum & damnorum. 16

178. Cum poſt concluſam quoque pacem varii externi & interni tumultus & invaſiones Imperii, præſertim vero adverſus circulos Rhenanos & Weſtphalicum ſint ortæ, ne hæc porro contingant, omnesque ſtatus pace fruantur, & contra omnes externas internasque concuſſiones ſint defenſi, ſtabilita per conſtitutiones executionis ordinatio exacte impleatur. Quem in finem circularis militiæ præfectorum aliorumque officia vacantia reſtaurentur ac provideantur.

179. Si autem circuli præfectus officium ſuum negligat, ſubordinati officiales illud ſuppleant. Illius autem circuli præfectus, ad cujus requiſitionem auxilia mittuntur, directorium gerat, ſine conſilio tamen & conſenſu præfectorum circularium, qui auxilio veniunt, nihil majoris momenti ſuſcipiat.

180. Si autem quis ab ea executionis ordinatione ſe eximere, aut ei reſiſtere attentaret, aut vel in judicio aulico vel camera actionem intentaret, nullatenus audiatur, ſed a limine judicii repulſus ad paritionem adſtringatur. Subditi etiam ſtatuum & dominorum territorii ad conſervationem munimentorum & præſidiorum conferant.

181. Quantus autem debeat eſſe defenſionis & executionis apparatus, in prioribus receſſibus & ordine executionis eſt ſtatutum.

182. Nullus autem circulus ſupra ſuam quotam dare obligatur.

183. In his circularibus cauſſis majora valeant, iisque minora cedant.

184. Quia autem varii ſtatus, & in ſpecie civitates imperiales, aſſignatum ſuum quantum præſtare nolunt, niſi prius punctum moderationis matriculæ fuerit expeditum, omni induſtria in id incumbendum, ut usque ad 1 Sept. expediatur. Interim vero ſecundum antiquam matriculam conferant.

185. Cum de emendatione dictæ ordinationis executivæ, & paritate in circulis ex utraque religione mixtis, a consortibus Aug. Confessionis petita, ob brevitatem temporis concludi nihil potuerit, singuli circuli conveniant, atque conclusum ad Cæsarem & Moguntinum mittant, ut in proxima Imperii deputatione vel comitiis statuatur.

186. Quod externam conductionem in Imperio militum spectat, observanda mandata publicata, & recessus Imperii.

## § XI.

### *Confirmatio Transactionum.*

17 187. TRansactio super lite de principatibus Lauterensi & Simmerensi, inter Carolum Ludovicum Electorem, & Ludovicum Philippum comitem Palatinum ope commissionis Cæsareæ inita, confirmatur.

188. Cum in Instr. pacis *Art. XV § fin.* primogenitura in domo Hassiaca, tam ex parte lineæ Cassellanæ, quam Darmstatinæ sit stabilita, interea vero temporis in utraque linea, inter landgravium Cassellanum & Rhenofelsensem, item inter Darmstatinum & Homburgensem, circa jura primogenituræ & privativum regimen, gravis lis sit orta, hæc vero mediante commissione Cæsarea amice sit composita, ea transactio cum omnibus suis articulis per hunc Imperii recessum in vim sanctionis pragmaticæ, & legis publicæ inter contrahentes eorumque hæredes confirmatur.

189. Et ita quidem, ut non tantum ut sanctio pragmatica, sed etiam ut perpetuum statutum & pactum gentilitium in principali domo Hassiaca Cassellana observetur, atque contra eam neque in judicio neque extra illud aliquid unquam agatur, sub gravi pœna.

190. Prout etiam pœna, in Instr. pacis in contravenientes lata, innovatur.

## § XII.

### *De restituendis ex capite amnestiæ & gravaminum.*

18 191. CUm hoc punctum pro quolibet casu particulari, præsertim ubi probationes unius vel alterius partis audiri adhuc debent, in his comitiis expediri non potuerit, ad ordinarium deputationis conventum, 1 Oct. hujus anni 1654 Francofurti inchoandum,

dum, remittitur, ita quidem, ut in collegio Electorali inter tres A. C. Electores quartum votum alternativum, sed pro hac duntaxat vice, locum habeat. Cæsar quoque suos commissarios ad eundem conventum deputabit.

Utriusque religionis caussæ alternatim tractandæ suscipiantur, cum plena decidendi potestate. In casibus lequidis non diu se detineant, sed executioni protinus dentur. In illiquidis vero requisita restitutionis bene examinanda: an Instrumento pacis, Cæsareo executionis edicto, arctiori exequendi modo, Norimbergensi recessui, & in casibus, per Instrumentum non mutatis, paci religionis sint conformes, consequenter ad punctum restitutionis ex capite amnestiæ vel gravaminum pertineant.

Casus autem dubii, qui primum ex Instrumento pacis interpretationem debent accipere, componantur via amicæ conventionis, si id fieri non possit, ad proxima comitia remittantur. Quæ autem a deputatis conclusa fuerint, commissariis Cæsareis ad approbationem offerantur.

192. Caussæ, quæ universos status concernunt, a deputatis ad proxima prorogata comitia remittantur, quæ 17 Maji 1656 instaurabuntur, sine nova convocatione: atque in iis, quæ per Instr. pacis ad comitia remissa sunt ac nominatim etiam negotium capitulationis, tractabuntur.

193. Nullus status in religionis negotiis adversus alterum vel subditos vi quidquam contra Instr. pacis attentet. Sed via juris agatur: & contra gravantes mandata inhibitoria mittantur.

## § XIII.

### *De deputatione, matricula, præcedentia.*

194. ET quia vi pacis, præter totum Electorale collegium, antiquis deputatis ex principum & civitatum senatu (nempe Austriaco, Burgundico, Herbipolensi, Constantiensi, Monasteriensi, Bavarico, Brunsvicensi, Pommerano, Hasso, Weingartensi, Fürstenbergensi, Coloniensi, & Norimbergensi) ex aliis tot adjungendi sunt, quot ad paritatem ex utraque religione faciendam requiruntur, conventum est, ut deinceps memoratis antiquis deputatis ordinariis adlegantur, Altenburgicus, Culmbacensis, Mechlenburgicus, Wirtenbergensis, & unus ex comitibus VVetteravicis, & ex civitatibus Aquisgranensis & Ueberlinganus, Argentinensis 19

nensis & Ratisbonensis. Qui absque convocatione Moguntini 1 Oct. Francofurti comparebunt.

195. Circulorum directores a circulis informationem capiant in puncto moderationis matriculæ, & rei monetariæ, ut præparata sic materia in prorogatis comitiis eo facilius tractari possit. Quæ autem cuivis circulo ad bonam politiam facere videntur, ad deputatos Francofurtum mittantur.

196. Cum etiam in his comitiis variæ de ordine sessionis controversiæ inter status sint ortæ, quæ hac vice componi non poterant, statutum fuit, ut ordo sessionis in his comitiis observatus, aut subscriptionis nullius juri quidquam deroget. Offertque se Cæsar ad ejusmodi lites secundum cujusque status jura componendas.

## § XIV.

### *De novis principibus Imperii.*

197. IN his comitiis, cum consensu Electorum & statuum, ad actualem sessionem & votum in principum collegio introducti sunt, Hohenzolleranus, Eggenbergicus, Lobkovitius, pro se & suis hæredibus, postquam conditiones requisitas implerunt: uti etiam Salmensis, Dietrichsteinius, Nassovio-Hadamarensis, Piccolomineus dux Melphitanus, Auerspergius, ea tamen lege, ut ii, qui non impletis conditionibus, propter merita sua, sunt recepti, nunquam pro exemplo allegentur. Neque hoc sessionis & voti beneficium ad eorum hæredes & successores extenditur, nisi de immediatis in Imperio bonis, principe dignis, sibi provideant. Deinceps vero nemo sine actuali impletione conditionum & requisitorum, præsertim vero sine ejusmodi bonis, & consensu Electorum ac statuum, ad sessionem & votum in principum senatum admittatur.

## § XV.

### *Ratificatio & subscriptio.*

198. HÆc omnia approbat & ratificat Cæsar, appenso huic recessui sigillo Cæsareo.

199. Electores & status testantur, omnia supra dicta puncta & articulos suo consilio & consensu fuisse conclusa: sicut adhuc consentiunt, promittuntque, ea omnia sincera fide servare, & exequi.

200. In-

200. Inferuntur hic nomina & subscriptiones Electorum & statuum præsentium, & legatorum pro absentibus. Præsentes autem ex Electoribus subscripserunt, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, Palatinus, jam S. R. I. archithesaurarius: reliqui tres per legatos. Sequuntur longa serie subscriptiones principum, prælatorum, comitum, civitatum, & legatorum.

## ARTICULUS VI.

### *De Cæsareo executionis edicto & arctiori modo exequendi.*

AD annum 1648 & 49 hæc edicta pertinent. Sed quia Recessui Novissimo inserta sunt, placet hic illa breviter attingere, 20
cum toties eorum tam in recessu Norimbergensi quam Ratisbonensi fiat mentio.

In priore executionis edicto, mox post P. W. per Imperium publicato, inquit Cæsar, in Instr. pacis esse conventum, ut Cæsar edicta emittat, quibus executio omnium imperetur, quæ per pacem transacta sunt; atque ut circulorum directores ac duces restitutionem petentibus procurent. Si autem ipsorum caussa ageretur, aut interpellati auxilium negarent, vicini circulorum duces ac directores illud præstarent.

Si quis autem Cæsareos commissarios requireret, illos sine mora concedendos, ut omnia secundum Instr. pacis exequantur.

Cum igitur Cæsar pacem approbarit, atque militiæ præfectos ab armis discedere jusserit, simulque ex officio providere debeat, ut omnia executioni dentur, imperat, ut omnes, qui vi pacis aliquid restituere, cedere, aut facere debent, ad interpellationem gravati sine omni exceptione, adhuc ante commutatas ratificationes, restituant, cedant, aut faciant.

Quem in finem directoribus ac ducibus circulorum, tanquam constitutis per pacem executoribus potestas & mandatum datur, ut ipsi, vel Cæsarei commissarii implorati restituendis auxilium præstent.

Si quis autem huic ordinationi se opponeret, & restituere detrectaret, directores ac duces circulorum, vel eorum subdelegati, una cum Cæsareis commissariis, ope vicini præsidii, vel suis aut gravati viribus contra inobedientes uti possunt. Præsidiorum autem præfectis mandatur, ut non modo executionem non impediant, sed commissariis designatis assistant. *Publicatum fuit hoc edictum 7 Nov. 1648.*

Sequenti dein anno 2 Martii editum fuit alterum executionis decretum, quod *arctior modus exequendi* appellatur. In hoc memorat Cæſar, edicto executionis, priori anno publicato, non omni ex parte fuiſſe ſatisfactum: mandatque denuo, ut directores circulorum, a reſtituendis implorati, executionem promoveant ſecundum Inſtr. pacis, ſumptibus eorum, qui reſtituere aut cedere aliquid obligantur, & quidem ubi Inſtrumentum ſpecialiter diſponit, reſtitutio fiat ſecundum litteram, in ceteris ex regulis generalibus, quoad *punctum amneſtiæ* cum reſervatione jurium reſtituentis & reſtituendi, in eum ſtatum, quo ante tricennale bellum fuerunt: quoad *punctum gravaminum* vero ſecundum Inſtrumentum in poſſeſſionem anni 1624 abſque reſervatione, Inſtrumento contraria. Si vero ſuper ipſo facto poſſeſſionis dubia inciderent, ea in ipſo loco executionis ſummariſſime reſolvantur.

Qui autem Inſtrumento pacis aut Cæſareis edictis, ſive committendo ſive omittendo ſe opponerent, in pœnam fractæ pacis incidant, prævia tamen informatione directorum; qui denuo monentur, ut executionem promoveant, vi etiam, ſi opus ſit, armata reluctantes compellant, ope vicinæ militiæ. *Videri poſſunt Pfanneri hiſtoria comit. Ratisb. Köhleri hiſt. Imp. Londorpii acta publ. Theatr. Europ. Rinck. in vita Leop. Struv.*

## ARTICULUS VII.

### *Mors regis Romanorum & Imperatoris.*

21 FErdinandus III ex comitiis Ratisbonenſibus Viennam vix redierat, cum altero mox menſe domeſticum multoque funeſtiſſimum eundem fatum excepit. Quippe Ferdinandus IV filius, quem tanta providentia ſuperiore anno in regem Romanorum eligi coronarique curaverat, variolis, fatali Auſtriacis morbo, extinguitur 9 Julii 1654, ætatis 21. Stabat aula Cæſarea dolore attonita, cum triumphales pompas, queis nuper Auguſtum exceperat, pullo veſtitu ad luctum indutas conſpiceret. Morsque tam improviſa vix non ipſi etiam parenti, curis & calamitatibus fracto, vitam eripuit.

Aulæ tunc converſio ingens. Adorari tunc extemplo *Leopoldus*, ſpes una magnæ domus; jam pro Imperatore coli, qui heri ut epiſcopus Paſſavienſis neglectus. Ut autem regendi artibus imbueretur, anno 1655 Auſtriæ regentem pater renuntiaverat, adactis in ejus fidem ordinibus. Anno eodem coactis Poſonium comitiis

tiis (quinque nobilium millia affluxisse memorantur) rex Hungariæ electus, vetustis ritibus coronatus est; anno insequente Bohemiæ quoque corona insignitus.

Ferdinandus parens, ut Romanorum etiam regem faceret, missis ad Electores legatis operam dederat. Neque multum negotii fore apparebat, si pertexere telam licuisset. Sed hæc maxime molientem mors oppressit 2 Aprilis 1657, summo provinciarum & Catholicorum omnium dolore, non minus patrem amantissimum, quam principem summum, omni genere virtutum ornatissimum amissum lugentium. Quippe summa & vere Austriaca erat pietate, fide, religione, mansuetudine, constantia, sapientia. Quæ per pacem Westphalicam Protestantibus concessit, belli infelicis calamitatibus coactus concessit, censuitque, prudentius esse, aliqua, quæ recuperari non poterant, relinquere, quam plura amittere, & omnia extremo discrimini committere. Adhæc populorum sub immani pondere gementium, pacemque suspirantium lamentis ac precibus movebatur; nec tamen, licet vehementissime urgeretur, adduci unquam aut minis aut precibus Protestantium poterat, ut in provinciis suis hæreditariis alienæ religionis hominibus jus civitatis concederet.

Conjuges tres habuit, primam Mariam Annam, Philippi III Hispaniarum regis filiam, anno 1631 sibi desponsam, atque ex ea genuit sex liberos: Ferdinandum, quem regem Romanorum jam coronatum ante patrem obiisse diximus: Mariam Annam, Philippo IV Hisp. regi anno 1649 nuptam: Leopoldum, postea Imperatorem. Reliqui tres in infantia obierunt.

Altera conjux erat Maria Leopoldina, archiducis Leopoldi in Tyroli filia, quam duxit anno 1648, sed sequenti mox anno per mortem rursus amisit, relicto Carolo Josepho, qui episcopus Passaviensis & ordinis Teutonici magister obiit 1664.

Tertia Eleonora Caroli II Mantuæ ducis filia, 1651 ducta. Ex qua genuit Eleonoram Mariam, primum Michaeli Poloniæ regi nuptam, dein vero Carolo Leopoldo duci Lotharingiæ, moderni augustissimi Imperatoris avo: item Mariam Annam, Joanni Wilhelmo Electori Palatino collocatam.

# ARTICULUS VIII.

## *Gallorum & Austriacorum mutuæ querelæ.*

### § I.

### *Gallorum querelæ.*

22 POst mortem Ferdinandi III, ut Galli electionem Leopoldi archiducis, Hungariæ & Bohemiæ regis impedirent, varias contra Ferdinandum patrem domumque Austriacam Germanicæ lineæ coram Electoribus & ordinariis Imperii deputatis, Francofurti congregatis querelas proposuerunt, propter adjutos Hispanos violatæ pacis Westphalicæ eum reum agentes.

Duo maxime in hanc rem tempore interregni (quod ultra annum tenuit) scripta, seu *memorialia*, ut vocant, ab iis sunt edita.

De Hispanis non juvandis.

In primo queruntur, quod Ferdinandus III contra tenorem pacis Westphalicæ Hispanis in Belgium & Italiam frequentes copias submiserit, non consultis, sed refragantibus Imperii ordinibus. Regem Ludovicum, pacis amore & Christiani sanguinis miseratione, Cæsare ad extrema prope jam reducto, a victoriis retulisse pedem, restituisse tot urbes & munimenta, copias suas instructissimas reduxisse in Galliam, spe optima fretum, pacem, solenniter adeo, post quinque annorum laborem confectam, ad amussim observatum iri; jam vero contrarium omnino se experiri. Videri Austriam non alio fine pacem jurasse, sibi adeo proficuam, quam, ut receptis tot urbibus, superiorique Austria, atque remissis 13 florenorum millionibus, dissolutis atque rejectis a cervice sua hostibus, eam impune frangeret.

Pacem nullam stabilem fore Germaniæ, quamdiu ex domo illa Imperator assumatur: illam præteritis proxime annis Suecicis, Danicis, Polonicis, Moscoviticis, Tartaricis, Transsylvanicis bellis se miscuisse, ut Imperium bellis alienis involvat.

Petierunt denique ab Electoribus, ut decernatur 1 exercitum Austriaco-Germanicum ex Italia revocari sine mora. 2. Ducis Mantuani prætensum vicariatum abrogari. 3. Eidem duci præcipi sub pœna fractæ pacis, ut Trini urbem Sabaudiæ duci restituat. 4. Eidem investitura Montisferrati, ex Instrumento pacis debita, conferatur. 5. Ut declaretur nullitas actuum aulæ imperialis, siqui fuerint, in ducem Mutinæ. Hæc enim omnia inniti dispositioni initæ ac juratæ pacis.

In ſecundo ſcripto iterum ſe graviter læſos queruntur, ad arma tamen impelli non potuiſſe, ſpe ductos, quod pacis obſervantiam, quam in aula Cæſarea & comitiis fruſtra quæſierint, Electorum authoritate ſint obtenturi: ſecus ultimam hanc propoſitionem fore, regemque coactum iri arma corripere, & pacem Weſtphalicam vindicare.

Notorium eſſe, quoties Auſtria hanc infregerit, datamque ſacramento fidem, de mutuis hoſtibus non juvandis, de nullis Hiſpano mittendis auxiliis. Juſtum exercitum iis adductum in Italiam, exauthoratas multoties ad ſpeciem & fucum faciendum copias Auſtriacas, ut in Belgium mitti poſſint, rurſusque novis conſcriptionibus ac ſupplementis refectas, ut iterum exauthorari, & pulcro hoc prætextu mitti queant; imo militem quoque prius non dimiſſum eo abductum.

Vanum & futilem eſſe obtentum, copias in Italiam trajectas, ut Mediolanenſem ducatum, Imperii feudum, tuerentur. Quaſi vero anno 1648, quando Imperator ſe obſtringebat ad nulla, in bello tunc vertente hodieque adhuc continuante, Hiſpanis quocunque modo mittenda auxilia, Mediolanum non fuerit feudum Imperii, tunc jam impetitum a Gallo, Sabaudo, & Mutinenſi, aut Pedemontium, ab Hiſpanis toties infeſtatum, annoque 1639 totum prope occupatum, in quo Vercellenſis ditio & Trinum hodiedum ab iis inſideatur, uti etiam Mutinenſis ſtatus, non ſint æque ac Mediolanenſis ducatus feuda Imperii; cur ergo ſolius hujus protectio imperialis ſuſcipiatur, & non etiam illorum? an liceat Imperatori, vaſallis inter ſe diſſidentibus, unum & alterum privare utili ſuo dominio, cauſſa antea non cognita? an ignoretur, ducem Mutinæ bellum mere defenſivum, neceſſitate coactum, imparatum, imparemque, nihil tale ſuſpicantem, nulla cauſſa, nulla prævia belli denuntiatione ab Hiſpanis invaſum, Regio obſidione cincto, Brixello tentato, ſubditis expilatis?

Magna animi commotione ceteros Italiæ principes marchionis Caracenæ, Mediolanenſis gubernatoris, hoſtilem eam vim accepiſſe, ſede Apoſtolica vacante illatam. Sabaudiæ duci toties petitam, totieſque promiſſam inveſtituram in gratiam Hiſpanorum nunquam collatam. An convaſalli non conſentirent in mutuum auxilium?

Ultra quinquaginta armatorum millia ab Auſtriacis contra regem Galliæ Hiſpanis fuiſſe ſubmiſſa in Belgium, captis per Germaniam hoſpitationibus. Non Hiſpaniæ ſed Imperii commodis

creari Imperatorem. Cogitarent Electores tristes tricennalis belli calamitates; redituras illas in Germaniam, nisi authoritatem suam interponant, ut sanctius pax observetur.

Hanc postremam suam fore propositionem; viderent proin S. R. I. Electores, quam capitulationem eligendo Imperatori jurandam concipiant, probeque dispicerent, an Imperio expediat, gravissimum bellum in Germaniam attrahere.

Quamvis 70 annis Hispani cum Batavis, & dein etiam cum Gallia, Batavis juncta, bellum gererent, nunquam tamen Cæsares aut Imperium illi bello se miscuisse, tametsi tunc necdum exstarent pacta publica de mutuis hostibus non juvandis. Belgium tunc non minus constituisse Burgundicum Imperii circulum, nec Austriacos Hispanos minus sanguine & affinitate junctos Austriacis Germanicis fuisse; & tamen, ut tranquillitas Imperii conservaretur, cui Cæsarem natum esse oporteat; bellum illud a se alienum putasse. Quid ergo nunc, quando tot pacis vincula cohibent, se miscerent? celebratam semper antehac fuisse Germanorum fidem præsertim publicam: cur illam nunc tantopere violari Imperii ordines sinerent, ejusdem vi pacis Monasteriensis vades & vindices?

Si Maximiliani II, Rudolphi II & Matthiæ Cæsarum redirent tempora, qui (nulla licet exstante lege, nisi quam Imperii tranquillitas dictaverat) bellis externis se non miscuerunt, regem Ludovicum nulli præ Leopoldo, Hungariæ & Bohemiæ rege, consobrino suo, superantibus ætatem animi dotibus præcellenti, imperialem coronam fuisse optaturum, atque ut eam consequeretur, precibus & officiis suis promoturum. At vero, postquam nimia Hispanorum in aula Cæsarea usurpata auctoritas Imperii cum Gallia conjunctionem distraxisset, vix spem quietis fore, nisi Imperii Electores, principes & status firmiter se interponant.

Repetunt denique petitiones suas de revocandis ex Insubria copiis; de abrogando Mantuano prætenso vicariatu, & actis in Mutinensem revocandis, & concedenda illi investitura Corregii: de confirmando Sabaudo in vicariatu Italiæ, Trino eidem restituendo, & investitura Montisferrati, secundum formam, a Ferdinando II datam, concedenda, novoque ratione Hispaniæ bello, Germaniæ inferendo, præcavendo.

*Datum Francofurti 5 Martii 1658.*

Electores, ut querelis Galliæ satisfacerent, pleraque illius postulata capitulationi Cæsareæ inseruerunt.

*Austri-*

## *Auſtriacorum exceptio.*

LEgati Hungariæ & Bohemiæ regis Leopoldi reſponderunt, ſæpius ab Auſtriacis fuiſſe demonſtratum, contra jus & fas, contraque fidem, anno 1634 Francofurti a Gallis datam, quod rex nihil eorum, quæ in Imperio occupaturus eſſet, retinere velit, nihilque deſideret, quam laudem conſervatæ & protectæ Germanicæ libertatis, a Gallis poſtulari, ut Alſatia, in quantum ad domum Auſtriacam ſpectabat, Galliæ cederetur, præſertim cum tunc Alſatia non ad Cæſarem, ſed ad Leopoldi archiducis Oenipontani liberos, quibus, uti etiam parenti, nulla pars belli, pertineret. 23

Hanc nempe fuiſſe jactatam Germanicæ libertatis defenſionem, Imperii provincias occupare, dominatum per Rheni tractum exporrigere, ut Rhenani principes terrore vicinæ potentiæ redderentur obnoxii, Galliaque arbitrium Germaniæ uſurpare, & Electoribus vix non leges dictare poſſet, quem Imperatorem deberent eligere.

Quæ deinde mens fuerit Gallorum, dum omnem facultatem circulum Burgundicum, ad Imperium ſpectantem, defendendi præciſam vellent, ducatum Mediolanenſem, aliosque Italiæ principatus, jure feudi eidem ſubjectos, jam novem integris poſt pacem Monaſterienſem annis continuato adverſus Hiſpaniæ regem, intuitu Mediolani Imperii principem & vaſallum bello, ſatis ſuperque pateſcere.

Ut enim nobiliſſimos hos principatus ab Imperio avellere, ſibique poſſint adſcribere, ſolis ſibi licitum prætendere, integros e Germania exercitus conſcribere, Italicos principes, Imperii feudatarios, adverſus Imperatorem, ſuosque convaſallos concitare, ut tandem omnibus ad ſe raptis orbis monarchiam ſibi poſſint attribuere, prout nonnulli Galliæ ſcriptores præſagire geſtiant. In eum finem Servientum Galliæ legatum, deſerta urbe Monaſterienſi, pro pace cum Gallis ineunda per præliminaria pacta condicta, Oſnabrugas excurriſſe, ut articulum de non juvando circulo Burgundico extorqueret.

Fidendum non eſſe verboſis Gallorum pollicitationibus, quibus libertatis Germanicæ patronos ſe venditent. Externæ id genus protectionis, tuitionis, patrocinii nomina, hamum eſſe, quo incauti capiantur.

Non minus Imperatori & archiduci fas eſſe, exteris principibus

pibus copias concedere, quam reliquis ordinibus: nec minus Hispano conscribere in Germania milites, quam Gallo, si domini territorialis voluntas accedat, nihilque contra Imperii constitutiones agatur; nec aliam Monasteriensis Instrumenti esse mentem, prout a statibus Imperii declaratum fuerit.

Nullatenus igitur Ferdinandum III p. m. fractæ pacis postulari posse, quod Hispanos permiserit, copias a se abdicatas, aliasque in Imperio conscribere & in Belgium aut Italiam abducere ad bellum, non offensivum sed defensivum. Hoc enim permissu Cæsaris fieri posse, constitutione imperiali anno 1576 Spiræ edita expresse contineri. Factum id ab Hispano permissu Cæsaris, a Gallo eo ne quidem salutato. Neque in fraudem pacis Imperatorem juramento solutas plures post pacem confectam dimisisse copias, sed jure suo usum, imo Imperii placito; ad quid tantis impensis superfluum jam retineret militem? nunquam autem sub auspiciis & signis Imperatoris in Belgium cohortes missas, nec in Italiam, nisi postquam Mutinensis homagii fidem exuisset. Ceterum non esse Galliæ, ut se sola Instrumenti tabulas interpretetur, aut ad id extendat, quod non est comprehensum: neque frustra interjectam fuisse art. III cautionem: *salvo assecurationis articulo.* Cum igitur Mutinensis ducatum Mediolanensem suis Gallorumque armis invaserit, nec monitus destiterit, fas omnino fuisse, imo promissæ assecurationis officium eundem tueri atque protegere. Et, si id licitum sibi putet Gallus, cur non Imperatori, supremo ac directo feudorum domino?

Falsissime spargi, Hispanos in aula Cæsarea fuisse dominatos: in rebus ad Imperii statum pertinentibus nunquam oratori Hispano ullam fuisse indultam auctoritatem, nunquam ad consultationes admissum. Quam parum in ultimo bello, ac subsecutis variis pacificationis tractatibus Cæsar Hispanorum consiliis & oppositionibus detulerit, ex rerum gestarum serie satis constare. Et cur non eodem jure inferre liceret: aula Parisiensis Anglorum, Suecorum, Italorum, Hollandorum, Venetorum, imo & Germanorum legatis & internuntiis est frequens: ergo Gallici regni administratio ab eorum consiliis, & suggestionibus pendet. Quod autem Cæsar justis Hispaniæ querelis deferat, & sicut aliis justitiam ministret in rebus ad Imperium pertinentibus, neminem posse reprehendere.

Quanta fuerit miseratio humani sanguinis & Germaniæ calamitatum, quantus tranquillitatis amor, quanta in DEum pietas, inde

inde colligi, quod abſque cauſſa Rhenanas & Moſellanas Imperii urbes & provincias invaſerint, Suecis Germaniam immaniter vaſtantibus ſe ſocios adjunxerint, atque per arma id tandem evicerint, ut Catholici tot epiſcopatus, totque eccleſias earumque patrimonia in manibus Proteſtantium relinquere fuerint coacti, quin etiam ad exteros deferre: non quod rex Chriſtianiſſimus id cuperet, ſed quod domum Auſtriacam frangere, & turbatis Germaniæ rebus regnum ſuum in alienas provincias vellet extendere, pacemque ſibi opimam extundere. hinc tot enormia poſtulata, tot ambages, tot moras injectas.

Pro ceſſione Alſatiæ Auſtriacæ & præfecturæ provincialis ceſſione promiſſas abſolute archiduci Oenipontano tres myriades librarum Turonenſium; ne autem hanc pecuniam rex ſolvere deberet, extortam a quorundam ſtatuum mandatariis cautionem, non fore ſtandum promiſſo, niſi rex quoque Catholicus in alienationem Alſatiæ conſentiret.

Pace denique, Germaniæ pernicioſa, confecta, per integrum ferme annum obtineri non potuiſſe, ut copias ſuas Galli e Germania abducerent: quod forte nec tunc factum, niſi domeſticum incendium avocaſſet. Caſtra trans Rhenum necdum dominis ſuis reſtituta; injectum Rheni navigationibus frenum; duas tertias æris alieni, quo camera Einſishemienſis premebatur, necdum ſolutas; Cantones Helvetiæ, qui toto belli tempore pacem, anno 1515 initam ſervaſſent, jam in partes trahi; ipſam Portam Ottomanicam pulſari, Franciſci I & Henrici II exemplo.

Jam vero, Gallis Suecisque deberi, quod Bohemiæ regnum domui Auſtriacæ ſit factum hæreditarium, inaniſſimum eſſe figmentum. Aliud longe facturos, ſi potuiſſent. Succeſſionem illam perpetuo fuiſſe hæreditariam, nec electioni obnoxiam ſecundum B. A. niſi extincta integra utriusque ſexus proſapia. Si id, quod unus vel alter ſcriptor aſſerit, pro vero habendum, regnum Galliæ non hæreditarium ſed electivum eſſe, cum hoc Franciſcus Hotomannus, famoſus Galliæ jurisconſultus, in tractatu ſuo de juribus & libertatibus regni Franciæ ſcripſerit.

Nunquam porro eam paciſcentium Monaſterienſium fuiſſe mentem, ut, donec Gallia præcipuos Imperii vaſallos vi aut metu, arte vel Marte in partes ſuas pertraxiſſet, uti ducem Mutinenſem oblata armorum præfectura, totum circulum Burgundicum, totum ducatum Mediolanenſem Imperio eripuiſſet, omnia denique ad ſe tractura, Imperatorem, Electores, principes, & ordi-

nes Imperii devincti sint, ut tanquam otiosi spectatores domi desideant, & oscitando conniveant.

Ad postulata denique Gallorum Austriaci responderunt.

Ad 1 Abstineant Galli ab invasione feudi imperialis ducatus Mediolanensis: restituant oppida, castra, fortalitia, ad eum pertinentia: deducant milites: idem mox faciet domus Austriaca.

Ad 2. ab Imperatore Ferdinando III dux Mantuæ vicarius Italiæ constitutus fuit non absolute & simpliciter, sed secundum quid; quatenus nimirum ad castigandam Mutinensis ducis contumaciam, & tutandum ducatum Mediolanensem, exercitui in Italiam misso, nomine Imperatoris præesset.

Exemplo veterum legatorum aut præsidum, copiis absente imperatore præfectorum, mortuo jam Cæsare hæc præfectura per se expiravit. Id tamen juris nulli unquam Imperatori fuit negatum.

Ad 3 & 4 constat, statim post conclusam pacem Monasteriensem nec Sabaudum nec Gallum pactis stetisse, sed mox armis omnia turbasse.

Mantuanus, qui in statu medio se continuit, nihilque aliud in aula Cæsaris petiit, quam ut jus sibi & adversariis dicatur, audiatur denuo, satisfaciant Galli & Sabaudi pro tantis illatis interea damnis. Restituant Galli Sabaudo Pignerolum, & Susam, contra tractatum Chierascensem ipsi extorta: & omnis lis uno momento componi poterit.

Ad 5 Cæsar jus & justitiam administravit, capitulationi suæ conformiter. Non sequitur ex eo, quod Galli hoc pati nequeant, cassandum & irritandum esse. Imperator non ad leges Gallicanas, sed ad Justinianæas receptas obligatus est: juxta *L. digna vox. C. de leg. & constitut.*

Alterum dein scriptum author Austriacus typis commisit, in quo pristina ferme repetit. Nam exhibet in hoc, quo dejicienda foret Majestas Romani Imperii, si integrum foret Gallis, quemvis adversus Imperatorem & Imperium contumacem vasallum in protectionem suscipere, armisque illatis tueri, ne contra eum secundum constitutiones Imperii & antiquissimum morem procedatur.

Repetit ambitionem Galliæ, quæ nihil aliud perpetuo quærat, quam ut diruta utraque domo Austriaca, una propemodum veræ religionis arce, dominatum suum ulterius semper ulteriusque proferat. Invasam hinc retentamque, contra fidem Francofurti datam, atque sine omni caussa innocentium pupillorum, bellique penitus expertium, provinciam, quia ad Rheni

ni dominatum, ulterioresque Imperii provincias occupandas Gallis erat accommoda: objiciunt, ſub vanis prætextibus negatam promiſſam pecuniam: fœdera cum Turcis & acatholicis in perniciem religionis inita: noluiſſe Gallos cum Imperatore fœdus contra Turcam inire, ut ſemper eum in Chriſtianos incitare poſſint.

## ARTICULUS IX.

### *Quædam alia his temporibus geſta.*

CIvitas *Monaſterienſis*, ſicut jam antea Anabaptiſtarum tempore epiſcopo refractaria, ſic etiam poſtea, quamvis minori cum violentia, jugum excutere nitebatur. Quapropter Chriſtophorus Bernardus de Gahlen, Monaſterienſis epiſcopus, martialium ſpirituum princeps, poſtulabat, ut urbs præſidiarium militem admittat. Quod cum detrectaret, anno 1657 eandem obſidere cœpit. Re dein tantiſper ſuſpenſa, anno 1660 rediit, illamque expugnavit, coegitque, ut præſtito homagio ſuis ſumptibus caſtellum conſtruat, ut ſibi ipſi, quo in futurum coerceretur, frenum injiceret.

Idem epiſcopus, cum ſimul eſſet abbas Corbeyenſis, & *Höxteram* inſoleſcentem vellet compeſcere, oppoſuit ſe Rudolphus Auguſtus, dux Brunsvicenſis, protectionis, ſibi competentis, obtentu, atque præſidium militare urbi impoſuit. Admoto dein ad Brunsvigam milite, eandem expugnavit, anno 1672, & ſub jugum miſit, poſtquam ultra ſæculum libertate ſua fruebatur.

Imperator approbavit, & in tutelam S. R. I. aſſumpſit *academiam naturæ curioſorum*, quæ experitiſſimis medicis conſtans, obſervationes phyſico-anatomicas colligit, & ſub titulo *ephemerides curioſæ* ad typum promovet.

# CAPUT II
# DE
# *STATU GERMANIÆ*
# SUB
# LEOPOLDO M.

## ARTICULUS I.

### *Eligitur Imperator.*

NAtus eſt Leopoldus M. 9 Junii 1640 Auſtriacis hoc uno felici. Nam 24
eo anno & Catalonia defecit, & Luſitania novum ſibi re-

 gem

gem delegit, & cum Attrebato Taurinum Gallis cessit; neque ad pacem in Germania per Suecorum felicitatem perveniri poterat.

Gynæcei ministerio mature ereptus, primam juventutem sub institutione Ferdinandi Portiæ comitis egit, Christophoro Müllero Societatis JEsu sacerdote ad tradendas litteras & vitæ Christianæ rudimenta assumpto. Eratque, præter nativam ad omne genus religionis virtutumque studium propensionem, ea in perdiscendis disciplinis ingenii felicitas, memoriæ vero vis incredibilis, ut brevi tempore poeticam, oratoriam, historiam, philosophiam, mathesin, jurisprudentiam emensus, & terse nitideque loqueretur, & prompte subtiliterque de quovis argumento ad admirationem disputaret, doctos inter sui ævi principes facile primus.

Patre e vivis erepto septendecim duntaxat erat annorum juvenis. Nutare videbatur, velut alio declinatura, Imperii corona, commoventibus se undique veteribus novisque Austriæ æmulis hostibusque, ut fastigio tandem fastuque suo, ut loquebantur, dejecta ea gens, in ordinem redigeretur: his demum comitiis patefactum iri, num potestatis quid subsit Electorum nomini, an vero Austriæ patrimonium sit Germania. Ipsa mora comitii, quod annum fere tenuit, animos exspectantium suspenderat, verentibus amicis, ne fraudi esset Leopoldo, quod filius sit Imperatoris, & frater Romanorum regis.

*Wagner.* Mens Electorum varia: aperta inprimis quorundam in Wilhelmum Leopoldum, patruum Leopoldi, studia: Bavari inter appetentem Imperii aut detrectantem ambiguitas: excitata Gallos inter Hispanosque conciliandæ pacis contentio: nova denique, rebusque Austriæ periniqua, capitulationis formula electionem Leopoldi retardabant.

Quippe Moguntinus ex illustri Schönborniorum familia, in Wilhelmum archiducem, episcopum Argentinensem, ac Belgii gubernatorem videbatur propensior: eum esse Imperii statum, qui Imperatorem, rerum experientia probe subactum requirat. Pontificis venia e sacerdotiis Wilhelmi Cæsaream dignitatem sustentari posse. At ille, vacuum sine potentia & opibus Imperatoris nomen fore ratus, nec sufficiens piumque satis sacerdotiorum proventus eos in usus impendere, eam a se cogitationem facile amovit, atque in nepotem Leopoldum commendatione sua transtulit.

Obsistit Gallia. Galliæ oratores Gramontius & Lionæus obibant aulas, ut in Bavariæ Electorem vota flecterent; neque alieni erant Electores

res ecclesiastici, quod iis opibus esset princeps, sub quo nec ab hostibus Germania, nec Germaniæ libertas periclitaretur. At Curtius comes aulæ Boicæ præfectus vehementer dissuadebat. Divisis suffragiis collidendam armis cognatam utramque domum, & eum ex æmulis potiorem fore, qui acie vicisset: & forte non eandem fortunam fore, quæ Ludovico olim fuit in Fridericum Austriacum: ibi æquis viribus, hic cum Hungariæ ac Bohemiæ regibus, magnisque domus Austriacæ clientelis depugnandum. Et, si omnia prospere cederent, immensis sumptibus, ad sustinendam pro dignitate Majestatem, florentem provinciam exhauriendam. Consultius secundo loco consisti, quam primum cum patriæ ruina conjungi. Grandia quidem promitti a Gallis, sed hoc pacto Romanorum Imperatorem, clientelari velut obsequio devinctum, sub Franciæ regis auspiciis regnaturum: neque enim vere imperare, cujus authoritas alienum esset beneficium.

Responsum legatis ad extremum, crearent Imperatorem Electores, quem liberet, si in Bavariæ Electorem convenirent suffragia, sibi necdum satis constitutum, admittendum, repudiandumve videretur beneficium. Alienus ab eo consilio fuerat Elector, princeps sapientissimus, sed tot legatis, ut Imperium acceptaret, urgentibus, amice respondendum fuit, suspensa interim tot inter æstus sententia.

Tertium, quod electionem sufflaminabat, obstaculum fuit contentio, num Hispanos inter Gallosque ante electionem pax concilianda esset. Urgebant eam rem Galli, illisque adhærentes; rejiciebant Austriaci & Hispani cum aliquot Electoribus: eo quod hac ratione electio nimium protraheretur, non autem expediat, tamdiu vacare Imperium, capite destitutum.

Consilium igitur hoc de pace antea sancienda cum non procederet, ventum est ad quartum, illudque gravissimum contentionis momentum, ad capitulationem videlicet; cui Galli inseri volebant hæc verba: *Et ne patria novis turbis involvatur, nullo se pacto in præsentia per Italiam, & circulum Burgundicum bella ingerat; neque Imperatorio, neque Austriacæ domus nomine suppetias ullas copiarum aut nummorum adversus Franciam, ejusque per Italiam ac Burgundicum circulum fœderatos submittat.*

Electores, quorum erat litem arbitrari, utrinque distrahebantur. Moguntinus, Coloniensis, Palatinus, Gallis favebant. Trevir, Saxo, & postea etiam Bavarus ab Austriacis stabant. Prioribus tandem etiam Brandeburgus accessit, & hac electione

 legem

legem evicit, ut verba illa capitulationi infererentur. Et quamvis nuntius Apoſtolicus reprehenderet catholicos Electores, quod eo pacto in religionis injuriam Cromwello, Angliæ protectori, Gallorum ſocio, viam in catholicum Belgium aperirent, Leopoldus nihilominus, cum res mutari non amplius poſſet, capitulationem cum illa clauſula ſine exceptione acceptavit: non adeo liquidas & peremptorias eſſe legum formulas, a miniſtris ſuis perſuaſus, quin in tanta temporum, caſuumque mutabilitate refingi, aut relaxari queant. Exareſcentibus largitionibus, metuque ſublato, mitius ſenſuros, qui nunc tam obnixe id pactum eviciſſent, Electores.

Amotis itaque obſtaculis dies octava Julii electioni data. Exteris excedere juſſis, portis occluſis, viæ repagulis obductæ, plateæ & mœnia civibus occupata. Electores primum ad *Romanam*, quam vocant curiam, inde ad D. Bartholomæi baſilicam, ſuis quisque honorum inſignibus agmine progreſſi, rite invocato numine, conclave ſubeunt, Leopoldum in regem Rom. eligunt, 18 ætatis annum tunc agentem, & poſtquam deſcriptis ſibi pactis ſtaturum ſe recepiſſet, eundem in aram ſublime elatum publica acclamatione Imperatorem ſalutant, plus quam centum tormentorum, & muſicorum inſtrumentis feſtivam lætitiam atteſtantibus. Et ne Electores novis in Aquisgranenſe iter ſumptibus gravarentur, accerſitis Norimberga Imperii inſignibus, coronatio peracta.

## ARTICULUS II.

### *Capitulatio Leopoldo Imperatori propoſita, & ab eo ſubſcripta anno 1658, in compendium reducta*

25 In proemio ait Leopoldus, ſe ex libera & clementi voluntate per viam pactorum ſequentes articulos transegiſſe & promiſiſſe. Quorum, cum a priorum Imperatorum capitulationibus in pluribus ſint diverſi, ſynopſin apponere viſum. Promittit igiur Cæſar,

1. Quod Chriſtianitatem & ſedem Romanam, ſummum Pontificem, & Chriſtianam Eccleſiam, tanquam ejusdem advocatus, in bona ac fideli protectione ac tutela ſit conſervaturus, uti etiam in S. R. I. pacem & unitatem, adminiſtraturus decenti modo & forma omnibus juſtitiam, pauperi ſicut diviti, abſque reſpectu perſonarum, ſtatuum, dignitatum, religionum, etiam in pro-

propriis cauſſis, & domum ſuam concernentibus, juxta conſtitutiones Imperii, privilegia, & antiquas laudabiles conſuetudines.

2. Bullam Auream cum extenſione ad octavum Electoratum; quæ in diæta imperiali anno 1555 circa ſecuritatem provinciarum ſunt concluſa, ac poſtea per receſſus Imperii ſæpius confirmata, præcipue vero Monaſterio-Oſnabrugenſe inſtrumentum pacis, & Norimbergenſem executionis receſſum, & quæ in proxima diæta Ratisbonenſi fuerunt concluſa, & in futuris diætis concludentur, firmiter ſit obſervaturus, neminem contra ea gravaturus, & omnes illos, qui contra dictum inſtrumentum pacis, & inibi permiſſas religiones, quidquam ſcribent, aut typis evulgaverint (veluti ex quo fonte ſolum rebelliones, diſſenſiones, diffidentiæ ac rixæ in Imperio concitantur) prout par eſt, puniturus, ſcripta & impreſſa caſſaturus, omnesque contra dictam pacem editas proteſtationes & contradictiones rejecturus.

3. Promittit, nationem Germanicam, S. R. Imperium, Electores, uti præcipua ejus membra, juxta tenorem A. B. nec non alios principes, prælatos, comites, dominos ac ſtatus, una cum immediata Imperii libera nobilitate in ſuis prærogativis, eccleſiaſticis & ſæcularibus dignitatibus, juribus, jurisdictionibus, & alias quemvis in ſuo ſtatu & bonis tueri, nec ſine præſcitu aut conſenſu Electorum, principum, ac ſtatuum, quemquam ſua ſeſſione, & voto, quod hactenus in Imperii comitiis habuit, ſuſpendere aut excludere.

Præterea omnes in ſuis privilegiis, juribus, conſuetudinibus, ad decentem inſtantiam, ſine ulla denegatione ac remora, in optima forma confirmare, ac protegere: nulli contrarium privilegium concedere: &, ſi tale conceſſum fuiſſet, quod in inſtrumento pacis non fuerit ratificatum, totaliter caſſare: neque ullius ſtatus ſubditos, landſaſſios, aut alio jure obligatos, ab ejus jurisdictione, ſteuris, decimis, aut aliis communibus oneribus ac debitis ſub quocunque colore eximere, aut aliis id permittere.

Neque conſentire, ut ſtatus provinciæ diſpoſitionem de ſteuris privative ad ſe trahant, ſine conſenſu domini conventus inſtituant, aut onera ſubterfugiant: & ſi tales landſaſſii contra hæc ad Cæſarem, aut judicium ejus aulicum recurrerent, eos ad ſuum principem aut dominum remittere, omniaque alia eorum contra dominum territorialem attentata pro irritis & caſſis declarare.

4. Præcipue vero duci Sabaudiæ in perſona legitimi ſui procuratoris comparenti promiſſam in pace Monaſterienſi inveſtituram

Montis-

Montisferrati, ficut a Ferd. II conceffa fuerat, abfolute fine mora impertiri, & apud Hifpaniæ regem intercedere, ut urbem Trini eidem extradat, atque duci Mantuæ mandare, ut nullam in ducatu Monferatenfi jurisdictionem exerceat, neque vicariatum Imperii in Italia prætendat.

5. Cumque exteræ quædam refpublicæ, acfi regibus effent æquales, præcedentiam ante electorales legatos prætendant, Cæfar hoc non permittet, fed proximum regibus locum iftis attribuet. Neque permittet, ut exteri legati cum armata cuftodia per plateas incedant, aut rebus Imperii fe mifceant. Providebit infuper, ut Electoribus ab antiquo continuata & alias competens dignitas ac prærogativa confervetur, atque ut Imperii comites ante alios comites & Cæfaris camerarios & confiliarios incedant.

6. Concedit, ut feptem Electores jufta ex cauffa convenire poffint ad confultandum, fecundum tenorem B. A. & approbabit confœderationes communes, & fpeciales Rhenanas. Liberum pariter eft aliis Imperii ftatibus, circulariter vel collegialiter convenire, aut etiam perpetuas confratrias erigere.

7. Contra vero caffabit & prohibebit omnes fubditorum & lanfaffiorum coitiones, fœdera, confpirationes adverfus fuos principes aut dominos. Sicut etiam ftatibus permiffum eft, fe ac jura fua, etiam cum affiftentia vicinorum ftatuum, contra fubditos tueri. Si vero controverfiæ juridice deducantur, quamprimum expedientur.

8. Nullæ litteræ concedentur, quibus, ut olim a Cæfaribus factum, aliqui ex mediatis Imperii fubditis fiant immediati, aut ex immediatis mediati, neque externis, uti per Bullam Brabantinam factum, aliqua in Imperii immediatos aut mediatos fubditos privilegia aut jura vel protectionis litteræ concedentur. Et, cum quidam exteri urbes quasdam & loca, ad Imperium fpectantia, præfidiis fuis occupatas teneant, curandum, ut liberentur, & in ftatum priftinum reponantur. Decem Alfatiæ quoque civitates, extra jus præfecturæ provincialis, ficut alii ftatus immediati, Imperio maneant incorporatæ.

9. Cum exteri potentes Imperii fubditorum rebus fe mifceant, fub prætextu Hanfeatici fœderis, vel alio fimili, eorumque uniones confirment: inftrumentum vero pacis folis ftatibus Imperii confœderationes & ligas permittat, non autem eorum fubditis, fed ipforum defuper obtenta privilegia revocet, Cæfar huic attentato obviam ibit, nec concedet, ut contra Imperii conftitutiones mediati fubditi ullas cum exteris confœderationes, protectiones,

garan-

garantias erigant, erectas vero abrogabit, aut saltem intra limites Cæsareæ concessionis, si adhuc in manibus sit, constringet, & in contumaces, qui adversus suos dominos territoriales ad exteros recurrent, severe animadvertet.

10. Neque Cæsar in negotiis Imperii ullas confœderationes faciet sine consensu statuum. Si vero publica salus & utilitas majorem festinationem requireret, septem Electorum collegialem consensum prius obtinebit, donec ad Imperii conventum negotium referre possit. Si autem ratione hæreditariarum suarum provinciarum est initurus fœdera, id sine damno Imperii fiet, & juxta Instrumentum pacis.

11. Si quid alicui non de jure sed de facto ereptum sit, aut secundum pacem VVest. edictum executivum, arctiorem modum exequendi, aut Norimbergensem executionis recessum, restituendum, necdum sit restitutum, unumquemque juvabit, ut sua vel sibi debita consequatur. Ipse quoque Cæsar, si quid restituendum habeat, quamprimum restituet.

12. De Imperio ejusque appertinentiis sine consensu collegiali Electorum non tantum nihil donabit, hypothecabit, oppignorabit, aut alia quavis via alienabit, aut gravabit: sed omni insuper studio curabit, ut, quæ Imperio decesserunt, & in exterorum manus indecenti modo sunt delapsa, quamprimum recuperare. Circulorum quoque reintegrationem promovebit. Præcipue vero, quia innotuit, aliqua magni momenti dominia ac feuda, ad Imperium spectantia, in Italia & alibi fuisse vendita, specialem inquisitionem desuper instituet, & informationem ad cancellariam Moguntinam, ut reliquis Electoribus communicetur, intra annum transmittet, atque in his omnibus cum consilio & assistentia Electorum, & pro re nata reliquorum etiam statuum peraget, quod conclusum fuerit. Quia etiam Melitensibus, ultimo præsertim bello Hollandico, multa in & extra Imperium fuerunt erepta, curabit Cæsar, per amica media eorum restitutionem promovere. Si etiam Cæsar aliquid de rebus Imperii absque justo titulo adquisiisset, spondet illud restituere. Quod Ferd. Carolus archidux ratione Alsatiæ prætendit, in proxima diæta reassumetur.

13. Cum vicinis Christianis principibus pacem colet, nec quocunque prætextu bellum aut lites in vel extra Imperium incipiet sine statuum vel saltem Electorum consensu; sine quo neque copias in Imperium ducet. Pacem VVest. servabit: ac proin coronæ Gallicæ præsentibus & futuris *exteris* hostibus sub nullo colore aut

prætextu, vel sub quavis controversia & belli caussa, arma, milites, commeatum subministrabit: neque transitum permittet militiæ, adversus pacem VVest. acturæ. Sicut vicissim Gallia respectu Imperii obligatur. Atque sic Cæsar etiam, in quantum circulum Burgundicum, & bellum in eo *tunc, tempore pacis initæ existens, & adhuc durans*, concernit, dictæ paci VVest. se conformiter geret: nec aliis copiis transitum ad id permittet. Si autem Cæsar aut Imperium invaderetur, tunc cujusvis auxilio uti potest, ita tamen, ut in statuum provinciis nulla nova fortalitia exstruat, nec antiqua renovet, nec ullum statum contra constitutiones Imperii hybernis gravabit.

14. Nullatenus se miscebit in bella, quæ in Italia & circulo Burgundico *nunc* geruntur. Neque ut Imperator, vel ut archidux ratione suæ domus contra Galliam ejusque fœderatos in Italia aut circulo Burgundico sub ulla caussa militibus, pecunia, armis, aut aliis opem ferat aut assistet, ea tamen conditione, ut vicissim neque Gallia aut ejus fœderati Imperii aut Germanicæ domus Austriacæ, aut cujusvis status hostibus ullo modo auxilium præstet, ita, ut omnia reciproce observentur: hac tamen addita declaratione, ut, si status aliquis Imperii hostiliter ab aliquo impeteretur, Galliæ assistentiam aut ejus fœderatorum implorare liceat. Curabit autem Cæsar, ut pacis officia inter bellantes coronas interponat.

15. Status & nobilitatem immediatam nulla vi afficiet, nec alios permittet; sed lites omnes per viam juris tractentur & ad Imperii tribunalia secundum Imperii constitutiones remittantur. Neque concedet, ut prædationibus, arrestis, novis exactionibus molestentur, qui jure ordinario experiri volunt.

16. Si necessitas exigeret, ut cum consensu Electorum conscriberetur exercitus, illum citra eundem consensum non educet extra Imperium, sed pro illius & læsorum statuum defensione applicabit. Si autem a Cæsare vel aliis miles pro exteris conduceretur in Imperio, curabit, ne quis ejusmodi conscriptione, transitu, hospitiis, aut alio modo contra constitutiones Imperii gravetur. Ceterum nulli statui Imperii vel incolis prohibetur, apud exteros servitia militaria suscipere, modo non contra Imperium aut ejus membrum dirigantur.

17. Non onerabit status sine necessitate exactionibus. Qui vi pacis provincias permutare debuerunt, nullam pro hac vice cancellariæ aut investituræ taxam solvent. Contributiones non aliter,

ac juxta Instrumentum petet, neque aliter, quam pro Imperio applicabit. Comitia extra Imperium nationis Germanicæ non indicet, nec sine consensu Electorum. Nulli suam contributionis quotam in præjudicium aliorum remittet vel minuet, minus permittet, ut status aliquis ab exteris eximatur.

18. Neminem ab ordinariis judicibus suis evocabit. Quemlibet in sua immedietate, privilegiis de non appellando & evocando, apud primam instantiam & ordinarios immediatos judices, cassatis omnibus, hucusque in contrarium factis, relinquet; multo minus per judicium aulicum aut camerale præjudicari patietur.

Cum etiam status a longo tempore contra Cæsareum aulicum judicium Rotwilense, VVeingartense aliaque Sueviæ provincialia, varia gravamina proposuerint, ideoque etiam in Instrumento de iis abolendis mentio seu ansa fuerit data, curabit Cæsar, ut, donec in proximis comitiis ea de re certi quid fuerit statutum, excessus & abusus cassentur, status vero in suis exemptionis privilegiis (non attento, quod prætendantur esse cassata) manutenebit.

Præterea cuilibet liberum esto, a prædictis judiciis ad aulam Cæsaream vel tribunal Spirense appellare. Cum etiam in caussis supremæ territorialis jurisdictionis, & regalium, in specie juris collectandi, ad nudam instantiam subditorum, mandata cum- & sine clausula decernantur, antequam status desuper debite audiantur, ordinabit Cæsar, ut status ante omnia audiantur; quo omisso liberum illis erit, ejusmodi mandatis nullam præstare paritionem.

19. Proponitur hic querela contra curiam Romanam, quod per gratias, rescripta, annatas multiplicatas, reservationes, dispensationes, resignationes præbendarum, quæ alias per obitum ad sedem Romanam non devolvuntur, per coadjutorias prælaturarum electivarum & præbendarum, vel aliis viis, cum detrimento episcoporum, capitulorum, cleri, juris patronatus, contra Concordata Germaniæ & data privilegia indesinenter agatur. Unde Imperator cum consilio statuum hæc diverti & præcaveri apud summum Pontificem curabit, ut Concordata, privilegia & libertates conserventur, & abusus abrogentur in comitiis, vigore tractatus Augustani de anno 1530.

Tollet pariter abusus, per quos alicubi caussæ civiles ad Nuntios Apostolicos, vel etiam Romam trahantur, & fiscalibus judicii aulici & cameralis injunget, ut contra partes, advocatos, procuratores, notarios, in posterum simile quid attentantes, ex officio procedant, & animadvertant.

20. Abrogabit magnas mercatorias ſocietates, monopolia, uſuras; nec monopolii jura deinceps concedet, & obtenta revocabit, utpote Imperio, ejusque incolis & ſubditis damnoſa, atque conſtitutionibus Imperii contraria. Providebit etiam, ne merces prohibitæ exteræ manufacturæ ex circulo Burgundico inferiori in Imperium admittantur.

21. Nullum telonii jus de novo concedet, neque antiquo augeri patietur aut prorogari; nec ipſe eriget, niſi prius vicini ſtatus deſuper ſint auditi, & unanimis conſenſus collegialis Electorum accedat: cum quibus Cæſar tum demum nova indulgebit, ſi antiqua, legitime obtenta, quæ ſalva eſſe debent, nullum inde detrimentum patiantur. Idem judicium eſto, ſi nomine ſtapulæ aut depoſituræ in perniciem commerciorum pallientur.

22. Cum præterea gravis querela ſit, quod plures civitates noviter per arreſta, & alia coactiva media, in Imperio prohibita, ſub portis, aut aliis locis, in & extra urbes, advenientes, vel diſcedentes, aut tranſeuntes merces, frumenta, vina, ſalia, animalia, & cetera certis exactionibus, ſub vocabulo acciſiorum, ſtationis, juris fori, portarum, pontium, viarum, mercaturæ, ærarii platearum, nummorum centenariorum, aliorumque ſimilium, aggravent, quæ omnia nihil aliud in effectu quam nova telonia important, imo ſæpiſſime altius aſcendunt, cum gravi vicinorum ſtatuum, ſubditorum, mercatorum, ac commerciorum damno:

Ideo Cæſar certam deſuper informationem hauriet, illaque abrogabit, contra transgreſſores rigoroſe procedendo: licitumque ſit ſtatibus, ſe a talibus oneribus, prout poterunt, liberare. Per quod tamen non prohibetur civitatibus immediatis, ne ſuos concives de conſumptibilibus moderata taxa onerent, prout ante belli motus conſueverunt.

23. Curabit, ut Electores, eorum ſubditi, ſervi, familiares, aliæque perſonæ exemptæ earumque bona novis, auctis, aut prorogatis teloniis non graventur; ſed ubique iis, eorumque bonis & mercibus, ſine ſolutione telonii liber tranſitus relinquatur: atque ut ſpecialibus reverſalibus ad hoc ſe Electoribus obliget: nec ſine talibus litteris nova telonia concedentur, nec antiqua augeantur, aut prorogentur.

24. Si nova telonia erigerentur, Electoribus præjudicioſa; hæc cauſſa non ad cameram, ſed ad tribunal aulicum Cæſaris pertineret.

25. Cum Electorum telonia variis & multis exemptionibus fuerint

fuerint imminuta, Cæſar iſtas tollet, & in poſterum nullas concedet amplius, & eas, quæ durante bello conceſſæ ſunt, irritas declarabit.

26. Si ſtatus ratione regalium, immedietatis, privilegiorum, jurium, damnum paſſus, cum adverſario ad legitimum proceſſum devenerit, Cæſar eum non impediet, nec cauſſam iſtam, ſicut nec alias in camera pendentes, avocabit, ſed juſtitiæ liberum curſum relinquet.

27. Statibus & liberæ nobilitati, ſi eorum vaſalli feloniæ rei eſſent, liberam bonorum confiſcandorum diſpoſitionem relinquet, nullatenus vero fiſco Cæſareo applicabit, aut alios vaſallos obtrudet. De bonis etiam allodialibus territoriales ſtatus, jure fiſci gaudentes, diſponere permittet de eorum confiſcatione.

28. Non permittet, ut ſtatus aliquis Imperii, aut alius ſine legitima cauſſa inauditus, & absque conſenſu Electorum, qui in facto non ſint participes, in bannum ac rebannum declaretur; ſed ordinarius proceſſus obſervetur. Si vero factum plane notorium eſſet ac publicum, pacisque violator in facinore de facto contumaciter perſeveraret, non adeo particulari opus foret proceſſu; in poſterum tamen ad actualem banni declarationem non procedetur, donec negotium Electoribus non intereſſatis fuerit communicatum: & ſine illorum expreſſo conſenſu non publicabitur.

29. Poſtquam Imperium ſummopere fuit diminutum, & plures Imperii collectæ ad certas manus devenerunt, Cæſar eas ad Imperium reducet, certamque deſignationem, in quorum manibus ſint, intra ſex menſes ad cancellariam Moguntinam mittet; nec permittet, ut maneant ab Imperio abſtractæ, niſi doceatur, quod cum unanimi ſeptem Electorum conſenſu fuerint detractæ.

30. Si feuda per obitum aut delictum fuerint caduca, & Cæſari atque Imperio aperta, uti ſunt principatus, comitatus, civitates, absque conſenſu ſeptem Electorum nemini amplius conferentur, aut ulla exſpectativa deſuper concedatur, ſed pro ſuſtentatione Imperatoris ac ſucceſſorum Imperio incorporabuntur: ſine præjudicio tamen hæreditariarum domus Auſtriacæ provinciarum. Litteræ quoque feudales & exſpectativæ ſuper feudis Imperii, quæ in alia, quam Cæſarea imperiali cancellaria, & ſine Electorum conſenſu in poſterum conceſſæ forent, eo ipſo ſint invalidæ.

31. Curabit Cæſar, ut feuda Imperii, ubicunque ſita, conſerventur, decenter ſuſcipiantur ac renoventur, & tam feuda quam vaſalli adverſus omnem violentiam protegantur. Si etiam ullum

ad Cæſarem ſpectans reperiretur, illud pariter faciet ſuſcipi, vel, ſi id apte fieri non poſſit, deſuper Electoribus pro ſecuritate Imperii decentes reverſales ſeu recognitionem dabit.

32. Si in futurum aliqua dominia, Imperio ſervitiis, ſteuris, collectis, obligata Cæſari obtingerent, vel actu talia poſſideret, vel cum conſenſu Electorum alteri conferrentur, de iis Imperio ſua jura, collectæ, & aliæ obligationes præſtabuntur in illo circulo, ad quem antea pertinuerunt, non obſtante ulla prætenſa exemptione.

Poſtquam etiam diverſi ſtatus Imperii multipliciter conqueſti ſunt, quod in controverſiis, cum domo Auſtriaca vertentibus hactenus nullam juridicam deciſionem obtinere potuerint, providebit Cæſar, ut auſtregæ concedantur, coram quibus ambæ partes audiantur, & juſtitia adminiſtretur.

33. Cumque in Imperio multi defectus ratione monetarum irrepſerint, illos quamprimum cum conſilio ſtatuum præcavebit & in firmum ordinem reducere curabit, conſideratis mediis, in comitiis anni 1603 aliisque propoſitis, & aliis proficuis.

34. Nemini deinceps jus monetandi concedet; iis vero, qui hoc regale ab Imperatoribus cum conſenſu Electorum non obtinuerunt, aut obtento abuſi ſunt, illud inhibebit. Contra civitates vero mediatas & alios, qui Electoribus, principibus, ac ſtatibus immediate ſunt ſubjecti, domini territoriales procedant, atque jus monetandi illis totaliter auferant, ſi ſimiles defectus apud eos fuerint deprehenſi.

35. Gravamina, contra poſtas allata, ad proxima comitia differuntur, ſtatueturque ſecundum ordinationem anni 1641, quod generale ſupremum Imperii poſtarum officium in ſuo eſſe conſervetur, pro ejus diminutione nihil attentabitur, aut permittetur, &, cum eo generalis Imperii poſtæ magiſter ſit infeudatus, contra omnia, a Cæſareæ aulæ poſtæ officio attentata, manuteneatur, & tam in præſentia Cæſaris & aulæ, quam in abſentia, in quieta receptione, deſtinatione, & diſtributione advenientium & diſcedentium litterarum & faſciculorum erga condignam mercedem maneat. Et, ſi quid contra hæc, & dictum Imperii receſſum ullo modo aut via conceſſum fuit, hiſce omnino caſſatur.

Vice verſa hæreditariarum Cæſaris provinciarum aulicum poſtæ officium in ſua, de anno 1624 obtenta inveſtitura, ac deſuper a generali Imperii poſtæ magiſtro emanatis reverſalibus, quoad hæreditarias provincias illæſum maneat, & in his manuteneatur.

36. Nullam

36. Nullam in imperiali dignitate succeſſionem hæreditariam prætendet, aut prenſabit, ſed Electoribus integram poteſtatem relinquet libere eligendi Romanorum regem, juxta tenorem Aureæ Bullæ, quotieſcunque id neceſſarium aut utile Imperio judicaverint, etiam ſuperſtite Imperatore, cum vel ſine ipſius conſenſu.

Vicarii Imperii, caſu occurrente, in ſuo ſeparato conſilio quoad cauſſas imperiales pacifice maneant, & plane inturbati. Neque permittet Cæſar, ut vicariatus, aut eorum jura ab ullo diſputentur, aut impugnentur: & quidquid contra attentatum fuerit, irritum eſto.

37. Coronam regis Rom. quamprimum ſuſcipiet, & omnia in eo actu præſtabit, ut decet, omnesque & ſingulos Electores invitabit ad exercendum ſuum officium: &, quæ ob ortas inter ambos Electores, Moguntinum & Colonienſem, ratione coronationis, controverſias, jam dudum amicabiliter transacta ſunt, confirmet. Pro hac vero vice (cum Aquisgranum ob nuperum incendium non ſit locus idoneus) Coloniæ coronatio paragetur.

38. Cæſar contra hanc capitulationem, A. B. conſtitut. Imperii, earum in futurum meliorationes, Profanam, Religioſam, Weſtphalicam pacem, Norimbergenſem executionis receſſum, ordinationes camerales, aliasque leges, factas aut ab Imperio faciendas, nulla reſcripta, mandata, aut commiſſiones concedet, quocunque modo & via; neque ipſe aliquid contrarium faciet; & ſi fieret, irritum eſto.

39. Omnium ſtatuum & immediatæ nobilitatis legatis maturam audientiam & expeditionem dabit, iisque ſua privilegia confirmabit, feuda & inveſtituras ſecundum tenorem priorum ſine contradictione (remiſſis controverſiis ad deciſionem juris) concedet ſine mora. Nec duci Mutinenſi, quod in bello ſe Galliæ adjunxerit, ſuper inveſtiendo Correggio præjudicabit, modo ſe juribus feudi conformiter qualificet, & niſi alia legitima exceptio ſit præ manibus. In rebus magni momenti, Imperium concernentibus, Electorum, & pro re nata aliorum etiam principum & ſtatuum conſilio utetur: ac ſine illis deſuper nihil ordinabit.

40. Conſilium ſecretum, aulicum, & militare, ex perſonis principum, comitum, nobilium, & aliorum, nationis Germanicæ, qui ſint conſtitutionum imperialium experti, honeſtæque vitæ, nullique externo principi ſpeciali juramento obſtricti, nullamque in Imperii collegiis ſeſſionem & votum habeant: non vero ſolum ex ſuis ſubditis & vaſallis. Idem de conferendis officiis Cæſareis promittit:

mittit: ſimulque cancellariam imperialem, quoad vice-cancellarium, ſecretarios, protocolliſtas, aliasque ad cancellariam pertinentes perſonas, Electori Moguntino, ad quem tanquam archicancellarium per Germaniam ſpectat, conſtituendam relinquet, &, ſi quid contrarium præceſſerit, in conſequentiam non trahet: quodque in poſterum contra fiet, invalidum habebitur. Atque in aula juſtitia eo citius adminiſtretur, non alium in præſidem ſeu vicepræſidem deputabit, quam Germanum poſſeſſionatum.

41. Ordinatio conſilii aulici firmiter ſervetur, niſi in futuris comitiis aliter diſponatur. Præſidi, Imperii vice-cancellario, utpote reali conſiliario aulico, vice-præſidi, aliisque conſiliariis aulicis ſalaria ſua exacte & integre Cæſar ſolvet.

42. Non obſtabit Cæſar, quin judicium aulicum ſecundum Inſtrumentum pacis a Moguntino viſitetur, nec permittet, ut conſilium ſuum ſecretum negotiis Imperii, quæ ad conſilium aulicum ſpectant, ſe immiſceat, aut ullo modo turbet; &, quod ſemel decretum in judicio contradictorio cum debita cauſſæ cognitione & ordine juris deciſum fuerit, firmum maneat, nec alibi, niſi per viam ordinariam reviſionis, impartialibus conſiliariis aulicis, qui priori ſententiæ non interfuerunt, committendæ, de novo cognoſci, nec executio impediri debet.

Pendentes autem cauſſas a judicio aulico non avocabit, nec proceſſum impediet aut ſuſpendet. Neque obſtabit, quo minus Moguntinus nonnullas querelantium ſtatuum cauſſas (etiamſi ſecretos aut aulicos conſiliarios concernant) in Electorali vel aliis (pro illarum natura) Imperii judiciis poſſit proponere, ac deliberationi ſubjicere; neque alias ejus archi-cancellariatui, aut Imperii directorio modum præſcribet, aut ullum ſtatum in cauſſis, quæ præviam cognitionem requirunt, per ſua decreta, vel per ſecretum conſilium gravabit.

43. Non permittet in negotiis Imperii alia lingua uti, quam germanica aut latina, niſi extra Germaniam, ubi aliæ linguæ ſunt in uſu. Conſilium tamen aulicum ſemper germanica aut latina lingua utatur.

44. Curabit, ut expeditiones gratioſæ & diplomata in nulla alia quam imperiali cancellaria fiant, ſoluta taxa, prout ab antiquo obſervatum, ſecus pro irritis habenda. Principum aut comitum dignitatem iis ſolum conferet, qui ante alios bene meriti, in Imperio poſſeſſionati, media habent, talem ſtatum pro dignitate ſuſtentandi.

Nemi-

Neminem vero ex illis principum aut comitum, ſine horum conſenſu, ſcamno ad ſeſſionem & votum inſeret, niſi prius principe aut comite dignis bonis ſe qualificaverit, & ad collectas tali ſtatu dignas in circulo, cui adſcribitur, præſtandas adſtrictus, atque præter hæc omnia Electores, & ſcamnum illud, cui adſcribitur, ſufficienter fuerint auditi. Denique ejusmodi admiſſio ſine ullius præjudicio fiat.

45. Quia neceſſaria ſuſtentatio officialium imperialis cancellariæ multum decreſcit, eo quod taxa frequenter remittatur, aut minuatur, quodque ſuper Cæſareis conceſſionibus privilegiorum, ſtatus exaltationis, aliarumque gratiarum diplomata non redimantur; hinc remiſſio aut moderatio taxæ, cançellariæ debitæ, a ſolo archicancellario Imperii dependeat, ii vero, qui Cæſareas gratias impetrant, & inter tres menſes diplomata deſuper apud cancellariam non redimunt, conceſſis gratiis ſe jactitare, aut iis uti non permittantur, & conceſſiones ipſo facto ſint caſſatæ, atque fiſcalis Cæſareus contra omnes, qui ſine Cæſarea vel Palatinorum conceſſione, ſtatus exaltatione, nobilitatione, titulo conſiliarii, vel alterius prædicati denominatione ſe jactitant, vel arma, aperta ſeu clauſa caſſide, ſibi formant, ad pœnam procedat.

46. Quia porro Cæſari incumbit præcipue S. R. I. Electores, tanquam intima ſua membra, & capitales Imperii columnas, ante omnes in ſpeciali ſumma veneratione tenere, providebit, ut, quando eorum legati aut officiales hæreditarii in Cæſarea aula adfuerint, ipſi ſemper, ac præſertim, quando in electione vel alias imperialis curia celebratur, debito colantur reſpectu, ipſisque per Cæſareos aulicos nullatenus præjudicetur; vel ſi ob eorum abſentiam vices per Cæſareos aulicos ſupplendæ forent, Electorum loca tenentibus, & officialibus hæreditariis abſentibus nihilominus ſemper talibus officiis obvenientia emolumenta, non minus, ac ſi perſonaliter iis functi eſſent, cedant, nec, prout hactenus factum, ab officialibus aulicis ſubtrahantur.

47. Ut autem Cæſareum ſecretum & aulicum conſilium, nec non camera Spirenſis hujus capitulationis debitam habeant notitiam, & juxta illam dirigantur, non ſolum eandem ipſis Cæſar proponet, ſed etiam juramentum deſuper eis imponet, illam, in quantum quemlibet concernit, accurate obſervandi, nihilque contra agendi, nec conſulendi.

Hæc omnia & ſingula Leopoldus promiſit ſub regio ſuo honore, dignitate, & verbo veritatis, præſtito corporali juramen-

to ad DEum & sancta Evangelia, nullasque exceptiones, dispensationes, absolutiones, canonica & civilia jura contra illa sibi prodesse voluit.

Datæ Francofurti 18 Julii 1658.

*Observatio.*

AD ea, quæ articulo 1 de advocatia & defensione summi Pontificis ac Romanæ Sedis, & art. 19 de Concordatis Germaniæ, cum summo Pontifice initis, antiquissimo more Catholici Electores proposuerunt, Saxo, Brandeburgus, & Palatinus Cæsarem noluerunt obligare, nec consentire; hinc Cæsar declaravit & promisit, se per dictam advocatiam Paci Religiosæ & Osnabrugensi nolle præjudicare, sed parem protectionem iis præstiturum.

Contra articulum 4 dux Mantuæ protestationem opposuit, in qua conqueritur, Electores, inscio nec citato Mantuano, Trinum urbem & vicariatum Italiæ duci Sabaudiæ contra notoriam justitiam adjudicasse. Mantuanum non noviter vicariatum sibi attribuisse, quin potius totum contrarium antiqua & nova testari diplomata, & investituras, continuatis temporibus marchionibus Montisferrati, & ducibus Mantuæ concessas: adesse vetustissima in hanc rem decreta & statuta Mantuæ, historiarum monumenta &c.

Nec propterea se læsum queri posse Sabaudum; integrum enim esse Cæsari & Rom. Imperio, plures constituere vicarios perpetuos, prout in ducibus Mediolani aliisque priore sæculo sit factum. Neque per pacem Monasteriensem juribus Mantuani fuisse derogatum, cum se referat ad tractatum Chierascensem & Ratisbonensem, quæ conditionem adjecerit, si inter ducem Sabaudiæ & ducem Nivernensem fuerit conventum; hanc autem conditionem nunquam fuisse impletam.

Denique suppliciter rogat legatus, damnosum decretum revocari, totumque negotium ad judicium aulicum, in quo pendet, remitti, reducendo illud ad terminum juris & justitiæ; hoc nisi fiat, solenniter protestatur & declarat, nunquam ducem Mantuæ assensurum, & clementiori tempore pro dicta remissione acturum, rogatque, præsentem protestationem in acta collegii electoralis, aut etiam S. R. I. redigi, & testimoniales ad æternam rei memoriam concedi.

*Datum Mantuæ* 28 *Julii* 1658.

Quæ art. 22 de Ferdinando Carolo archiduce Oenipontano ratio-

ratione Alſatiæ dicuntur, concernunt ea, quæ in pace Monaſterienſi de illius ceſſione, facta ſub conditione, ut Gallia tres milliones librarum archiduci ſolvat, & partem debitorum. Quæ necdum ſoluta querebatur.

Quod vero art. 39 de duce Mutinenſi habetur, inde eſt, quod Hiſpanus Corregium occupatum teneret.

Menſe dein ſequenti ejusdem anni 1658 Moguntiæ a pluribus Electoribus & principibus initum eſt *Fædus Rheuanum* cum rege Galliæ, cujus ſcopus erat conſervatio pacis Weſtphalicæ, mutua in hunc finem auxilia, negandus tranſitus militum in Belgium, prout paulo poſt dicetur.

# ARTICULUS III.

## *Status Imperii. Bellum Polonicum, Danicum, Turcicum. Imperii comitia.*

IMperium conſecutus eſt Leopoldus, vaſtis adhuedum ruinis e Suecica illa procella fatiſcens, provincias e buſtis ſuis necdum ſatis reſtitutas, ærarium ingenti debitorum mole oppreſſum, legiones in tot undique hoſtes paucas, Germaniæ principes, partim ſuperiorum temporum vulneribus ægros, partim Weſtphalicæ pacis victoria confidentiores, Hiſpaniam ipſam diffidentem, atque a cognatæ Auſtriæ rationibus, ob ſui deſertionem, propemodum avulſam, hoſtes ab Oriente & Occidente potentiſſimos. 26

Sed adverſus tot domi foriſque difficultates virtute ſua depugnans, religione & pietate in ſuperos id conſecutus eſt, ut deſperatis quoque in rebus præſens ſemper Numen affuiſſe hoſtes ipſi ſentirent.

Et primas quidem curas, quieſcente tantiſper Germania, Poloniæ a Suecis pene obtritæ impendit. Quippe inito cum Dano, Brandeburgo, & Batavis adverſus Suecum fœdere, ſexdecim armatorum millia miſit in Poloniam. Hazfeldius ſummi ducis munus gerebat, Montecuculus equitum magiſtri, cui Sporckius legatus. Equitatum Radevicus Souchius regebat. Qui præſtantes bello viri, cæſo, fugatoque cum Tranſylvanis Rakozio, Suecorum ſocio, Cracoviam expugnant. Pulſis e Polonia Suecis ac Tranſylvanis, multum moleſtiæ circa hyberna ab ipſis Polonis imminuit, cujus pertæſus Hazfeldius armorum præfecturam depoſuit, paulo

Bellum Polonicum.

post mortuus, suffecto in ejus locum Souchio, homine Gallo, sed præstanti bello viro.

Altero anno, Polonia ab hostibus jam liberata, in Daniam versa arma, quam Suecus jam totam ferme, præter Hafniam, frustra obsessam, occupaverat. Victi insigni prælio in Dania a fœderatis Sueci, & in Pommerania mulctati, ad pacem Olivensem compulsi sunt; quæ omnia uberius exponentur, ubi de Suecia, Polonia, & Dania tractabitur. Cæsari ex eo bello nullum aliud præmium obtigit, præter binorum regum ab interitu vindicatorum gloriam.

Danicum,

Polonicum & Danicum bellum excepit Turcicum: quippe e Suecicis turbis primum Transylvanicæ, dein Turcicæ, tradito velut invicem filo, enatæ sunt: illæ quidem leviores, & velut præludium graviorum. Quadriennio tumultuatum est. Multum tam parvo tempore ultro citroque sanguinis fusum; occupata a Turcis Jenæa, Varadino, Vivarino, Caransebia, Lugosio, multum terrarum Christianæ rei detractum. Luctuosa ad Barcanum clades accepta: major hosti ad Sant-Gothardum & Levam reposita; excitis ex Europæo omni orbe auxiliis, impotens fortunæ suæ barbarus ad pacem compulsus.

Turcicum.

Dum belli Turcici initia Cæsari essent infausta, anno 1659 comitia Ratisbonam indixit, quæ tamen 1663 primum sunt inchoata, a Rhenani fœderis principibus, Cæsari minus addictis, varie impedita.

Thunius, Salisburgensis antistes, Cæsaris nomine præesse jussus præsenti necessitate, periculique magnitudine ob oculos posita, hortabatur, ut, prætermissis interim ceteris, non tam Hungariæ, quam focis quisque suis, & Germaniæ incolumitati contra tantum hostem consulerent.

At vero lente admodum, ac morose acta sunt pleraque. Mense fere, quid primo loco disceptandum videretur, disceptatum est. Ægreque tandem obtentum, ut primo loco tractaretur, an, & quantæ in Hungariam mittendæ suppetiæ. At primo statim ingressu hæsit negotium, legatis civitatum nonnullis quiritantibus; extra Germaniæ rempublicam censendam Hungariam atque Transylvaniam: quam quisque ditionem possideret, ejus esse, ut defendat. Satis Germanis ossibus albere eas regiones: nec æquum, ut unius utilitati omnes militarent. Austriacorum imprudentia bellum concitum, qui partim imperitos legatos tantæ rei deputassent, neque Goesium integris adhuc rebus submisissent, lente quoque omnia

Comitia.

nia administrarent. exederent ipsi, quod intrissent. Alii a principibus suis se instructos negabant. Alii Austriacos criminabantur, quasi, artificiose compositis belli terriculamentis, pecunias quærerent.

Molestior deliberatio fuit, ære, an milite auxilia expedienda forent. Argentum Thunius petiit. Virorum satis ex propriis provinciis esse Cæsari, pecuniæ autem penuria laborare. In magna ducum diversitate magnas discordias fore. Quantum temporis delectibus dandum, quantum sumptuum in iter tam longinquum, & quanto incommodo eorum, per quorum fines ducendæ copiæ? & quid rudi milite, bellorum cum Turcis insueto profectum iri, qui nec ejus cæli gravitatem, nec hostis vultum, aut clamorem barbarum ac impetum laturus esset? Veteranum Cæsari exercitum, & cuivis hosti parem, in campo fore, modo pecunia repræsentetur.

Alienos ab eo consilio Rhenani fœderis, Galliæque faventes principes se monstravere: e re non esse, omnes copias sub unius Cæsaris auspiciis militare, quas deinde aut Hispano relinqueret, aut Lotharingici belli titulo domus suæ incremento impenderet. Igitur 6500 Hohenloio duce addicta sunt, sed non nisi 4000 ad hyberna advenere. Cæsareæ etiam legiones paucæ, bello Polonico & Danico, transmissis in Insubriam subsidiis, distributione in tot præsidia, atque ad fines defendendos, accisæ plurimum fuerant atque imminutæ.

Neque exterorum auxiliorum spes magna affulgebat. Alexandrum Pontificem domesticæ e Crequianis turbis curæ ancipitem tenebant. Sextam quidem e centesima partem ex ecclesiasticis Italiæ proventibus sacro bello addixerat, sed, seu quæstorum peculatu, seu tribuentium tenacitate minimum quid inde redibat. Italiæ principes reliqui remotius periculum existimabant, quam ut ipsi quoque accurrerent. Hispaniæ ærarium bellum Lusitano-Gallicum exhauserat. Polonia bello Moscovitico & domesticis turbis quassabatur. Veneti proprio Cretensi bello laborabant. Angli ac Batavi quæstuosa per Africam & Asiam commercia Hungariæ præponebant.

Europæ facies.

Cæsareus autem exercitus 4000 equitum, 20000 peditum constabat. Tantula manu tot populorum salus continebatur, totiusque Ottomanici Imperii potentia erat sustinenda. Hæsit Montecuculus, susciperetne ducis officium, partamque armis famam tanto discrimini objiceret. Quem sensum suum datis ad Cæsarem litteris his verbis expressisse dicitur: triginta sex annis Cæsari me penitus consecravi. Nulla expeditio fuit, quæ non aut militem aut ducem me habuisset. Diuturno adeo famulatu eo hodie reda-

ctus sum, ut quatuor mille equorum cursoria acie Croatam velitemque agere necessum habeam.

Quamvis autem & militis & ducis officio strenue fungeretur, prohibere tamen tanta paucitate non poterat, quo minus Turcæ cum Vivarino varias urbes expugnarent, & Ungari de tradenda Sultano republica cogitationem jam susciperent. In Germaniam quoque effusa Ottomanni crudelitas, Moraviam late populata solitudinem fecit. Ad 14000 incolarum in vincula abducta: imbellis ac provectior ætas omni atrocitatis genere interfecta.

Decreta auxilia.

Trahebantur interim Ratisbonæ comitia a legatis in decimum jam mensem, fructu perexiguo, contentiones inter & fastidia. Visum itaque Cæsari, ut Ratisbonam ipse se conferret, & qua litteris qua exemplo suo principes Imperii invitaret. Comparuere itaque cum Cæsare Moguntinus, Trevirensis, Bavarus, Saxo, aliique principes. Opinione celerius tum processit negotium: triplum Romani mensis in subsidia belli Turcici decretum: quod 8000 equitum, 40000 peditum conficiebat.

Obortæ autem statim sunt plurium veteres querelæ, ultra facultates se premi, æquiori prius ordine constituendam matriculam. Qui fundis olim amplis potiti, nunc autem temporum injuria opibus excidissent, non posse eadem onera perferre. Iniquum contra esse, ut qui ex tenui ad magnam opulentiam pervenissent, nihilo plus publico prodessent. At vero, ut tunc res tam implicata, totque querimoniis obnoxia expediretur, intempestivum est visum. Cæsar satius habuit, de imperato militum numero haud parum infirmioribus remittere: vix tertia parte, per comitia statuta, repræsentata.

Refricata tunc est anni superioris quæstio, pecuniane an milite juvandus Cæsar, legato Gallico apud Rhenani fœderis principes instante, ne tantum militum sub auspiciis esset Austriacis: & jactabatur, Imperium potius armandum quam Imperatorem. Renuntiatus igitur Leopoldus Badensis marchio, qui copias imperiales nomine mareschalli duceret. Additus senatus bellicus.

Cæsar, adlecto Portia, aulæ Cæsareæ præfecto, in Imperii principem, Viennam rediit. Indicti circulorum conventus. Habiti delectus: quindecim millia coacta. Sex millia rex Franciæ addidit, duce Colignio: Sueciæ rex, ultra id, quod pro Germaniæ provinciis pendebat, duo millia. Pontifex, Florentinus, Mantuanus, Genuensis respublica pecuniam contribuerunt. Polonia & Dania suas clades, Angli & Batavi mercaturam excusabant. Atque

que hoc denique apparatu anni 1664 bellum geſtum eſt; cujus ſeriem in Hungaricis recenſebimus.

# ARTICULUS IV.

## *Cauſſa Bremenſis, Wildſangiatus, Erfordienſis.*

PAce, aut potius induciis vicennalibus, cum Turcis inita, multis per Germaniam locis bellorum ſcintillæ emicabant. Magnarum civitatum libertas oppugnata. Monaſterienſem urbem epiſcopus Gahlenus ſubjugavit. Erfordiam Gallo milite Moguntinus, Magdeburgum Brandeburgus, Bremam Suecus invaſere. Palatinum Moguntinus ac Lotharingus aperto bello perſequebantur. 24

In pace tam ancipiti ſervandas legiones Auſtriacas, & per provincias diſtribuendas plerique cenſebant, qui Cæſari erant a conſilio. Montecuculus inſuper auctor erat, rationem ineundam perpetuæ ſtatæque militiæ. Exercitatum militem inæſtimabilem regum theſaurum eſſe. Inde authoritatem ac venerationem principum, timorem æmulorum, patriæ quietem ac ſalutem pendere. Miſceri bella ex bellis. Optimas ſæpe amitti occaſiones, hoſtemque in viſcera recipi, donec novus legatur miles. Et quid ſpei in collectitia rudi turba? quantum veterani tironibus præſtent vel ex nupero bello Turcico ſatis conſtare. Nec provincias propterea nimium oneratum iri. Pluribus novos delectus ſumptibus conſtare, quam veterani militis ſuſtentationem. At Leopoldus, qui amari quam metui malebat, id conſilii ut probaret, adduci nunquam potuit. Id tamen datum Montecuculo, ne veteres legiones omnino ſolverentur.

Quod ante de Erfordia memini, ſic habet. Otto M. quæ erat illius temporis pietas, Wilhelmo filio, Moguntino tunc præſuli, & ſucceſſoribus Thuringiam totam donarat. Sed temporum lapſu ad alios dominos, Saxoniæ maxime duces (Mühlhuſio & Northuſio in libertatem aſſertis) devoluta eſt: ſola ferme (præter Aichsfeldiam) Erfordia, ampliſſima poſt Coloniam Germaniæ civitas, ſpeciem aliquam obſequii retinuit. Cives maximam partem Lutheri doctrina imbuti, fidem præſulibus quoque ejurarunt: bellis & temporum calamitate adverſus dominum ſuum protecti. Erfordia.

Reddita pace pro libera nihilominus civitate ſe gerebat, expuncto etiam e publicis precibus Moguntini nomine. Lite ad Spirenſe & aulicum judicium delata, damnati Erfordienſes, cauſſa præſuli

adjudicata. Cum autem sententiæ non parerent, a Cæsare proscripti sunt. Moguntinus igitur sedecim millium exercitum, in quo octo millia Gallorum erant, urbi admovet, quæ post levem oppugnationem se dedere & leges accipere coacta est. Permissa religio, libertas cum arce Cyriaci erepta, atque hæc præsidio Gallico occupata: improbante Cæsare, in cor Germaniæ admissos exteros.

Brema. Felicius & æquius libertatem suam defendit Brema, opulentissima commerciis civitas ad Visurgim, præter firmi operis arcem sedecim propugnaculis cincta, liberisque Imperii urbibus annumerata. Postquam cum Verdensi Bremensis etiam episcopatus Suecis in prædam cessisset, urbis tantæ cupiditate accensi, refossis ex antiquitatis ruderibus monumentis contenderunt, urbem a Carolo M. episcopo fuisse subjectam, atque ita nunc cum episcopatu ad Sueciæ regem fuisse translatam. Et jam alias arma intulerant, sed Ferdinandi III authoritate, Westphalici & Saxonici circuli auxiliis, Batavorum, Hamburgensium, Lubecensium intercessione cœptis destiterant.

Sed nunc instaurandi conatus opportunitas maxima videbatur oblata. Batavos bello Anglico abreptos, Daniam imbellem, principes lentos, Cæsarem nuptiarum curis intentum, & abdicatis jam copiis vacuum existimabant. Itaque Urangelius cum exercitu urbi circumfusus duras conditiones imperat: fidem Cæsari dictam ejurarent: liberæ civitatis titulo ac jure abstineant. Eadem, qua alii Sueciæ cives, forte habeantur: in arcem ac mœnia præsidium recipiant.

Oratores extemplo ad Cæsarem destinati, ne afflictam urbem Imperio detrahi, tantaque accessione augeri Sueciam pateretur. Scribit ad Urangelium Cæsar. Sinzendorffius ad senatores (rege impubere) ablegatus. Brunsvicenses & Saxones ad opem ferendam incitati. Et jam undique arma parabantur: & Bremensium alacritas, repulso Suecorum impetu, diuturnam obsidionem factura videbatur. Unde Sueci, posita ferocia, judicio rem committunt. E Catholicis Moguntinum & Bavarum, e Protestantibus Saxonem & Brandeburgum, Augustam item & Coloniam, Francofurtum & Norimbergam Cæsar judices nominat. Horum legatis annitentibus, in has conditiones pax sancita: eadem, qua hactenus, commerciorum, privilegiorum, religionis libertate Bremenses fruerentur. Ejus, quod Bremensis ducatus imperio deberet, partem decimam quartam penderent; liberæ civitatis titulo, dum ad regem Sueciæ ejusque præfectos scriberent, uti & sessione

in

in comitiis Imperii, abſtinerent ad ejus usque ſæculi exitum: ad alios uterentur pro lubitu. Ita nova ab Aquilone tempeſtas diſcuſſa.

Ad Rhenum pariter celebris controverſia, maxime Moguntinum inter & Palatinum, armis quoque diſceptata, Cæſaris authoritate fuit dirempta. Singulare nempe jus quoddam (*Wildſangiatum* appellant) Palatini comites, ſibi aſſerebant, ut peregrini & illegitime nati, qui in Palatinatu domicilium figerent, mancipiorum inſtar haberentur. Teſtamentum illis condere, & absque Palatini aſſenſu alio demigrare nefas. Præter ſtatas operas, bello ſequi principem coguntur. Liberi in eandem ſortem naſcuntur, niſi matre, ab hac ſervitute libera oriantur. Wildſangiatus.

Hoc jus *Wildſangiatus*, a liberarum ferarum captura ſic dictum, ultra Palatinatum, in Franconiam, partem Sueviæ, Wormatienſem & Spirenſem epiſcopatum, Palatini extenderant, Cæſarum diplomata proferentes. Ea res miſeris illis gravis, quod alterius domini mancipia, ſubditi alterius; tonderentur ab uno, degluberentur ab altero. Et quia in eodem loco duo erant præfecti, multa jurgiorum materia in ancipiti illa jurisdictione naſcebatur.

Moguntinus tandem, præter Herbipolitanum opulentiſſimum epiſcopatum, Wormatienſem etiam conſecutus, ſuis & amicæ Galliæ viribus fretus, Lotharingum, Franconicos, Suevosque nobiles, Argentinenſes, Spirenſes, Rheingravios, ad excutiendam penitus moleſtiam adſcivit.

Lis ad Spirenſe primum tribunal delata, multisque libellis ventilata, in arma tandem abiit, irritatisque jam animis in periculoſum bellum evaſiſſet, niſi Cæſar, authoritate ſua interpoſita, effeciſſet, ut rem judicio ſubmitterent. Inita dein transactio, & concepta juris temperati formula, quo deinceps Palatinus uteretur.

Ita quidem ſcribit Wagnerus in *hiſt. Leop. M.* at Brewerus aſſerit, cauſſam ad Galliæ & Sueciæ reges tanquam arbitros compromiſſarios fuiſſe delatam: quorum hoc laudum adjungit.

1. Homines, qui non habent proprium dominum, ſi in Palatinatu & vicinis terris domicilium conſtituant, eſſe Wildfangios, & Palatini homines proprios: non autem eos, qui alicujus ditionis ſint ſubditi, & in eadem ditione domicilium mutant.

2. Determinatur, quænam ſint jura Palatini in *Wildſangios*, nempe *perſonalia*, uti exigendi moderatas operas, mortuaria, ſuccedendi in bonis vacantibus &c.; non autem *territorialia*, ſi in vicinorum terris degant, uti indicendi tributa, judicandi, armandi &c.: illæſo nempe jure alterius territoriali.

3. Agitur, an & quantum conductum per alterius terras eunti Palatino habere liceat.

4. Telonia poſſunt exigi ſecundum privilegia legitima, antiquas & probatas conſuetudines, initas transactiones (*Actum Hailbrunnæ* 1667 *per legatos Galliæ & Sueciæ.*)

## ARTICULUS V.

### *Rhenanum fœdus. Auſtriæ funera. Cæſaris nuptiæ. Pax Clivienſis.*

28 Rhenanum fœdus. RHenani fœderis injecta ſæpius mentio. Hæc ejus origo. Continuato tot annis bello Belgico Rhenanæ provinciæ non parum moleſtiarum ſunt perpeſſæ ab Hiſpano milite, præter frequentem copiarum tranſitum, hyberna in Germano ſolo extorquente. Carolus Lotharingiæ dux, maxime infeſtus erat, hoſtilem in modum Germaniæ provinciis infuſus. Sui, credo, in pace Weſt. neglectum ultum ibat.

Multæ ea de re in comitiis Ratisbonenſibus & ad Cæſarem querimoniæ, ſed lentum remedium. Quare, ſtimulante Francia, Rhenanos inter principes, Moguntinum, Colonienſem, Juliacenſem, Brunsvicenſem, Haſſum, regem Sueciæ, ut Bremæ & Verdæ ducem &c., fœdus coaluit, cui denique Brandeburgus etiam acceſſit.

Hæc ferme ejusdem capita: curare, ne in Monaſterienſem pacem quidquam attentetur. Quamvis injuriam a ſociis depellere. Militum quorumcunque tranſitum, moleſtias, exactiones inhibere: 10000 armatorum duce Salmenſi principe communi nomine ſub ſigna cogere, &, ubi ubi ſit opus, adhibere. Triennio hæc unio teneret, & ultro prorogaretur, ſi Belgicas turbas ſopiri interim non contingat.

Quam ingratum Auſtriacis, tam proficuum Gallorum rebus hoc fœdus erat. Nam his pactis Germanorum ſubſidiis exarmata Hiſpania. Quanta inde clades, inſequens mox annus docuit. Pax Pyrenæa Hiſpanis extorta: magna Belgii pars Franciæ adjecta. Anna Thereſia, primogenita Philippi IV filia, Leopoldo Cæſari prærepta. Quanta inde bellorum ſeges, & revolutionum materia! quantum fundamentum augendæ in immenſum Borbonicæ magnitudinis! Creditum pluribus, Hiſpaniæ proceres in ultionem ſui in pace

West. neglectus hanc fabam cudisse. Certe ab eo tempore Hispani rationes suas ab Austria alienas habere visi sunt.

Nec leve Austriacis vulnus inflictum per mortem Leopoldi Guilielmi archiducis. Qui dignus Ferdinando II parente filius, æternumque Germaniæ gentisque suæ ornamentum, integerrimi præsulis sanctimoniam cum excellentis imperatoris laudibus tanta sui apud omnes commendatione conjunxerat, ut vel hostibus admirationi esset ac venerationi. Ea certe morum castimonia enituit, ut *Angelus archidux* tota aula appellaretur, ad eminentem vitæ sanctitatem natus factusque. Mors Leop. Archid.

Juventute sub Lodronii & Patrum e Societate JEsu institutione exacta, primus e gente Austriaca jus suum omne hæreditarium in fratrem natu majorem Ferdinandum transtulit; ut tamen esset, quo archiducis dignitatem sustineret, ecclesiastico ordini ex voluntate adscriptus, variis deinceps sacerdotiis auctus est. Nam præter teutonici ordinis præfecturam prædivitem, Bremensis & Magdeburgensis archiepiscopatus, Passaviensis, Olomucensis, Argentoratensis, Halberstadiensis, Hamburgensis episcopatus (ut vel sic conservarentur apud Catholicos) in unum caput conjecti sunt. Sed, quæ temporum illorum perturbatio, atque sacrorum profanorumque permixtio, paucis frui quiete licuit.

Imo reipublicæ & religionis caussa ad bella abstractus, 26 annos natus, rebus prope ad exitium vergentibus, pro fratre Imperatore Bohemiam & exercitus regere jussus, Banierio varie circumducto, atque in Misniam ejecto, strenuis sane auspiciis militare cœpit. Eundem Banierium Ratisbonæ, ubi Cæsar comitia agebat, imminentem, in fugam compulit, aliaque gessit, quæ supra delibavimus. Licet autem a Dorstensonio ad Lipsiam, a Condæo ad Lensium sit prælio victus, utriusque tamen confessione summi imperatoris partes omnes implevit.

Ad Belgii dein gubernationem expetitus, spem sui virtutibus & victoriis implevit, multis urbibus aut hosti ereptis, aut regi servatis, ea felicitate, ut versis in suum compendium Galliæ turbis, ipsis Lutetiæ suburbiis signa inferret. Denique, ut fratri Cæsari & Leopoldo nepoti consiliis adesset, venia a rege impetrata, in Germaniam suam rediit.

Nec pacis artibus inferior, triplex hominum genus maxime aversabatur, mendaces, assentatores, impudicos: graviterque redarguit eum, qui dixerat, sine mendacii adminiculo recte geri legationem non posse. Duabus vero præcipue rebus omnes in admiratio-

rationem rapuit, heroica vitæ innocentia, & singulari prorsus in DEum religione, ut miraculi instar haberetur tam constans in tanta licentia integritas, tamque æquabilis ad omnem fortunam animus. Feminas omnes, etiam principes, procul a se haberi volebat, forte obvias nec aspectu nec sermone dignatus: neque adduci passus, ut Christinam Sueciæ reginam in idem palatium admitteret. Atque ad easdem leges ephebos honorarios totamque familiam composuit.

Passaviensem & Argentinensem episcopatus, ingenti ære alieno pressos expedivit. Recollectis Patribus duo cœnobia, Jesuitis Molshemii academiam cum seminario, Passavii & Neostadii, natali solo, collegium condidit.

Illustri hoc Austriacæ domus extincto sydere, præterea tria adhuc alia breve intra tempus occiderunt: videlicet Ferdinandus Carolus, Tyrolensis Austriacorum stirpis archidux (1662), relicta ex Anna Florentina filia, Claudia Felicitate, quæ Leopoldo Cæsari postea fuit nupta. Successit in Tyroli & anteriori Austria frater Sigismundus Franciscus, provincialibus vel inde charior, quod musicorum, venatorum, comicorum, epheborum, & stipatorum turba ærarium levarat. Sed non diu frui eo licuit. Quippe dum nuptias cum Sulzbacensi apparat, frigidæ poculo in venatione hausto, die altera obiit (25 *Junii* 1665.)

Tyrolis ad Leopold. Imp.

Extincta tum Tyrolensi archiducum linea, quam Leopoldus Ferdinandi II Cæsaris frater, & duorum, quos memoravi principum, Ferdinandi Caroli, & Sigismundi Francisci pater, fundaverat, Leopoldus Cæsar Tyroleos & anterioris Austriæ ad se devolutæ possessionem adiit.

Accessit tertium tristius adhuc funus, Philippus IV Hispaniarum rex (17 *Sept.* 1665), qui, uti vitam variis calamitatibus, populorum rebellionibus, regni imminutione, acerbam egerat, ita filium reliquit unicum, Carolum II, eumque impuberem, non nisi quinquennem, & infirma admodum valetudine, sub Annæ matris tutela, Lusitanici belli, & magnorum adversorum hæredem. Atque sic tota gens Austriaca, per utrumque orbem late diffusa, duobus stabat capitibus, Leopoldo Cæsare, & infirmo, quem dixi, rege impubere.

Quare Leopoldus Imperator, ut perennitati domus suæ consuleret, spesque suas in Hispaniarum monarchiam magis firmaret, duxit in conjugem Margaritham, Philippi IV Hispaniarum regis filiam (1666) secundo loco genitam. Nam Theresia primogenita jam ante Ludovico XIV Galliarum regi nupta, grandi, quod posteriora

ſteriora docuerunt tempora, Auſtriæ jactura. In annum dein 1670 incidit conjuratio quatuor comitum in vitam Leopoldi, cujus relationem ad Hungarica differimus.

Leopoldo Cæſari Margaritha conjuge non ultra ſex annos frui licuit: nam anno 1673 pientiſſime obiit, ætatis 22, relicta poſt ſe unica filia Maria Antonia, Bavariæ Electori poſthac in magnas ſpes deſpondenda. Cæſari autem matrimonio eodem adhuc anno juncta eſt Claudia Felicitas, Ferdinandi Caroli, Oenipontani archiducis filia. Brevius adhuc erat cum iſta connubium; quippe poſt tres annos magno Cæſaris luctu obiit (1676), nullo eidem relicto hærede maſculo.

Magna erat exſpectatio, quænam in viduatum ſecundo Auguſtum thorum eſſet aſſumenda. Auditusque Leopoldus dicere, ſe, qui in Margaritha Hiſpana Imperii rationes ſpectaſſet, in Claudia animo indulſiſſet, nunc uni reipublicæ velle conjungi, eamque deligere, quæ maximam hæredis maſculi ſpem eſſet allatura. Alii autem Daniæ regis ſororem ſuadebant, ſpem fore, ut cum ipſa totum regnum ad Catholica ſacra rediret. At tenera religioſiſſimi Cæſaris pietas induci ſe non patiebatur, ut Lutheri erroribus innutritam in thalami conſortem aſſumeret, veritus etiam, ne DEus ex alto non benediceret.

Igitur alii proceres ad Eleonoram Neoburgici ducis natu maximam reſpiciebant, quam optata fœcunditate Cæſarem totque provincias medici haud vano augurio ſolaturam ominabantur. Adhæc parens Philippus Wilhelmus affinitatibus magnam Germaniæ partem complexus, propediem in Electoratum & ditionem Palatinam ſucceſſurus, magno Auſtriacis rebus adjumento futurus credebatur, qui alieniorem hactenus ab iis animum prætulerat.

Nec ſpes fefellit; nam & pater deinceps rationes ſuas cum Auſtria conjunctas habuit, & filia Eleonora altero poſt anno (1678) archiducem Leopoldo genuit, cui Joſephi nomen inditum, volente Auguſto patre, qui hunc divum ſolenni ceremonia cultuque provinciarum ſuarum patronum delegerat. Ad Cellenſem quoque thaumaturgam vota perſoluta.

Exauctoratis jam ante Aurſpergio & Lobkovitio, primis aulæ Viennenſis miniſtris, Montecuculus in principum Imperii ordinem aſcitus, Amalphitano principatu ab Hiſpaniæ rege eſt auctus: ut ne Piccolomineo minus præmiaretur, cujus virtutem ſuperarat.

Geſtum eſt hoc tempore bellum inter Monaſterienſem epiſcopum & Batavos, quod anno 1666 finitum fuit *pace Clivienſi*. Cujus hæc ſunt capita:

 1. Pax

1. Pax ſic ſervetur, ut mutuis commodis ſtudeant, & bonæ viciniæ officia præſtent.

2. Sit amneſtia, nec alter alteri moleſtiam deinceps inferat.

3. Epiſcopus (Bernardus de Galen) reſtituat omnia loca occupata.

4. Copias educat ex Batavorum terris.

5. Batavi nullam amplius hoſtilitatem exerceant.

6. Et militem pariter deducant ex terris epiſcopi.

7. Epiſcopus copias dimittat, retentis 3000.

8. Renuntiet fœderibus, huic paci contrariis, nec nova ineat, aut Batavos unquam bello aggrediatur. (*Hunc articulum anno 1672 epiſcopo objecerunt.*)

9. Idem promittunt Batavi viciſſim.

10. Nominantur comprehenſi in hac pace: quos inter Cæſar, Danus, fœdus Rhenanum.

11. Jus in urbem Borckelvam maneat, ut ante bellum fuit. Epiſcopus tamen juri ſuperioritatis renuntiat cum conſenſu capituli.

12. Renuntiatur utrinque omnibus prætenſionibus.

13. Cauſſis Batavorum epiſcopus ſe non immiſceat, nec arreſta aut repreſſalia decernat, ſed lites amice componantur. Idem reſpective Batavi obſervent.

14. Vades hujus pacis ſunt Cæſar, Gallus, Moguntinus, Colonienſis, Brandeburgicus, Neoburgicus &c.

15. Pax utrinque confirmanda. Hanc pacem poſtea ſæpius Cæſar, Brandeburgicus & Batavi allegarunt.

## ARTICULUS VI.

### *Primum bellum Leopoldi Cæſaris cum Gallis.*

29 MOrtuo Philippo IV Hiſpaniarum rege, Ludovicus XIV Belgium ad conjugem ſuam Mariam Thereſiam natumque ex ea Delphinum devolutum ratus (1667), Flandriam & Burgundiam ſubigit, &, torpente Europa, pacem Aquisgranenſem poſt ſemeſtre bellum extorquet, reſtituta Burgundia, retentis, quas ceperat, Flandriæ urbibus. Acerbe ferebant Hiſpani, Flandriæ cauſſam in hoc bello a Cæſare deſertam. Sed culpa in Aurſpergium principem conjecta, qui propterea exulare juſſus, amicorum precibus obtinuit, ut Labaci avitis in fundis degere liceat.

Ab

Ab Aquisgranensi pace *triplum fœdus*, Anglos inter, Suecos, & Batavos, coaluit. Finis propositus, communibus auxiliis cavere, ne Hispanici Belgii reliquiæ penitus a Francia absumantur. Ne tamen Ludovico regi quiritandi caussam præbeant, nullam Hispaniæ mentionem fieri placuit, sed in eum decretum bellum, qui Aquisgranensem pacem violaret, ut orbis Christiani quies contra quosvis ejus perturbatores defendatur.

Sed omnis hæc machinatio brevissimi omnino ævi fuit. Nam Gallicæ aulæ triumviri, Colbertus, Lionæus, Louvisius, hoc fœdus ita dissiparunt, ut eodem adhuc anno (1668) Carolum, Angliæ regem secreto fœdere, in Batavorum perniciem conflato ad se traherent: nec Suecus constantior.

Mox Galli totam Lotharingiam occuparunt. Id crimini datum, quod dux triplex fœdus ambiisset, & loca quædam muniisset, atque majorem solito militum numerum, ut Galliam invaderet, collegisset. In Ratisbonensibus comitiis decretum, ut restituendo duci Cæsar operam daret. Missus Lutetiam Windischgrätzius comes, sed præter verba nihil retulit. Lotharingia in Franciam provinciam redacta. Dux in exilio vitam clausit. Galli Lotharingiam occupant.

Modicum tunc tempus quieti datum, sed anno 1672 eo vehementius bellum ex Francia recruduit, per totam dein Europam diffusum. In Bataviam primum procella detonuit, eamque brevi temporis spatio Ludovicus rex totam propemodum occupavit, adeo quidem, ut de tradenda republica deliberatum jam fuerit. Et Batavas provincias.

Anglia, Suecia, Sabaudia, Gallis favebant. Nutabat Dania: Imperii principum facies varia. Coloniensis & Monasteriensis aperte Gallis accessere. Bavarus neutrarum partium haberi voluit, electrice e domo Sabaudica, & Hermanno Fürstenbergio (qui principis nuper dignitatem consecutus fuerat) fratrum exemplo Galliæ caussam tuentibus. Moguntino, Trevirensi, Saxoni, Palatino, Hannoverano, mens a belli consiliis abhorrens. Catholicorum multi tanquam ad sacrum bellum applaudebant, quo septemplex hydra esset conficienda.

Cæsar ipse alienus ab hoc bello pluribus videbatur, creditumque, qui nuper Hispaniam, tam arcte sibi conjunctam, nullis juvisset auxiliis, Batavis, adversus domum Austriacam antea rebellibus, opem nullam laturum. Et Lobkovitius princeps, aulæ præfectus bellum dissuadendo ruinæ suæ prælusisse existimabatur.

At ubi nuntiatum, jam Cliviæ præsidia expugnata, Novesium, Bonnam, aliaque Coloniensis provinciæ munimenta, Gallico præ-

sidio

ſidio teneri, Cæſar cum Brandeburgo fœdus iniit, his ferme capitibus ratum: pacificationibus, Clivenſi, Olivenſi, Aquenſi, urbis Coloniæ, & reipublicæ Batavæ libertati conſulatur. Brema adverſus Suecum defendatur. In religione nihil novetur. Fœdus in decennium duret. Ita legem de non mittendis Belgio ſubſidiis, quam in capitulatione conſenſu ſuo pertulerat, Brandeburgus omnium primus antiquavit.

Et quamvis Colonienſis, indignatus, quod Batavi Rhenobergam præſidio occupatam tenerent, miſſo Berolinum Guilielmo Fürſtenbergio, Electorem abſtrahere conaretur a Batavis, icto tamen cum illis fœdere, viginti millium exercitum partim ſuis partim reipublicæ ſumptibus armavit.

Jacto hoc fundamento Cæſar ſtatus in comitiis congregatos exſtimulat ád commune fœdus, queriturque, ut a Francia principes Imperii diſſidiis inter ſe commiſſi, Lotharingia abrepta, Alſatiæ liberæ urbes ſub jugum miſſæ, nuper Hiſpanicum, nunc fœderatum Belgium armis invaſum, Trevirenſis ager vaſtatus. Terminum figendum ambitioni, & creſcenti in dies vaſtæ potentiæ, totam Europam inundaturæ, niſi communi conſilio & opera validus agger objiciatur.

Sed in lento illo varioque ſuffragiorum orbe haud multum profectum. Nec comparatæ erant ita res Cæſaris, ut in bellum illico poſſet erumpere. Præter Brandeburgum nemo erat tunc in fœdere. Nec illius conſtantiæ ſatis fidebatur. Terruit exemplum nuperi belli Polonici, quo intra biennium & hoſtis Polonorum, & ſocius, & neutrarum partium fuerat. Hiſpania, licet Cæſarem per legatum vehementer incitaret ad accelerandum opus, ipſa tamen more ſuo lente movebatur, capite infirmo, & artubus compage ſua non cohærentibus. Batavorum reſpublica, nervis inciſis, fracta, & in tanta factionum rerumque confuſione propemodum diſſoluta. Germaniæ proceres a bello alieni, pluresque Franciæ obnoxii. Hungaria procerum ſuppliciis exulcerata. Poloniæ Turca minabatur.

Hæc Europæ cum eſſet facies, prima anni 1672 expeditio ſolis ferme itineribus fuit conſumpta. Egram Cæſareus miles convenire juſſus. Septendecim millia affuere, veteranum robur, & Montecuculo duce dignum. Equitum tribuni, Carolus Lotharingiæ dux, Schneidavius, Sporckius, Caprara, Heiſterus, Sindernichius, probatæ omnes virtutis. Peditum, Pio Marchio, Portia, Leslæus, Keiſerſteinius, Coppius.

Cum

Cum autem Cæſareus & Brandeburgicus exercitus Rheno immineret, negatus, vigore Rhenani fœderis, eſt a Trevirenſi primum, dein etiam a Moguntino & Palatino tranſitus, metu Turenii, in vicinia excubantis. Invectus etiam in Cæſarem Palatinus, quod contra capitulationis fidem exercitum per innoxiorum principum terras circumduceret, ac bellum atrox in Germaniam pacatam traheret. Batavorum cauſſam nihil pertinere ad Imperium. Rhenani fœderis hoc pactum eſſe, nullum militiæ permittere tranſitum. Principum exemplo Francofurtum quoque amoliri a ſe conatum eſt trajectionis invidiam. Maxime vero in comitiis querelas ſuas proponebant contra Brandeburgum Colonienſis & Monaſterienſis, porrecto in hanc rem ſcripto. In hoc memorant, Brandeburgum per Germaniam cum exercitu graſſari; ſtatum alium ex alio armis obrui; per Hildeſienſem & Corbeienſem diœceſin hoſpitationes imperari, prædas agi, ſubditos premi atque exſugi. Qui immanibus exactionibus præſtandis ſunt impares, crudeliter torqueri, pudori virginum vim illatam; cædibus, latrociniis, incendiis, barbarum in morem ſævitum.

Quæ cum juri gentium, paci publicæ, tot pœnis roboratæ, Imperii conſtitutionibus, Paci Weſtphalicæ e diametro adverſentur, ſperare præſules a conſtatibus ſuis debita auxilia contra hoſtem apertum, fractæ pacis reum, cui ipſi nullam unquam injuriam intulerint. Nam quod contra Batavos, vicinos non minus graves, qui cum Imperio nihil commune habent, cum Galliæ corona fœdus inierint, jure ſuo ſe egiſſe, & ſecundum diſertas inſtrumenti Monaſterienſis tabulas, quæ art. III ſanciunt: *ſingulis tamen ſtatibus liberum ſit, huic vel illi regno extra Imperii limites ſuppetias ferre:* præſertim contra gentem exteram, quæ perpetuam in ſe hoſtilitatem exerceat. Niſi autem ſtatus Imperii, adverſus Brandeburgum feſtinum remedium afferant, coactum ſe iri, coronas Galliæ & Sueciæ tanquam ſponſores Pacis Weſtphalicæ implorare. *Brewerus in tract. hiſt. polit. ad ann.* 1672.

Anno 1673 ineunte Cæſarei in Weſtphaliam, Brandeburgici in Marchiam ad hyberna capienda regreſſi ſunt, id cunctatione ſua aſſecuti, ut duos præſtantes duces, Turenium & Condæum cum gemino exercitu a Batavorum cervicibus ſubtraherent, Gallorumque in fœderato Belgio victorias ſiſterent, perituro haud dubie, ſi Franciæ collectus exercitus manſiſſet in Batavia.

Ratisbonæ interim conſultationis plurimum: conciliatores pacis ſe offerebant ordines, quos nec Batavi nec Galli vellent. Coalit

luit tamen mutuæ defenſionis fœdus Cæſarem inter , Brandeburgum, Danum, Cellenſem, Guelferbytanum, & Caſſelanum: ut cui ex fœderatis bellum inferretur, triginta duobus millibus ſuccurreretur.

Sed dum novum hoc fœdus percuſſum eſt, vetus, quod cum Cæſare anno ſuperiore iniit, rupit Brandeburgus, ut Cliviæ oppida, Veſaliam, Embricam, Reſam, Orſoium reciperet, *Voſſemenſem* cum Gallis pacem fecit, Cæſaris cunctationem, & Batavorum in mittendis ſubſidiis torporem accuſans.

Tanto belli ſocio deſtitutus Cæſar Ratisbonenſibus in comitiis magnopere inſtitit, ut totius Imperii nomine viribusque bellum decerneretur. At alienatos adeo animos invenit, ut eorum acerbæ querelæ, quorum fines miles ingreſſus fuerat, perſonarent. Ex Electoribus quinque, Moguntinus, Colonienſis, Bavarus, Brandeburgus, Palatinus, e principibus, Monaſterienſis, Juliacenſis, Hannoveranus, Gallo addicti credebantur; ut mirum ſane viſum fuerit, hos prope omnes intra anni ſpatium hoſtes Galliæ Cæſaris ſolertia effectos.

Duo ſunt, quæ in Gallos eos concitarunt, legatorum Franciæ arrogans in comitiis & apud principes oratio, cum minis etiam conjuncta, & Galli militis in Rhenanis tractibus effuſior graſſatio, cum magna offenſione ordinum: qui nondum eo redactum Romanum Imperium dicebant, ut leges accipere ab exteris debeat.

Magisque adhuc accenſi ad defenſionem ſunt, poſtquam Cæſar belli cauſſas publicavit. Subjugato Belgio Germaniam a Gallis proterendam memorabat: Cliviæ urbes dirutas, alias ex integro munitas: militum delectus, ſtativa, itinera pro arbitrio in Germano ſolo facta. Imperatas pecunias, compilatas provincias, per Hiſpanicum Belgium, Leodium, Treviros; acerbe habitos incolas: exuſtum ad Argentinam Rheni pontem: Auguſtam Trevirorum expugnatam: prædas in mediam uſque Germaniam actas: violatam Aquenſem pacem, pertractos in bellum præſules. Rerum pene omnium arbitrium ad Gallos trahi, principes cum capite, atque inter ſe illorum artibus committi; legesque palam dictari Romano Imperio: præter nomen nihil Imperatori reliquum fieri.

Cauſſæ belli.

Utque Imperii ordinibus magis adhuc animum adderet, Cæſar, cum Hiſpanis, Batavisque novum fœdus iniit, his legibus: Hiſpania in ſtatum, quo poſt Pyrenæam pacem, Batavi, ut ante præſens bellum fuiſſent, reponantur. 15000 Hiſpanorum in Belgio militent. Trajectum ad Moſam Hiſpaniæ cedant Batavi. Cæſar 30000 armatorum mittat: quibus regina Hiſpaniæ quot menſibus

ſibus 50000 imperialium numeret, Batavi 45000 addant. Fœdus in decennium duret. Multum quoque inſtitit Harrachius, ut Lotharingus quoque in ſocietatem & fidem reciperetur, aliquot millibus communi ſumptu illi attributis: nec niſi reſtituta Lotharingia pax iniretur. Apud Helvetos etiam allaboratum, ut vel in has partes irent, vel ſylveſtres ſaltem civitates ſuam in tutelam reciperent. Sed Francia prævaluit.

Non parum autem fœderatorum animos erexit gemina navalis pugna, Anglos inter Batavosque comiſſa. Prima æquo marte pugnatum, altera victores Batavi. Prohibitaque claſſe ab appulſu in Seelandiam, deſperato belli præmio, Angli regem ſuum ad pacem cum Batavis compulerunt.

Exeunte Auguſto Montecuculus cum exercitu e Bohemia movet in Franconiam, obviusque Turenio prælium declinat, *Lobkovitii*, ut dicebat, litteris juſſus. Secundis tamen velitationibus uſus, per Dünewaldum 52 currus, navesque aliquot omnis generis commeatu pro Gallis onuſtas, intercipit, & frumentum, quod avehi non poterat, in profluentem ſpargit. Admoto dein ad *Bonnam* exercitu, 12 Nov. ad deditionem compulſa eo pacto, ut præſidium more militari Noveſium abiret, ſua Electori ſupellex, civibus jura ſint integra. Poſtquam autem varia alia Colonienſis diœceſis oppida arcesque occupata ſunt, Montecuculus Viennam profectus, *Bornonvillio* imperium reliquit, copiis per Colonienſem, Montenſem, aliasque vicinas provincias in hyberna diſtributis.

Bonna capta.

Quamvis autem a fœderato exercitu, præter captam Bonnam, haud magnum quid hoc anno 1673 actum videatur, ingens tamen expeditionis fructus exſtitit, pulſus e Franconia Turenius, &, quod toti Europæ mirum eſt viſum, Galli, ut numeroſum in campum educere poſſint exercitum, omnibus (Trajectum & Graviam ſi excipias) Bataviæ urbibus, quas uno velut impetu occupaverant, præſidia deducunt. Triginta ſeptem loca munita in libertatem aſſerta, atque inter hæc Ultrajectum, Neomagum, Daventria, Zutphania, quanta nomina! ne tamen Galli gratis tot urbes redderent, immanem auri vim in præmium locatæ operæ ſecum aſportarunt. Liberatum ſic Belgium fructum alium haud leviorem, Angli, Colonienſis, & Monaſterienſis a Gallica ſocietate defectionem traxit.

Galli Bataviam deſerunt.

Conventus tunc equidem Coloniæ eſt inſtitutus, quo omnium, quos bellum implicuit, principum legati convenerant, ut arbitris Suecis pacem componant. Varia multo tempore, prout

rerum facies ſe vertebat, allata in medium; ſed parum profectum. At vero capto per vim in ipſa urbe per Cæſareos milites Guilielmo Fürſtenbergio, atque Neoſtadium in cuſtodiam abducto, totus conventus & pacis negotium ſolutum eſt, quiritante vehementer Gallo, contra ſacra gentium jura virum principem, eumque legatum Colonienſis Electoris, eo ſolum ex capite, quod Franciæ addictior videretur, in ipſo pacificationis loco per violentiam immanem latronis inſtar comprehenſum. At Auſtriaci negabant, fuiſſe legatum: & ſi fuiſſet, tanquam proditorem patriæ, jure captum aſſerebant.

Fürſtenbergius captus.

## ARTICULUS VII.

### *Continuatio ejusdem belli.*

30 CONventu Colonienſi abrupto, anno 1674 omnia per Europam apparatu bellico ſtrepebant. Ad fœdus cum Cæſare, Hiſpanis, & Batavis acceſſit rurſus Brandeburgus, tractis ſuo exemplo Luneburgicis.

Sed antequam fœderati militem educerent, Gallus totum Burgundiæ comitatum fulminis inſtar occupaverat. Veſuntionem, provinciæ caput, rex ipſe cepit. Dola a Delphino, illuſtri militiæ rudimento, expugnata.

In Germania nec providentia majore nec felicitate bellum a fœderatis adminiſtratum eſt. Commiſſo ad *Sinzhemium* prælio, *Turenius* Lotharingum vicit.

Vaſtatus a Gallis Palatinatus tanta acerbitate, ut Carolus Ludovicus ad ſingulare certamen, miſſa tabella, Turenium provocaret. Celebratur magnis laudibus receptus Dünewaldi.

Ad *Holzhemium* Turenium inter & Bornevillium, quem Cæſar Montecuculi loco expeditioni hujus anni præfecerat, conſerta pugna, æquo marte, parte utraque ſibi attribuente victoriam.

Turenii victoriæ.

Adjunctis dein ad Cæſareos 20000 Brandeburgicis, numeroſus fœderatorum exercitus inſigne quid præſtiturus credebatur, ſed Turenii artibus, qui multo pauciores ſub ſignis habebat copias, ita circumducti eluſique ſunt, ut, re nulla majoris momenti patrata, in hyberna, per Alſatiam potiſſimum, conceſſerint. Sed mutata repente ſcena, hoſpitio una omnibus excedendum fuit.

Quippe Turenius, decem millibus e Belgio, aliisque ſuppetiis

tiis auctus, e latibulis suis prorumpens, rigida licet hyeme in securos sui & desides irruit. Geminum commissum prælium, ad *Mülbusium* primum, ad *Colmariam* cum universo fœderatorum exercitu alterum. In utroque victores Galli, tota Alsatia hostes exegerunt; qui relictis 3000 captivis reliquum hyemis in Brisgoia, Suevia, & Franconia egerunt.

Infaustæ expeditionis caussa a Brandeburgo conjecta in Bornevillium: in quæstionem propterea Viennæ vocatus, judicio absolutus est, Hispanis in Catalonia copiis deinceps præesse jussus. Germana caussa tot ducum discordia, quæ vitari non potest, ubi plures pari potestate imperant. Tum enim nec consulendi, nec exequendi celeritas, neque arcanum, neque efficacia constare potest, ita comparato mortalium ingenio, ut pene acie quam consilio vinci malint.

In Belgio iisdem caussis eadem mala fortuna administratum est bellum. Ad Seneffam Condæus Cæsareos, Hispanos, & Batavos vicit, magna tamen suorum strage. Decreto a fœderatis altero prælio *Souchius* Cæsareorum dux se subduxit: graviter propterea accusatus Viennæ, *Sporckio* tradere exercitum, & in suis, quos in Moravia habebat, fundis exulare jussus, ignobili otio decessit. Creditum, quod homo Gallici generis, bellicarum artium multo peritissimus, populares suos plus amarit, quam fides Cæsari data admitteret. Et Condæi. Souchius. Sporck.

Anno 1675 novus, idemque vetus, belli socius accessit Franciæ, *Suecus* videlicet, jam dudum Galliæ amicitiam utilem expertus. Cusum telum in Brandeburgum, cui id crimini datum, quod per Alsaticam expeditionem violaverit Pacem Westphalicam, cujus vindicandæ propria semper regum Sueciæ cura fuerit. Violata item *Vossemensia* pacta, pro quorum securitate caverit Suecia. Ratisbonæ quidem bellum in Franciam decretum, satisfacturum tamen fuisse Electorem, si pro rata contribuisset. Quando tot pro pace Suecorum labores sint abjecti, armis tandem conciliandam. Gallo accedit Suecus.

Opposuere Brandeburgici, monstrare satis Suecos, quod pacis Westphalicæ interpretationem, rerumque Germanicarum arbitria cum Gallis sibi vindicent, modum finesque describant, intra quos patriam defendere liceat. Quod in Alsatiam moverit, decretis Imperii obsecutum, vindicando Burgundico Imperii circulo, ac ne Palatinus servituti Gallicæ succumberet. Quod ultra debitum milites duxerit, boni civis officio functum, spectantis, quid reipu-

blicæ expediat, non, quid hosti patriæ placeat. In fœderum tabulis eam diserte conditionem adjectam, ut salvum sit, quod Imperio debetur, officium.

Post velitationes libellaticas, trajectæ, duce Urangelio, in Pommeraniam & Marchiam legiones, dissimulante initio Brandeburgo, bello Rhenano distento. Ratisbonæ hostis Imperii declaratur, qui statuum quemquam armis invaserit. Omissum Sueciæ nomen, quia hostilitatem necdum professa, defensionis & securitatis titulo irruptionem illam excusabat.

Ceterum præter publici nominis authoritatem parum iis decretis allatum commodi. Moguntinus (Metternichius, qui Schönbornio successerat) tenues vires, Coloniensis & Palatinus domesticas calamitates opponebant. Bavarus legato mandatum dederat, ab Hannoverano & Sueco ne dissentiat. Saxo pacem occinebat. Nemo, nisi alienis stipendiis, militem cogere: transitum omnes per suas ditiones amovere: privatis commodis intendere; reipublicæ bene quidem cupere, parum vero aut nihil in commune conferre.

Quin bellum Sueco indiceretur, omnium maxime obstitit Hannoveranus (excitante Francia Luneburgicos, Brandenburgo ob viciniam æmulos) is quæstuoso fœdere Galliæ devinctus, copias haud paucas sub signis habebat, alieno ære, alieno nutu militaturas. Armis ostentatis a fœderatis, id pactus est, ut neutri ac quieto sibi esse liceat, ab utraque tamen belligerantium parte præmium laboris recipiat. Et sane impetravit. Fœderatis tamen accessit Danus: magnis licet promissis a Gallis & Suecis sollicitatus.

De expeditione hujus anni 1675 deliberatum Viennæ, conclusumque, singulis ducum singulos ducendos exercitus, Cæsareis ad Rhenum: fœderatis ad Mosellam, Hispanis & Batavis in Flandria: Brandeburgo in Suecos eundum: ad æmulationem & discordiam, prioris anni labem, amovendam, hostemque in pluribus locis distrahendum.

In Bornevillii locum *Montecuculus* rursum dictus imperator, geminas a Cæsare conditiones stipulatus: primam, ne a bellico consilio pendeat, alteram, ut quatuor milliones accipiat, & belli, & castrensis disciplinæ nervum.

Conspecti ea æstate quatuor ævi sui summi duces, *Turenius*, *Montecuculus*, *Condæus*, *Urangelius*. Belli apparatus ingens; quingenta sexaginta Christianorum millia sub signis, præter classes, Hispanam, Gallicam, Anglicam, Batavicam, Suecicam, Danicam:

cam : quibus ſane viribus exſcindi poterat Ottomannorum imperium : dum hic in mutuas ſtrages itum , & paucularum urbium alterno compendio victoriæ finiuntur.

Vaubrunus, pulſis Alſatia fœderatorum reliquiis , expeditionem ad Rhenum incendiis auſpicatus , Moguntinum ita commovit , ut abdicata Galliæ amicitia Cæſareum Moguntiæ reciperet præſidium.

Alſatia , trajecto ad Argentinam Rheno, deſignabatur Montecuculo belli campus. At prævenit Turenius , totiusque expeditionis conſilia eliſit , incedens continuo ad latus Montecuculi, ne Rhenum tranſiret. Artibus hic certatum utrinque, quis alterum falleret.

Jamque ad prælium res ſpectabat, cum Turenius exploratum pro more egreſſus , tormenti glande ex equo dejectus , exanimis concidit : incredibli profecto Galliæ jactura , attonito ad fatale nuntium rege , & exclamante ( ut fertur ) : *perdidimus omnia.* Alias etiam auditus dicere : maluiſſe ſe totum amittere exercitum, quam Turenium : illum, non hunc, ſuppleri poſſe. Turenius occumbit.

Sentiebant e veſtigio cladis magnitudinem caſtra Gallica. Quippe *Lorgius* , Turenii ſocer , pari cum Vaubruno militiæ gradu , ſorte ſuperior , receptui mox cani juſſit. Recedentium tergo inſtitit miles Cæſareus, nec modicam ſtragem edidit. Cecidit cum ducibus aliis , quem dixi , Vaubrunus e gregariis quinque millia deſiderata dicuntur : tribus millibus Cæſareorum abſumptis. Patuit tunc Montecuculo Argentina , tanto molimine quæſita, nec niſi morte Turenii aperienda. Urbis magiſtratus, miſſis , qui victoriam gratularentur , pontem , urbem , ſuaque omnia victorum uſibus dedunt. Galli cæduntur.

Jamque plura loca in Alſatia receperat miles Cæſareus , fugientique ſimilis habebatur Gallus : cum adeſt e Belgio cum validis ſubſidiis Condæus, ad cujus conſpectum reſpirarunt fracti Gallorum animi. Neque per duos menſes reliquos memorabile quidquam actum a Cæſareis , quod conceptæ exſpectationi reſponderet. Hagenoa & Tabernæ oppugnari cœptæ, ſed obſidione utraque ſoluta, relictaque Alſatia, copiæ in Sueviam & Franconiam ad hybernandum ductæ.

Vapulabat fama *Montecuculi* , qui intentata a Badenſi accuſatione , Viennam conceſſit , neque ultra deinceps in campo eſt viſus. Et hæc quidem Cæſarei exercitus expeditio anno 1675 fuit.

Fœderatorum exercitum, qui 26000 conſtabat, e Palatinis , Trevi-

Trevirensibus, Luneburgicis, Lotharingicis, Osnabrugensibus, aliorumque principum copiis conflatum Cellensis ducebat, diversas longe a fratre Hannoverano rationes secutus. Trevirorum oppugnatio decreta, ut inde in Galliam pateret aditus, aut, si ex usu esset, Luxemburgo ex vicinia succurri possit.

Crequius captus.

Crequius ex Lotharingia urbi subsidio accurrens, a fœderatis acie victus, Treviros aufugit, aliis Metas potissimum se recipientibus. Reversi victores ad oppugnationem urbis (quam in obsidionem interea, dum prælium ageretur, verterant) ad deditionem eandem compulere. Crequius captivus Carolo Lotharingiæ duci traditus, qui male ab eodem prius habitus, Lotharingia spoliatus fuerat. Sed dux injurias humanitate & beneficiis excepit.

Fata Caroli III Loth.

Idem dux Lotharingiæ Carolus III dum a sociis fœderis derelictus, vel solus in Lotharingiam suam moveret, septuagenarius obiit. Nemo principum ævi illius jactatus est gravius, nemo calamitates levius tulit. Bello Suecico Cæsari utilem admodum cum suis Lotharingis præstitit operam, pars magna Nördlinganæ victoriæ. A pace Westphalica exclusus a Gallis & ducatu depulsus, in Flandria cum volonum manu Hispanis militavit. Ab his in suspicionem vocatus, captivus abripitur in Hispaniam: ubi decem annos in custodia egit. Pyrenæa pace libertati ditionique redditus, a Galliæ rege, ad quem se, Hispanicæ captivitatis dolorem ulturus, applicuerat, anno 1671 denuo rebus omnibus exutus est. Ætatis reliquum in castris potissimum egit: princeps popularis omnino, varius, in eodem statu haud diu solitus consistere. Si esset, quod largiretur, profundebat omnia in suos milites, si res deficeret, rapiendi licentiam dabat, prout contigit post P. W. ubi frequentes de eo querelæ ad Cæsarem & comitia sunt perlatæ. His moribus cum esset, licet a Cæsare & Batavis in fœdus esset receptus, nemo tamen erat, qui caussam ipsius ultra verborum officia tueretur. Successit in jus Lotharingiæ Carolus Leopoldus, defuncti ex fratre nepos, futurus belli summus imperator, patruo, excepto exilio, per omnia dissimilis, qui omnes rationes suas cum Austria conjunxit.

Suecorum clades.

Belli Suecici læta admodum se dabant initia. Brandeburgus translato summa celeritate a Rheno in Marchiam exercitu, Suecos improviso obruit: consertaque pugna victor ad Balthici oram rejecit. Conjunctus dein cum Dano, & Cæsareis auxiliis, quæ Coppus adduxerat, in Pommeraniam citeriorem irruens, totam ferme provinciam Suecis eripuit.

Bremensem agrum primo Monasteriensis, tum Luneburgici inunda-

undarunt; jamque diviſerant inter ſe, quamvis non ſine contentioſa æmulatione, Germanicas Sueciæ provincias Brandeburgus, Monaſterienſis, Danus, Cellenſis, belli ſocii.

## ARTICULUS VIII.

### *Excerpta ex actis publicis hujus temporis.*

### § I.

### *Conatus Sueciæ pro pace.*

SUeciæ rex initio belli velut *mediator* vehementer urgebat pacem 31 aut ſaltem inducias. Hinc per ſuum apud aulam Cæſaream legatum Eſaiam Puffendorffium inſtitit, ut Imperator ulteriorem copiarum ſuarum progreſſum ſiſtat, & induciis annuat, quibus pacificationis negotium Coloniæ tractari queat.

Reſpondit Imperator 25 Aug. 1673, in ſe nihil moræ futurum, quo minus induciæ fiant. Sed aliam mentem eſſe Galliæ, quæ contra tenorem pacis Weſt. infeſtis armis Germaniam affligere non deſiſtat. Sperari, regem Sueciæ juſtam defenſionem non modo non improbaturum, ſed tanquam nobile Imperii membrum & pacis Weſt. vindicem promoturum. Deduceret rex Galliæ quantocius copias ſuas ex Imperii finibus, læſis ſatisfaceret, regno ſuo contentus viveret: & pacem expeditam fore.

Minus accepta erat legato reſponſio, eo etiam offenſus, quod memoriale ſuum *libelli ſupplicis* nomine ſit compellatum. Quare datis ad Baronem Hocherum aulæ cancellarium litteris de hoc conqueſtus, aliud Cæſareæ reſolutionis exemplar petiit, adjecitque, pacem jam dudum fuiſſe redituram, ſi oblatæ a regibus induciæ non ita temere fuiſſent rejectæ.

Nemini, niſi regis ſui officiis deberi, quod Galliarum rex, expugnato nuper Trajecto, arma victricia non modo ulterius in Brabantiam non protulerit, verum etiam inhibuerit, ne Condæus in Hollandiæ interiora penetraret. Quæ omnia ſi ab altera parte vilipendantur, nihilque producatur, quod tam manifeſtis in æquam pacem propenſionibus reſpondeat, non obſcurum fore, in quem omnis continuati auctique belli culpa cadat, & quibusnam conſiliis debeatur, Germaniam, & cum ipſa totam fere Europam bello internecino ſine omni adhuc neceſſitate conflagrare. Cancellarii eſſe ad id incumbere, ut Cæſar a tali labe immunis præſtetur.

Reposuit Hocherus, nullatenus se dubitare de Sueciæ studio promovendi pacem. Eandem Cæsaris esse mentem: & cum hic suo contentus vivat, nec alienis inhiet, si de mediis conveniri non possit, facile quemvis perspecturum, an culpa dilatæ pacis sit penes sua defendentem, an penes aliena invadentem.

Si tantus Galliæ pacis amor, cur non acceptata declaratio Cæsarea? cur Imperium novo peregrino milite inundatum? cur mediatores non admissi? cur leges præscribi velit Imperatori, se ac sua defendenti? cur pro crimine habeatur, siquis devotionem, Imperatori & Imperio debitam, profitetur? cur innoxii status hostiliter tractentur? Si Gallus ad interpositionem Sueciæ in interiora Hollandiæ non irrupit, cur classis Anglo-Gallica summo conatu descensum in Hollandiam & Zelandiam usque in hodiernum diem moliatur.

Facile proin orbem dijudicaturum, cujus consiliis debeatur, Germaniam bello accendi; nisi forte crimen sit, injuriam repellere, aut fas sit, alterum offendere, nefas vero se defendere. Ceterum scire se, quid DEo, Cæsari, & Imperio debeat, redditurum gesti sui muneris rationem, ad quos pertinet.

## § II.

### *Litteræ Electoris Bavariæ ad Cæsarem.*

FErdinandus Maria Elector Bavariæ, amantissimus pacis princeps, Cæsari persuadere conatus est, ne propter Hollandos bellum in Germaniam adducat. Sperasse se, ajebat, acceptis Brandeburgici Electoris litteris, pacis opus exoptato fine terminatum iri; sed certis e locis intellectum, regem Galliæ, fama de novo in Imperium mittendo Cæsareo exercitu concitatum, Turenio mandasse, ut cum exercitu in interiora Imperii penetret, idque jussum Grammovillium Cæsari, & Gravellum statibus Ratisbonæ indicare: facta tamen iterum promissione, si Imperator rebus Batavicis se immiscere desistat, exercitum suum ex Imperii finibus abducendi.

Quoniam vero Cæsarea sua majestas semper asseruerit, & nuper primum confirmarit, copiarum suarum cum Brandeburgicis conjunctionem nihil aliud spectasse, quam ut Electori fiat satis, nunc autem restitutis regionibus suis eidem sit satisfactum, rex etiam Franciæ, cum Cæsare & Imperio (si Batavorum negotiis se non immiscuerint) amicitiam sit culturus; ideo rogare se, ut Cæsarea

ſarea majeſtas præſentiſſimum tot innocentum ſtatuum & ſubditorum diſcrimen & interitum apud ſe repetat, & neutiquam committat, ut arrogantia Batavorum, neque de domo Auſtriaca neque Imperio quidquam meritorum, pax & tranquillitas dilectæ patriæ evertatur, bellumque cruentiſſimum, citra cauſſam & neceſſitatem, in Imperii viſcera, aut potius hæreditarias provincias & regna transferatur: quod malum imminens periculumque prorſus auferri poſſit, ſi Cæſar declaret, rebus Batavicis, auxiliares ſubmittendo copias adverſus regem Franciæ, ejusque fœderatos, poſthac ſe nullatenus immiſturum.

Addit in fine, confidere ſe, hanc ſuam ex animo profectam admonitionem, quam cura boni publici, & imminens ſuis etiam provinciis diſcrimen extorſerit, æqui boniqueCæſarem conſulturum.

*Schleishemii* 6 *Jun.* 1673.

## *Reſponſio Cæſaris.*

PAcis non minus ſemper amantem ſe fuiſſe, ait, atque optare, ut particulares Electoris Brandenburgici cum corona Galliæ tractatus in pacem univerſalem eant. Quæ tamen eo minus ſperari poſſit, quo apertius conſtet, quod Galliarum rex eo tempore, quo ſuas copias Cæſar cum Brandenburgicis conjunxiſſet, per ſuos ubique miniſtros ſancte appromiſerit, quod, quamprimum Cæſareæ & Brandenburgicæ copiæ in provincias hæreditarias fuiſſent retractæ, ſuum etiam militem ex Imperio vellet abducere. Retractis illis, hæſiſſe iſtum in Imperio, quin imo intimius penetraſſe; ſtativa & hyberna pro libidine deſcripta, tributa imperata & extorta, urbes Imperii arcesque occupatas, minas in Cæſareas & ſocias copias ſparſas, pluresque alias a Gallis illatas injurias commemorabat, quæ vindicem manum omni jure depoſcant.

Sperare ſe proin, Electorem ſinceram Cæſaris intentionem, re maturius expenſa, ſolide promoturum. Cauſſæ autem ſuæ juſtitiam ſe DEo permittere. Fœdera, quæ iniiſſet, ſolam Weſtphalicæ, Clivenſis, & Aquisgranenſis pacis, a Gallis violatæ, obſervationem ſpectare.

Quod Generales fœderatorum ſtatuum Ordines attinet, injuſtum videri poſſe rerum ignoranti, ſi ſuum extra Imperium militem in eorum adverſus coronam Galliæ ſubſidium amandaſſet: hoc tamen a ſe non eſſe factum.

Neutiquam igitur perſuadere ſe ſibi poſſe, quin Elector præcipuus,

cipuus, proximusque consanguineus acta sua non solum sit probaturus, sed verbo etiam & consilio promoturus, officiis suis commovendo Galliarum regem, improbis cœptis absistat: militem suum a tractu Rheni omnique Imperio abducat: universalia priore anno oblata armistitia admittat, atque ita toti Christianitati pacem & tranquillitatem tribuat. Quo casu visuros omnes, nihil, quod in eam rem sit salubre, a Cæsare prætermissum.

*Viennæ* 20 *Junii* 1673.

## *Responsio Electoris Bavariæ.*

CUm Elector ex datis ad se intelligeret, Cæsarem suo in Imperium mittendi exercitum proposito insistere, acriores aliquantum pro candore suo exaravit.

Perpenderet secum, rogabat, sacra Cæs. majestas, an non præstet, pauculis verbis, sine omni jactura, sibi, hæreditariis suis provinciis, totique Imperio pacem & quietem dare, quam plenam discriminis aleam subire, & omnem Germaniam summis belli calamitatibus involvere. Christianissimum regem aliud non expetere, quam ut Cæsar caussam Batavorum, ad Imperium nihil pertinentem, & quibus, de Imperio nihil meritis, nulla obligatione sit obstrictus, abdicet, & militem suum intra hæreditarias provincias contineat. Hoc obtento illum ocius Germaniam copiis suis evacuaturum: aut si Cæsar hoc nolit, eundem regem superiorem Rhenum deserturum, dummodo Cæsar promittat, vel solo hoc anno, nullam in Imperium expeditionem suscipere.

Credendum non esse, Imperatorem in pacificatione aliena, qualis est Clivensis inter Batavos & episcopum Monasteriensem, & Aquisgranensis, inter Galliam & Hispaniam inita, adstringere se voluisse ad violandam capitulationem suam Cæsaream, & pacem Westphalicam universalem, quæ sit pragmatica sanctio, & inter fundamentales leges Imperii.

Si Rom. Imperium usque eo Cæsareo milite esset aggravandum, quoad bello liberaretur Christianitas, pereundum ipsi fore. Interpositis officiis melius conciliandam Hollandis pacem, quam armata in Imperium expeditione, quæ bellum non sit extinctura, sed in ipsa patria magis inflammatura; quo fiat, ut dum ad restinguendum alienum incendium accurrimus, proprias ædes in tristes cineres simus daturi, & universalem Christianitatis pacem quærendo propriam amissuri simus. Nullam sane videri caussam, cur

propter

propter gentem alienigenam, eamque immeritam, pax & tranquillitas domestica immoletur, magnoque ruinæ periculo objiciatur. Vereri se profecto non abs re, ne Cæsar per bellum ad fines, quos armis suis præfixit, neutiquam sit perventurus.

Quare Cæsarea majestas etiam atque etiam calamitates & pericula interitus perpenderet, quæ bellica expeditio toti Imperio esset attractura. Si Gallia contra fidem sancte datam copias suas ab Imperii finibus nollet abducere, tum enimvero omnes facile Electores & fideles status in Cæsaris sententiam ituros, nec se postremum fore, qui vires suas patriæ libertati vindicandæ, iisque, quæ e re & usu reipublicæ fuerint, decernendis sit impensurus.

Sicut econtra nemini vitio vertendum, qui ad propulsandum bellum non necessarium, & orituras inde patriæ miserias, eo sua consilia dirigat, quo sua Imperio pax sarta tecta, & sua cuique jura maneant illæsa.

*Schleishemii* 24 *Junii* 1673.

## *Responsoriæ Cæsaris.*

Repetit in his Cæsar ferme priora: non esse quæstionem, quid Batavi mereantur, sed quid Cæsarea auctoritas, Imperii libertas, pacis West. conservatio: quid invasio Germaniæ, persistens in ea hostis exterus, captæ urbes arcesque, illata tot statibus damna, exigant. Quasi vero Romanus Imperator leges debeat ab exteris accipere, & velut jam prostratus ad omnia silere, connivere, quiescere, donec fractis vicinis potentiis, auctas in illum ejusque archiducalem domum, Imperium, atque Germaniæ libertatem, vires exerat.

Excedat Germania, reddat ablata, damna sarciat: & omnia in pacem Imperii prona fore. Jam vero cum hostis in Imperii visceribus hæreat, dominetur que, minas spargat, ipsumque Electorem Bavariæ ex partibus suis stare jactitet, facturum se, quod ex usu sit Imperii, quodque spreta Cæsarea auctoritas a se deposcat.

Quemadmodum autem dixisset Elector, paucis verbis posse Imperatorem pacem conservare, ita ab Imperatore dici, quod Elector paucis possit eandem confirmare ac stabilire, si Cæsari adhæreat, & pro Imperii gloria omnes vires exerat. Confidere se, eum nullis adversis consiliis a cognato & amico Cæsare alienandum.

*Viennæ* 28 *Junii* 1673.

*Vid. de his Brewerus part. VI Tractat. in fine.*

## § III.

*Propoſitiones pacis a Cæſareis conceptæ.*

QUamvis Cæſar a propoſito novam adverſus Gallos expeditio-
32 nem ſuſcipiendi abſterreri ſe non ſit paſſus, id tamen dedit urgentibus pluribus Imperii ordinibus, ut ideam quandam pacis in hæc capita proponeret.

1. Ut paci Monaſt. ſatisfiat, revocet rex Chriſtianiſſ. omnes ſuas copias ex Rom. Imperio, immediate poſt confectam ab Imperatore pacem: & in futurum obſervet dictæ pacis leges.

2. Reſtituat ſtatim omnes urbes, arces, & locos, ad Imperium pertinentes antiquis poſſeſſoribus, ſalvo jure tertii.

3. Ratione damni illati conveniat rex cum prætendentibus, & illis congrue ſatisfaciat.

4. Nullum ſtatum in futurum ſtativis, tranſitu, hoſpitationibus aut alio modo turbet: nec plus juris, quam per pacem Monaſt. ipſi conceſſum eſt, in Imperio ſibi arroget.

5. Controverſiæ circa Alſatiæ civitates per arbitros conſtitutos decidantur, & eorum laudo ſtetur.

6. Idem obſervetur circa controverſias trium epiſcopatuum in Lotharingia.

7. Reſtituatur Lotharingia iis conditionibus, quibus Imperator & rex convenient. Salva ſint Imperio omnia jura, quæ ratione Lotharingiæ eidem competunt. Stetur transactioni Norimbergenſi, inter Imperium & ducem Lotharingiæ anno 1545 concluſæ. Si vero Cæſar & rex intra trimeſtre non convenirent, reſtituatur mox Lotharingia in eo ſtatu, in quo fuit ante ultimam deſtitutionem; quoad alias conditiones arbitri ſint Electores Moguntinus, Bavarus, & dux Brunsvicenſis Zellenſis.

8. Rex Galliæ ſervabit pacem Aquisgranenſem, non obſtantibus quibuscunque querelis & prætenſionibus. Et Imperator hujus pacis ſponſorem agat. Rex Chriſtianiſſ. propter controverſias ratione locorum in Belgio ceſſorum ortas, vel orituras, ad arma nunquam deveniat, ſed arbitris, utrimque delectis, illas committat.

9. Querelæ pariter regis Catholici de damnis, per bellum Hollandicum ſibi illatis, arbitris committuntor.

10. Promittat rex Galliæ, quod cum Batavis quamprimum pacem æquis conditionibus inire velit. Mediatores hujus pacificationis ſunto Suecus, Moguntinus, Bavarus, & Brunsvico-Zellenſis.

lensis. Angliam quoque Gallus ad pacem disponat, & statim cum Hollandis inducias faciat. Si Batavi æquas pacis conditiones respuerent, nullas illis Imperator in futurum suppetias feret, secus vero, si Gallus tales respueret.

11. Consentiat rex, ut omnes principes tanquam sponsores pacis concludendæ se obligare possint, prout communis securitas requirit.

## *Responsio Gallorum ad has propositiones.*

AD 1. ut paci Monast. satisfiat, Cæsar promittat, se nunquam amplius copias auxiliares directe vel indirecte extra Imperium hostibus Galliæ submittere, & tractatus in posterum religiose observare. Rex autem post pacem ratificatam omnes copias suas revocabit. Confœderati etiam regis sint comprehensi, iisque Cæsar perpetuam amnestiam promittet.

Ad 2. hoc post pacem cum Brandeburgo initam est superfluum: & continetur in primo.

Ad 3. nihil potest prætendi.

Ad 4. rex exactissime observabit pacem West. aliud nihil hic stipulandum.

Ad 5. in caussa arbitrii Alsatici procedatur ad normam tractatus anni 1671.

Ad 6. eadem est responsio.

Ad 7. rex non potest ratione Lotharingiæ admittere interpositionem Cæsaris, per exercitum suum in campo offensive se habentis. Dux frui potest justa & favorabili declaratione regis, ad hanc rem facta.

Ad 8. rex Catholicus contineatur in hoc pacto cum oblivione omnium contraventionum dicti regis.

Ad 9. quamvis rex Christianiss. a copiis regis Catholici multum damni sit passus, bono tamen pacis illud consecrabit.

Ad 10. Cæsar polliceatur, nec directe nec indirecte bello Hollandico se immiscere, idque vigore tractatus Westphalici, & altero primum abhinc anno (1671) Viennæ ob hoc negotium specialiter conclusi.

Ad 11. rex super pacis stabilis & universalis conservandæ sponsionem conveniet, juxta tenorem & executionem pacis West. quam sancte & integre servare intendit.

*Videri*

*Videri etiam poſſunt de ſtatu horum temporum Theatr. & Diar. Europ. Struv Wagn. Rinck. in vit. Leop. Lambec. in Bibl. Cæſ. Maſcov. introductio. Puffendorf. de reb. Brandeb. Laquille Hiſtoir. d' Alſace. Buiſon vit. Turen. Köhler vit. Imp. Pfeffinger.*

## § IX.

### *Pacificationis Neomagenſis initia. Belli proſecutio.*

33 FErvente licet bello graviſſimo, pacis tamen ſuſcepta cogitatio; cumque ſoluto Colonienſi conventu, Suecia aperte ad Gallos tranſiiſſet, conciliatoris officium ad Carolum II Angliæ regem, qui, pace cum Hollandis compoſita, mediarum tunc partium habebatur, deferendum putabant. Miſit is Templium & Arlingtonum. *Neomagum*, celebris Geldriæ civitas, lecta conventui locus. Formantur variæ pacis ideæ: nulla omnibus placet.

Interim vero, dum Neomagi de pace certatur, bellum ubique eo ferocius geſtum eſt atque imprimis eo allaboratum, ut Bavarus etiam & Hannoveranus, quorum ſinguli ad 20000, Gallorum, ut credebatur, ſtipendiis ſub ſignis habebant, communi fœderi conciliarentur. At impetrari tum nihil poterat. Illum Electrix Sabauda & Schmidius cancellarius, hunc Franciæ largitiones, & conceſſa alieno in ſolo militum hoſpitatio retinuiſſe exiſtimabatur. *Wagn.*

Anno 1676 hybernis inter Palatinatus, Sueviæ & Franconiæ calamitates exactis, cœpta expeditio a victis incendiariis. Quippe *Schulzius* noctu eos oppreſſit, 600 a ruſticis trucidati, Monclaſſius Alſatiæ gubernator, & Broſſius tribunus capti, & in Neoſtadienſem cuſtodiam ducti.

Suffecto dein in Montecuculi locum Leopoldo Carolo *Lotharingiæ* duce, & in Bornevillii Friderico Badenſi, cui Hermannus Badenſis legatus eſſet; Philippoburgi oppugnatio decreta eſt. Ductæ obſidionales viæ, brevique ad foſſam perventum. Multi dein dies conſumpti comportandis in illam faſcibus, ducendis cuniculis, exſtruenda vinea. Octava Auguſti deditionis ſignum extulerunt obſeſſi: honeſtisque legibus Hagenoam dimiſſi. Fayum propugnatorem Badenſis pretioſo enſe donavit. Impoſitus urbi miles Cæſareus, non ſine murmure. Palatinus ſolo æquari munimenta voluit. Sed reſponſum: ſi nullum eſſet Philippoburgum, communi ſumptu exſtruendum fore, ne Briſacenſe præſidium Rhenum omnem Moguntiam usque in poteſtate habeat. *Philippoburgum captum.*

Interea

Interea vero, dum Lotharingus cum exercitu oppugnantes tegeret, Luxemburgus, cum obsessis opem ferre non posset, in Brisgoiam primum irrupit, eamque vastavit. Tum vero Mompelgardam Galli occuparunt. Bipontum a Cellensi & Monasteriensi frustra tentatum.

Lotharingus ineunte Novembri exercitum in stativa dimisit, legionibus 14 in Suevia retentis, totidem per Franconiam distributis. Galli per Alsatiam, Lotharingiam, Burgundiam sparsi.

In Pommerania Mardefeldius, Suecorum dux, Wolgastum frustra oppugnat. At felicior Brandeburgus, Cæsareis & Luneburgicis copiis adjutus, Anclamum & Deminum expugnat. Danus in Gothlandiam & Scaniam irrumpens, mari Suecos vincit, terra vincitur. Brandeburgus apud Cæsarem vehementer institit, ut in Saxonia & Franconia sibi hyberna decernantur, secessionem alias minitatus.

Neomagi totus hic annus in digerendis præliminaribus, & aperienda pacificationis janua absumptum est. Contendebant Electores, prout olim Osnabrugæ, legatos suos eadem honoris significatione, qua Venetæ reipublicæ, & exterorum principum legatos a Cæsareis excipiendos; cum regibus æquiparentur Electores. Idem Luneburgici petebant. His, aliisque ceremoniarum parergis pax dilata, dum interea campi redundant humano sanguine, in busta abeunt tecta, & provinciales ad ultimam medullam exeduntur.

Annus 1677 multarum calamitatum ferax, bellum Germaniæ infaustum habuit. Hyeme inter incendia, prædas, & exactiones consumpta, direpto a Gallis Biponto, & Daxburgo, prævalida Leiningiorum arce occupata, ineunte vere expeditionem memorabilem omnia spectabant.

Lotharingus, facta lustratione, ad 50000 florentissimi militis, sub 45 tribunis censuit. Exercitus alter viginti millium sociorum Isenacensi duce parabatur: ut adeo res magnas ad Rhenum effectum iri appareret. Disceptatum autem, quodnam ex tribus consiliis maximo ex usu videretur: an, quod Auriacus volebat, Flandriæ laboranti succurreretur? An Brisacum oppugnandum? An vero tentanda in ipsa Galliæ viscera irruptio? Hoc ultimum placuit, effectu infaustum; quippe exercitus Cæsareus, quo se altius in hosticum immiserat (incedente ad latus, & nusquam se indulgente Crequio) eo majori annonæ penuria laboravit, ut adeo viam in Germaniam relegere, re infecta, coactus fuerit. Redux miles, sed trimestri peregrinatione imminutus, salutatam a se Galliam, eminusque inspectam narrabat. Irruptio in Galliam infausta.

Sumptus immanes, æstas tota, nullo emolumento consumpta, de Lotharingi existimatione, hactenus parta, multum detrahebant: præsertim apud vulgus, quod non nisi a captis urbibus, aut præliis consertis duces æstimare consuevit, atque ab eventu consilium metiri. Aliud erat peritiorum judicium. Fuerat quippe cum Batavis ita conventum, ut primo vere Cæsarei Campaniam, Isenacensis Burgundiam, Auriacus Picardiam tentaret. Verum a solis Cæsareis, restitantibus sociis, procursum.

Crequius Friburgum capit.

Cæsareus exercitus jam per Spirensem, Wormatiensem, Moguntinum, Trevirensem, Suevicum, Hassiacum agrum in hyberna dimissus fuerat; cum *Crequius*, Gallorum ductor, variis occultis itineribus clam in Brisgoiam ingressus, improviso exercitum *Friburgo* admovet. Bidui fossione ad valli marginem perventum, tantaque vehementia muri verberati sunt, ut *Schüzius* quinta oppugnationis die urbem cum arce dederet, cum 2500 præsidiariis integris & valentibus, ac duobus tormentis, permissus Rhenofeldam excedere. Brisgoiæ totius opes, huc a provincialibus subductæ, præda victoribus cessere. Magnum exinde Crequii nomen, qui expeditionem periculosam Galliæ tam nobili fine coronasset. Proditionis postulatus Schüzius; sed a vinculis Viennæ absolutus & judicio.

Felix tamen in tam infelici expeditione & jactura videri poterat Germania, si cum Belgii fortuna comparetur. Valencenæ, Cameracum, Audomarum a Gallis expugnatæ; ad Moncassellam ingenti clade profligatus Auriacus. Batavorum animus concidere, pacem non jam petere, sed afflictim rogare.

Suecorum ruinæ.

Non tamen in Septentrione Sueci eadem fortuna, qua Galli erant eorum socii. Quippe Brandeburgus Stetinum, Pommeraniæ caput eisdem eripuit. Adhæc navali prælio a Danis victi, tota classe aut submersa, aut in victorum potestatem redacta. Altero dein prælio ad Bornholmiam insulam superati. Exscensione autem in Scaniam facta a Danis, in dextro cornu victi sunt Sueci, in sinistro vicerunt.

Lotharingi nuptiæ.

Quamvis autem Carolus Leopoldus Lotharingiæ dux minus felicem expeditionem suscepisse visus sit, tantum tamen abest, ut ejus apud Cæsarem gratia minueretur, ut etiam Eleonoram sororem suam, Michaelis Polonorum regis viduam eidem, quamvis exuli, desponderet, jacto tunc fundamento, ut serenissima domus Lotharingica ad summum humanæ dignitatis apicem esset evehenda.

da. Celebratis Neoſtadii nuptiis, Carolus cum conjuge Oenipontum ſe contulit.

Sed brevi inde avulſus anni 1678 expeditionem ſuſcepit, cujus ſummam in eo collocaverat, ut Friburgum reciperet. Sed cum lente ex hybernis ſe colligeret miles, prævenit Crequius, injectoque valido præſidio, primo Rhenofeldam, dein Offenburgum, demum Argentinam tentavit: ſed Lotharingi virtute omnia ejus molimina ſunt diſſipata. Celebratur memorabile ejus iter per ſylvam Herciniam, ut Offenburgo ſuccurrat: civium Rhenofeldenſium fortitudo & conſtantia in hoſte repellendo. Kellam tamen, aliaque ad Rhenum munimenta interceperunt Galli. Quibus peractis in hyberna utrinque diſceſſum; finiitque hoc bellum, felicius futurum Germaniæ, ſi Batavi, quorum bono ſuſceptum fuerat, largius junxiſſent opes.

In Pomerania cecidere hac æſtate (1678) Rugia, Straleſunda, Grypswalda, Suecorum in Germania triſtes reliquiæ. Atque imprimis Brandeburgus inſulam Rugiam non niſi 40 hominum impendio ſubegit, capta præda inſigni, equis 2500 omnibusque Suecorum impedimentis. Exſtructis dein raptim per noctem ad Straleſundam ſuggeſtibus, octoginta majoris formæ machinis muros verberat. E vicenis mortariis ignitarum pilarum veluti grandinem in ædes depluit, opera Weileri machinatoris celeberrimi. Ortumque quinque locis incendium urbis Königsmarckio deditionem extorſit.

Brandeburgi de Suecis victoriæ.

Fuit ſane incredibilis hæc Electoris Friderici Wilhelmi felicitas, qui urbem prægrandem, maritimam, hactenus invictam, quatuordecim armatorum millibus plenam, omni munimentorum & bellici apparatus genere inſtructam, ſeptem non amplius millibus, ſine claſſe, ſedecim horarum oppugnatione ceperit. Ad quam Wallenſteinius, ſummus ſuo ævo dux, gloriam & exercitum irriſus contriverat: licet eam, ſi vel cælis adhæreret, catenis ſe detracturum ſit minatus. Atque ita, uti Sueci hanc primam in Germania urbem ceperant, ita ultimam amiſerunt.

Quantum Suecorum ſupererat, in patriam navigantes in Bornholmiæ cautes alliſi, 2200 frigore enecti, aut aquis hauſti ſunt: qui e naufragio vitam extulere, a Dano capti Haffniam abducti vindicante DEO Germaniam calamitatibus oppreſſam.

In Flandria Galli Gandavum & Ipras expugnaverant, antequam Batavi militem hybernis eduxerant. Auriacus, ut labem abſtergeret, prælio hoc bellum finiendum ſtatuit. Anceps fuit victoria. Et recruduiſſet pugna, niſi pax concluſa fuiſſet nuntiata.

# ARTICULUS X.

## *Pacificatio Neomagensis.*

34 CÆsar, in hoc rerum articulo pacem a Gallis non satis æquam obtinendam ratus, bellum totis viribus continuari suadebat: debellato jam Sueco, a Brandeburgi victricibus copiis novum fœderi robur accessurum: pluresque principes ad illud excitatum iri, turpi miseraque pace, qualecunque etiam bellum potius esse. Si Francia ultra increscat, Angliam vel invitam cum fœderatis arma juncturam. Idem erat Dani & Brandeburgi sensus: at vero Hispania & Batavia omni conatu in pacem ferebatur: cujus desiderium Francia quoque in hoc felici rerum suarum statu prætetulit.

Anno 1677 20 Febr. tractatus inchoati. Galli Cæsari ac Brandeburgo Westphalicam Pacem, Danis Haffniensem offerebant, cum Hispano ex interdicto, *uti possidetis*, transigere volunt. Damnorum præstationem & sumptuum exigunt. Contra vero Cæsarei, præter damnorum compensationem, omnium, quæ ablata sunt, restitutionem postulant. Hispani loca omnia, ab anno 1650 occupata. Danus & Brandeburgus res, quo sunt loco, a Suecis relinqui petunt. Batavi, cum reliqua omnia jam recepissent, præter Trajectum ad Mosam, id sibi restitui a Gallis desiderant.

Multum igitur contentiones inter & hæc litigia temporis transactum, cum retinere Gallus omnia, Hispani amittere nihil, nihil reddere Brandeburgus, recipere omnia Sueci constituissent.

Primi omnium Batavi, quorum tamen caussa bellum a Cæsare cœptum fuerat, a fœdere deficientes, ut *Trajectum* reciperent, ad privatam pacem adspirabant; id etiam palam contestati, nisi aut Angli in medium veniant, aut aliis, quam fecissent hactenus, apparatibus bellum gererent fœderati, evitari pacem, quamvis difficilem, non posse. Nonaginta hominum millia Batavorum stipendiis vivere. Sexennium hoc unicum pluris, quam octoginta annorum cum Hispanis bellum, sibi stetisse. Notas in Anglia Parlamenti cum aula pugnas nihil inde spei promittere. Fatalem Flandriæ hanc æstatem fore. Bello amissam iri totam, nisi pace pars servetur.

Batavi privatam pacem ineunt.

Brandeburgus quoque, retinendæ, quam occupaverat, Pomeraniæ sollicitus, privatam a dominante Gallia pacem petit. Multa in eam promissa adjicit: velificaturum se Galliæ commodo,

do, cui plus ſtudii, quam Sueci, exhibere poſſit, in quam rem ſat cautionis daturus ſit. Poſſe in Germania emergere occaſiones, Galliæ favendi: ut hanc nunquam exhibiti beneficii pœnitentia ſubitura ſit. Sed intempeſtivis his blandimentis aliud nihil effectum, quam ut confirmaret in opinione Gallum, nihil eſſe facilius, quam diſſolvere fœdera, per multos ſparſa.

Cum Batavis primum pax conflata, reddito Trajecto. Kinskius Cæſareus legatus, porrecto illis libello, damnare ipſorum pacem, ut injuſtam, publicæ fidei, juratis pactis, divinis humanisque juribus adverſam. Acerbiorem epiſtolam Brandeburgus ſcripſit. Secuta haud paulo poſt pax cum Hiſpanis: relicta Gallis tota Burgundia, Valencenæ, Ipræ, Tornacum, Aria, Cameracum, Audomarum, nobiliſſimæ urbes. Reliquæ, quas magno numero occupaverant, reſtitutæ.

Derelictus a ſociis Cæſar quoque coactus eſt pacem inire, relicto in manibus Gallorum Friburgo, ut Philippoburgum reipublicæ ſervet: de cetero pace Weſtphalica uſus.

Pereundum jam Brandeburgo, aut pax ſancienda, Crequio Cliviam populante. In omnes Elector partes ſe verſaverat, ne Pomeraniam amitteret, aut Stetinum ſaltem retineret, Cliviam etiam offerens. Sed Galli verbo uno diluebant omnia: ad fidem regis ſui pertinere, ne Suecia amicitiæ cauſſa quidquam detrimenti patiatur. Sueci vero dicebant, perinde ſibi fore, Stetinum ac Holmiam amittere. Subſcribenda igitur fuit pax San-Germana. Cedendumque citeriore Pommerania. Quam alia tunc Galliæ & Brandeburgi conditio, ac hodie! Sueci amiſſa recuperant per pacem.

In Cæſarem inde, tanquam feſtinata pace fœdus violaſſet, bilem exeruit, cum Gallia fœdus ſuſpectum molitus. Et licet, ad leniendum dolorem, Cæſar pactum hæreditarium, per quod in caſum, quo tota Neoburgica & Solisbacenſis familia eſſet emoritura, in Juliacenſes ditiones ſuccederet, confirmarit, nihilo tamen placatior, adverſari non deſiit: unusque maxime interceſſit, ubi Cæſar pro Friburgo Uberlingam & Offenburgum petiit, Northuſium ac Tremoniam, qui nihil amiſerat, ſibi depoſcens.

Poſtremus omnium Danus, cum Gottorpienſis lis diu eſſet diſceptata, pacis leges recepit, Scania abſcedere juſſus, atque ad Haffnienſem pacem, Daniæ pernicioſam, remiſſus.

Hunc exitum anno 1679 habuit famoſa Neomagenſis pacificatio, qua afflicta Germania, enervata Hiſpania, Batavi, ut Trajectum reciperent, fidem amiſere; ſola Gallia aucta, totique Eu-

ropæ formidanda. Lotharingus reservato jure carere maluit ducatu, quam acerbis conditionibus recepto, pacem approbare.

## ARTICULUS XI.

### *Instrumentum pacis Neomágensis Cæsareo-Gallicum in synopsin contractum.*

35 IN proemio memoratur, quod annitente Carolo II magnæ Britaniæ rege, ceu mediatore, Leopoldus Imperator, & Ludovicus, rex christianissimus, per legatos, Joannem episcopum Gurcensem, comitem Kinskium, & Henricum Stratmannum S. C. M. consiliarium Imp. aulicum, a Cæsare missos: & comitem Destrades Franciæ mareschallum, marchionem Carolum Colbertum, & Memmium comitem Avallium, regis legatos, ab anno 1675 ad pacem sanciendam collaborarint, eamque anno 1679 5 Febr. sequentibus legibus confecerint.

I. Jubetur pax esse perpetua, veraque amicitia inter utramque Majestatem, earumque hæredes & successores, regna & provincias, nec non omnes fœderatos utriusque partis, in hac pace comprehensos, cum plena omnium præteritorum amnestia.

II. Pax Monasteriensis confirmatur in omnibus, in quibus ei hoc tractatu non expresse est derogatum.

III. Cum autem Philippoburgum armis Cæsareis, Friburgum vero armis Gallicis hoc bello sit occupatum, conventum est modo sequenti.

IV. Rex in perpetuum renuntiat omni juri in Philippoburgum, & munimenta ei juncta.

V. Vicissim Cæsar cedit regi Friburgum Brisgoiæ, cum tribus ad illud spectantibus pagis, salvis privilegiis civitatis, & jure diœcesano episcopi Constantiensis.

VI. Pateat regi ordinaria via Brisaco Friburgum per territorium Cæsaris, ad inducendos milites, commeatum, aliaque ad præsidium Friburgense necessaria,

VII. Absque ullis exactionibus, vectigalibus, pedagiis, aut passagiis.

VIII. Commissarii statuant, quænam debita Friburgo solvenda incumbant.

IX. Rex restituet Cæsari omnia litteraria documenta, tempore

pore occupationis Friburgi reperta. Quæ tamen urbem Friburgensem, aut appertinentes pagos concernunt, prout inter commissarios fuerit conventum, in certo loco deponantur, ut exempla authentica, quoties requisita fuerint, edantur.

X. Fas sit omnibus, qui volunt, Friburgo emigrare, & domicilium alio cum omnibus suis bonis transferre, sine ullo impedimento aut exactione, immobilia vero aut vendere aut retinere, & per se vel alium administrare.

XI. Restituet tamen rex Friburgum cum appertinentiis, si de æquivalenti Cæsar convenire possit.

XII. Dux Lotharingiæ restituetur in plenam possessionem statuum, locorum & bonorum, quæ patruus ejus dux Carolus anno 1670 (cum a Gallia occupata fuerunt) possidebat. Exceptis tamen mutationibus, quæ articulis sequentibus continentur.

XIII. Nanceium cum suo banno maneat coronæ Galliæ incorporatum, cum omnibus juribus.

XIV. A Nanceio ad omnes regis provincias via, dimidiam leucam latitudine complectens, pateat.

XV. Quæcunque in hac via, per commissarios definita, continentur, ad regem pertineant.

XVI. Urbs & præfectura Longvicensis cum omnibus appertinentibus & dependentiis ad regem pertineat, ea tamen lege, ut duci in uno ex tribus episcopatibus ejusdem amplitudinis & valoris præfecturam assignet.

XVII. Vicissim rex in compensationem Nancei transfert in ducem proprietatem urbis Tullensis & suburbiorum cum omnibus juribus.

XVIII. Si tamen bannum Tullense cum banno Nanceano non correspondere t, rex compensabit.

XIX. Rex renuntiat juri præsentandi ad episcopatum Tullensem ad manus summi Pontificis, a Clemente IX ipsi concesso, ita, ut liberum sit duci, pro eo obtinendo ad sedem Apostolicam recurrere.

XX. Circa eos tamen, qui a rege beneficiis provisi sunt, nulla a duce fiat mutatio.

XXI. Salvæ etiam maneant omnes regiæ sententiæ, hactenus latæ.

XXII. Restituentur duci omnia archiva & documenta litteraria.

XXIII. Cæsar consentit, ut Franciscus Egon episcopus Argentinensis, ejusque frater princeps Wilhelmus Egon Fürstenbergius,

cum

cum eorum, ex fratre nepote Antonio, eorumque officialibus & miniſtris plene reſtituantur in omnia jura, una cum fructibus ſequeſtratis, quibus ante deſtitutionem gaviſi ſunt, aut jure gaudere potuerunt. Prædictus etiam princeps Egon in plenam libertatem reſtituatur. Quæ autem contra eos facta ſunt, plena oblivione deleantur.

XXIV. Reſtituantur omnes utriusque Vaſalli, & ſubditi: exceptis tamen fructibus, poſt confiſcationem bonorum perceptis.

XXV. Conventio cum Suecis huic tractatui inſerta intelligatur.

XXVI. Officia ſua interponent, ut etiam cum Dano, Brandeburgo, Luneburgicis, Monaſterienſi, & Suecis pax ineatur. Interea autem rex aliqua in Imperio loca retineat.

XXVII. Reciproce reſtituenda loca intra menſem a ratificata pace evacuentur bona fide.

XXVIII. Cum antiqua ſit controverſia de caſtro & ducatu Bullionenſi inter Leodienſem epiſcopatum & ducem Bullionenſem, hoc in poſſeſſione manente, amice componatur.

XXIX. A ſignata pace ceſſet omnis hoſtilitas.

XXX. Contributionum exactio uſque ad ratificationem pacis poteſt continuari.

XXXI. Quæ in P. W. de Monteferrato ſunt diſpoſita, & de Sabaudiæ duce, confirmantur.

XXXII. Comprehenditur hac pace Anglia.

XXXIII. Item illi, qui intra ſex menſes communi conſenſu nominabuntur.

XXXIV. Conſentiunt, ut reges & principes hic contenta aſſecurent.

XXXV. Promittunt legati, hanc pacem ratihabitum iri, ſe præſtituros, ut ratihabitiones intra octo ſeptimanas, rite commutentur.

XXXVI. Et cum Cæſar ab Electoribus & ſtatibus Imperii decenter requiſitus fuerit, ſub ſigillo cancellariæ Moguntinæ, ut eorum intereſſe per ſuos legatos in hoc congreſſu curet, nulla a directorio Imperii contra ſubſcriptionem Cæſaream & regiam hujus tractatus recipiatur aut valeat proteſtatio vel contradictio. Acta hæc ſunt Noviomagi 5 Febr. 1679.

Arti-

# ARTICULUS XII.

## *Transactio Electoris Coloniensis cum urbe Colonia 1672.*

Longo jam tempore variæ lites & controversiæ Electorem Colo- 35
niensem cum Colonia Agrippina civitate Imperii libera collisereant. Has ut componeret Cæsar, Moguntino, Trevirensi, & Brandeburgico caussam commisit. Sed plures ac majores erant controversiæ, quam ut partes in perpetuam concordiam possent adducere; *provisionali* igitur, ne veniretur ad arma, transactione publicæ quieti consulendum putabant, adnitente potissimum Bernardo, Monasteriensi episcopo. Conventum autem in hæc capita:

1. Elector Coloniensis promittat, quod urbem nolit obsidere, turbare, aut quacunque ratione gravare, &, si damnum aliquod inferatur, illud reparare.

2. Urbs vero repromittat, extraneum militem dimittere, nullumque Electori, aut ejus subditis vel terris damnum inferre, &, si inferretur, resarcire: clero & ministris Electoralibus nullam in civitate molestiam facere.

3. Loco extranei militis copias circuli Westphalici, 1200 peditum pro sua securitate introducat, qui civitati fidelitatem jurent, & magistratus imperio subsint. Bello vero, inter alios forte orituro, urbs se non misceat.

4. Permittit Elector, ut cœptæ ab urbe munitiones absolvantur, ea tamen conditione, ut magistratus caveat de opere ejusmodi demoliendo, si posthac examinato negotio in possessorio vel petitorio pronuntiatum fuerit, loca & fundos ad Electorem pertinere.

5. Controversiæ in camerali judicio intra quinquennium decidantur, sine dilatione aut prorogatione terminorum. In termino probatoriali deputentur commissarii, qui testes examinent, instrumenta Coloniæ vel Bonnæ, ubi asservantur, inspiciant. Executio autem intra semestre fiat.

6. Interea vero pars utraque maneat in præsenti sive possessione, sive detentione, sive usurpatione.

7. Si forte lite pendente aliquid contra istam transactionem attentaretur, tamen pars altera ad viam facti vel armorum non procedat, sed Cæsari & cameræ negotium subjiciat per viam juris procedendo.

8. Acta utriusque partis Coloniæ coram jurisconsultis inrotulentur, & Spiram mittantur.

9. Cæsar implorandus, ut hanc transactionem confirmet; uti etiam Moguntinus, Trevir, Brandeburgus, Westphalicus & Inferioris Saxoniæ circuli, ut tuitionem & vadimonium hujus conventionis præstent.

*Actum 2 Januarii 1672.*

Subscripserunt, præter partes, episcopus Monasteriensis, qui præsens aderat, commissarii Moguntini, Trevirenses, Brandeburgici, Juliacenses, Paderbornenses, Nassovii.

Hanc provisionalem transactionem (quam Cæsar dein confirmavit) maxime urgebat episcopus Monasteriensis, ut Elector Coloniensis ad bellum Batavicum, paulo post cœptum, esset expeditior. Hinc etiam addita articulo III clausula, qua urbs promittit, se non immixturam bello, si forte inter alios oriretur.

## ARTICULUS XIII.

*Obitus Bavariæ Electoris. De filio conciliando studium. Mors Montecuculi.*

36 OBiit anno 1679 Ferdinandus Maria, Elector Bavariæ, ætatis 43, regiminis 28. Reliquit principes filios duos, Maximilianum Emmanuelem, magnam historiæ partem facturum, 18 tunc annos natum; & Josephum Clementem, Coloniensem postea Electorem: duas itidem filias, Mariam Annam, Galliæ Delphino anno 1680 nuptam, & Violantam Beatricem, Ferdinando Hetruriæ principi desponsam.

Fuit Ferdinandus Maria pacatissimi & optimi prorsus ingenii princeps; qui laceras a bello Suecico provincias nactus, 28 annorum spatio tanta sapientia, mansuetudine, pietate, tranquillitate, reparavit, atque in perpetua pace gubernavit, ut Bavariam ad plenam omnium rerum opulentiam, summamque felicitatem perduceret, relictis grandibus auri argentique acervis.

Datur ei quidem a scriptoribus nonnullis id vitio, quod conjugis Sabaudæ, & Schmidii cancellarii artibus a Cæsare ad Franciam aversus, communem caussam deseruerit, nunquam se adduci passus, ut fœderi contra Gallos nomen daret; sed princeps pacatissimus Batavorum caussam nihil ad Imperium pertinere existimabat, ut propterea quies Germaniæ turbata gravissimo bello involveretur: nec religionis suæ esse ducebat, obstare, quo minus Batavia Catholicum principem acciperet. Et si Saxoni ac Hannoverano,

rano, alienis licet ſacris eſſent addicti, toto illo bello neutrarum eſſe partium licuit, & ſubſidia nihilominus a Gallia recipere, cur ſoli Bavariæ Electori id culpæ detur? & quis principum tunc fuit, qui non vel a Francia, vel Batavia, vel Hiſpania ſubſidia reciperet? Quot milliones in ipſos Angliæ Sueciæque reges annuatim ſunt effuſi?

Poſt mortem patris incredibili partium ſtudio aula Viennenſis cum Pariſienſi certabat, quænam animum filii affectumque ſibi addiceret, miſſo inde Monachium Noſtizio & Lobkovitio, hinc Colberto, primæ admiſſionis miniſtris. Illa nuptias obtulit cum Maria Antonia, Cæſaris Leopoldi filia, in ſpes totius Hiſpaniæ nata. Hæc Mariam Annam, Maximiliani Electoris ſororem, Franciæ Delphino ſponſam petebat; ipſi autem Electori regii ſanguinis principem in conjugem offerebat.

Poſtquam vero de Marianæ ac Delphini matrimonio tranſactum fuit, triumphare Galli velut de parta certa victoria, ſuamque ex integro jactare Bavariam. Verum id nec ſpe nec animis dejecit legatos Cæſareos, qui ad alloquium crebrius admiſſi, artibus, quibus imbutos eſſe oportet oratores, Electoris animum a Francia avertere ſunt conniſi. Delphini nuptiæ.

Neomagenſem, quam Ferdinandi Electoris hortatu inierit Cæſar, pacem paſſim a Gallis violari, acſi nulla pactorum, nulla ſacramenti eſſet religio. Alſatiæ nobilitatem in eandem cum plebe ſervitutem rapi. Nova munimenta in libero Imperii ſolo exſtrui; ordinum multos ditionibus everti. Titulorum juriumque, neſcio, quæ nomina protrahi: actionemque in magnam Germaniæ partem intentari. Quin, Galliæ regem locum in comitiis Imperii, Burgundiæ, Alſatiæ, ac Veſuntionis nomine terna ſuffragia Ratisbonæ poſtulare. Perpenderet Elector, quæ inde eventura eſſet perturbatio, ac libere ſententiam dicendi terror, ſi rex præpotens & inimicus in publico Germaniæ concilio arcanorum foret arbiter. Eſſe tamen ex aula Monacenſi, qui huc propendeant, eſſe ex Ratisbonenſibus legatis non paucos, qui comitia dimitti optent, velut a confecta pace minus neceſſaria. Has quoque Galliæ artes videri, ut Cæſarem authoritate decidendi deſtituant.

Obmotas has querimonias excuſabant Galli: regi omnium rerum, quam pacis, minorem eſſe curam: miſſos in Alſatiam milites, ne otio torpeſcant, quæ in limitibus eſſent propugnacula, reſarcirent, provinciales a vicinorum principum injuriis defenderent. Munitiones quasdam exſtrui, ne quid limitum cauſſa turbarum

 exiſteret.

existeret. Alsatiæ ordines quosdam ad obsequium revocatos: ea in re a Westphalicis tabulis nihil alienum fieri.

Audiebat sapientissimus princeps eodem vultu omnia, atque in eo de se certamine plus cogitandum sibi atque perpendendum ducebat, quam præcoci declaratione dicendum. Animadversum tamen, quod in partes Austriacas inclinaret. Supremum arietem Cæsar ipse admovit. Oetingam veterem ad Deiparæ iconem, tota Germania prodigiis celebrem, excurrit. Hic cum Electore, qui officii caussa Monachio advenerat, crebrius collocutus, ita sibi eundem devinxit, ut suum omnino crederet. Gladioque magni pretii a Cæsare donatus, eo non nisi adversus Cæsaris patriæque hostes usurum se est contestatus. Cæsar perspecto ingenio, magni nominis ac plane memorabilem principem fore dixisse fertur.

Cæsarem Viennam reducem, ut rerum asperis virtus perpetuo exerceretur, plures mox calamitates excepere. Atque imprimis vehemens pestilentia Viennæ orta, Pragam primum, dein ibidem quoque grassans Lincium abire coegit. Gallicarum quoque unionum, novorumque tribunalium systema, belli denique Turcici grandis malorum series, afflixerunt. Quæ, quoniam ad Galliæ & Hungariæ historiam spectant, eo differre juvat.

Montecuculus.

Anno 1680 obiit Pragæ Raymundus Montecuculus, Mutinæ equestri ordine natus, gregarius primum in Cæsareo exercitu miles, dein decurio, signifer, centurio, tribunus, captusque a Suecis, Stetini per biennium litterarum studiis se melius excoluit, donec cum Slangio commutatus, Galassio, Hazfeldio, Melandro se ita probavit, ut castrorum propræfectus renuntiaretur. Joannes Werthius, victoriæ, quam ad Mergenthemium de Turenio Hassisque retulerat, magnam partem illi attribuit. Interfuit prælio ad Augustam, quo Melander ab Urangelio victus interiit. Interfecti locum ingressus, provido receptu militem utcunque servavit. Dignus visus, cui Dietrichsteinius princeps filiam suam collocaret. Summus militiæ præfectus Cracoviam cepit, Haffniam servavit, San-Gothardiana victoria Austriam metu liberavit, cum Turenio æquis ferme artibus certavit. Belli præfectura in Lotharingum translata, consilii bellici præses, ab Hispaniæ rege aurei velleris torque, & Amalphitano principatu donatus, inter primos sui ævi imperatores est habitus. Reliquit de arte militari, & belli in Turcas gerendi ratione commentarios, quos tanti fecit Cæsar, ut eorum copiam non nisi primis ducibus faceret. Lotharingus sine eo

libello

libello nunquam expeditionem ingreſſus. Poſt mortem Leopoldi Cæſaris pluries deſcriptus, demum a Moſci oratore typis eſt datus.

# ARTICULUS XIV.

*Argentinæ occupatio. Varii motus. Brandeburgi pro Gallia molitiones. Induciæ cum Gallis. Fœdus Brandeburgi cum Cæſare.*

CUm unionum cauſſa ad Rhenum qua judiciis, qua armis etiam 37
ageretur, ſollicitus Cæſar de *Argentina*, ſex millium præſidium eidem ad defenſionem obtulit. Sed territa civitas Gallorum mi- Argentina
nis non audebat illud recipere. Modicum igitur cum ineſſet præſidium, & urbis primores, Fürſtenbergius epiſcopus, Dietrichus prætor, & Günzerus ſyndicus, Gallis favere ſint viſi, adeſt improviſo cum exercitu Loviſius, occupatisque per Monclaſſium Kehlenſi aliisque ad Rhenum munimentis, deditionem Argentinæ præciſe imperat. Adeſſe ſe, ut Cæſareorum evocata ſex millia prævertat, urbemque in fidem recipiat. Ni pareant, rebellium civium inſtar tractandos. Velle autem regem, ut 20 Sept. qua Caſalis præſidium Gallicum ſit receptura, deditio fiat.

Senatus metu perculſus, ſuadentibus prætore & ſyndico, cedendum neceſſitati, ut privilegia redimeret, deditionem decernit. Scriptæ a Loviſio leges: bonis, legibus, religionibus iisdem civitas uteretur. Præſidium recipiat, quantum regi viſum. Armamentarium publicum ſuaque arma tradat. Cathedralem eccleſiam Catholicis ſacris reſtituat. Atque hoc pacto ſine ullius militis impendio urbs Germaniæ opulentiſſima, nobiliſſimaque, libertate amiſſa, in Franciæ poteſtatem conceſſit, 22 *Sept.* 1681.

Rex Ludovicus, ut incruentæ victoriæ fructum coram ſpectaret, Argentinam profectus, homagium excepit, oratore ad concionem Ludovicum ab Argentina magnum, & magnam a Ludovicō Argentinam prædicante.

Germania autem dolore attonita ſenſit magnitudinem jacturæ, patefacta hac grandi in viſcera ſua intima ſignis liliatis janua. Scribit Wagnerus in *hiſt. Leop. M.* Carolum V Imp. tantum in Argentina ad Germaniæ conſervationem momenti ſitum exiſtimaſſe, ut diceret; ſi eodem tempore Viennam Turca, & Argentinam Gallus invaderet, relicturum fortunæ ſuæ Viennam, ut Argentinam

 totis

totis viribus defenderet. Atque id in illa Gallicæ potentiæ mediocritate dictum, quanto verius ſit, poſtquam ſingulis ſuperior, ac prope omnibus par evaſit?

Multa tum Gallorum apud Anglos, Batavos, Suecos, & comitia Ratisbonæ excuſatio: exploratum regi, a Cæſare & principum quibusdam Reunionum cauſſa bellum in Alſatiam, irruptionem in Galliam, paratam fuiſſe: hoc igitur muro opus ad ſecuritatem fuiſſe. Præterea cives volentes ſe ſubjeciſſe. Weſtphalica denique pace totam ceſſam Alſatiam. At Germani pacem fractam dicebant.

Cæſar, etſi multis difficultatibus circumſeſſus, bellum tamen parandum cenſet. Contra vero factio ingens coibat, quæ Argentinæ & Reunionum cauſſa nullum bellum movendum dicebat. Horum princeps erat Brandeburgus, poſt Cæſarem haud dubie Germanorum potentiſſimus. Hærebat adhuc in ſaucio pectore Neomagenſis ſpina, quam feſtinata, ut credebat, a Cæſare pax, & Stetini amiſſio alte infixerant. Hinc Cæſaris conſiliis ubique ſe objicere, principes ab Auſtriacis avertere, cum Gallia fœdus inire, atque ita regem colere, velut Pommeraniam ab eo accepiſſet. Accedebat ad iras veteres, quod Cæſar illi exſpectationem ſucceſſionis in Friſiam tunc orientalem negaverat.

Fœdus Brand. cum Gallis.

Ictum igitur fœdus, cui Danus quoque acceſſit: ejus hæc ſumma: opera daretur, ne Argentinæ cauſſa bellum fiat. Reunionum jure jam capta Gallis relinquerentur: Reunionibus deinceps abſtineretur. Rex caveat, ne hujus cauſſa fœderis detrimenti quid Elector patiatur.

Primus fœderis iſtius fructus fuit, fœdus aliud, quod *aſſociationis* vocabant, diſſipatum. Quippe inter alia Reunionum nomine ad Rhenum acta, Bipontinum ducatum Franci occupaverant, proprium Caroli XI Sueciæ regis patrimonium: indignum hoc adeo viſum Carolo, ut præcipuus auctor hujus adverſus Gallicas Reuniones fœderis auctor haberetur. *Aſſociationis* nomen inditum, quod Sueci Hollandique ſperarent, præter Cæſarem & Hiſpanos pleroſque Europæ principes eidem aſſociandos. Sed cum Brandeburgus aperte in partes Galliæ conceſſiſſet, fœdus hoc ſociale ſine ſociis fuit.

Fœdus aſſociationis.

Videre tunc licuit volubilem variantis mundi genium. Qui commodi plurimum a Francia retulerant, eidem maxime ſe opponebant; contra vero grandibus belli lucris exuti, ſummo obſequio eandem colebant. Suecia vero, populorum ante tot præliis victrix,

&

& Europæ terror, contempta adeo nunc jacuit, ut fœderis ſocios non inveniret: quamvis omnium intererat, contra Reunionum incrementa ſe munire.

Dici non poteſt, quanti animorum motus ex prætenſis Reunionum juribus & capta Argentina per Europam exſurgerent. Sed ea erat Ludovici regis potentia, ſparſusque terror, maxime cum Brandeburgum, tam validum ſocium eſſet nactus: ut omnes ſtarent attoniti. Jam conventus Francofurti habitus: ſed actum nihil. Temporis pars maxima in ceremoniarum faſtidiis abſumpta.

Revocata cauſſa ad comitia Ratisbonam. Conſultationis caput, an trans-rhenanæ Germaniæ jactura pax retinenda? an ejus cauſſa bellum faciendum? pace reipublicæ dignitas, bello reſpublica adducebatur in diſcrimen. Cæſar bellum, Brandeburgus pacem vehementer ſuadebant.

Jenæ Brandeburgici legati oratio verſabatur tota in attollenda Galliæ potentia, & demonſtranda Germaniæ infirmitate, inſectanda Neomagenſi pace, quam, ut ut probroſiſſimam, neceſſariam *Wagn.* Cæſar nuper duxerit: nunc poſtquam in deterius mutata omnia, diſſoluta fœdera, exauctoratus miles, Argentinæ ac tot regionum ſtrage infirmata Germania, animi principum, in immenſum diſtracti, efferatique ſuſpicionibus, quæ ſpes bello eſſe videretur? Cæſarem Hungarorum & Turcarum turbis totum averſum iri. Hiſpanis & Batavis quid tribui poſſit, nupera pace compertum. Multis provinciis exutam hactenus Germaniam, nec vicum recuperatum. Smalcaldicum 130000 armatorum exercitum nullo prope negotio a Carolo V disjectum, ſed ne Metas quidem ingenti cum exercitu reducere potuiſſe. Fuiſſe tum Galliam multo inferiorem, nec tot clauſtris inacceſſam, aut tot exercitibus, ducibus lectiſſimis, bellico & annonario apparatu, conſiliorum celeritate & efficacia, neque infinitis opibus, prout hodie, inſtructam. Nec regem habuiſſe, cujus laudibus tot ingenia ſuccumbant. Timendum ſane, ne prius perdantur omnia, quam Argentina recuperetur. Num totam rempublicam unius urbis ſaluti immolandam cenſerent? Poſtquam Imperium, concordia, fœdera, ærarium, miles veteranus perpetuus ſit conſtitutus, tum de bello ſecurius cogitandum.

Oratio Brandeburgi contra bellum.

Diſplicuit ordinibus oratio, Cæſareis maxime legatis, qui negabant, Argentinam tanti eſſe Cæſari, ut eam non abdicaret, ſi perpetua ac ſtabilis pax poſſet redimi. Sed eo cum rege rem eſſe, cui ad plures Argentinas appetendas nec nomina nec arma ſint defutura:

Cæſarei pro bello.

futura: cujus ministri jactitent palam, in utroque Rheni littore superesse multa, quæ reuniant. Eorum jure contra legem Salicam, æternam & inviolabilem, nulla valere pacta, nulla sacramenta. Coronæ res esse, non hominis mortalis. Abdicari sine noxa non posse. Qui nunc ad Rhenum dominentur fasces, mox ad Danubium & Albim conspiciendos. Prostituendum non esse decus Germanici nominis. Si consensio sit, majorem fore quam Galliæ potentiam. Fore autem nunc consensum, si unus Brandeburgus non dissentiat. Aliquos in ipsum intentos habere oculos; Danum, Suecum, Hispanum, Batavos, Imperii ordines omnes nomen fœderi daturos, si ipsum cum republica conjunctum videant.

Post Neomagensem pacem mirifice rem mutatam: exercitus, queis Suecus & Brandeburgus inter se depugnarunt, jam conjunctos Galliam oppugnaturos: exercitum alterum, quem Bavarus & Saxo ad constituendas medias partes nuper habuissent, jam patriæ militaturos: exercitum alium Luneburgicos & Hassum adducturos. Advolaturos Suevos, Francones, & incendio proximos Rhenanos principes: Cæsarem denique ultimas vires exerturum. Germaniæ animis ita comparatis, exteros alacritate summa sumpturos arma, qui perspiciant optime, quid Argentina & Casalis ereptæ portendant. Neque inferri hoc pacto bellum, sed propulsari. Smalcaldicos rebellionis pœnam luisse. Carolum V non ab hoste sed hyeme Metis depulsum. Magnas Galliæ esse vires, sed Germanorum discordia & ignavia, quæ vires suas non nosset, aut exerere detrectaret. Conjungerent omnes ordines consilia, animum, arma, experturos, quam alia brevi rerum facies se se sit ostentura.

Parum proin e dignitate Imperii facere, qui eloquentiam suam ad deprimendam majestatem ejusdem impenderet. In concordia fore victoriam. De cetero Cæsaris eam constantem esse vocem, si pereundum sit, honestius bello, quam Metensi aut Brisacensi tribunali Reunionum succumbendum. Quid enim in Germaniæ historia exstare posset fœdius, quam ut legerent posteri, cum tantum regionis esset detractum, neminem Germanorum se commovere ausum.

Ad omnia immotus perstabat Brandeburgus in sententia, Argentinam silentio concoquendam. Et exemplo traxit Moguntinum, Coloniensem aliosque principes. Cæsar nihilominus in proposito obfirmatus, cum in comitiis Ratisbonensibus multum consultando reipublicæ non consuleretur, privatis fœderibus conciliandos singulos tentavit.

In

In hoc fœdus, quod ab arce æſtiva Cæſaris *Laxenburgicum* dictum eſt, primi Suevi ac Francones venere: tum Bavarus, Saxo, Luneburgici, Haſſus. Accedebat Hiſpania: ſperabatur Batavia.

At Brandeburgus in favorem Galliæ totus intentus hoc fœdus Laxenburgicum fœdere alio, cum Dano & Colonienſi inito, omnino diſſolvit. Quippe Cæſar, cum videret, Batavos & Hiſpanos cum Gallis inducias jam eſſe pactos, Germaniæ proceres uniri non poſſe, ſe autem graviſſimo cum Turcis bello eſſe abſtractum, inducias ex formula *uti poſſidetis*, anno 1684 concluſit cum Gallia. Nempe

In annos 20 relicta eſt Gallo Argentinæ & munitionum poſſeſſio: decem præterea Alſatiæ civitates & quidquid ad annum uſque 1681 a Metenſi, Briſacenſi, & Veſontino tribunali fuerat adjudicatum coronæ Galliæ. Atque in hunc modum finitum fuit incruentum hoc Reunionum bellum: quo plus Galliæ accrevit, quam Monaſterienſi aut Neomagenſi pace. Induciæ.

Brandeburgus hoc pacto bello, quod ab Europa Galliæ imminebat, averſo, poſita necdum in Cæſarem ira, legatos Viennam mittit, tres Sileſiæ principatus, *Briegenſem*, *Wolavienſem*, ac *Lignicenſem*, qui, extincto anno 1675 Georgio Wilhelmo, ex Piaſtorum gente ultimo, ad regium Bohemiæ fiſcum redierant, a Cæſare repetituros. Brand. 3 Sileſiæ principatus poſtulat.

Non aliud in illos jus Brandeburgo, niſi quod ſuperiore jam ſæculo duces horum principatuum cum Brandeburgica familia mutuæ ſucceſſionis pactum inierant; ſed regia ſententia illico reſciſſum, inane ac irritum declaratum. Neque inde a tanto tempore mentionis quidquam ea de re injectum. Mirata proin aula Viennenſis, rem talem, tam exoletam, invalidam ac jure vacuam, dum Oriens & Occidens bellum intentarent, commoveri.

Tandem vero a Gallia averſus, quod Ludovicus Calviniſtas e regno exegiſſet, anno 1686 ad Cæſarem & Imperium ſe applicuit. Antequam autem fœdus iceret, ecquid inde emolumenti capturus eſſet, ſolerter pro more ſuo diſpexit.

Diu ille litem in Carnoviam, ſeu Jägerndorffium, Sileſiæ ditionem, moverat: quin etiam, quod dixi, in Briegam, Wolaviam, & Lignicium. Eam controverſiam ut finiret Cæſar, ſimulque memorabili beneficio ſibi obſtringeret Electorem, Schwibuſſienſem agrum, Marchiæ finitimum, fertilem admodum & opulentum, beneficiario jure eidem conceſſit: ea lege, ut certa pecuniæ ſumma (quæ poſtea a Cæſare numerata eſt) redimendi jus Schwibuſſienſem agrum accipit.

 eſſet.

esset : neve in sacris quid novaretur, aut nova munitio strueretur. Vicissim vero Elector juribus omnibus, quæ in Silesiam hactenus prætendisset, se abdicaret : suum Josepho archiduci suffragium addiceret : bello, quod Palatinatus caussa Gallia minitetur, fidelis socii partes expleat : Lotharingi ac Belgii rem commendatam habeat. Operam det, ne quid Germaniæ detrahatur ab exteris : Cæsari, si Hispanæ hæreditatis caussa bellum gerendum, arma societ. Cæsar pacis tempore 100000 florenorum, bello vero totidem imperialium millia Electori numerabit. Fœdus istud in viginti annos duret.

Signatis hisce tabulis Schwibussiensis ditio in jus possessionemque Electoris asserta est (sed postea præsentato ære a Cæsare iterum redempta) ille vero octo peditum millia Leopoldo ad bellum Turcicum tradidit, nulli alteri, quam Lotharingo, subesse jussa. Principio Maji cum 12 castrensibus machinis iter per Silesiam ingressi, ineunte Julio Budam tenuere, egregiam difficillimæ oppugnationi operam navaturi.

## ARTICULUS XV.

### *Instrumentum armistitii Vicennalis inter Imperatorem & regem Galliæ, in synopsin contractum.*

IN proemio dicitur, quod, cum pro complanandis differentiis,
38 quæ circa executionem pacis Neomagensis intercesserunt, tractatus Francofurti sit institutus, sed ad exitum non perductus, eundem Ratisbonæ resumere placuerit. Ubi in sequentes armistitii aut induciarum leges conventum.

I. S. C. M. & Imperium consentiunt in armistitium 20 annorum, idque amplectitur rex Christianissimus.

II. Cum hujus armistitii basis & fundamentum sit pax Westphalica & Neomagensis, eædem in suo vigore manent.

III. Sit vera & sincera amicitia utrinque, adeo, ut nulla specie juris aut via facti, nullis hostilitatibus, reunionibus, vindicationibus, aut recuperandorum jurium prætextu, nulliusque alterius rei caussa directe vel indirecte turbari queat.

IV. Ideo rex, durante hoc 20 annorum armistitio maneat in quieta possessione Argentinæ & fortalitii Kehl, omniumque locorum,

rum, quæ usque ad 1 Aug. 1681 vigore sententiárum tribunalium, Metensis, Brisacensis, & Vesuntini, in Imperio occupata sunt.

V. Exerceat rex in locis ita retentis liberæ superioritatis supremique dominii jura, absque ulla turbatione.

VI. Restituet vero rex Imperio omnia illa loca, quorum possessionem a 1 Aug. 1681 sibi vendicaverit.

VII. Arrestata per modum repressaliorum utrinque relaxentur.

VIII. Relinquit rex in locis reunitis dominos proprietarios in suo statu, & exercitio in ecclesiasticis & políticis. In contrarium facta in statum pristinum reponantur. Liceat quoque reunitorum locorum incolis bona sua vendere, vel per se, vel per alios administrare.

IX. Relinquit rex in ditionibus reunitis aut vindicatis, liberum religionis exercitium, cum annexis.

X. Denominentur commissarii ad determinandos juxta hanc conventionem limites Imperium inter & Galliam: atque ut hic conventa plenum effectum sortiantur:

XI. Pacis tractatus, quibus finitis cessat hoc armistitium, statim inchoentur.

XII. Rex renuntiat ad tempus harum induciarum omnibus prætensionibus in Imperium, appertinentiis, dependentiis, protectionibus, reunionibus, & prætextibus quibuscunque. Vicissim Cæsar & Imperium renuntiant omni juri, in loca reunita ipsis competentia.

XIII. Libera sint commercia inter utriusque partis subditos, cum plena securitate & justitiæ administratione.

XIV. Si inter subditos diversorum supremorum dominorum lis oriatur, jus commune observetur, & actor sequatur forum rei.

XV. In hoc armistitii tractatu comprehendantur omnes status, eorumque territoria, ubicunque sita, uti etiam rex Catholicus cum omnibus suis regnis & ditionibus.

XVI. Super executione hujus armistitii generalis assecuratio utrinque præstabitur: atque ad eam aliæ quoque exteræ christianæ potentiæ invitari poterunt.

XVII. Assecuratio quoque præstatur circa armistitium Hispanicũ.

XVIII. Reservat sibi pars utraque jus nominandi intra tres menses, concludendos in hoc tractatu.

XIX. Dubia super hoc armistitio oritura, non armis & via facti, sed amicabiliter componantur.

XX. Promittit pars utraque, harum induciarum ratihabitiones intra mensem reciproce commutatum iri.

Subſcripſerunt Marquardus epiſcopus Euſtettenſis, & Ludovicus Vergus comes de Crecy.

## ARTICULUS XVI.

### *Alterum bellum Gallo-Germanicum, ab anno 1688.*

### § I.

### *Belli origo.*

39 VIxdum anno 1684 reunionum obtentus per inducias vicennales erant ſopiti, cum abſtracto in Turcicum bellum Cæſare & Imperio, novæ mox ſcintillæ promicabant, non diuturnæ quietis indices. Quippe Germani querebantur, indictum a Gallis Trevirenſi civitati tributum, Teutonicos equites in Alſatia ſpoliatos, prout etiam Argentinenſes canonicos; Palatinos & Brisgoios hoſtilia perpeſſos, *Huningam* ad Baſileam Rheno, *Montem regalem* ad Trarbachium, Palatinæ ditionis oppidum, toti Moſellæ dominantem, *Fortalitium Ludovicianum*, aliaque ad Rhenum munimenta in locis reunitis exſtructa.

Hüninga, Mont-Royal, Fortlouis exſtructa.

Imperator, ne ſubita belli procella ab occiduo ſole incumbat, & inermem ex ea parte Germaniam obruat, cum Hiſpanis, Suecis & ordinibus Imperii *fœdus Auguſtanum* ad defenſionem pangit. Quod vix natum Ludovicus minis metuque disjicere conniſus eſt. Viſum Cæſari, omnia a Gallis aſpera interim perferre, quam novo graviſſimo bello Pannonicas lauros ſibi incidere. Sed graviores aliæ duæ cauſſæ, Palatina videlicet, & Colonienſis, tempeſtatem lente coeuntem in horrenda denique belli fulmina concitavit. Res ita habet.

Fœdus Aug.

Carolus Ludovicus, Friderici V a Cæſare proſcripti filius, e legitima ſua conjuge, Haſſo-Caſſellana, duos liberos genuit: Carolum, qui anno 1680 demortuo patri ſucceſſit, & Carolinam, Philippo duci Aurelianenſi, Ludovici XIV fratri deſponſam. Quinto regiminis anno, videlicet 1685 absque liberis decedit Carolus, condito teſtamento, quo proximum agnatum ad hæreditatem vocat. Veldentinus erat proximus gradu. Sed Philippus Wilhelmus dux Neoburgicus e proxima linea proximus agnatus, cauſſa in Imperii judicio diſcuſſa, Cæſaris, comitiorum, & Palatinorum prin-

Cauſſa Palatina prima cauſſa belli.

principum authoritate & ſententia Elector dicitur, eoque nomine etiam ab ipſa Gallia ſalutatur. Quippe Carolina, antequam Aureliano nupſerat, ſolenni formula paternis ſe feudis abdicaverat, & aliunde maſculi, recti, ac regalis feudi in Imperio non erat capax.

At vero Galli teſtamentum Caroli irritum pronuntiare, ejuſdem ſororem ab inteſtato hæredem ferre, donec demonſtret Palatinus, cujus indolis ſint ditionis portiones ſingulæ, quæ maſcula, quæ promiſcua feuda, queis titulis adjuncta. In Germania fœminas quoque in feuda ſuccedere, ex Juliacenſi cauſſa haberi compertum. Reſtituenda imprimis Aureliano bona omnia mobilia, ſive ſint fructus, pecunia, cymelia, ſupellex, veſtes, ſive ad apparatum bellicum ſpectent, utpote bona allodialia: dein comitatus Spanheimenſis dimidium, Oppenhemium, aliaque, quæ per fœminas illata, aut fœminea eſſe feuda dignoſcantur. Eodem nomine Aurelianenſi locum in comitiis Imperii vindicari. Hæc ubi bona fide reſtituerit Elector, ad ceteræ cauſſæ cognitionem proceſſum iri.

Repoſuit Palatinus, inauditum eſſe in Romano Imperio, fœminam, dum mas e familia ſupereſſet, in feudo ſucceſſiſſe. Succeſſiſſe ſorores Juliacenſes, dum marium agnatorum nemo unus in orbe ſupereſſet, & quidem Caroli V privilegio, ſine quo feuda illa Imperio fuiſſent aperta. Extincta per obitum Ottonis Henrici prima Rudolphinæ ſtirpis linea, omnem Palatinatum ad ſecundam, a Stephano Simmerenſi fundatam, fuiſſe translatum, quin fœminæ Palatinæ, aut principes exteri, quibus nuptæ fuerant, intercedendum ſibi putarent. Simmerenſem & Lauterenſem provincias ſerius equidem acceſſiſſe, atque ſecundogenitis pro *apanagiis* datas, nulla tamen inde ratione confici, inter acceſſoria ſeu allodialia, liberaque bona connumeranda: ſed ab ævo feuda maſcula fuiſſe habita: nec ullam unquam ea de re litem motam. Conſiderarent Galli legem ſuam Salicam: Germanos quoque populum eſſe Salicum, a principatu excludi fœminas, niſi ſpeciali privilegio ſe munitas demonſtrarint.

Has inter contentiones Palatinus cauſſam ad Cæſarem, Cæſar ad ordinum ſenatum refert. Cum autem Gallus contra hoc forum exciperet, mutuo compromiſſo ad ſummum Pontificem defertur arbitrium. Palatinus tres oratores Romam legat, qui integro anno Gallicos nequidquam operiuntur. Tandem rex Cæſari ſignificat, eſſe, quod contra Pontificem excipiat, Germanicæ

genti nimis addictum. Regem Angliæ & Venetam rempublicam melius arbitros legi. Interea autem nullam Palatinatui vim, bellum nullum illatum iri.

Verum, dum anno 1688 altera belli caussa Coloniensis Fürstenbergica accessit, ferrum vagina hactenus reconditum illico extraxit. Res ita se habet.

Electio Coloniensis altera caussa.

Ferdinandus Maria Elector Bavariæ Maximilianum Henricum Electorem Coloniensem, patruelem suum sæpius interpellaverat, ut Clementem minorem natu filium aris destinatum coadjutorem assumeret. Sed ille, nescio qua caussa, a propriæ suæ domus emolumentis aversus, Guilielmum Fürstenbergium, S. R. E Cardinalem, & post fratrem episcopum Argentinensem, Galliæ amicum, & propterea Viennensi aulæ exosum (a qua jam ante captivus in Neostadiensem custodiam abductus fuerat, per pacem autem Neomagensem liberatus) canonicorum collegio commendat, ut illum suffragiis suis coadjutorem sibi eligant. Neminem enim viro isto digniorem esse: ejus caussa Galliæ regem vim ingentem alieni æris remissurum. Clementem vixdum adolescentiæ fines ingredi. Tempora virum poscere. Conveniunt canonici 18, sex absentium non habetur ratio. Postulatus Fürstenbergius. Pontifex postulationem non admittit.

Moritur brevi post Elector. Indicitur electio. Pro Clemente profertur *bulla eligibilitatis*, seu venia ætatis & dispensatio in pluralitate episcopatuum, a Pontifice facta. Caunizius habita ad electores oratione Cæsaris nomine excipit contra Fürstenbergium. Tredecim suffragia Fürstenbergium, novem Clementem Bavarum nominant. Ille, velut ad præscriptum canonum electus pro archiepiscopo & Electore se gerit, sedem & thesauros occupat. Bonnam, Keiserswertham, Rhenobergam, Novesium Gallicis præsidiis tradit. Cæsar caussam Romam defert. Pontifex pro Bavaro pronuntiat, eo quod in concursu postulationis cum electione postulandus duas votorum tertias juxta canones habere debeat, eligendo vero sufficiat unum supra unam tertiam. Cum igitur 24 fuerint electores, novem suffragia conficere unum supra tertiam partem: Fürstenbergio vero, utpote postulando, tria vota defuisse. Illius proin electionem canonicam, non item hujus fuisse. Sententia Coloniæ per nuntium Apostolicum promulgatur: Cæsar feudum pro more confert.

Atque ex hac Coloniensi & Palatina controversia conflatum est bellum multo atrocissimum. Editæ a Gallis belli caussæ. Tres maxime nominabantur. 1. Cæsarem cum Turcis pacem inire voluisse

luisse, ut bellum Galliæ inferre possit. Cur enim inducias in pacem mutari nollet, nisi ut confecto bello Turcico Galliam invadat. Potuisse regem anno 1684, cum tota Germania ad depellendos a Vienna Turcas afflueret, reunita loca armis asserere in perpetuum. Sed noluisse sacro bello intercedere: stitisse ulteriores per inducias progressus: atque tanta Austriæ incrementa otiosum aspexisse, nisi quod reunitos fines munitionibus firmaverit. Sed malam gratiam repensam a Cæsare, rejectam ab eo pacem, Pontificis interventu oblatam, Augustæ & Norimbergæ abstractos principes in fœdus, & Gallicæ gentis odio malle sistere ingentes adversus Turcam victorias, ut arma in Franciam possit vertere.

Alterum, quod dixi, belli caput erat caussa Palatina; Juliacensem ducem rem alienam invasisse, asserebant: regem nihilominus sacro bello tantum tribuisse, ut, postquam litem est contestatus, summum Pontificem adoptarit judicem. At ducem non acquievisse, & nihil non egisse, ut Cæsarem in arma concitaret. Addebantur alia.

Præterea Fürstenbergium octoviratu inique exclusum, venia ætatis ab Innocentio, Cæsareis partibus dudum mancipato, artificiose pro Boio extorta. Caunizianis comminationibus constrictam votorum libertatem: Franciæ regi, Monasteriensis pacis sponsori, incumbere, collegii jura defendere. Id Cæsari esse propositum, ut octoviros omnes Germaniamque omnem Austriaco dominatui mancipet. Inevitabile propterea bellum regi visum, a quo tamen facile sit discessurus, si Philippoburgum munimentis exuatur, adversus Huningæ, Ludoviciæ arcis, aliasque munitiones nihil porro moveatur, Palatina caussa ad Angliæ regis, & Venetorum arbitrium remittatur. *Wagn.*

Libellum hunc Hermannus Badensis, comitiorum Ratisbonensium præses acri oratione confutavit. Negabat id genus scripti a rege profectum aut ei probatum. Privati & ignari hominis, qui nesciat, quæ regibus etiam bello diffidentibus, inter se ratio sit, partum videri. Sed cum dein regii ministri iisdem argumentis uterentur, responsum fuit: neminem facile inventum iri, qui credat, Cæsarem in hoc rerum suarum articulo, dum omnes vires adversus Turcam abstractas habet, deserturum bellum, novarum quot annis provinciarum ferax, eoque tempore, quo Ottomanno multiplicatis cladibus attrito, Thracia, Epirus, Macedonia, Græcia, in certas victorias pateat, illatis postliminio nobilissimis provinciis christianæ religionis sacris. Tantum abesse, ut eam

Cæsar

Cæsar cogitationem admittendam putet, ut nihil infelicius existimaret, quam ex ipsius velut victoriæ complexu abstrahi. Atque propterea nihil esse, quod non egerit, tuleritque, quod non concoqueret. Conspectos magnos exercitus ad Rhenum, surrexisse nova munimenta, Coloniensem agrum Gallicis præsidiis occupatum, reunionum obtentu magnam Germaniæ partem avulsam, nec legionem tamen a Cæsare admotam, quæ limites tueretur.

Quod Palatinum Electorem spectat, non invasam ab eo provinciam, sed avitam hæreditatem aditam, totius Imperii sententia adjudicatam. Dotem optima fide Aurelianensi numeratam; quæ ambigua sunt visa, ad summi Pontificis arbitrium remissa; neque Angli regis ac Venetorum cognitio declinata. Versaliensi autem in foro comparendum non fuisse S. R. I. principi, dum de Germaniæ provincia disceptatur.

In Coloniensi negotio Cæsarem principis & supremi ecclesiarum advocati functum officio. Cur adversus Fürstenbergium exciperet, caussas esse notissimas: vim nullam electoribus intentatam, nullum ostentatum exercitum, nec corruptione inquinatos: judicium de electione summo sacrorum antistiti permissum. Ceterum promitti a Cæsare, finito etiam bello Turcico, sancte staturum se induciis: Palatinam & Coloniensem litem æquis quibuscunque arbitris relicturum: modo rex damna illata compenset, revocet copias, & bellum a finibus amoveat.

Belli initium.

Verum expugnato dein Belgrado, Boufflerius confestim exercitum in Palatinatum ducit. Lutram Cæsaris, Neostadium, Spiram, Wormatiam, & ipsam etiam Moguntiam occupat; Philippoburgum expugnat. Fequierius Franconiam & Sueviam exactionibus vexat: Hailbronnam, Offenburgum, Gengenbacum intercipit: Durassius Heidelbergam, Manhemium, Franckenthaliam, omnemque cis Rhenum Palatinatum, mensium duorum spatio.

Cum Rhenus vacuus esset Germano milite, suscepta tumultuaria defensionis ratio. Primus torrenti aggerem opposuit Saxo, adductis 14 armatorum millibus. Herbipoli duo millia injicit. Erfordia & Aschaffenburgum Cæsareo præsidio provisum, reclamante licet ex Gallorum præscripto Moguntino.

Rei cardo in conquirendis fœderibus. Anglicarum rerum conversio ingens, ubi expulso Jacobo rege, Wilhelmus Auriacus in regem ascitus, illico fœdus cum Cæsare iniit, atque Hispanos quoque & Batavos exemplo traxit. Fœderis hæc capita: ne partium altera seorsim, vel necdum restituta Westphalica

&

& Neomagensi, pacem inire. Adversus Franciæ vim perpetuum sit defensionis fœdus.

Singulari articulo ita convenit: cum Francia palam significet, insuper habita solenni abdicatione successionem Hispanicam Delphino se armis vindicaturam, quin eundem Romanorum regem facere, haud obscure machinetur, promittunt Batavi, si rex Hispaniæ sine liberis decedat, se omnibus viribus Cæsari adstituros, & apud Imperii Electores omnibus officiis acturos, ut Josephus Cæsaris filius primo quoque tempore Romanorum rex eligatur: atque si Gallia minis armisve obsistat, armis item restituros. Atque in hunc modum annus 1688 finitus est: Europa omni armata.

## ARTICULUS XVII.

### *Continuatio belli Gallo-Germanici.*

ANno 1689 ineunte Francicus jam, Confluentiam & Coloniam si excipias, Rhenus fluebat: atque is limes statuebatur utriusque Imperii. Vastitatem insuper inter utrumque intercedere placuit, atque Palatinatum, Sueviam, Franconiam, Moguntinum agrum in desertam solitudinem redigere. 40

Quapropter ea deinceps acerbitate in provincias istas sævitum a Gallo milite, *Melaco* & *Durassio* præsertim, famosis hodiedum incendiariis, ut credi nullatenus possit, a rege clementi & magnanimo fuisse imperatam. Ipsa Roma direpta & incendiis vastata est sub oculis summi pontificis a Cæsareo milite, quin Cæsaris id jussu patratum. Ferocia ducum militumque sparsa passim incendia. Heidelberga cum palatio principis, & Badensis provincia, misere vastata. Manhemium, Franckenthalia, Spira, Wormatia, aut in cineres, aut acervum lapidum redactæ. Cameralis judicii tabularium, partium damno irreparabili, Spira Lutetiam deportatum. Eadem populatio per alia ad Rhenum loca agrosque late sparsa; incolæ in solum Gallicum migrare jussi.

Vastatio Palatinatus.

Plurimum sibi ipsi Francia hac sævitie nocuit. Quippe funesta hæc incendia Germanorum animos adeo averterant, ut Bavarus, Brandeburgus, Saxo, Hassi, Luneburgici, Monasteriensis, Herbipolitanus, Suevi, Francones, ingentem cogerent exercitum. Cæsarei præterea duces, Lotharingus, Caprara, Dünewaldus, Caraffa, Eugenius Sabaudus, cum dimidio Cæsarearum legionum ex

Hungaria acciti, altero dimidio ſub Ludovico Badenſi adverſus Turcam retento.

Trinus ex his ad Rhenum conflatus exercitus, ad medium Rhenum validiſſimus, ad ſuperum interumque mediocres. Primus Moguntiam recuperaret, alter Colonienſem provinciam, tertius Sueviam tutaretur & Franconiam. Coeuntibus lentius reliquis, primus in caſtris ad Bruchſalium adfuit Elector Bavariæ.

Recepta Moguntia.

Expugnata primum fuit *Moguntia*: quæ multo utrinque ſanguine ſtetit; cum nullo prius impendio Gallis fuiſſet tradita. Tum vero recepta Rhenoberga, pulſis Clivienſi, Juliacenſi, & Colonienſi agro Gallis, *Bonna* denique cruenta admodum oppugnatione fuit expugnata. Atque ita hac anni 1689 expeditione duorum Electorum ſedes, Moguntia & Bonna recuperatæ, tertia vero, Heidelberga, ſervata: magnaque terrarum ſpatia Imperio ſunt reſtituta. Ipſis octo ſequentibus belli annis tantum operæ pretium non eſt factum, atque una hac æſtate: rupto nimirum animorum vinculo, quos jacturæ & ulterioris periculi magnitudo colligarat, diſſuente Ludovico, quod Leopoldus nexuerat.

Factum inde, ut totius ferme Europæ vires, adverſus unam Franciam collectæ, toto anno 1690 nihil agerent. Hagæ inter fœderatos hæc deſignata belli ratio. Inde a Belgio ad Rauracos quinque exercitibus res gereretur: ab Anglis & Batavis in Brabantia vel Flandria: ab Hiſpanis Moſam inter & Sambram: a Brandeburgicis, Palatinis, Leodienſibus, Monaſterienſibus, 38 millibus, Moſam inter & Moſellam: a Saxonicis, Suecis, Luneburgicis, Haſſis, Gothanis, 37 millibus ad medium Rhenum: a Cæſareis denique, Bavaris, Suevis, & Franconibus, totidem millibus ad Rhenum inferiorem. Optabat autem Cæſar, ut in hoſticum trans Rhenum vertatur bellum, atque vel Hüninga vel Monte Regali expugnato, ad ſublevandos hybernorum onere circulos, ſtativa in Alſatia figi poſſint. Id conſilium ſi non procederet, ad Philippoburgum aut Friburgum expeditionem converterent. Nihil datum effectui, præſertim poſt auditam grandem Gallorum de Batavis victoriam Florianam. Plures adeo ſero advenerant, ut non niſi autumnalem expeditionem fieri oportuiſſet.

Mors Lotharingi,

Non minima expeditionis infelicis cauſſa fuit mors Caroli Leopoldi ducis Lotharingiæ, quam ineunte vere (ætatis anno 47) oppetiit Welſii, dum Oeniponto, ubi cum conjuge, Tyrolis gubernatrice, hyemare conſueverat, Viennam tenderet.

Heros

Heros fuit incomparabilis, Lotharingico heroum ſanguine dignisſimus, in quo ſumma virtus & in DEum pietas cum excellenti belli peritia certarent. Caſuum multiplicitas, quibus ab adoleſcentia fuerat jactatus, immotam viri conſtantiam exercuit. Controverſias cum Carolo III patruo ſuo, qui Lotharingiam Valdemontio notho ſuo tradere conabatur, a patre Nicolao Franciſco relictas accepit. Galliæ inſidiis ereptus, atque in aulam Viennenſem translatus, Cæſari ob virtutis, indolis, & probitatis ſimilitudinem multo fuit gratiſſimus. Pace Neomagenſi Lotharingiæ ſuæ reſtitutus, reſervato jure, carere maluit avito patrimonio, quam illud mancum mutilumque recipere.

Ad caſtra inde tranſlatus, atque e bellica Montecuculi palæſtra egreſſus, illico ſummus belli imperator, Ottomannicæ *Portæ* utrumque cardinem ita concuſſit, ut barbaram gentem ultra Bosphorum ſuum, Propontidem, & Helleſpontum ejecturus crederetur, niſi occidui ſolis incendium ab Eois palmis retraxiſſet. Vienna ſumma felicitate liberata, Barcanenſis, Strigonienſis, Mohazienſis, grandes victoriæ, Buda expugnata, Tranſylvania, totaque Hungaria Cæſari aſſerta, nominis immortalis æterna ſunt monumenta, in Caroli Victoris cum tempore nepotes cum ampliſſimo patrimonio & ſumma in terris dignitate tranſitura. Quippe ex Eleonora, Leopoldi Cæſaris ſorore, Poloniæ regis vidua, reliquit, præter alios principes liberos Leopoldum Joſephum Carolum, Auguſtiſſimi Imperatoris noſtri Franciſci I patrem.

Ad felicem paulo poſt æternitatem ſecutus eſt Philippus Wilhelmus Elector Palatinus, ſingularis omnino raræque ſapientiæ & prudentiæ princeps, proſperis & ipſe adverſisque per vitam caſibus exercitus. Juliacenſem & Clivienſem cauſſam cum Brandeburgo compoſuit: vacuum anno 1685 per mortem Caroli Electoratum Palatinum hæreditate accepit, ingenti orthodoxæ religionis emolumento. Numeroſa felix prole, ex Eliſabetha Amalia, Georgii II Haſſo-Darmſtadienſis filia, ad Catholicam religionem reverſa 17 liberos genuit.

Et Electoris Palatini.

Ex his Eleonoram Imperatricem vidit, Sophiam Luſitaniæ, Annam Hiſpaniæ reginam, Dorotheam Parmenſem ducem; Hedvigis Jacobo Sobieskio Poloniæ regis filio fuit collocata. Ex filiis primum Joannem Wilhelmum, dein Carolum Philippum, immortali memoria dignos principes, in Electoratu ſucceſſores habuit. Ludovicus Antonius primum magnis ſacerdotiis ornatus fuit, ſed eo anno 1694 immatura morte defuncto, frater Franciſcus Ludo-

vicus, ordinis Teutonici magisterio, Uratislaviensi, & Wormatiensi episcopatibus ac Elvacensi præpositura auctus, Trevirensem primum, dein anno 1729 Moguntinum Electoratum est consecutus: Alexander vero frater Augustanum. Philippus Wilhelmus denique, ducta Lauenburgica principe, genuit Mariam Annam, Ferdinando Bavariæ duci nuptam, ex qua hodie superstes est Clemens dux Bavariæ.

Vidit denique Philippus Wilhelmus Elector supremum senectutis solatium, Josephum ex filia nepotem Augustæ (cum Francofurtum bello nimis esset vicinum) creari Romanorum regem, unanimi octovirorum suffragio, consecratumque a Moguntino: simulque filiam suam Imperatricem coronari. De lege regia seu capitulationis formula princeps contentio. Descripta est capitibus 47 ab Leopoldina non admodum diversa: nisi quod amplis collegii octoviralis prærogativis, ac Imperialis consilii aulici dignitati paululum adjectum est.

Tot inter rerum prospera, ut ferunt res humanæ, asperam etiam sortem expertus est Elector. Nam præter Juliacenses molestias, Palatinatum, jam suum, ferro & igni exscindi videre debuit. Fortunam utramque eo ferens animo, quem nec secunda efferret, nec adversa dejiceret.

Porro Carolo Lotharingo in suprema ad Rhenum belli præfectura suffectus est Maximilianus Emmanuel Elector Bavariæ, eoque in Italiam ad afferendum Sabaudiæ duci adversus Gallos auxilium, profecto, *Caprara*: qui, orta cum Schönningio, Saxonum ductore, quem proditionis arguebat, dissensione, tota anni 1691 expeditione, agere nil potuit: Gallis & Schönningio omnia ejus consilia eludentibus. Quare belli pertæsus, cum senio insuper & laboribus esset confectus, missionem petiit a Cæsare & impetravit, heroes alioquin inter summos numerandus.

Caprara.

Evenit hoc iterum anno, ut, cum Europa fœderata in Germania, Flandria, Italia, Catalonia ducenta sexaginta sex millia militum sub signis haberet, nuspiam tamen vinceret, plerisque locis vinceretur. Depulsus propemodum Sabaudus Pedemontio, expugnatis Montibus Hannoniæ, Namurco, aliisque urbibus, cæsisque Anglo-Batavis in intima Belgii prolata Gallia.

Bellum male gestum a fœder.

Sed nec anni 1692 expeditio fuit felicior. Capraræ ad Rhenum belli imperator subrogatus *Baruthanus* marchio, cui dein pari authoritate adjunctus Hasso-Casselanus landgravius. Sed languente jam fœdere, & privatis commodis quovis intento, varia inter

consilia,

consilia, & copiarum itinera, æstas consumpta. Trajectus bis Rhenus, toties mox relectus: non sine clade, a Lorgio, Gallorum ad Rhenum ductore, illata.

Ut igitur priorum annorum defectus emendentur, bellumque ad Rhenum felicius administretur, Suevi & Francones *Ludovicum marchionem Badensem*, præstantem bello virum, Pannonicisque triumphis clarum, Imperatorem petunt a Cæsare: qui, licet illo ægre careret Hungaria, populorum tamen votis annuit, ut callidiori hosti par dux opponatur. Lud. Badensis.

Sed mox in Imperii sui primordiis (anno 1693) triste nuntium accepit de intercepta a Lorgio flammisque absumpta *Heidelberga*, *Haiderstorffii* præfecti inscitia atque ignavia. Datus in vincula, ac Teutonici ordinis gradu dejectus, perpetua ignominia fuit notatus. Mox Galli Palatinatum, Hassiam, Würtembergiam, capta etiam ducum sede *Stutgardia*, populantur. Badensis, cum triplo minorem haberet exercitum, intra munita ad Hailbronnam castra se continuit, donec auctus copiis Gallos trans Rhenum rejecit: deducta etiam fossa & aggere perpetuo inde ab Hercynia Hailbronnam usque, ut & hyberna essent securiora, & Gallus non tam facile in populationes posset excurrere. Itaque cremata Heidelberga, Darmstadio, & Stutgardia expilatis, expeditioni Rhenanæ anno 1693 finis fuit. Heidelberga cremata. Stutgard.

In Belgio Galli expugnarunt Hujam, &, commisso prælio superiores, Caroloregium. In Catalonia Hispani a Noallio magna clade affecti, Rosarum munitam urbem portumque amiserunt. In Pedemontio Catinatus *Orbassanam* a fœderatis victoriam reportat. Atque ita annus 1693 decurrit, in Hispania, Italia, Belgio, Germania, quam Gallis secundus, tam fœderatis adversus.

Hoc anno Joannes Fridericus, e ducibus Würtembergicis, Suevicæ legionis tribunus, Hussarum, ex arbore poma carpentem, glande trajecerat. *Palfyus*, Hussaræ legionis tribunus, pœnam repetit. Tergiversante illo e verborum jurgio nascuntur contumeliæ. Provocatus ad duellum Palfyus glandem plumbeam equi flexu declinat: ipse vero destinatiore ictu ducem equo vitaque deturbat. Subducit se fuga: veniam dein consecutus, ut qui nolens pugnarit, suique defensor aggressorem stravisset. Palfy duellum.

Anno 1694 deferbescente jam æstu bellandi ardor multum refrixerat. Quare bellum Germanicum induciarum instar fuit. Badensis hyeme ad Batavos & regem Angliæ Wilhelmum Londinum excurrit, ut eos permoveat, quo exercitum Brandeburgicum, quem

Moſam inter & Moſellam habuerant hactenus, ad Rhenum traduci paterentur. Badenſis inde & Lorgius traducendis mutuo copiis æſtatem contrivere, quin res memorabilis acta fuerit.

Bellum quoque Italicum nullum prope fuit: nec in mutuum conſpectum ventum, nedum ad manus. In Belgio bellum perinde torpens, nec uſpiam minus caloris fuit: quamvis Anglo-Batavus exercitus centum armatorum millibus conſtaret: & Galli viginti millibus pauciores fuerint. Itineribus, & caſtrorum mutatione finita expeditio. In Catalonia ſuperatis acie Hiſpanis, Barcino ſe vix tuebatur.

Anno 1695 ſimilis prioribus expeditio fuit. Prævenere pro more Germanos Galli. Lorgius, ut tantiſper ſaltem viveret ex hoſtico, lætaque herba cum ſegete conſumpta, ſolitudinem nobis famemque relinqueret, Rhenum trajecit. Datumque vitio Badenſi, quod Gallos, numero inferiores, Rhenum cum præda remeare innoxios permiſerit.

In Italia Caſalis fœderatis dedita, ſed ea lege, quam Gallus gubernator urbis dictaverat, ut munimentis exuatur. In Belgio a Wilhelmo Auriaco Angliæ rege Namurcum oppugnari cœptum. In Catalonia, præter Barcinonem, nihil Hiſpanis reliquum.

## ARTICULUS XVIII.

### *Fœdus aſſociationis. Finis Belli.*

41 ANno 1696 Sueviæ ac Franconiæ ordines, cum belli vis atque calamitas ipſos maxime premeret, & Gallorum irruptionibus annuatim jam fuerant oppreſſi, antequam auxilia venirent, fœdus inter ſe pacti ſunt, quo certum pace belloque legionum numerum alerent, quibus ſe ab internis externisque incurſibus tuerentur.

Cum laudatiſſimum hoc inſtitutum a malevolis in aula Viennenſi traduceretur, Badenſis, qui ejusdem promotor fuerat, ſcripſit ad Cæſarem, non vituperio ſed omni prædicatione dignum eſſe. Duos nobiliſſimos hos circulos in tanta ſociorum ceſſatione, tot licet calamitatibus exhauſtos, ſolos fidem atque conſtantiam ſervaſſe. Reliquorum ordinum ſibi ipſi quemque Cæſarem eſſe: ratam militum portionem, ut e re ſua duxerint, vel domi retinere, vel pinguioris quæſtus cauſſa aliis authorare, vel ad autumnum denique mittere: opulenta tamen hyberna, ſubſidiaque æraria, avidiſſime expoſcere: atque ſuæmet patriæ ſtipendiarios agere. Alia

Wagn.

circulos

circulos iſtos fovere ſtudia: filiorum quadam Germana caritate, mercede nulla, impendiis graviſſimis curare rempublicam: quodque dudum boni omnes exoptarint, ad perennem defenſionem, ipſius etiam anterioris Auſtriæ, ſtatumque exercitum perpetuo alendum, primos viam præiviſſe. Miſerum ſane fœdumque dictu, quod illa populorum mater, & bellorum alias arbitra Germania, tot principes, tamque potentes complexa, ob negatum, aut parce impenſum patriæ officium eo deveniat, ut ab ultima calamitate haud procul abeſſe videatur, premente inde Turcia, hinc Gallia: quodque Cæſar ad defendendam Germaniam Germanos ſuo patrimonio coemere debeat. Hæc quidem tum Badenſis ad Cæſarem.

Et certe hoc rurſus anno tam parce tamque tarde convenerant copiæ, ut, licet Choiſeulius Gallorum ductor Philippoburgi Rhenum transmitteret, & populationem circumferret, Badenſis ob ſuorum paucitatem prælio eum aggredi temerarium duceret, contentus gravioribus incurſibus ſe opponere: pro nimis provido cunctatore in omnibus Viennæ compitis traductus propterea. Thingenius e veredario curru a Gallorum manipulo extractus, liberaliter Argentinæ eſt habitus, haud diu poſt quinque florenum millibus redemptus. Evanuit etiam ejusdem Thingenii in Alſatiam, & Palfii in Lotharingiam procurſio.

In Italia hoc anno bellum finitum; quippe Victor Amadeus Sabaudiæ dux, ad Gallos transgreſſus, fœderatos antea ſuos ad finiendum pariter Italicum bellum traxit. Abductæ Germanicæ copiæ, translatusque Eugenius Sabaudus, qui eas duxerat, in Hungariam, ut feraciori eo in ſolo palmas laurosque meteret.

Anno 1697 Suevico ac Franconico, quod ſupra memoravi, fœderi acceſſerunt tres alii circuli, Rheni primum ſuperioris, dein etiam inferioris, & Weſtphalicus. Quæ res cum aliquam in republica mutationem attulerit, paucis hic delibanda videtur.

Cum a comitiis Imperii bellum decernitur, ordinum ſinguli pro fundorum ac facultatum viribus ratam in Matricula ſubſidiorum portionem conferebant, alii quidem æs, alii vero militem. Cum autem lenta admodum eſſet hæc contributio, ſæpe in comitiis actum eſt de ſtato perpetuo milite conſervando. Res viſa omnino provida atque ex uſu reipublicæ, ut parata in omnes caſus ſemper habeatur defenſio: ſed ob privatas rationes effectu caruit.

Anno 1681 capta Argentina, & novo Reunionum jure late ſerpente, propiores periculo provinciæ privatim inter ſe Auguſtanum, quod diximus, fœdus inierunt, ad arcendas vicinorum rapinas. Id

tamen,

tamen, bello Turcico ingruente, & Brandeburgo, Galliæ tunc addicto, intercedente, induciis illis, fatalibus quidem, ſed neceſſariis, diſſolutum eſt.

Cum vero quarto poſt anno, intercepto Philippoburgo, Gallia denuo in Germaniam irrueret, ſero intellectum, quanto Germaniæ damno id conſilii ſit prætermiſſum. Franconiæ itaque & Sueviæ proceres, in quos maxime procella incubuit, anno proxime elapſo fœdus inſtaurarunt, ea lege, ut quatuor & viginti millia pace belloque ipſi alerent: neminique alienarum copiarum hyberna apud ſe, aut pecuniarum exactionem permitterent: qua re hoſtilibus non abſimiles calamitates perpeſſi fuerant.

Rhenanus ſuperior circulus, eadem expertus mala, facile ſe adjunxit: reique gubernationem Electori Palatino, & Fuldenſi principi detulit: copiarum præfectura Naſſovio commiſſa. Neceſſitas præſens, & futurorum ſpes inferiorem quoque Rhenanum & Weſtphalicum in eandem mutuæ opis ſocietatem traxit.

Non defuerunt, qui id genus inſtitutum carperent: neque enim cum legibus & uſu Imperii, atque Cæſarea auctoritate conſentire: de communi comitiorum conſenſu aliis pecuniam, militem aliis imperari: ſingulares vero rationes in ſingularibus conventibus circulorum pertractandas. Unum exercitum, ducem unum, conſilium unum eſſe oportere; alias unam in multas reſpublicas diſcindi. Quid? quod circulis armatis eſſe non liceat, niſi Cæſare authore, more majorum in paterna Cæſaris ſollicitudine, & comitiorum univerſalium conſiliis acquieſcendum.

Verum circuli, Rheno propiores, malo ſuo, quod dixi, experti non raro, quam lente comitiorum orbita illa moveatur, conſilio ſuo inſiſtentes, coacto Francofurti legatorum conventu, præſide Moguntino, Electoralis Rhenani circuli capite, *aſſociationem* his conditionibus pacti ſunt.

Articuli fœderis.

1. Ad præſtandam adverſus quosvis perturbatores pacem belli tempore 60000, pacis vero 40000 militum circulorum ſumptibus alantur.

2. Ludovico Badenſi, aut, ſi quem alium imperiali exercitui præfecerit Cæſar, imperium eſto. Dum vero pax fuerit, ſingulorum circulorum arbitratu reguntor.

3. De re frumentaria & apparatu bellico ita ſuis copiis proſpiciant ſinguli, ut, ſi extra provinciam eundum, commeatum ipſi ſecum vehant, vel præſente pecunia a volentibus indigenis coemant. Neque jumenta operasque exigant, niſi rogatis & aſſentientibus locorum magiſtratibus.

4. Qui

4. Qui in ſociali provincia hyberna capere, vel pecuniam quovis nomine extorquere præſumpſerit, uti communis fœderis & libertatis violator communibus armis repellitor.

5. Singuli circuli 40 tormenta præbeant. Suum item caſtrenſe ærarium ſingulis eſto.

6. Cum præcipuas inter belli calamitates tranſitus militum habeatur, queis per alienas terras fuerit profectio, prius de numero militum ſignificanto, & via breviſſima utuntor. Si injuriam cuipiam intulerint, de ſatisfaciendo obſides aut cautionem idoneam danto. Aſſociatio autem ſub auſpiciis Cæſaris rem gerito.

Apparuit mox fructus novi inſtituti. 60000 ſub ſignis erant, re tormentaria probe inſtructa. Sed argentum Cæſareos defecerat, quæ perpetua fuit Badenſis ad Cæſarem querela. Legiones, ſcribit, a veſtimentis rebusque neceſſariis adeo male eſſe procuratas, exangues, egenas, aſpectuque miſerabiles, ut ſibi pudorem, & miſerationem, malevolis riſum, moveant, ut, ſi quem lacerum, panemque mendicantem videant, Cæſareum militem dicant. Cum tanta egeſtate ſtare non poſſe militarem diſciplinam, quin miles in rapinas, transfugia, ſeditiones erumpat. (Wagnerus *in vita Leop. Cæſ. ad annum* 1697.)

Choiſelius, Gallorum more, poſtquam meſſis maturuerat, ad frumentationem præripiendam Rhenum transgreſſus, munitis ſe caſtris continuit. Badenſis pone metatus eſt; redeunte vero in Alſatiam Gallo, trajecto ad Moguntiam Rheno, Ebernburgum, arcem rupi arduæ impoſitam, ad deditionem adegit. Quæ una eſt arx, inde a Moguntia ſubacta toto bello a Badenſi capta. Sed cum omnia pacem reſpicerent, in defenſionem magis quam offenſionem bellum gerebatur.

In Belgio poſtremo hoc anno Athum a Gallis ante captum, quam Anglo-Batavi ſe commoverent. In Catalaunia ipſa etiam Barcellona deditione accepta.

## ARTICULUS XIX.

### *Pacificatio Riſvicenſis.*

Mirum permultis viſum, Galliam bello viribusque haud dubie 42
ſuperiorem, novisque in annos ſingulos, in Belgio maxime & Catalaunia incrementis auctam, ad pacem tamen accelerandam reſpicere, totque munitas urbes, quin & provincias integras, vi

nulla coactam, reddere: Cæsarem ex opposito, non eadem armorum felicitate usum, Turcico insuper pressum bello, ad bellum tamen extrahendum omnibus viribus conniti.

Sed arcanioribus rotis volvebatur machina. Jam inde a Pyrenæa pace ad Hispaniæ monarchiam respicere Ludovicus, omniaque consilia eo intendere, ut Hispanorum animos lucraretur, speciosas conditiones offerre, singillatim cum Sabaudo transigere, blandiri Wilhelmo, nec regis titulum amplius negare: Batavis tribuere omnia, nulli pretio aut operæ parcere, ut socios a Cæsare dividat: probe scilicet gnarus, si medio bello Caroli Hispani gracile & imbecillum corpusculum fatisceret, rem eo sibi difficiliorem fore, quo major communis periculi necessitas, socialem fidem arctius adstringeret. Contra vero, si semel a bello recessissent Anglo-Batavi, dummodo bene sit suæ mercaturæ, parum sollicitos fore pro Cæsare. Rationibus iisdem Leopoldus viam iniit, e diametro contrariam, ducendumque, quantum posset, bellum censuit, ut socii communi vinculo manerent colligati.

Jacta proin paulatim a Gallis pacis semina. Wilhelmo regi ingestum illius desiderium opera Molonis Grisonis. Fortunæ suæ indignari creditus, quæ post tot prælia victoriæ dulcedinem nunquam gustare permiserat: sed expeditiones plerasque vel inanes vel dedecore notatas reddiderat. Adhæc gens utraque maritima mercatura, velut anima sua, & spiritu, quo viveret, turbata, ægre bellum continuabat.

Igitur Galli, Anglo in pacis desiderium accenso, per Callierium, mercatoris habitu tectum, cum Heinsio, Batavorum reipublicæ pensionario, aliisque fœderatis clam tractant negotium. Carolus Sueciæ rex conciliatorem pacis se offert, atque per Lilienrothium id munus auspicatur.

Cum igitur Leopoldus Cæsar fœderatos omnes, ipsosque adeo Imperii proceres pleno cursu in pacem euntes cerneret, eandem sibi viam vel invito ineundam censuit, Caunizio, Strattemano, & Seilero missis legatis. Jacta præliminaria, ut vocant, pacis.

Disceptatum de loco congressus. Tandem placuit Risvicum castellum Auriaci, Delphos inter & Hagam situm. Fœderati Westphalica & Neomagensi pace negotium definiri petunt: Cæsar Westphalicam duntaxat, prout per recessum executionis Norimbergensem fuit explicata, offerunt.

Tota ferme Europa convenerat: Imperii principes plerique, ac vel minorum gentium status legatos mittunt, tanto numero, ut

ut prope comitiorum eſſet frequentia. In pacem omnes erant intenti, & obliquis Cæſareos oculis notabant, ceu pacis cunctatores. Neomagenſi in pace ex comitiorum ſententia rei ſumma Cæſari fuerat commiſſa. At hic ſancitum, ut deputati de rebus ad pacem pertinentibus omnes conjunctim ſententiam dicant. Moguntinus ad Cæſareos, hi ad conciliatorem vel Gallos legatos referant: inde vero reſponſa ad deputatorum conſilium redeant. Brandeburgici ſingulis cum Gallo vel conciliatore congreſſibus intereſſe volebant.

Ludovicus rex lætus fœderatorum diſſidiis, privatim cum ſingulis per legatos tractat. Primique paci ſubſcribunt Sabaudi, mox Batavi, mercaturæ ſuæ reparandæ penitus intenti; tum Angli, eadem cupiditate ducti: poſtremo Hiſpani, pro præſenti rerum facie non admodum difficiles pacis conditiones impetrantes. His acceſſere Brandeburgici. Cæſareis tempus prorogatum. Induciæ interim publicatæ.

## ARTICULUS XX.

### *Articuli pacis Risvicenſis ſummatim relati.*

IN proemio dicitur, pacem, a populis diu deſideratam, inter 43
Leopoldum Imperatorem, ſacrumque Imperium ex una, & Ludovicum XIV regem Chriſtianiſſimum ex altera parte, annitente primum Carolo XI, dein ejus filio Carolo XII Sueciæ regibus, ceu mediatoribus, ad finem perductam, per Cæſareos legatos Caunizium, Stratmannum, & Seilerum: atque per Gallicos, Harlæum, Crequium, & Callierium, in mutuas pacis & concordiæ leges ſequentes.

1. Pax ſancitur perpetua ac ſtabilis.

2. Decernitur amneſtia univerſalis, & præteritorum oblivio.

*Nota.* Petebant fœderati damnorum, eorum ſaltem, quæ ultra belli naturam fuerant illata, reparationem. Sed ea erat Gallorum oratio: hanc eſſe belli indolem, quæ cum humanitatis lenitatisque legibus componi nequeat. Irent in mediam Franciam cum Teutonico exercitu, & caperent, quantum abreptum fuiſſet.

3. Fundamentum ponitur pax Weſt. & Neomagenſis, niſi quatenus nunc aliter expreſſe conventum fuerit.

4. Reſtituenda Imperio loca omnia, extra Alſatiam ſita, caſſatis, quæ ea de cauſſa a cameris, Veſuntina, Metenſi, & Briſa-

cenſi edita ſunt, decretis: omniaque in eum ſtatum reponentur, quo ante illas occupationes, uniones, ſeu reuniones fuerunt, nullo deinceps amplius tempore turbanda: *Religione tamen Romano-Catholica in locis ſic reſtitutis, in ſtatu, quo nunc eſt, remanente.*

Nota 1. multorum certaminum materia fuit hoc de Reunionibus caput, quo illæ quidem abolitæ, Alſatia tamen a ſuo corpore penitus abſciſſa fuit, Franciæ regno ad Rhenum usque protenſo, Alſatia vero in provinciam redacta. Quippe hac pace landgraviatui Alſatiæ iisque omnibus, quæ Auſtriaci ante poſſederant, per pacem jam Weſt. Galliæ tranſcripta, adjunxerunt etiam decem liberas Imperii civitates præfecturæ Hagenoenſis.

Nota 2. celeberrimam eſſe hanc clauſulam quarti articuli pacis Risvicenſis, *de Religione Catholica in ſtatu, quo nunc eſt, relinquenda;* quem hodiedum ægris oculis aſpiciunt Proteſtantes: atque ex albo conſtitutionum Imperii expunctum vellent, in comitiis non raro id poſtulantes. Sed obſtat pactum publicum, quod unius tantum partis voluntate mutari non poteſt.

Magna autem inde Catholicæ rei facta eſt acceſſio, quippe Galli in multis in Palatinatu aliisque ad Rhenum & Moſellam locis, a ſe occupatis, Catholicam religionem reſtituerant. Huic autem in ſtatu præſenti relinquendæ ſedulo caverunt.

5. Et quamvis ex generali hac regula facile dijudicari queat, quænam ſint reſtituenda, aliqua tamen in ſpecie exprimere placuit.

6. Nominatim reſtituendus Trevir in urbem Trevirenſem, omniaque loca per Reunionem occupata.

7. Omnibus pacis emolumentis fruatur Brandenburgus, cum omnibus ditionibus & juribus, nominatim iis, quæ ipſi ex tractatu (*Sant-Germano*) anni 1679 competunt.

Nota. Rejecta eſt a Gallis formula, qua *jura ſua ubicunque ſita & undecunque acquiſita* confirmari cupiebat: propter Arguinum, munimentum in Africa, quod anno 1672 a Gallis ereptum Batavis, ac dirutum fuit, ſed a mercatoribus Berolinenſibus denuo reſtauratum. Pro hac nova poſſeſſione fruſtra contendit Brandeburgus.

8. Reſtituentur Electori Palatino omnes ditiones occupatæ, nominatim civitas & præfectura Germersheimenſis cum omnibus annexis. De prætenſionibus vero duciſſæ Aurelianenſis ſecundum formulam compromiſſi a Cæſare & rege, tanquam arbitris, juxta leges Imperii decidatur. Si illi non convenirent, Papæ deferatur arbitrium. Donec autem res componatur, Elector duciſſæ annuatim

nuatim ducenta millia librarum Turonensium, seu centum ferme millia florenorum Rhenensium solvat.

*Nota:* difficultatem prope omnium maximam Aurelianensis hæc caussa, propter quam bellum ortum fuerat, paci objecerat. Illius originem supra dedi. In præliminaribus hujus pacis compromissum in Cæsarem & regem tanquam arbitros. Ille Binderum consiliarium aulicum, hic Obrechtum celebrem Argentinæ juris professorem sub-arbitros nominarunt, qui anno 1699 Francofurti congressi, in idem convenire laudum non poterant. Quare caussa de integro Romæ a sex jureconsultis recognita, anno 1702 pronuntiatum, Electorem ab Aurelianæ actione absolutum censeri: quatuor tamen annorum terminis quadringenta scutatorum millia eidem persolvenda, deductis ex hac summa, quæ Elector jam dependerat. 44 Caussa Palatina.

9. Restituatur Sueciæ regi, ut comiti Palatino Rheni, avitus ducatus Bipontinus, liber & integer, ad normam P. W. cum omnibus appertinentiis, & dependentiis.

10. Veldentinus autem & Lüzelstainensis iis, quorum suos apud judices jus potius fuerit. Veldentina.

*Nota.* Cum anno 1694 Leopoldus Ludovicus, Veldentinæ lineæ ultimus comes Palatinus obiisset, gravis de successione orta est controversia domum inter Electoralem, Bipontinam, & Birckenfeldicam. Obiit dein etiam anno 1731 Gustavus Samuel, Bipontinæ lineæ pariter ultimus. Domus autem Electoralis cum Birckenfeldica anno 1733 ita transegit, ut comitatus Veldentianus cum Lautereccensi urbe ad Electorem pertineret: comitatus autem Lüzelsteinius domum inter Solisbacensem & Birckenfeldicam æquis portionibus divideretur. Votum vero comitiale ratione Veldentiæ ferret Elector Carolus Philippus, post ejus vero mortem domus utraque superstes, Solisbacensis & Birckenfeldica annuatim alternarent.

Eodem anno 1733 transactum pariter fuit de ducatu Bipontino. Retinuit Elector præfecturam Stadeccensem ex comitatu Spanheimensi, ducatum vero Bipontinum Birckenfeldicæ lineæ reliquit, ea tamen conditione, ut religio Catholica in eo integra conservetur. Bipontina.

11. Ordini Teutonico reddantur commendæ cum juribus pristinis, sub dominio Gallico sitæ. Ord. Teutonici.

*Nota.* Ordo Teutonicus nobilem in Alsatia provinciam, seu *Balliviam*, novem præfecturas seu commendas complectentem, ad

Neomagensem usque pacem quiete possederat, sub uno supremo ordinis magistro. Reunionum dein tempore jussi sunt equites in fidem & clientelam regis concedere. Ni facerent, bona videri commissa. S. Lazari equites immissi in eorum bona. Sed rex melius edoctus, Teutonicos jussit restitui. Hic autem decretum, ut commendæ, sub dominio Gallico sitæ, Melitensium instar, pristinis suis juribus & privilegiis fruantur.

Bullionica, 12. Electori Coloniensi, tanquam episcopo & principi Leodiensi, restituatur castrum & oppidum Dinantense, cum reliquis per Reuniones occupatis.

*Nota.* Magna etiam contentione a Leodiensi petita fuit restitutio ducatus Bullionii, per sex sæcula ab episcopis Leodiensibus possessus. Sæpius quidem ereptus, sed pace Cameracensi, Cambresiensi, Vervinæa &c. restitutus. Invasit eum ultimo Crequius, ne, quod ajebat, ab hostibus præriperetur: e belli rationibus retineri tantisper, pace restituendum. Neomagensi in pacificatione Leodienses legati art. 28 denique cessere possessionem Tureniis, qui duces Bullionios se se appellabant. At rescidit acta legatorum antistes, adversus expressa mandata factam prævaricationem caussatus. At reposuit Harlæus, de Neomagensi illo capite nihil mutari posse. Regem perornandæ Bulloniæ domus cupidum, possessionis securitatem duci addixisse.

13. Restituatur domus Würtembergica, nominatim ratione principatus seu comitatus Mompelgardensis, in eum statum, jura & immedietatem erga Imperium, qua antea gavisus est, annullata penitus vasallagii recognitione coronæ Galliæ, 1681 facta. Restituatur quoque in liberam possessionem tam feudorum suorum Burgundicorum Clerval & Passevant, quam dynastiarum, in comitatu Burgundico & principatu Mompelgardensi sitarum.

Mompelgardica. *Nota.* Mompelgardi principatus, Alsatiæ Burgundiæque finibus interjectus, jam anno 1395 per nuptias domui Würtembergicæ illatus, anno 1681 sub Leopoldo Eberhardo in clientelam Galliæ se dedit. Hoc actu per pacem Risvicensem rescisso, ducatus libertati equidem est assertus; sed eodem duce anno 1723 defuncto, cum liberos, impari duntaxat thoro genitos, reliquisset, magna orta est de successione controversia. Nam Stutgardiana, princeps Würtembergicæ domus linea, ditiones ad se traxit: cumque rex Galliæ in favorem comitis Sponeckii, quem Leopoldus Eberhardus filium reliquerat, novem ditiones sequestro subjecisset, dux Stutgardiensis ad hunc 13 articulum pacis Risvicensis provocavit,

vit, vi cujus novem illæ ditiones, tanquam ad principatum Mompelgardensem pertinentes, sibi deberentur.

At rex caussam anno 1736 ad senatum Parisiensem vocavit, excipiente Stutgardiensi, & ipso etiam Cæsare, contra hoc forum. Anno 1740 Stutgardiensis comitia Imperii interpellavit. Sed respondit rex Galliæ, novem illas ditiones non pertinere ad principatum Mompelgardensem, sed esse sitas sub dominio Galliæ. Demum anno 1747 rex easdem domui Würtembergicæ restituit.

14. Gaudeat etiam domus Marchica Badensis omni beneficio pacis.

*Nota.* Durlacensis marchio damnorum suorum, quæ a Gallia passus est, bene longum catalogum obtulit: sed beneficii loco habere debuit, quod secundum pacis West. & Neomagensis modulum in fundos vacuos sit restitutus.

15. Restituantur principes & comites Nassovienses, Hanovienses, & Leiningenses, omnesque ceteri status Imperii, qui per articulum quartum hujus tractatus restituendi veniunt.

16. Cedit Imperium coronæ Galliæ Argentinam, cum omni jure, proprietate, & supremo dominio.

17. Integrum tamen est incolis, cum bonis mobilibus alio migrare, ac bona immobilia vendere, aut per se vel alios administrare. Salva etiam sit jurisdictio ecclesiastica iis, ad quos antiquitus spectavit: nec eam impedire unquam liceat.

18. Rex vicissim restituet Imperio munimentum Kehl, a se exstructum. Reliqua autem munimenta, in Rheno vel Rheni insulis exstructa, solo æquentur. Navigatio autem Rheni sit libera. Nec nova telonia erigantur, aut vetera augeantur.

19. Restituit item rex Cæsari & domui Austriacæ Friburgum cum suis munimentis, aliaque per Brisgojam aut Hercyniam sylvam noviter erecta, aut restaurata, in statu, quo nunc sunt, cum villis Lehen, Merzhausen &c., omnibusque documentis litterariis: jure dioecesano aliisque juribus & reditibus episcopatus Constantiensis, semper salvis.

20. Uti etiam Brisacum in statu præsenti. Urbs tamen nova cum munimentis, Insulæ Rheni inædificatis, destruetur.

21. Atque hæc omnia bona fide, absque omni reservatione & exceptione, aut dilatione, cum omnibus emolumentis, juribus &c.

22. Eadem ratione reddatur Cæsari & Imperio Philippoburgum, cum munimentis & tormentis omnibus bellicis, quæ tempore occupationis ibidem exstiterunt: episcopatus Spirensis jure undequaque reservato.

23. Mu-

23. Munimenta vero, e regione Hüningæ in dextra ripa & insula Rheni exstructa, diruantur, una cum ponte: fundo cum ædificiis domui Badensi reddendo.

24. Destruendum similiter munimentum, in dextra parte Rheni ædificatum: munimento Ludovici cum Insula penes regem remanente.

25. Demolienda præterea munimenta castro Trarbacensi addita: nec non fortalitium Montis Regalis ad Mosellam.

26. Demolitio quoque Kürburgensis arcis, decreta: Rhingraviis & Salmiis veteri ditione adjudicata.

27. Diruenda quoque munimenta, arci Ebernburgensi a Gallis adjecta: Sickingiis in integrum restitutis.

28. Dux Lotharingiæ restituitur in plenam possessionem eorum, quæ patruus ejus dux Carolus anno 1670 (quo a Gallis occupata fuerunt) possidebat.

29. Restituit ei rex veterem & novam urbem Nancei, dirutis tamen hujus munimentis.

30. Evacuabit rex castrum Bitsch & Homburg, destructis munimentis.

31. Pro duce quoque militant omnia, quæ art. 4 de abolendis Reunionibus sunt dicta.

32. Reservat sibi rex fortalitium Saræ-Ludovicium cum dimidia leuca in circuitu.

33. Uti etiam præfecturam Longvicensem cum urbibus: compensabit autem rex ex tribus episcopatibus.

34. Pateat semper regio militi transitus, prævia tamen notificatione, absque damno.

35. Beneficia ecclesiastica penes modernos possessores maneant.

36. Sententiæ, a regiis officialibus latæ, firmæ maneant.

37. Restituuntur duci archiva & monumenta litteraria: quæ in gazophylacio Nanceiensi & Barrensi habebantur.

38. Poterit statim dux a ratihabita pace possessionem inire.

39. Ratione teloniorum servetur consuetudo anni 1670.

40. Maneat antiquus usus commerciorum inter Lotharingiam & ditionem Metensem, Tullensem, & Virodunensem.

41. Serventur concordata, inter regem & duces inita.

42. Duci & ejus fratribus post restitutionem integrum erit jus suum via ordinaria persequi.

43. In iis, quæ hic expressa non sunt, serventur, quæ hoc tractatu cauta sunt.

45 Caussa Lotharingica.

*Nota.* Præcipuam caussa Lotharingica difficultatem attulit. Neque enim Francia tam oportuna sibi provincia, cujus commodis tanto

tanto jam tempore fuerat usa, facile dimoveri poterat. At Cæsar id negotium ut proprium suum magna constantia urgebat, idque non modo, ut nepotibus suis exulibus provideret, sed etiam, ne eo quoque, abstracta Alsatia, propugnaculo Germaniæ latus nudaretur. Eoque faciliorem regem Ludovicum invenit, quod Leopoldus Josephus dux Lotharingiæ Elisabetham, ipsius neptem, ducis Aurelianensis filiam, matrimonio sibi esset juncturus.

Vetustis temporibus Franciæ haud dubie pars erat Lotharingia: Austrasiæ dein regno accensa. Variante subin fortuna modo Imperatoribus, modo regibus Galliæ paruit, donec Robertus, Hugonis Capeti filius jus omne Henrico sancto Imperatori atque Imperio cederet. Inde duces clientelari nexu diu Imperio cohærebant, dum intestinis religionum dissidiis, fracta Germaniæ potentia, subducerent se paulatim, ac tandem sub annum 1542 officio penitus excusso, jam juris sui, nec Franciam amplius respicerent, nec Germaniam.

Cum autem Carolus III varius princeps & inquietus, Nicolæam patruelem suam ac conjugem repudiasset, illa ad Ludovicum XIII confugiens, ducatum, quem marito dotalem attulisset, repetiit. Negat Carolus Lotharingiam fœmineum esse feudum: pendente lite Gallia partes suas egit: illiusque artibus Carolus totam ditionem Franciæ transcribit. Mox rescindit pacta, atque ad Hispanos, ab his ad Imperium se convertit: sed utrique gravis, in custodiam datur. Pace Pyrenæa restitutus, Lotharingiam vix recuperatam fuga deserit.

Eo demortuo fœderati Carolo Leopoldo ejus ex fratre nepoti, tanquam hæredi, provinciam pace Neomagensi recuperare integram magnopere sunt conati. Sed Gallia tam graves adjecit conditiones, ut dux in exilio vitam agere, quam adire eandem, potius duxerit. Tandem hac pace Risvicensi ejus filius Leopoldus Josephus conditionibus supra recensitis est restitutus. Hoc sæculo Lotharingia rursus novas mutationes subiit, anno 1738 Gallis cessa, post mortem Stanislai regis regno incorporanda. Ducibus vero Lotharingiæ ducatus Florentinus datus.

44. Cardinali Fürstenbergio episcopatus Argentinensis, Staucloæ abbatia, principis Imperii dignitas, cum fundis cis Rhenum sitis, restituuntur. Ab hæreditate, a Maximiliano Henrico Electore Coloniensi relicta, captaque absolvitur. Canonici, ipsi adhærentes, pariter cum plena amnestia restituuntur. (*Hæc altera belli erat occasio, quam supra retulimus.*)

45. Landgravii Hassiæ Rheinfelsenses, quoad arcem Rheinfels totumque comitatum inferiorem Catimebolicensem cum omni caussa reponantur in eum statum, quo eorum pater, landgravius Ernestus ante initium hujus belli exstitit. Salvis tamen juribus, landgravio Hasso-Cassellano competentibus. (*Multæ & graves de munimento præsertim Rhenofelsensi superiori & hoc sæculo ortæ sunt controversiæ agnatam inter utramque domum, quas partim jam retuli, partim suo loco referam.*)

46. In privatorum gratiam sancitum, ut singulis ad sua bona, ac jura redeundi potestas esset, absque refusione tamen fructuum, ante ratificationem hujus pacis perceptorum.

47. Beneficia ecclesiastica præsentibus possessoribus relinquantur.

*Nota.* Contra hanc legem excepit domus Hanoverana, cui duorum Argentinæ canonicatuum reditus per pacem West., a Gallo vero Catholicis sunt attributi. Harlæus ridens respondit: sub mei regis Imperio canonicus Lutheranus pro monstro fuerit.

48. Confirmatur pax Taurinensis, anno superiore cum Sabaudo inita.

49. Restitutione locorum, a Gallis facta, nihil novi juris acquiritur. Prætensiones vero loco convenienti discutiendæ.

50. Post subscriptionem pacis omnis statim cesset hostilitas: & post ratificationem deducantur copiæ, locaque munita reddantur. Demolitiones sancitæ fiant absque impensis aut molestiis alterius partis. Reddantur litteraria documenta, ea etiam, quæ ex archivis, & camera aut urbe Spirensi, sunt ablata. Captivi sine lytro dimittantur.

51. Contributiones, quæ usque ad ratificationem pacis non fuerint præstitæ, sint abolitæ.

52. Redeant in statum pristinum commercia, nominatim urbium Imperialium, & emporiorum Hanseaticorum.

53. Omnia conventa bona fide, cassatis omnibus contrariis, executioni dentur, & perpetuo serventur.

54. Liceat, in proprio solo munimenta exstruere, ac præsidiis firmare, exceptis in specie expressis.

55. Regnum Sueciæ propter studia pacis conciliandæ nominatim hac pace comprehenditur.

56. S. C. M. & Imperii nomine pace hac comprehenduntur, præter Electores, principes, & status Imperii, interque eos episcopus & episcopatus Basileensis, cum omnibus eorum ditionibus ac juribus, tredecim quoque Helvetiæ cantones, cum eorum fœderatis,

deratis, nominatim cum republica & civitate Genevatum, urbe & comitatu Neocomensi, civitatibus S. Galli, Milhusæ, & Biennæ, tribus ligis Rhœticis seu Grisonibus, septem decenis Valesianis, & abbate S. Galli.

57. Nomine Christianissimi regis autem pariter 13 cantones Helvetiæ, eorumque fœderati, nominatim respublica Valesianorum.

58. Includentur etiam paci omnes illi, qui ante permutationem ratihabitionum, vel postea intra sex menses ab una vel altera parte ex communi consensu nominabuntur.

59. Promittunt legati, hæc pacta a Cæsare, rege, & Imperio intra sex septimanas ratihabitum, & ratihabitionum instrumenta commutatum iri.

60. In quorum fidem legati has tabulas manu propria subscripserunt, & sigillis suis munierunt.

Et quidem nomine *Cæsaris*, Caunizius, Strattemannus, Seilerus.

*Regis*: Harlæus, Crecyus, Callierius.

*Moguntini*: Schönborn, Otten, Moll.

*Elect. Bavariæ:* Prielmayr.

*Domus Austriacæ*: L. B. ab Halden.

*Ordinis Teutonici*: Carolus a Loe.

*Herbipolensis*: Ignatius de Tastungen.

*Spirensis*: Kaisersfeldius.

*Constantiensis*: Fridericus a Dürheim.

*Hildesiensis*: Zimmermannus.

*Leodiensis*: Norffius.

*Monasteriensis*: Plettenbergius.

*Ducis Neoburgici*: Hettermannus.

*Würtembergici*: Kulpisius, Hespenius. *Badensis*: L. B. de Plitterstorff.

*Abbatum Sueviæ*: Heldenus.

*Comitum scamni Wetterau*: Solmius, Edelshemius.

*Coloniæ*: Büllingenius.

*Augustæ*: Christoph. a Dürheim.

*Francofurti:* Müllerus, Lucius.

Additus est articulus separatus, quo modo caussa ducissæ Aurelianensis cum Electore Palatino sit agenda & decidenda: prout supra relatum.

Acta sunt hæc in palatio Risvicensi in Hollandia 30 Oct. 1697. *Videri possunt Theatr. Europ. Pfeffing. Wagn. Rinck. Köbler. Struv. Mablyus. Fritschius. Achenwall.*

# APPENDIX I.

## *De clausula articuli quarti pacis Risvicensis.*

46 DE hac clausula jam aliquid supra insinuavi: placet hic quædam addere. Res ita habet. Pridie ejus diei, quo pax concludenda ac subscribenda fuerat, Galli quarto de restitutionibus articulo eam exceptionem apposuerunt: *Religione tamen Catholica Romana in locis sic restitutis remanente.*

Dictu incredibile, quantum clamoris ea vox excitarit. Protestantes, qui Alsatiæ Imperialis ipsiusque adeo Argentinæ jacturam frigidis oculis aspicere sunt visi, hic pro aris suis effervescere, circumsistere in orbem Cæsareos, indignari, exprobrare, minari. Illi, rei novæ partem ad se nullam pertinere respondent; nunquam sibi, nisi præsente conciliatore cum Gallis fuisse sermonem: cur non in authores iras verterent? sibi quoque eam novitatem suspectam videri.

Accedunt igitur frequentes Gallos, postulantque, ut invisa sibi clausula eradatur, quod si facere nolint, nequeantve, id saltem temperamenti admitterent, ut vel ad ecclesias, proprio ære a rege structas exceptionem restringerent, aut Cæsaris arbitrio negotium committerent, aut eo quidem, quo est, loco religionem relinquerent, quin diserte in pacis tabulas referretur.

Instant cum Germaniæ Protestantibus magno ardore Anglo-Batavi, & maxime conciliatores Sueci, conclamantes, tanquam actum esset de pace Westphalica, cujus ipsi consortes & sponsores essent: nec potestatis nec voluntatis suæ esse, ejusmodi legi subscribere.

Reposuit Harlæus, si tanta eos religionis suæ cura incessat, num existiment, regem Christianissimum usque adeo religione vacuum, ut de suis suæque ditionis sacris minus sit sollicitus.

Gratiæ instar denique concessum, ut Protestantes principes, quorum legati subscribere piaculo sibi ducerent, eadem tamen cum subscribentibus conditione censerentur, dummodo hanc quoque de religione clausulam ratam haberent. Id si detrectent, bellum exspectarent, nominatim Brandeburgus, Batavicæ licet pacis socius. Atque ita clausula illa, tanto æstu impugnata, Gallorum constantia salva evasit: manetque hodiedum integra, quamvis Protestantes pluries suas querelas attulissent, eamque aboleri postularint.

Wagnerus (ex quo plura me mutuatum fateor) Seilerum, Cæsaris legatum, qui clausulæ hujus suggestor ferebatur, vindicat,

acsi piaculum foret, rei præclaræ, & ad omnem posteritatis memoriam summis laudibus celebrandæ, fuisse auctorem.

Quamvis autem ex Protestantibus solus VVürtembergicus, Francofurtensis, & comitum VVetteraviæ legati subscripserint, pacem tamen universam, etiam cum hac clausula, acceptarunt tandem, ratamque habuerunt: quia Galli, propositi sui tenaces, tractatum potius abrupissent, bellumque, quo ubique superiores erant, continuassent, quam, ut in hac parte Protestantibus cederent.

Leopoldus Imperator, cum sæpe expertus esset, quantum Romani Imperii vires, alias, si capiti & corpori suo cohærerent, invincibiles, religionis discordia debilitet, omnibus viribus majorum exemplo annitendum sibi putavit, ut tandem huic malo inveterato remedium quæreretur.

Pro suo igitur & religionis & Imperii pacandi uniendique zelo, episcopo Neostadiensi mandatum dedit, ut cum Molano, Hannoverani Consistorii directore, quem Protestantes delegerant, ea de re conferret, qua demum ratione in eandem religionem conveniri posset.

Septem mensibus laboratum: nec alienus admodum videbatur Molanus, nisi alii se negotio miscuissent: quos inter Bossuetus doctissimus ille Meldensis in Gallia episcopus, & Leibnizius, qui volebat, ut initium unionis fieret sub certis conditionibus, postmodum vero de dogmatibus fidei conveniretur.

Bossuetus contra contendebat, Protestantibus ante omnia alia agnoscendum dogma de infallibilitate ecclesiæ; tum vero bona fide examinandum, quid illa credat aut condamnet. Posse dein Protestantes Augustanam suam confessionem ita temperare, declarare, & explicare, ut cum dogmatibus fidei Catholicæ consentiat, nec tamen eam formaliter retractare debeant.

Hæc si fuerint præstita, & concilium etiam Tridentinum agnitum ab ipsis ut Oecumenicum, prout a tota ecclesia Catholica agnoscitur, promittit Bossuetus, in iis, quæ non ad fidem, sed ad disciplinam duntaxat spectant, ecclesiam erga illos, ceu infirmos submissos tamen filios, benignam matrem se præbituram, eaque concessuram, quæ rationabiliter sperari possint. (*Abrege Chronologique de l'Histoire ecclesiastique ad ann.* 1691.)

# APPENDIX II.

## *De extinctis hoc sæculo quibusdam familiis in Germania.*

47 ANno 1609 improlis obiit *Joannes Wilhelmus*, ultimus ex masculis ducibus Juliæ, Cliviæ &c. relictis 4 sororibus. Unde ingens de successione controversia; de qua supra.

Anno 1637 *Bogislaus*, ultimus *Pomeraniæ* dux, quam tunc Sueci detinebant. Sed Brandeburgus illam prætendit ex pacto mutuæ successionis hæreditariæ. In pace autem VVest. citerior Pomerania Suecis obvenit, ulterior Brandeburgo, frequentior deinceps inter eos contentionis bellique materia.

Anno 1640 *Otto*, ultimus *Schaumburgi* comes; successit domus Hasso-Cassellana, & ex parte Lippensis.

Anno 1664 Sigismundus Franciscus archidux *Oenipontanus*, Leopoldi ex Claudia filius. Tyrolis & anterior Austria rursus unita cum reliquis domus Austriacæ provinciis Imperatori Leopoldo cessit.

Anno 1667 ultimus comes *Oldenburgi* & *Delmenhorsti*. Disputata Holsatos inter & regem Daniæ successio huic obtigit: transactione lite composita.

Anno 1672 Fridericus VVilhelmus, ultimus dux Saxo-*Altenburgicus*, cui successit domus Saxo-Gothana Altenburgi, Coburgi, & Hennebergæ comitatu, jam priori sæculo ad domum Saxonicam devoluto. Attamen aliquot toparchiæ domui Vinariensi ad omnem litem amputandam cessæ sunt.

Anno 1675 Georgius VVilhelmus ultimus dux *Briegæ*, *Lignicii*, *Woblaviæ* in Silesia, cum quo Piastorum familia exaruit. Feudales principatus illi ad Leopoldum qua regem Bohemiæ redierunt, dominio utili cum directo consolidato.

Anno 1680 post mortem Augusti Saxoniæ ducis & administratoris Magdeburgensis, archiepiscopatus sub titulo ducatus, secundum tabulas VVestphalicas domui Brandeburgicæ fuit illatus.

Anno 1685 *Carolus*, ultimus Elector Palatinus ex stirpe *Simmerensi*; cui successit linea proxima Neoburgica, non sine contradictione comitis Palatino-Veldentini qui uno gradu proximior erat defuncto Carolo, sed linea remotior. Majorem litem, quæ in atrox dein bellum abiit, movit rex Galliæ, cujus frater, dux Aurelianensis, Caroli sororem habebat conjugem, quæ in variis ditionibus conabatur fratri succedere.

Anno

Anno 1689 Julius Franciſcus, ultimus dux *Saxo-Lauenburgicus*, religionis Catholicæ, poſt plures lites Luneburgica domus in poſſeſſionem feudalium venit; nam allodialia bona diſtributa fuerunt inter duas defuncti filias; quarum prima Anna Maria ex Philippo Palatino genuit matrem Clementis Bavariæ ducis. Altera Franciſca, Ludovico Badenſi, inclito heroi, nupta, genuit Ludovicum Georgium, modernum marchionem Badenſem.

Anno 1690 ultimus dux Saxo-Jenenſis. Succeſſit familia Eiſenacenſis.

Anno 1694 ultimus comes Palatinus Veldentiæ; cujus poſt pacem Riſvicenſem Elector poſſeſſionem adiit.

Eodem anno *Longavillæus* princeps Neocomi (*Neuchaſtel*). Succeſſit ſoror; quæ 1707 defuncta, principatum Neocomenſem multis competitoribus diſceptandum reliquit. Inter eos potentior erat rex Boruſſiæ.

Anno 1695 Guſtavus Adolphus, ultimus dux Mechlenburgo-Güſtrovienſis. Lis de ſucceſſione anno 1701 finita eſt.

Anno 1699 Albertus dux Saxo-Coburgenſis, lineæ Gothanæ.

## APPENDIX III.

### *S. R. I. principes Sæc. XVII & ordines equeſtres creati. Novi errores, colloquia, aliaque.*

S. R. I. creati principes a *Ferdinando II* comites Dietrichſteinii 48
1622, Joan. Georg. comes Hohenzolleranus, & Joan. Ulricus Novi principes.
Baro Eggenbergius, anno 1623.

Adalbertus Lobkovitius 1624 a *Ferdinando III*, Ludovicus comes Naſſovio-Hadamarenſis 1648, comes Auerſpergius 1653, comes Salmenſis, comites Lichtenſteinii, comites Naſſovio-Siegenſes, Dillenburgenſes, Dietienſes, Octavius Piccolominius, comites Friſiæ Orientalis 1654.

A *Leopoldo* comes Portia 1662, Croyenſis 1666, comites Fürſtenbergici Heiligenbergenſes 1667, iisque extinctis, Möskirchenſes & Stülingenſes 1716, Schwarzenbergenſes, & Oetingani 1671, Naſſovio-Sarrepontani, Uſingenſes, Idſteinenſes 1688, comites de Turri & Taxis 1696, Schwarzburgici 1697, prout refert Gotfridus Ludwigen in *examine hiſt. univerſ.*

*Ordines*

Ord Equeſtres. *Ordines* equeſtres inſtituti: ordo *capitis mortui* a Sylvio Nimrodo duce VVirtembergiæ 1652, ordo *concordiæ* a marchione Büruthano 1660, ordo *generoſitatis* a rege Boruſſiæ 1685, ordo *Germanicæ ſinceritatis* a duce Saxo - Gothano 1690, ordo *bonæ amicitiæ* erectus anno 1692, cum Elector Brandeburgicus Torgavi Saxonem inviſeret. Ordo equeſtris *S. Ludovici* in Gallia 1693, ordo equeſtris *S. Andreæ* a Petro I duce Moſcoviæ 1698.

Academiæ. Erectæ *academiæ*, *Oenipontana* a Leopoldo Cæſare, *Salisburgenſis* a Lodronio archiepiſcopo, *Paderbornenſis* ab epiſcopo, *Gieſſenſis* a landgravio Darmſtadiano, *Gröningenſis* a provincia. *Rintelenſis* a comite Schaumburgio. *Dörptenſis* in Livonia a Guſtavo Adolpho rege Sueciæ, anno 1699 *Pernaviam* translata. Ultrajecti ab ordinibus. *Abonenſis* in Finnia a Chriſtina regina Sueciæ. *Hardervicenſis* in Geldria. *Duisburgenſis* in Clivia ab Electore Brandeburgico Friderico VVilhelmo. *Kielenſis* a duce Holſato - Gotterpienſi. *Lundenſis* in Scania a Carolo XI rege Sueciæ. Hallæ in ducatu Magdeburgico ab Electore Brandeburgico Friderico III.

Colloquia. Præter ea, quæ retulimus ſupra, colloquia, Ratisbonæ & Neoburgi Catholicos inter & Lutheranos habita, Proteſtantes plura diverſis in locis inter ſe ipſos inſtituerunt, quibus id actum, ut diverſæ inter eos ſectæ unirentur. Sed labor omnis erat fruſtraneus, qualibet pro ſe Scripturam allegante, & ex ſpiritu ſuo privato interpretante.

Anno 1610 cum D. Keckius doctrinam Huberi reſuſcitaſſet, Theologi Mansfeldici Islebii congregati conſilium inter ſe inierunt, quomodo concordia aliqua conciliari poſſet.

De Dortracenſi ſolenni ſynodo, in qua Calviniſtæ ſe invicem diſcerpſerunt, dicetur in Belgicis. Electorales quoque cum ducalibus in Saxonia præcones digladiabantur. Plures habiti congreſſus. Sed quilibet receſſit, qualis acceſſerat.

Jenæ anno 1621 D. Hoe cum Lipſienſibus, VVittenbergicis & Jenenſibus colloquium habuit, in quo inquiſitum, qua ratione Tübingenſes & Gieſſenſes ad aliquam doctrinæ dogmaticæ unitatem reduci poſſent, præſertim circa materiam de ubiquitate, omnipotentia, operatione, & exinanitione Chriſti. Rurſus anno 1623 præcones Saxonici adverſus VVirtembergicos conſultabant; prout etiam anno 1628 Lipſiæ contra Rathmannum, præconem Dantiſcanum. Ubi etiam ſtatutum, ut D. Hoe, oraculum Lutheranorum, apologiam edat pro confeſſione Auguſtana, & D. Keſslerus *bellum ubiquiſticum* Foreri confutaret.

Anno

Anno 1631 cum temporis ratio maxime unionem inter Protestantes requirere videretur, eandem Lutherani & Calvinistæ Lipsiæ quæsierunt, sed nullatenus invenerunt. Idem contigit anno 1661 Cassellis in Hassia, ubi landgravius VVilhelmus VI Lutheranos inter & Calvinianos colloquium super controversis fidei articulis institui voluit. Sed negotium transactionis perfici non potuit; quamvis Musæus & Heinichius, Rintelenses Lutherani theologi aliquot articulos abdicarent; ad quod eis fratres Saxonici acerbe exprobrarunt.

Catholicos etiam inter & Protestantes instituta anno 1645 Thoruni in Borussia disceptatio, mandato Uladislai IV Poloniæ regis; prout etiam Ernestus landgravius Hasso-Rhenofelsensis anno 1661 inter Valerianum Magni capucinum & Petrum Haberkornium, Professorem Giessensem disputationem haberi voluit. Verum id genus colloquiis parum ad fructum proficitur, tum ob pertinaciam Protestantium, tum quia nullo ordine & forma in multiloquium diffunduntur & evagantur.

Novi Hæretici.

Novi quoque *hæretici*, schismatici, aut novatores hoc sæculo emerserunt. Prætereo autem *Arminianos*, *Gomaristas*, & *Menonistas* per Hollandiam diffusos: *Jansenistas*, Belgium Galliamque inficientes : *Arnaldistas*, duo ecclesiæ capita statuentes: *Quackerianos* seu Trementes, per Angliam, Pensylvaniam &c. vagantes : *Hobbesianos* aliosque Libertinos, per magnam Britanniam sparsos : *Præadamitas*, Isaaco Peyrerio auctore Gallo, docentes, ante Adamum fuisse homines, variasque de iis fabulas narrantes : *Quietistas*, auctore Michaele Molinos, Hispano sacerdote, sub pietatis larva fœdos errores per Italiam spargentes: novos *Chiliastas*, *Spinosistas*, *Beckerianos &c.*

De solis in Germania novatoribus hic locus est aliquid memorandi. Ab anno 1614 *Methistæ*, sic appellati ab Ezechiele Meth, Thuringo, varios errores de natura DEi, de Christo, de S. Scriptura, de unione Christi cum anima fideli, disseminarunt.

*Weigeliani*, auctore Valentino VVeigelio, per Misniam prædicabant, nullum esse peccatum originale, Christum non esse in Eucharistia, atque S. Scripturam vocabant litteram mortuam.

Jacobus Böhm, sutor Görliciensis in Lusatia circa annum 1612 varias divinas revelationes de summis mysteriis somniabat, & populum seducebat.

*Syncretistæ* & Indifferentistæ plurimi hoc sæculo sunt inventi, qui ea, in quibus Catholici, Lutherani & Calvinistæ dissentiunt,

res mere indifferentes & accidentales æſtimant. Hinc tot inter Saxonicos, Haſſos, Helmſtadienſes, aliosque præcones jurgia; Georgio Calixto cum Horneio Drejero pro unione clamantibus: Calovio, Hülſemanno, Dorſchæo, Dannhauero reclamantibus.

*Pietiſtæ* inter Lutheranos ſunt multi, qui ſub ſpecie pietatis ſibi aliisque illudunt; & cum ſecundum ſpiritum ſuum privatum Scripturas interpretentur, in varios errores deflectunt. In edicto Hannoverano, anno 1703 edito, hæc Pietiſtas diſcernendi ſigna produntur. 1 Quod ſuperiores & ordinem eccleſiaſticum contemnant. 2 Miniſterium calumnientur. 3 Cultum DEi publicum inutilem cenſeant. 4 Ad cœnam nolint cum aliis accedere. 5 Baptismum parvi pendant. 6 Confeſſionem & abſolutionem ſpernant. 7 Se velut perfectos circumſpiciant. 8 Internas revelationes fingant. 9 Adverſarios ſuos pro reprobis habeant. 10 Clancularios conventus ament. 11 Chiliasmum propugnent. 12 Riſum pro peccato habeant. 13 Vim Sacramentorum a probitate miniſtri derivent. 14 Æternitatem pœnarum negent.

Hæc quidem Pietiſtis tribui ſolent; non tamen omnes in his punctis conveniunt, ſed diverſas claſſes ſectasque conſtituunt. Porro nomen *Pietiſtarum* primum circa annum 1688 in Saxonia auditum eſt.

Sunt & alia quædam non omnino prætermittenda, quæ ſub finem ſæculi XVII in Germania contigerunt. Et quidem anno 1680 vehemens peſtis Germaniam afflixit. Anno 1683 Vienna a Turcis fuit obſeſſa, prout in Hungaricis prolixius dicetur: anno 1686 Hamburgum a Danis: ſed utrobique conatu irrito.

1690 camera Imperialis Spira translata fuit VVezlariam, ut a Gallis eſſet ſecurior. Joſephus creatus rex Romanorum. Terræ motus pluribus in locis magnos terrores incuſſerunt.

1692 Nonus Elector ex domo Hannoverana a Cæſare fuit confirmatus.

1697 Fridericus Auguſtus Elector Saxoniæ electus fuit rex Poloniæ. Petrus I dux Moſcoviæ per Germaniam in Hollandiam & Angliam eſt peregrinatus: reduxque in patriam multos viros doctos & artifices ſecum abducit.

Denique ad finem hujus ſæculi per receſſum Imperii novum calendarium introductum eſt; poſtquam Proteſtantes per integrum adhuc ſæculum errare potius voluerunt, quam manifeſtum errorem a ſummo pontifice dedoceri. Anglia vero, Suecia, & Dania, priſtino errori, cum magna confuſione temporum pergunt inſiſtere.

APPEN-

# APPENDIX IV.

## *Occisi a Protestantibus in odium fidei, & alias afflicti in Germania.*

P. Georgius Schorrichius S. J. cum in Badensi ditione plures ad avita majorum sacra reduxisset, a Protestantibus porrecto veneno enecatus est; simulque alii duo ex eadem societate sacerdotes occisi sunt. 49

Anno 1620 cum Spinola copias militares in Palatinatum duceret, Godefridus Thelen S. J. castrensis Missionarius cum octo aliis Catholicis a Calvinianis militibus deprehensus atque interemptus est. Idem fatum mox subiit P. Joannes Sandæus.

Cum post pugnam Lipsiacam non minus Sueci milites, quam Protestantes Germaniæ, animis elati Catholicos vehementer persequerentur, P. Joannes Arnoldi S. J. anno 1631 in Westphalia a rusticis crudeliter contusus, atque ex arbore suspensus occubuit.

Altero post anno Ebersspergæ in Bavaria Blasius Schelling S. J. temporalis coadjutor, cum reliquias insignes S. Sebastiani, quæ ibi asservantur, nollet prodere, a Suecis militibus pugnis contusus, vestibus spoliatus, diffisso ense càpite, trucidatus est.

Anno 1634 Ruffaci in Alsatia P. Jodocus Mayering S. J. cum Andrea Martini fratre coadjutore & octo sacerdotibus sæcularibus, post gravissima ludibria, & immania tormenta ab hæreticis sunt interfecti.

Non minori crudelitate anno 1643 sævierunt in P. Passockium & Cramerum S. J. cum post alteram pugnam Lipsiacam vulneratis ac moribundis militibus, dum confiterentur, aures præberent, trucidatos. Majori adhuc atrocitate parochum Holenshofensem in Moravia, manibus ex trabe suspensum, gravi pondere pedibus alligato, admotisque pectori facibus sectarii enecarunt.

Promiserat quidem Gustavus Adolphus rex Sueciæ, cum in Germaniam irrueret, propter religionem neminem vim passurum; quod ipsum etiam fœdere Gallicano cautum erat. At alia longe ejus milites documenta dabant, in sacerdotes maxime barbara rabie grassantes.

Ransaci in Franconia prope Herbipolim parochum Philippum Baunach, probum ac venerabilem senem, graviter ægrotantem lecto extraxerunt, humique afflictum fustibus pugnisque contusum,

pedibus contriverunt. Alterum arbori alligatum, omnique tormentorum genere excruciatum, sclopo exploso trajecerunt. Alium, abscissis digitis, auribus, naribus, labiis, impacta in caput securi prostrarunt.

Multis aliis sacerdotibus verticem, pice & pulvere nitrato illitum, ambusserunt. Aliis, adactis intra ungues & carnem acubus, clavis, aut sentibus, ingentem dolorem inferebant.

Abbatem Banci, plaustro alligatum, abstractumque cruci affixerunt, pendulumque globo ferreo trajecere. Priori Carthusiæ Dincklhusii, vestibus exuto, flagellato, verberibus contuso, atque auribus mutilato, insultarunt: iret, & hæc signa Popis ostenderet, ut intelligant, eum in Suecorum manibus fuisse. Taceo alia barbaræ crudelitatis exempla ad quæ politius sæculum sane cohorrescat. Hazart *Hist. eccles. Germ. p.* 10 *c.* 4 *&* 5.

Liceat tamen adhuc aliqua ex annalibus collegii Friburgo-Brisgoici excerpere. Anno 1633 vastata ferro flammaque Alsatia, Sueci Rheno transmisso Brisgojam inundarunt. Expugnatum sub finem Decembris Friburgum, quod miles reliquerat, solusque civis cum studiosa juventute strenue defenderat, machinas dirigente Theodoro Böckio Matheseos professore.

Quamvis autem deditionis lex prima religioni sacrisque hominibus caveret, expilationibus tamen, exactionibus, carceribus sæviebant Durlacenses non minus ac Sueci, imo magis, præsertim in societatis nostræ homines; nam quos Sabeliskius & Canofskius, Suecici duces, antea adversus vim protexerant, eos Fridericus marchio urbe ejectos volebat. Prius tamen P. Rector, VVolfgangus Mezger, cum duobus aliis sacerdotibus, per urbis compita latronis instar circumductus, atque in tetrum carcerem conjectus fuit: reliqui vero 37 exulare jussi, tanquam pecora abacti sunt; tandem vero vestibus in itinere nudati, omnibusque, quæ habuerant, spoliati, ac fame prope enecati, in Helvetiam evaserunt, eamque humaniorem multo, quam Germaniam experti sunt. Rector pariter, multa in carcere Friburgensi perpessus, solum vertere coactus: collegium vero expilatum direptumque fuit. At cum dux Feria ex Insubria cum auxiliaribus copiis in Germaniam advenisset, eodem adhuc anno 1633 Friburgo fugerunt Sueci, nostrique jure postliminii sunt restituti.

At vero anno 1634 post pugnam VVadweilensem non modo Alsatia sed etiam Brisgoja in hostium rursus manus fuit prolapsa. Ex-

Expugnato proin iterum Friburgo, exulatum iterum ierunt Patres; at eodem adhuc anno, fugientibus post prælium Nördlingense ex urbe Suecis, reducti.

Anno 1637 urbs a Vinariensibus rursus capta, nostrique fugere compulsi sunt; prout etiam Brisaco, sequenti anno expugnato. Nec Friburgum ante annum 1644 ad Austriacos reversum, quo a Mercio & VVerthio Bavaricis ducibus ad deditionem fuit compulsum. At mox superveniens Condæus cum numeroso exercitu primum castris Bojos exuit; tum vero eosdem in monticulo Lauretano obvallatos, continuis quatuor diebus omnibus viribus invasit, sed præter ingentem cladem nihil reportavit, urbsque salva permansit.

Anno 1648 colonellus Erlachius gubernator Brisacensis, educta valida manu, Friburgum obsidione cœpit cingere. Sed plus timoris quam periculi ea res habuit; gravissima tamen damna agris, vinetis, & ædibus suburbanis intulit.

## APPENDIX V.

### *Scriptores de rebus Germanicis sæculi XVII.*

ADlzreiter in annalibus boicis.
*Londorpius* in actis publicis.
*Brachelius*, *Tuldenius*, *Brewerus* in historia sui temporis, qui etiam multa acta publica collegerunt.
*Kevenhyllerus* in annal. Imperatorum.
*Struvius* de Imperatoribus.
*Wagnerus* in hist. Leopoldi M.
*Masenius* in continuatione Broveri annal. Trev.
*Lunig* Reichs-Archiv.
*Theatrum Europæum.*
*Hazart* hist. eccles. Germaniæ.
*Köhler* hist. Imp.
*Foresti* in hist. Imperatorum, & *Schlütterus* ejus continuator.
*Hübnerus* in hist. Imperatorum & statuum Imperii.
*Mascovius* Einleitung.
*Lehmannus* in actis publicis.
*Brietius* in annal. mundi.
*Fritschius* in diatribe de Augusta.
*Tursellinus* ejusque continuator.
*Weberus* in sylloge rerum in Europa.
*Historia provinciæ S. J.* Germaniæ superioris.

*Historia collegii S. J.* Friburg. in Brisgovia.
*Caraffa* in Germania sacra.
*Bellius* Oesterreichischer Lorber-Krantz.
*Piasecius* in Chronicis.
*Gualdus* Prioratus de vita VVallensteinii.
*Puffendorffius* libr. 17 histor. & de rebus Brandeb.
*Pfeffinger* Vitriar. illustrat.
*Achenwall* Grundsätz der europäischen Geschichten.
*Pfanner* hist. comitiorum Ratisbon.
*Thulemarius* de octoviratu.
*Rinck* in vita Leopoldi Imp.
*Schilterus* de recess. Imp.
*Comazzi* istoria di Leopoldo.
*Lambecius* in Biblioth. Cæs.
*Laquille* hist. Alsatiæ.
*M. l'Abbe Mably* Staats-Recht von Europa.
*Historia Europæa.*
*Moseri* Staats-Canzley.
*Ludewig* Germania princeps.
*Marquardus Freberus* de scriptoribus Germ. & Boh.
*Marcus Welserus* in annal. boicis aliisque operibus.
*Imbofius* in notitia procerum.

Taceo Conringios, Fritschios, Irenicos, Gundlingios, Strauchios, Coccejos, Schwederos, Schilteros, Kulpisios &c. eruditos quidem viros, sed caute legendos, maxime ubi de religione, ecclesia, matrimonio, potestate ecclesiastica tractant.



PARTIS



# PARTIS VIII
## LIBER TERTIUS
## DE
# STATU GALLIÆ
## ECCLESIASTICO ET POLITICO
## SÆCULO XVII.

## *PRÆFATIO.*

REgnum Galliæ, ſi unquam, hoc certe ſæculo, magnis agitatum motibus, adverſas juxta ſecundasque vices ſubiit. Et primo quidem ſub Henrico M. ab Hugonoticis furoribus requieſcens, ſanatis vulneribus, vires reparavit. Sub Ludovico XIII ejus filio in ſe ipſo diviſum in ſe ipſum fuit armatum, dum principes impotentius dominantes in aula miniſtros quosdam non ferrent, & Hugonoti rurſus multoties inſurgerent. Denique Ludovicus M. gentem hanc infidam, totiesque rebellem, in Gallia non eſt amplius paſſus conſiſtere, rebusque maximis ad immortalitatem nominis geſtis, Franciam ad potentiæ & omnigenæ felicitatis apicem perduxit.

Unum tamen eſt, quod poſt ejectos Calviniſtas regnum longe florentiſſimum rurſus turbavit, ſecta videlicet Janſeniſtica, ejusque perverſa dogmata, triſtes Hugonotorum reliquiæ. Hæc ſunt, quæ prolixius aliquantum relatum eo, in id intentus, ut compilatione mea eruditioni ſubſerviam. Scriptores autem, quibus uſus ſum, in præfatione ad hanc Partem VIII allegavi.

CAPUT

# CAPUT I
## DE
# STATU GALLIÆ
## SUB
## HENRICO IV AB ANNO 1600 AD 1610.

## ARTICULUS I.

### *Proditio Bironii. Fœdus cum Helvetis.*

INeunte ſæculo XVII in florenti ſtatu erant res Franciæ: converſus jam fuerat Henricus IV a Calvinismo ad orthodoxam fidem: conciliati proceres, urbes deditæ, reducti exules, tota Gallia erepta diſcrimini: pax cum Hiſpanis inita: inauſpicato connubio, cum Margaritha Valeſia, declarato irrito, extincta miſere, ſed tamen feliciter ad perennem puritatem regii ſanguinis, Eſtrea pellice: contractum legitimum cum Maria Medicæa matrimonium; quæ ſuperiori jam parte & ſæculo perſecuti ſumus.

Decem dein reliquis, quibus Henricus feliciter regnavit, annis, dum ſecunda pace omnia conquieſcunt, feſſis rebus ſubventum, ſanata vulnera prioris ſæculi, omniaque, quæ e republica eſſe videbantur, in ordinem repoſita.

Quamvis autem Henricus vere *Magnus* eſſet prudentia, liberalitate, manſuetudine, fide, fortitudine, aliisque belli & pacis artibus, atque ducum & miniſtrorum ſuorum merita non parce remuneraretur, inventi nihilominus duo ſunt, qui gratia tanti regis abuſi, novarumque rerum cupidi, commutatis cum Hiſpanis, ut fertur, & Sabaudis litteris, patriæ ſuæ proditionem adornabant; Bullion. non tamen ita occulte id fieri poterat, quin interceptis litteris mala conſilia tranſpirarent, regique innoteſcerent. Fuerunt iſti duo mareſchalli, ducesque clariſſimi, Henricus Bullionius, & Carolus Bironius, Burgundiæ gubernator, quam Hiſpaniæ & Sabaudiæ auxilio propriam ſibi facere meditabatur. Ille, ubi periculum advertit, fuga ad Proteſtantes, ſectæ ſuæ ſocios, Heidelbergam evaſit, quarto poſt anno regi rurſus conciliatus.

Bironius vero ad regem accitus, quamvis is ei fide regia impunitatem, ſi crimen ingenue fateretur, ſpoponderit, negare tamen

men pertinaciter perrexit; unde rex tandem productis litteris convictum, versa in justitiam clementia, quam sero imploravit, capite eum damnavit per sententiam Parlamenti, atque sic cum publica ignominia cecidit vir fortissimus, tot urbium expugnator, tot palmarum heros, cui parem arte & virtute militari vix habuit Francia, documento futurus posteris, quam infaustum sortiatur exitum proditio, adversus magnos principes attentata, quamque parum tueatur magnitudo præcedentium meritorum, si finis ea corrumpat. (*Thuanus*, *P. Daniel hist. Franciæ sub Henr. IV.*)

Fortassis etiam cordi adhuc regis hærebat aculeus, quem fixit Bironius, vir audacia militari, dum antea regi in faciem exprobraverat, propter mulierculam (Etream) amissum Cameracum, tanti in finibus Galliæ momenti urbem.

Carolus quoque Valesius Caroli IX nothus cum pluribus aliis ejusdem conspirationis habitus reus, conjectus fuit in custodiam, sed mox dimissus, non quod esset innocens, sed quod regem clementem offendisset. Sed post biennium alterius proditionis postulatus, in Bastilliæ arce detentus, carcerem suum, ut loquitur Brietius, in scholam commutavit, de qua exiit doctior & sapientior.

Expertus antea Henricus, cum Ludovico Condæo, patre suo, quantum momenti ac fidei pro rege, turbatis præsertim Franciæ Fœdus. temporibus, esset in Helvetis, quos antea, dum Calvinistarum adhuc partibus adhæsit, hostes habebat acerrimos, grandibus promissis, salvoque Mediolanensi & Sabaudico fœdere, socios ascivit: conciliata maxime gentis benevolentia, dum eorum mensæ assidens, familiariter in eorum sanitatem bibit. (*Anno* 1602.)

Duellorum abusus ea tempestate tantopere invaluerat, ut paucos intra menses quatuor virorum millia misere per illa cæsa dicerentur. Quare rex severo edicto exitialem hunc furorem prohibuit. Sed interdictum effectu ferme caruit, quod rex, martialibus spiritibus a prima ætate imbutus, recusantes ceu vecordes visus esset aspernari.

Anno 1602 ipsa nocte nativitatis Christi dux Sabaudiæ Genevam subita irruptione volebat obruere; at ubi consilium innotuit, evanuit. Eodem anno S. Franciscus Salesius in episcopatu Genevensi successit Garniero. Episcopus Andegavensis novum Breviarium in diœcesin suam voluit introducere. At Parlamentum illud suppressit. (*Morenas abrege de l'histoire.*)

## ARTICULUS II.

### *Conciliabula Calvinistarum in Gallia.*

3 Synodus Vapincensis.

ANno 1603 Calvinistæ Vapinci (*Gap*) in Delphinatu celebrarunt *synodum*, ad quam convocarunt deputatos non tantum ex tota Gallia, sed etiam, contra mandatum regis, ex provinciis extraneis, imo etiam Lutheranos ex Germania. Verum isti ne in uno quidem articulo doctrinæ controverso convenire cum illis poterant.

Sed quid tum? diversitas & contradictio in multis fidei articulis confraternitatem illorum non tollit; modo in hoc conveniant, quod *Papa Romanus sit Antichristus*: quam propositionem impiam tanquam articulum fidei statuit hoc conciliabulum. Novum sane dogma, quod prioribus fidei confessionibus non erat contentum, nec Lutherus aut Calvinus aut alius quantumvis maledicus pro articulo fidei proposuerat.

De Antichristo.

Duo ministri pulcerrimi hujus dogmatis præcipui auctores erant, Jurius, famosus præco, & Ferrierus, qui hanc thesin publice docuit, Clementem VIII esse Antichristum. Mirum profecto, homines, ceteroquin aliqua eruditionis laude claros, eo dementiæ aut furoris fuisse prolapsos, ut ridiculis id genus fabellis & se & reformationem suam coram orbe litterato prostituerent.

Certe ipsis etiam sapientioribus Calvinistis calumnia displicuit. Marchio Rosnæus magnum alias sectæ columen, fanaticos appellavit, monuitque per litteras synedrion, ne infami hac doctrina & se ipsum & religionem deridendam proponeret.

At venerabiles patres cœptis insistebant, & epocham hujus Antichristianismi referebant ad tempora Leonis I, quem primum Antichristum petulanti protervia statuebant. Rationem rogati responderunt, a tempore Leonis usque ad Gregorium M. Romanos episcopos arrogasse sibi potestatem in universalem ecclesiam.

Prodere patentius non poterant suam aut malitiam aut ignorantiam historiæ ecclesiasticæ, ex qua palam constat, præcessores Leonis, S. Cæleſtinum, S. Bonifacium, S. Zosimum, S. Innocentium, S. Stephanum, præsules integerrimos, sanctimonia vitæ & doctrina toto orbe clarissimos, non minori vigore jura Cathedræ S. Petri ac potestatem ecclesiasticam in omnes baptizatos propugnasse.

Diffiteri sane ipsimet nequeunt, multos etiam post Leonem I fuisse pontifices bonos sanctosque; quæ ergo, non dicam effrons

impu-

impudentia, ſed inſaniſſima eſt inſania, Antichriſtos ex iis facere? eſſe bonum & Antichriſtum quæ contradictio? eſſe ſanctum, & portare characterem beſtiæ? de uno Antichriſto, in fine mundi venturo, loquuntur ſacræ Scripturæ: iſti autem quot faciunt Antichriſtos! Ceterum Bellarminus *lib. 3 de Rom. pontif.* aliique doctores noſtri abunde confutarunt nugas & crudas ineptias de Papa Antichriſto.

Rex equidem ſuppreſſit impium articulum; at non eſt ea Calviniſtarum indoles, ut corrigi ſe patiantur. Conciliabulum *Rupellenſe* anno 1607 ineptam calumniam recoxit.

Præter inſulſum hoc dogma ſynodus Vapincenſis definivit, quod baptismus a ſolis prædicantibus valide conferatur, quin ullum in Scriptura hujus aſſerti fundamentum habeant, ſinantque multos absque ſacramento mori. Dicunt equidem, baptismum non eſſe ad ſalutem neceſſarium. At dicunt hoc contra clarum S. Scripturæ textum Joan. 3: *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum DEi.*

Decrevit denique hoc conventiculum, regi ſupplicare, 1 ut libertatem conſcientiæ obtineret Proteſtantibus in marchionatu Saluciarum. 2 Ut in actibus judiciariis abſtineretur ab inviſa voce, reformatio *prætenſa.* Sed quid hoc aliud eſt petere, niſi, ut rex Chriſtianiſſimus cum Catholicis vitrum pro gemma, aurum ſpurium pro genuino, deformationem pro reformatione habeat? libertatem petunt, quam ipſi in ſuis provinciis negant. De prædeſtinatione, pœnitentia, ſatisfactione Chriſti, juſtificatione per imputationem ejusdem mortis prolixe altercantur, ac ſe ſe mutuo condemnant, &, quæ venerabile hoc concilium definivit, Aquenſe negavit, in ſignum concordiæ in dogmatis fidei. (*Memoire Chronol. ad ann. 1603 cont. Fleury, ibid.*)

## ARTICULUS III.

### *Controverſia de immunitate perſonali nefarii ſacerdotis.*

CAtholici etiam inter ſe erant diſcordes, non quidem in iis, quæ 3
ad fidem ſpectant, uti Calviniſtæ, ſed in iis, quæ diſciplinam reſpiciunt, immunitatem maxime eccleſiaſticam.

Hoſpitalius archiepiſcopus Aquenſis in cleri ſui conventu quosdam Parlamenti ſenatores excommunicatos declaravit, prohibuitque, ad ſacramentorum perceptionem eos admitti. En cauſſam triſtem.

Imberti scelus.

Joannes *Imbertus* sacerdos Arelate puerum sexennem rapuit ad infandam libidinem. Reus comprehensus est ab Aquensi Parlamento, protestante potestate ecclesiastica, caussamque ad suum forum avocante. Et quamvis archiepiscopus delinquentem nollet degradare, Parlamentum nihilominus illum morte punivit. Archiepiscopus vero declaravit, eos qui sententiam mortis in sacerdotem tulissent, immunitatem ecclesiasticam graviter violasse, & censuram incurrisse; neque enim clericos in provincia minus gaudere immunitate a foro sæculari, ac in Italia; neque hac in re aliam esse doctrinam Galliæ ac aliarum nationum Catholicarum; nec deesse exempla, quibus demonstretur, non tantum magistratus inferiores, sed reges quoque fuisse excommunicatos, atque fideles ab earum communione abstinuisse. Postquam factus quis sit filius ecclesiæ, ejus legibus seu canonibus, libertatem ecclesiasticam, & quidem ordinatione divina, statuentibus, obligari.

Ab Henrico Condæo principe anno 1615 in pleno consilio ad Ludovicum XIII his verbis fuisse usum: *Papa supremus est pastor ovium Christi: & vestra majestas est illius ovis sicut alii, nec dubium est, quin potestati illius spirituali sit subjecta, & ex justa caussa a communione fidelium separari possit.*

At vero senatores his parum moti, censura autem vehementer irritati, jura sua & exemptiones invadi sunt questi. Fuisse quidem tempus, quo pontifices Romani gladio spirituali contra principes & magistratus usi sint, at istos fortiter se opposuisse; nunquam autem auditum, quod episcopus regi subjectus aut in eum, aut illos, qui nomine illius justitiam administrarunt, tale quid attentarit, nec ferendum exemplum, in futurum etiam perniciosum, quo lædatur auctoritas imperantis aut ejus ministrorum.

Citatus dein a Parlamento fuit archiepiscopus, cumque non compareret, censura declarata irrita, jussus fuit eandem coram clero revocare, & intra tres dies instrumentum revocationis ad acta Parlamenti mittere; ni faceret, mille aureorum pœnam fore, &, si cresceret contumacia, fore, ut omnia ejus bona ærario regis addicantur. Cessit tandem violentiæ præsul.

Procurator generalis, dum dixit, inauditum esse, senatorem Parlamenti aut alium regis ministrum censura ab episcopo fuisse perstrictum, non satis in historia Gallica se versatum ostendit; nam, ut antiquiora exempla prætercam, duobus ante hunc casum Aquensem annis episcopus Carnotensis duos senatores Parlamenti Tolosani

sani excommunicavit. Idem postea factum a Cardinale Surdisio, ab episcopis Verdunensi, & Apamiensi.

Illud certum, immunitatem clericorum a judicio sæculari, præsertim personalem, ab ecclesia per multos canones, & a variis conciliis, etiam generalibus, fuisse sancitam, & quidem, ut loquitur Tridentinum, *ordinatione divina*: quibus subditi ecclesiæ venerationem & obsequium debent.

Nec minus constat, jam a primis ecclesiæ temporibus, ex Apostolorum ordinatione, controversias a fidelibus delatas fuisse ad episcopos, quorum diœceses erant communis quodammodo familia, & ipsi velut Christianorum patres. Non autem minorem potestatem, maxime in clericos, in sortem Domini segregatos, habere debent episcopi in ecclesia sub Christianis principibus, quam in ecclesia pressa sub tyrannis.

Quamvis autem clericorum forum, maxime in criminalibus, debeat esse tribunal ecclesiasticum (ne filius patrem, ovis pastorem, discipulus magistrum judicet) consuetudine tamen invaluit, ut laici etiam in clericos, criminis *excepti* reos, uti læsæ majestatis, perduellionis, proditionis patriæ, judicium exerceant: & universim, cum ecclesia judicium sanguinis non exerceat, clericus, reus criminis, quod in foro civili morte plectitur, degradatus traditur potestati sæculari, secundum leges capitali supplicio afficiendus. (*Mem. chron. & cont. Fleury. ad ann.* 1601.)

## ARTICULUS IV.

### *Consilium de recipiendo concilio Tridentino. Varii obitus.*

ANno 1605 Villarsius archiepiscopus Viennensis ad regem detulit querelas cleri Gallicani, in synodo congregati, de neglectu disciplinæ ecclesiasticæ, simonia confidentiali, & illicitis pactionibus, passim per Galliam grassantibus; malique caussam allegabat, quod concilium Tridentinum necdum solenniter sit promulgatum, concilium Oecumenicum, a regibus & populis expetitum, a summis pontificibus convocatum, a Spiritu sancto gubernatum, tanta celebritate tantaque industria, circumspectione, concurrentibus Galliæ quoque regibus gestum. 4

Sive spectetur finis, orthodoxæ fidei conservatio, & corruptæ morum disciplinæ reparatio, esse utilissimum, opportunissimum: sive decreta reformationis, sanctissimum, fructuque uberrimum.

Sub quacunque ratione consideretur, regi vehementer suaderi, ut cleri sui preces exaudiat. Tristem esse conditionem Galliæ, ab ecclesiæ primogenito gubernatæ, velut schismaticam & sanctis ordinationibus reluctantem haberi.

Qui ad fidem pertinent concilii canones, per se jam esse acceptatos & sufficienter promulgatos, quæ vero ad disciplinam & reformationem spectant decreta, a provincialibus Franciæ conciliis esse recepta, nihilque superesse, nisi ut regio quoque diplomate publicentur, & in usum deducantur. Si autem aliqua sint, quæ cum legibus regni pugnare videantur, ea tam pauca esse, ut inter prælatos, & regium consilium vel Parlamentum una collatione ita possint componi, ut regi ex integro satisfiat.

Respondit Henricus IV, satis sibi perspectos esse abusus, atque magnopere se exoptare, ut concilium Tridentinum fuisset receptum in Francia; verum a rationibus mundi sæpe oppugnari intentiones cœli. Quantum suarum sit partium, a se neminem præsentari ad beneficium ecclesiasticum, nisi quem dignum censeat; atque per hoc non parum fuisse emendatum clerum. In futurum se adhuc melius ecclesiis provisurum. Hoc totum erat, quod obtineri poterat.

Hinc falso videtur continuator Joannis de Serres scripsisse, quod rex, deputatorum oratione & diuturno cleri congressu offensus, eundem dissolvi jusserit, his usus verbis: *memineritis, quod instet quadragesima, quæ sint vestra officia, & præsentia vestra ecclesiis sit necessaria. Figendi sunt termini diuturnis vestris congressibus, per quos oves vestras desertas & famelicas relinquitis.*

Ceterum a clero Gallicano sæpius petita fuit promulgatio concilii Tridentini, & Clemens VIII pro reconciliatione regis reliquas inter conditiones expresse stipulatus est, ut concilium in regno promulgetur & recipiatur.

At semper Parlamentum Parisiense se opposuit, uti nominatim tempore Caroli IX, acceptationem, inquiens, quoad disciplinam stare non posse cum edictis pacificationis, & Calvinistis occasionem novæ seditionis præbituram. Nec defuit, qui diceret, in decretis reformationis concilii tot ordinationes reperiri, usibus Galliæ contrarias, ut, si reciperentur, inverti oporteret regni politicam, & libertates ecclesiæ Gallicanæ.

Prælati existimabant quidem, id genus prætextibus viam præclusum iri, si publicationi concilii adjiceretur clausula: *Salvo jure regis & privilegiis ecclesiæ Gallicanæ.* Verum aliis visum, tali exce-

exceptione non satis cautum fore; unde opus tam salubre a clero evinci nunquam potuit. Præsertim vero anno 1615, dum clerus Gallicanus in synodo Parisiis esset congregatus, reassumptum fuit negotium. Richelius, episcopus tunc Lucionensis in Pictaviensi provincia, gravi oratione conventum est adhortatus, ut pro impetranda, petita jam toties acceptatione regi supplicaret. Cum autem nihil superesse spei prælati cernerent, juramento se obligarunt ad observandas ordinationes Tridentini, convocandaque eam in rem ab archiepiscopis concilia provincialia.

Hoc decretum signatum fuit a tribus Cardinalibus, Rupefocadio, Gondyo, & Perronio, 7 archiepiscopis, 45 episcopis, multisque aliis ecclesiastici ordinis. Verum aula severe prohibuit synodos cogi, aut quidquam in ecclesiasticis mutari absque authoritate regis; secus facturos in pœnam privandos bonis, & tanquam læsæ majestatis reos tractandos.

Maxime autem publicationi se opposuerunt Calvinistæ, arma minitantes, si tentaretur, quippe per concilium se damnatos gnari: unde inter primos pacis articulos stipulabantur, ne illud reciperetur. Nihilo tamen secius plures episcopi cum Cardinalibus Rupefocadio & Surdisio in diœcesibus suis Tridentinum promulgarunt, imposita omnibus observandi illud, etiam quoad morum decreta obligatione (nam quoad canones fideique definitiones dudum fuerat receptum) atque sic receptum dici potest etiam in Gallia, non quidem solenni aliqua promulgatione, a rege & Parlamento approbata, sed per diversas synodos provinciales, hoc & superiori sæculo celebratas.

Circa hoc tempus obiit Catharina, Henrici IV Franciæ regis soror; quæ, licet impedimento consanguinitatis laboraret, nupta fuit Henrico duci Lotharingiæ, qui, ut dispensationem impetraret, Romam profectus est. At Clemens VIII dispensare noluit, nisi Catharina, abjecto Calvino, sacra Catholica amplecteretur. Sed infelix paulo post errori fuit immortua. Obit regis soror.

Meliori sorte ineunte hoc sæculo vitam, pientissime ductam, clausit Florimundus Remondus, consiliarius Parlamenti Burdegalensis. Infelix nascendi conditio Calviniano illum errori immerserat; at postquam, appropinquante sanctissima Eucharistia, energumenum liberatum vidit, anno 1566 ad Catholicam fidem conversus est. Reliquit doctissimum opus historicum de origine hæresum, ex quo non pauca in hunc apparatum sunt translata. Remondus.

Obiit

Obiit anno 1604 Cardinalis Offatus, multo tempore Gallicus Romæ orator. Illius loco purpuram adepti sunt Perronius, & Marzatus, concionator Papæ, primus ex ordine PP. Capucinorum ad Cardinalatum assumptus.

Vidit eadem ætas & alia magna funera, Mercurium ducem, palmis Hungaricis, a Turca relatis, florentem, dum in terrestrem patriam tendit, ad cœlestem abreptum Norimbergæ: Guilielmum Barclajum Scotum genere, Andegavi mortuum, & Justum Lipsium Brabantinum, Lugduni Batavorum ante professorem, ad sacra Catholica feliciter transgressum. Illum jurisprudentia, & tractatus odiosi de potestate Papæ regumque famosum reddunt; hunc & virtus & litteratura excellens posteritati commendat.

## ARTICULUS V.

### *Restitutio Societatis JEsu in Gallia.*

QUam sub finem sæculi prioris, falsis atque malignis obtrectationibus circumventus, a curia Parisiensi proscribi e Gallia Societatem JEsu passus est Henricus M. eandem hoc ineunte restituere serio cogitavit, perspectis magis magisque inimicorum calumniis, & patrum innocentia, vehementer licet obsistente *Harlæo*, regii senatus seu Parlamenti præside, ac *Servino* advocato regio, quorum odia sopiri non poterant patrum calamitate & exilio.

Regis oratio.

Verum cum Harlæus in senatu coram rege acri oratione in Societatem fuisset invectus, & edictum regis de iis revocandis ratum habere nollet, rex ipse Societatis suscepit patrocinium, facunda oratione diluens obtrectationes, in eandem conjectas. Lætari se dicebat cura, quam pro se & regno senatus gereret: perspecta sibi esse omnia, quæ tam operose allata modo fuerant, & a multis annis expensa: multa quotidie in vulgus falso spargi, & affingi hominibus Societatis, quos constet adeo non aucupari dignitates, ut peculiari voto aditum ad illas sibi præcludant.

Rejectos a Sorbona veteri, æmulatione quadam aut ignoratione eorum instituti, non rejici a nova, imo illorum eruditioni meritam laudem tribui. Nullius æque interesse, eos revocari, atque Lutetiæ; secum enim revecturos numerosam pubem, quæ ipsos, vetantibus licet senatus edictis, ultra Galliæ fines sectari non cesset. Si tolerati duntaxat hactenus fuerint in Gallia, facturum se, ut authoritate publica, edictis regiis, & senatus decretis, jure civitatis, regni, & universitatis donentur.

Sedi-

Seditiosum genus hominum, regibus infestum, fœderatorum in civili bello partes amplexos dici: verum fuisse hanc calamitatem temporum; errore lapsos esse cum multis aliis, & levius quam multi, conscientia & religione ductos: habiturum seipsos deinceps sibi suisque partibus addictissimos, nullo voto adstrictos Hispano regi, nec ita summo Pontifici, ut debitam suis principibus ejurent fidem. Si illis utantur multum Hispani, se illis usurum plurimum. Habere Hispaniam, quod illam alliciat, cur Gallia non sit habitura? magnas ab ea allatas fuisse Hispanis, Germanis, Italis, orbi toti, utilitates, afferendas Gallis non minus.

Refricari tetra Barrerii & Castelli facinora: at Barrerium ab uno de societate sub æterni supplicii denuntiatione a parricidio fuisse deterritum, ab altero se fuisse admonitum de scelerato consilio, ceteros illud penitus latuisse. A Castello nihil ipsis fuisse objectum. Si tamen Guignardus aliquid in caput regis cogitasset: an æquum foret, ut unius culpa omnes habeantur rei? Si in regio exercitu aliqui sint flagitiosi, fures & raptores, an rex horum flagitiis teneatur obstrictus? Non esse hæc vulnera, quæ jam coierint, refricanda. Se omnibus, quicunque sint, qui in se peccarint, ignoscere, sicut DEum sibi propitium exoptet: aut, si quorundam de hac societate maleficia reprehendere libeat, cur aliorum, non modo Gallorum, sed & Hispanorum beneficia, sileantur, quos suæ cum Ecclesia reconciliationis caussam omni studio promovisse constet?

De doctrina, quod objectant, inquisitum a se diligenter; falso illis affingi, qualem Harlæus prædicet: a triginta annis, quibus in Gallia doceant, neminem esse, qui se hanc ab illis audivisse asserat: ne quidem a societate dimissos, & ad hæreticorum castra interdum transgressos, licet omnium, quæ in ea geruntur, gnaros, hoc pestilentis doctrinæ crimen ipsis unquam objecisse. An credibile, si quid scirent, dissimulaturos, cum alioquin sint tam diligentes in conquirendis undecunque probris, quibus dum societatem onerant, suæ defectionis infamiam eluere contendant?

Si lectissimos illi adolescentes ad suum cœtum aggregent, & se in id esse intentum, ut optimos milites conducat: & senatum optimos ad suum cœtum lecturum, nisi majorem aliquando gratiæ, quam virtutis veræ rationem haberet.

Si in urbes penetrent, & latius quotidie spargantur, nec impediantur ulla difficultate, quo minus destinata perficiant, laudare se, ait rex, eorum industriam; neque se alia via, quam per difficultates in solium ascendisse.

Hallucinari eos graviter, qui immensas eorum opes spargunt. Ne publicis se negotiis immisceant, cohiberi posse: ne arcana regum prodant, non esse ipsis communicanda, nisi in quantum regi sit placiturum.

Ad extremum id a se fuisse observatum, cum primum de illis restituendis egisset, duo præ ceteris hominum genera repugnasse vehementius, alterum hæreticorum, alterum ecclesiasticorum solutioris vitæ; inde autem commendatiorem sibi fuisse eorum vitam & doctrinam. Se revocatos velle: cautionem ad se pertinere, ne quid inde res publica detrimenti capiat: haud paulo difficiliora a se fuisse gesta.

In hanc sententiam locutum fuisse publico in senatu regem, testatur Juvencius *Hist. soc. p.* 5 *l.* 12 *n.* 62 & 64, atque, hanc ejus orationem cum admiratione facundiæ fuisse exceptam, & in varias linguas conversam.

Quamvis autem rex per se ipsum, aut de consilii sanctioris sententia decernere possit, quidquid lubet, quantumvis Parlamentum se opponat, ingredi tamen hanc viam noluit, magnis curiæ Parisiensis, & præsertim senatus principis erga se meritis perpensis.

Moris adhæc est apud Gallos, ut edicta regia vulgo habeantur a senatu Parisino rata, nec antea vim suam censeantur obtinere. Ab hoc igitur more & ritu ordinario non recessurus, edictum restitutionis in publicas tabulas referri a Parlamento voluit; quod factum tandem est anno 1604, quo edicto regio & senatus consulto Parlamenti revocata est societas, adjectis quibusdam conditionibus, quas tamen rex aut sustulit, aut ita est interpretatus, ut societas in Gallia non alia lege degat ac alibi, sed plene secundum suum institutum, ab Ecclesia approbatum, possit vivere.

Patroni societatis.

Nec silendi præcipui patroni, operis istius adjutores, quales se exhibuerunt, præter Clementem VIII summum Pontificem, ejusque legatos, Cardinalis Ossatus, Villaregius aulæ primarius minister, Lediguerius mareschallus, & Delphinatus præfectus, quem Cotonus ad fidem converterat, Turnonius comes, Seguierius cancellarius Franciæ, multi sacri antistites, multæque civitates.

Hi omnes, auctoritate & gratia, qua apud regem valebant, commendatione societatis, litteris supplicibus, caussam ejusdem magno studio defenderunt ac promoverunt, demonstratis calumniis & obtrectationibus, quibus inimici societatis regis aures obtundere non cessaverant, atque oggerere identidem, domitis externis & apertis hostibus, superesse occultos, eo magis metuendos;

dos: in his esse Jesuitas non solum a Calvinistis, quorum tunc multi in Gallia, verum etiam a Catholicis bene multis, dignitate & doctrina insignibus audiverat: Parlamentum illos hostibus addictos dicere perrexerat, ut exilii decretum, anno 1595 in eos latum, tueretur. Hanc opinionem multi alii societatis osores in regis animo alere curaverant, sparsis rumoribus, conscriptis libellis, fabricatis calumniis. Producta fabula, in Belgio contexta, de immisso ad necandum comitem Nassavium percussore: consarcinatus in eam rem libellus famosus, cui præfixa imago, pugionem referens cum inscriptione: *non est huic similis.* Alterum libellum ediderat *Bucherius* doctor Sorbonicus, tacito suo nomine, in quo Castellum defendere conabatur. Hic libellus societati fuerat attributus: Jesuitas prohibere, dicebant, ne preces pro rege fundantur, animos ubique ad seditiones & rebelliones concitare, & aliis multis mendaciis animum regis, qui tunc adhuc parum cognitam societatem habuerat, ab ea avertere omni ope adlaborarant. Quo factum, ut per novennium ferme traheretur restitutionis negotium.

Opus igitur erat, ut essent quos dixi, patroni, qui has calumnias refellerent, & ostensa veritate regem conciliarent. Opportune etiam in hanc rem prodiit gemina apologia, altera a Ludovico Richeomo, a Petro Cotono altera, pro societate conscrita, regique oblata; effectumque denique, ut rex ipse, quod dictum, patronum societatis in senatu ageret, atque ad subscribendum edicto revocationis, Rothomagi jam ante promulgato, Parisinum quoque Parlamentum permoveret.

Ceterum errant, qui putant, societatem tota exactam fuisse Gallia: collegium quippe Tolosanum, cum domo probationis, Anniciense, Auscitanum, Rutenense, Turnonense, magistratuum & civium favore, semper societati cum incolis sunt conservata. Vix autem audito postliminii edicto certatim omnes revocarunt patres, & civitates amplius viginti collegia flagitarunt, tanto incremento rerum nostrarum, ut vix non optabile videri potuisset, aliquorum annorum exilio illud redimi.

Henricus ipse Magnus profunde adeo in animum suum admisit societatem, ut paterno eam affectu complecteretur, atque adversus obtrectantium insectationes defenderet, Petrum Cotonum vero, quem summopere amabat, & æstimabat, concionatorem suum & confessarium asciseeret, atque adeo de eo ad archiepisco- Regis gratia.

 patum

patum Arelatenſem & Cardinalatum promovendo cogitaret. Et effeciſſet, niſi Cotoni ſincera deprecatio interceſſiſſet.

Nihil vero ejus animum patentius demonſtrabat, quam, quod non modo amplam collegia per univerſum regnum recipiendi poteſtatem ſocietati fecerit, ſed proprium etiam & avitum palatium, quod Flexiæ in agro Andegavenſi habebat, eidem donarit, erecto ibidem amplo & magnifico collegio, academia, & ſeminario nobilium, ſocietati traditis; quin, ut cor ſuum ac reginæ conjugis poſt obitum ibidem conderetur, teſtamento cavit. Illud etiam non ſine voluptate percepit, ſub primis jam initiis ultra mille diſcipulos Flexiæ ſcholas frequentare.

Juſſit dein idem rex, ignominioſam pyramidem, quæ anno 1595 præ foribus curiæ fuerat erecta, luce palam funditus everti, quamvis magni viri intercederent, ad Parlamenti dedecus id cedere interpretantes. *Juvencius Hiſt. ſoc. p. 5 l. 12. Memoires Chronoliques, ad ann.* 1604. *Continuat. de l'hiſtoire eccleſ. de M. l'Abbe Fleury ad eund. ann.*

Peræ collegium. Neque Galliæ finibus continebatur regis Henrici favor; Conſtantinopolim uſque ſe exporrexit, in cujus ſuburbio *Pera* ejus auctoritate & munificentia ſocietas ſtabilem ſedem collegiumque recepit. *Brietius in annal. mundi ad ann.* 1609.

## ARTICULUS VI.

### *Diſputatio Perronii cum Mornæo.*

6 PHilippus Mornæus, Salmurii præfectus, quem Calviniſtæ ceu papam ſuum ſuſpiciebant, præter alia ſcripta librum ediderat, cui titulum præfixit: *Abuſus Miſſæ.* In hoc multos allegavit patrum & doctorum textus, ſed truncatos & penitus corruptos: prout mox demonſtrarunt Berengerus doctor Sorbonicus, Ducæus S. I. maxime autem Jacobus Davius Perronius, epiſcopus tunc Ebroicenſis, poſtea vero archiepiſcopus Senonenſis & S. R. E. Cardinalis, vir excellenti eruditione & doctrina.

Hic prælatus, plus 500 textus a Mornæo fuiſſe mutatos & corruptos; demonſtraturum ſe offerebat. Mornæus, qui forte, ut erat ſuſpicio, libri auctor non fuerat, ſed nomen duntaxat ſuum miniſtris Calvinianis, in fallendi arte præcellentibus, commodaverat, cum in aula verſaretur, tantum dedecus non ferens, Per-

ronium ad disputationem publicam provocavit, invitato etiam ad illam Henrico rege.

Verum cum uterque condixisset, & rem serio agi cerneret, inspectis fontibus, turpiter se a præconibus suis deceptum deprehendit. Quid faceret? Referre pedem honore salvo non poterat. Quid ergo consilii? Statuit rejicere libros, quos Perronius esset allaturus, tanquam a Catholicis corruptos. At Perronius huic effugio provide locum præclusit, dum ea afferret volumina, quæ Genevæ, Basileæ, aut in aliis sectariorum urbibus typis fuerant impressa.

Igitur anno 1600 4 Maji in arce regia Fontis Bellaquei præsente rege, ducibus Valdemontio, Nemorosio, Mercordio, Mayenno, Nivernensi, Elbovio, cancellario, quatuor arbitris utriusque religionis, quatuorque secretariis, aliisque ducentis prope ecclesiasticis & sæcularibus personis cœpta est disputatio.

Mornæus ex 500 textibus, quos Perronius corruptos dicebat, tantum 19 elegit, quos a crimine falsi excusari facilius posse credebat; verum Perronius etiam in istis tantum corruptionis ac malæ fidei, exhibitis fontibus, ob oculos posuit, ut omnes præsentes, etiam Calvinistæ, Mornæum tanquam falsarium condemnare cogerentur.

Nam vel scriptoribus, uti Scoto, Durando, &c., tanquam propriam eorum sententiam & doctrinam attribuit, quod per modum objectionis ex mente adversariorum posuerant, vel textus ipsos patrum, uti Chrysostomi, Hieronymi, Theodoreti, Bernardi &c., fœde depravatos corruptosque exhibuit: vel textum ex authore, uti Cyrillo allegavit, de quo nec verbum in authore exstabat.

Sex jam horas exhibitio ista depravationum tenuerat, & tamen novem solummodo loci, in quibus minus quam reliquis negotii fore sibi Mornæus crediderat; in quibus singulis concertationis arbitri, inter quos Casaubonus & Frenius Calvinistæ, cogente manifesta veritate, Perronio victoriam, sublestam adversario fidem attribuerunt.

Nocte jam imminente surrexit rex, & diem sequentem reliquorum textuum ac locorum examini indixit. Verum Mornæus, pudore suffusus, atque conspectum regis, totque principum ac nobilium non ferens, ne quidem salutato rege profugit, febrique aut simulata, aut ex ægritudine animi contracta, deinceps comparere noluit, facili conjectura prospiciens, quibus oculis majores imposturas & librorum corruptiones, in reliquis 491 textibus commissas,

Fuga pugilis.

ſas, coram tam illuſtri cœtu eſſet aſpecturus. Hazart *Hiſt. eccleſ. Gall. cap.* 46.

Talem finem accepit celebris iſta concertatio, & (ut JCti loquuntur) *confrontatio*, cum ſummo Calviniſtarum in Gallia dedecore, ubi papam ſuum tam turpiter lapſum intueri debebant. Rex autem in religione orthodoxa, nuper ſuſcepta non parum eſt confirmatus, pluresque ex præſentibus, cum viderent, quibus armis contribules ſui depugnarent, ad eandem redierunt.

Nihilominus tamen, quamvis hæc in tanta orbis luce ſint acta, præcones quidam Calviniani (quæ eſt horum hominum effrons audacia) Mornæo triumphum accinebant; contra tot teſtes, qui omnia audierunt & viderunt. Rex ipſe ad ducem Eſpernonium, ſuum Romæ legatum ſcripſit, epiſcopum Salmurienſem victum fuiſſe ab Ebroicenſi.

Ceterum Mornæi exemplum neque tunc fuit novum aut rarum, & hodiedum multi ſectarii, eorumque præſertim miniſtelli illud ſequuntur. Muſas noſtras non ſinunt eſſe virgines, ſed multoties depoſito omni pudore, illas corrumpunt, corruptisque deinde ridenti ſibilo inſultant.

Sed Mornæus, publica confuſione ſuique coram rege, totoque conventu tam nobili doctoque necdum ſatiatus, incentoribus miniſtris Calvinianis, qui ex corrupto ſuo armamentario materiam illi miniſtrabant, librum anno 1611 edidit odio, furore, & calumniis in papatum plenum. Probare inter alia profeſſus eſt, Paulum V Papam eſſe verum Antichriſtum. Thema profecto nec triviali verna dignum, quid dicam nobili ex Pleſſæa familia. Sed quid mirum, ſi Papa Calviniſtarum alium præter ſe Papam noluit agnoſcere? Vaticinabantur tunc hæretici, Eccleſiam Romanam & Papatum brevi collapſurum, & quidem Jurie initium ſæculi XVIII totali illius ruinæ ſtatuebat. At juvenes iſti prophetæ adeo prolapſi ſunt, ut eorum ſectatores hodiedum poſt 150 annos videre debeant, papatum adhucdum ſtare integrum.

## ARTICULUS VII.

### *Henrici IV cædes.*

7 Regis apparatus. POſt extincta bella civilia, quæ multis annis Galliam attriverant, alma virebat pax: reparatæ ruinæ, reducta felicitas: rex domi

mi amatus, æstimatus & formidatus foris. Et erat sane trino exercitu metuendus. Primum ducebat Lediguerius in Delphinatu ad fines Italiæ, alterum Nivernensis in Campania ad terminos Burgundiæ & Belgii, tertium rex ipse in agro Parisino ad Sequanam: alto silentio, quo tanta tempestas se se esset effusura.

Alii Hispaniam, Burgundiam, aut Mediolanum, alii Germaniam, ubi Juliacense bellum adversus Leopoldum archiducem fuerat cœptum, omnes Austriacæ domus potentiam tacita conjectura designabant. Cum ecce! dum rex totus est in apparanda expeditione bellica, dumque inter applausus & pompam, coronandæ reginæ præparatam, curru vectus Lutetiam lustrat, subito a furioso sicario, orci satellite, Francisco Ravalliaco, Inculismensi, vili ludimagistro, bis in corde percussus, inter charissimos aulicos repente expiravit, morte Henricis tribus, Galliæ regibus, fatali: quorum unus a Mongomerio, alter a Jacobo Clemente, tertius a Ravalliaco fuit peremptus: attentato jam ante a Barrierio, & Castello nefario facinore.

Tota totis artubus ad immane parricidium cohorruit Francia, & extra illam omnes boni. Rex quippe erat Henricus, & nomine & re vere *Magnus*, Gallicæ gentis deliciæ, & orbis amor, qui sibi regnum, hæreditate debitum, armis perpererat, ut duplici jure rex Franciæ diceretur (*Brietius*).

*Magnus* dictus, magnitudinem nominis re adæquavit, non tantum aliena victoria, sed & sua: passus hostes, ut haberet, quos vinceret, quibusque parceret: Julio Cæsari propemodum par, uno supra illum, quod ambitionem finibus suis contineret. (*Bussieres*).

Eo vulnere Gallia prope omnis concidit, quippe quæ regem charissimum juxta ac potentissimum amitteret, adhuc annis & robore florentem. Multus ubique de ipso, & quantum sinebat dolor, & multa cum laude sermo: aliis bellicam ejus fortitudinem Laus. prædicantibus, qua se in mediam hostium aciem centies & quadragies, dux idem & miles, ac sua lauream decerpens manu, immiserat; trecenta oppida obsidione cinxerat; nunquam ab armis per annos 33 discesserat: aliis prudentiam intoleranda regendaque tanta vitæ & fortunæ varietate; in regno recuperando; in componenda ac pacanda tot inter procellas Gallia, quam e summis ereptam calamitatibus ac periculis in pristinum decus restituerat. Alii clementiam laudabant, qua inimicis, privatis æque ac publicis, tam libenter, tamque constanter ignoverat. Plurimi religionem & pietatem, quam & verbis & factis tueri non destitit, cujus glo-

riæ

riæ ita studebat, ut hoc ipso anno professus sit, se, quidquid ageret, ad religionem tuendam & amplificandam referre, quamvis nonnihil hæreticis indulgere videretur.

Converti hos voluit sedate & leniter. Blanda adhortatione plures a se reductos asserebat: si errantem se essent secuti, sequerentur nunc revocatum: abstinendum a convitiis; comitate agendum, nec invidiosum *hæreticorum* nomen ipsis in faciem exprobrandum. Id agendum maxime, ut doceantur, ubi sit vera Christi Ecclesia: hoc enim demonstrato cetera prona fore. (*Juvencius*)

Cecidit Henricus melancholici atque maniaci hominis rabie: caussa parricidii superstitio, qua favere Calvinistis creditus ex eo, quod pacem inter subditos aluit, probe gnarus, quam exitialia sint regno & populo bella civilia. Placide igitur regnavit, populi sui amor, & cumulavit divitiis Galliam, per seditiones & bella exhaustam, regno decessoris infausto. Bello & virtute politica erat maximus, in prælio ferox, in pace mansuetus & clemens, nunquam populo exactionibus gravis, Galliam moriens incredibili mœrore desolatam reliquit: statim ab obitu *Magni* nomen ei delatum; neque enim ante rex fortior nec justior fuerat. (*Gramondus*)

Dolor & luctus totius Galliæ nullis exprimi verbis potest. Omnes deplorabant jacturam tanti & tam amati principis, *Magni* cognomen adepti, heroicæ fortitudinis præmium. Cives Parisienses tanta in impium parricidam ira exarserant, ut laniones se offerrent ad pellem vivo abstrahendam: & erat id adhuc infra meritum: sed barbariem spirare visum. (*Foresti*).

Quamvis aliqui, quibus minus rex erat cognitus, teporem quemdam religionis in eo arguebant, vehementer tamen illi hallucinabantur: nam timorem domini, fidem perfectam, & Catholicæ religionis amorem alte cordi implantatam gerebat, erga Sedem Apostolicam singulari affectu referens. Quotidie SS. Missæ sacrificio devote interfuit; confessionis & communionis sacramenta statis diebus festis diligenter obibat. (*Hazart ex Scipione du Pleix*).

Quidam nævos aliquos in eo reprehendebant, uti, quod lusui & fœminis nimium esset deditus; verum hi aliqua ratione operiebantur per grandia & gloriosa gesta, per continuas victorias, per tenerum amorem sui populi, per clementiam erga tot personas. Ceterum plures quam 50 historici, plures quam 500 oratores & poetæ magno huic principi insigne elogium scripserunt. (*Moreri, Mezeray, Benoit.*)

Obiit Henricus M. anno 1610 ætatis 58, regni Navarræi 38, Gallici 21. Sicarius resina, plumbo, sulphure, forcipibus candentibus tortus, a quatuor equis distractus est.

Caput

# CAPUT II

## *STATUS GALLIÆ* SUB LUDOVICO XIII.

## ARTICULUS I.

*Mater regina tutrix : vexata Societas.*

HEnricus IV tres filios reliquit ſuperſtites, Ludovicum, ducem 8
Aurelianenſem, cui brevi mortuo in titulum *ducis Aurelianenſis* (qui proximo a rege & Delphino, principi tribuitur) ſucceſſit Gaſto, duos tunc annos natus, dux Andegavenſis antea appellatus. Præter hos tres ex Maria Medicæa, legitima conjuge, ſuſceptos, natus eſt Henrico etiam filius ex Eſtrea ſeu Belfortia, quem ducem Vindocinenſem (*Vendome*) dixit.

Tres item filias, Eliſabetham Philippo IV regi Hiſpaniæ, Chriſtinam duci Sabaudiæ, & Henricam Mariam Carolo I Angliæ regi nuptam.

Cum igitur cæſo patre Henrico Ludovicus filius adhucdum impubes eſſet, utpote nonum ætatis annum necdum egreſſus; dubium erat, quis tutorio nomine regni habenas deberet capeſſere, donec novus rex decimum quartum (quo reges Franciæ fiunt majores) impleſſet.

Ex regii ſanguinis principibus Condæus & Sueſſio jam ante ab aula receſſerant, Contius ſilebat. Igitur mater regina vidua (prout poſt obitum Henrici II contigerat) a ſanctiore conſilio & Parlamento tutrix ac regens Galliæ altero mox poſt obitum Henrici die renuntiatur.

Aderant in magno hoc ſenatu præſentes, præter regem ejusque matrem, Contius princeps, Ludovici Condæi filius, Henrici IV patruelis: Jojoſa, Gondius, Surdiſius, Perronius, Cardinales: archiepiſcopus Rhemenſis, epiſcopi, Bellovacenſis, Cabillonenſis, Laudunenſis, Lingonenſis, Noviodunenſis, Guiſius, Mommorancius, Eſpernonius, Maynius, Mombaſonus Sullius, duces & Pares Franciæ: Briſſacus, Lavardinus, Buſcodelphinus, mareſcalli: epiſcopus Pariſienſis, cui in ſenatu regio eſt ſuffragium: alii

archiepiſcopi & epiſcopi absque ſuffragio. Dextre tamen diſſimulatum a Brulardo cancellario in legendo placito, an Parlamentum in electione regentis votum habeat. *Gramond. hiſt. Gall. ad ann.* 1610.

Præſtitum dein homagium & fidelitatis ſacramentum a clero, nobilitate & populo: nec diu poſt ſuſcepta Rhemis a Cardinale Jojoſa ſolenni cum pompa more majorum ſacra inunctio, & coronatio, præſtito tamen prius juramento veteri ritu hac forma: *profiteor, me futurum poſthac eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ protectorem: abacturum ditione mea hæreticos: privilegia eccleſiæ conſervaturum: leges populis daturum ex æquo.* Gramond. l. c.

Pares curiæ. Præſentes huic ſolennitati fuerunt cum principibus & aulæ miniſtris, 12 Pares Franciæ, ſex eccleſiaſtici, epiſcopi nempe, quos ſupra nominavi, quorum epiſcopatui conſtanter eſt annexa hæc dignitas: & ſex ſæculares, quales olim erant, cum feuda adhuc a rege haberent, duces, Burgundiæ, Normanniæ, Aquitaniæ, & comites, Toloſæ, Flandriæ, & Campaniæ; qui in coronatione regis comparere omnes debuerant, & ſuis officiis fungi. At, poſtquam deinde dominium utile cum directo fuit conſolidatum, pro arbitrio regis alii ſubſtituuntur: ſicut pro hoc coronationis actu ſubſtituti fuerunt principes Condeus, Contius, Sueſſio, Nivernenſis, Ellbovius, Eſpernonius. Dicuntur *Pares*; quia olim in cauſſis feudalibus, inter dominum & vaſallum controverſis judicabant tanquam *Pares curiæ*: & adhuc cauſſæ arduæ ad eos quandoque deferuntur. Habent jus ſeſſionis & voti in Parlamento præſertim, ſi ſint principes regii ſanguinis. (*Moreri*: qui numeroſum texit catalogum ducatuum, comitatuum & ditionum, quibus a variis regibus hæc dignitas fuit annexa.)

Cæterum poſt exequias, defuncto Henrico IV habitas, translatumque, uti imperaverat, ſolenni ritu ejus cor Flexiam, ibique in ſacello Societatis JEſu conditum, prima inter negotia ſuſcepta eſt cauſſa parricidii. Adhibita acerbiſſima tormenta, ut complices tam execrandi facinoris nominaret, ſed exprimi nihil poterat, ita, ut plus vigeſies aſſereret, neminem omnino conſilii ſui fuiſſe conſcium, teſte *Malingragio in hiſt. Pariſienſi.*

Nihilominus tamen non defuerunt ex hæreticis & malignæ etiam in Societatem mentis Catholicis, qui attentatum olim a Caſtello ſcelus, Jeſuitis auctoribus a Ravilliaco conſummatum fuiſſe per orbem ſpargerent. Rogatus a Servino, cui (ut Gramondus præſes Toloſani Parlamenti *in hiſt. Gall. ad annum* 1610 loquitur) vetus in Jeſuitas odium, Jeſuitamne in ejus ſecreti conſcientiam vocaſſet

aliquando? negavit; & in ea negatione constantissime ad extremum usque vitæ spiritum perseveravit.

Et profecto, quis Jesuitas tanta phrenesi insanire crederet, ut patronum, imo patrem, ac benefactorem, quo in toto orbe majorem illa tempestate non habuerant, qui eos in integrum restituit, imo multis incrementis auxit, qui pro eorum caussa, velut pro domo sua contra obtrectatores peroravit, qui iis familiarissime usus est, qui propriam iis conscientiam concredidit, qui, ut jam notum erat, ipsum cor suum Flexiensi collegio destinaverat, a quo multo adhuc plura sperare poterant, nefario ac furioso parricidio interemptum cuperent?

Quod hæretici talia confingant, totque famosis libellis spargant, non miror. Sciunt, Societatem esse aggerem, qui impediat, ne quo volunt, perrumpant. Sed de Catholicis quibusdam quid dicam? Valet Societas non nulla apud principes gratia: aliquorum conscientias dirigit: conspicitur in aulis: docet in scholis, prædicat in cathedris ecclesiasticis, frequentem auditorem attrahit; numeroso pœnitenti aures præbet; sodalitates Marianas aliasque moderatur; insignibus a sede Apostolica privilegiis est ornata; instituto vivit, diverso non nihil ab aliis: multiplex illi cum proximo conversatio, ratione muneris varii; pollet aliqua eruditione, multos scribit libros, & in iis non semper omnibus placita: an nulla inde æmulatio? nulla invidia? nullus animi aversi motus? nullæ ideæ minus æquæ, nulla præjudicia male concepta, nullæque suspiciones frivolæ? nullus umbram in se projici existimat? nullus a præceptore castigatus aliquando in scholis propter desidiam aut malos mores, centum beneficiis oblivione deletis, unius vulneris, quod accepisse se putat, nimis tenacem habet memoriam?

Cur Societas exagitetur?

Sic Servinus *judex* egit: ex veteri odio (ut testatur Gramondus præses) absque ullo accusatore, aut denuntiatore, absque ullo teste, absque ullis indiciis, absque ulla suspicionis caussa, imo ubi omnia in oppositum stabant præjudicia, contra omnem normam juris, specialem in Jesuitas inquisitionem instituit. Unde Ravilliacus ingemiscens, volunt, inquiebat, me adigere, ut Jesuitas accusem, quibuscum tamen nihil unquam de meo proposito communicavi.

Aut quæ tandem hæc consecutio: Ravilliacus sex menses ante nefarium suum facinus cum P. Dalbigneo fuit aliquando locutus, etiam cum juramento negans constanter, se ullum cum eo verbum de suo consilio fecisse, aut illi unquam de peccatis suis fuisse confessum:

fessum: ergo Dalbigneus est complex sceleris: ergo Jesuitæ sunt parricidæ? quæ tandem innocentia foret tuta, si valeret hæc illationis ratio? Cæsus est rex: Jesuita aliquando cum sicario fuit locutus. Sufficit. Ergo reus est. Quodnam hoc judicium? est judicium contra omnia jura naturæ, contra jura divina & humana. Si omnes, qui cum homine scelerato aliquando sunt locuti, sceleris essent participes, quot deberent essent complices! Etiam Christus cum peccatoribus non raro fuit locutus, imo cum ipsis manducavit, & familiariter egit. Credo ego, quod, si Jesuitæ vixissent priscis illis temporibus, quibus Imperatores passim violente cæsi sunt, aliquos ex modernis hominibus, si pariter tunc vixissent, exclamaturos fuisse, Jesuitas esse complices.

## ARTICULUS II.

### *Accusata Societatis doctrina.*

9 VErum nemini sanæ mentis persuaderi poterat, adeo perditos fuisse homines Societatis, adeo sibi ipsis iratos atque infensos, ut quem carissimum parentem senserant, a quo tot beneficiis & honoribus affecti, nefarie trucidatum vellent, atque se ipsos totamque Societatem in summum discrimen adducere; sed accusabant, scriptis etiam libris, non quia verum putabant, sed ut accusarent, ut calumniarentur, ea spe ducti, aliquid hæsurum.

Ut tamen criminationi suæ fucum illinerent, cum factum probare nulla ratione possent, ex doctrina illud extundere conabantur. Et primo quidem Servinus accusaverat vivente adhuc rege Henrico librum, cui titulus: *Amphitheatrum honoris*, Bonarscii nomen præferentem, qui P. *Scribanio* Belgæ fuit attributus, & refutationem calumniarum, quibus Calvinistæ Societatem incessunt, continebat. Hoc se notatum Servinus existimavit, ac propterea infremuit, omnemque Lutetiam querelis implevit: non suam tantum caussam agi clamans, sed ipsius regis, quem libro isto præcipue læsum vociferabatur: nec moratus, apud Henricum graviter expostulabat, librumque condemnari petiit.

Liber Scribanii,

At Cotonus coram rege, si te, inquit, regis salus Servine movet, mirum est, quod sileas de famoso libello Burdigalensis causidici, qui tuas nuper in manus venit: hic enim vero gallice a Gallo, impie in regem nominatim & injuriose scriptus est: de hoc siles tamen & quiescis. Belgam, qui latine scripsit, qui regis nomen appel-

appellat nunquam, accuſas. Mihi crede Servine: videt rex, quid agas. Dicam, quod res eſt: hic, quia Jeſuita, reus tibi eſt & niger: ille, quia hæreticus, inſons & candidus. Cumque Servinus exitialem locum ſe demonſtraturum aſſereret, porrigit ipſi Cotonus librum. Verum fruſtra volvendo ſe & operam luſit, utque pudorem tegeret, aliena in ſermonem induxit. Sed revocat urgetque Cotonus: de Bonarſcii libro agitur: exitialem locum oſtende: quod cum facere non poſſet, Cotonus, vide, inquit, quam iniquum te nobis exhibeas. Ita tumultus tunc conſedit; rex vero P. Scribanium multis benevolentiæ argumentis illuſtravit.

Poſt regis dein cædem adverſarii produxerunt P. Joannis *Marianæ* librum *de regis inſtitutione*, in quo de poteſtate ſummi pontificis in reges, & ſubditorum obedientia ſcripſerat. Ex hoc fonte hauſiſſe parricidam conſilium trucidandi principem: at liber iſte conſcriptus erat latina lingua, cujus omnino rudis erat Ravalliacus. Interrogatus nihilominus reſpondit, nec librum nec nomen Marianæ ſibi unquam fuiſſe notum. Quia tamen Sorbonicis theologis aliqua in eo libro periculoſa videbantur, a Parlamento ad flammas eſt damnatus, addita edicto clauſula, ut parochi deinceps Sorbonicum decretum certis per annum diebus recitarent in templis. At interceſſit archiepiſcopus Pariſinus, ejusmodi clauſula auctoritatem eccleſiaſticam violari ratus, ſanctiusque conſilium appellavit, a quo reſciſſa, licet acriter repugnante ſenatu, & abrogata eſt: ſimulque incuſata curiæ feſtinatio in tam gravi negotio. Marianæ.

Cauſſa feſtinandi hæc traditur. Romanæ curiæ cenſores damnaverant per eos dies hiſtoriam Jacobi Thuani, præſidis ſenatus Pariſini. Credebatur id factum opera Societatis, qui ſe a Thuano ſæpe acerbe tractatos meminiſſent: vicem illis reddendam deditì Thuano ſenatores aliqui putarunt, librum Marianæ condemnando.

Quamvis autem ſenatus non expreſſerit Societatem, adverſarii tamen publice clamabant, Marianam fuiſſe Jeſuitam, & quidem Hiſpanum, doctrinam illam ab univerſa tradi Societate: exterminandos patriæ hoſtes. Verum oſtenſum palam, tantum abeſſe, ut eam doctrinam Societas adoptarit, ut graviſſimis etiam pœnis illam tradi prohibuerit, atque librum, quamprimum natus eſt, tanquam fœtum ſpurium ab Aquaviva Generali fuiſſe rejectum, & ad tenebras damnatum, in quibus jacuiſſet incognitus, niſi ab hæreticis ad conflandam invidiam fuiſſet inde extractus rurſumque editus, additis, pro more hujus gentis, ſcholiis & gloſſematis malignis corruptus, ne in ſano ſenſu intelligatur. Quæ defendendi &

explicandi Marianæ librum neceſſitatem viris doctis attulerunt. Juvencius. *Hiſt. Soc. p. 5 l. 12 n. 86.*

Verum ſit, Marianam malignum librum ſcripſiſſe, eumque, poſtquam a Petro Onna, provinciali ordinis de Redemptione Captivorum, mandato regis Hiſpaniæ, fuit lectus, examinatus & approbatus, fuiſſe impreſſum, ut teſtatur Ludovicus Morerius, cur ſolus homo exterus accuſatur; cum tamen in Gallia, imo ipſa Lutetia, perturbatis illis temporibus, ubi de Henrici tertii cæde agebatur, plures libelli de tyrannicidio prodierint, & concionatores ex cathedris publicis de periculoſo hoc argumento imprudenter detonarent, pluraque & majora de cæde illa Henrici III ſcriberent ac dicerent, quam Mariana. Cur ergo ſolus Jeſuita exagitatur? Quia Jeſuita eſt. Atrociora, quam Mariana, ſcripſerunt, ſectarii juxta ac catholici, Joannes Petit, doctor Sorbonicus, Gerſon, Almainus, Richerius, Boucherius, Jacobus Clemens, ex Dominicano illuſtriſſimo ordine, Henrici III ſicarius, ab ipſa Sorbona publica velut apotheoſi ſuper ſidera extollebatur. Miltonius apologia edita defendit immane parricidium, quo ab Anglis interemptus eſt rex Carolus I, velut conforme doctrinæ celeberrimorum Proteſtantium. Peſſime iſti ſcripſerunt. Sed cur in ſolum Jeſuitam accuſatio detonat? Quia Jeſuita eſt.

Eſt hæc ſane res indigna: ſi Jeſuita ſcribit, quod multi alii doctores ſcribunt, ſilentur alii: ſolus Jeſuita reus proclamatur, ſolus exagitatur. Accedit altera major adhuc iniquitas: ſi unus de Societate vel alter imprudenter aliquid ſcribit, mox a quibusdam malignæ mentis hominibus, toti id Societati attribuitur, acſi Societatis hæc eſſet doctrina; licet alii de Societate paſſim omnes contrarium ſcribant. Cælum reprehendat, neceſſe eſt, collegium Apoſtolicum accuſet, qui unius culpam toti corpori tribuit. Si civis deliquit, num tota civitas crimen luat?

Æquiori multum animo fuerunt rex & regina regens Galliæ cum illuſtri ſenatu regio, qui non tantum nihil acerbius in Societatem conſulendum putabant, ſed diplomate etiam ampliſſimo ab adverſantium calumniis vindicatam abſolverunt. Henricus quoque Gondius, Cardinalis & epiſcopus Pariſienſis, graviſſimum addidit teſtimonium, rumores adverſus Societatem non aliunde profluxiſſe, quam ex odio nonnullorum & malevolentia in eandem: rumores ejusmodi meras eſſe calumnias, & conficta falſo contra eandem crimina, in Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ eccleſiæ detrimentum: ordinem ſiquidem non modo ab iſtis criminibus abeſſe longiſ-

ſime,

sime, verum etiam tum propter doctrinam, tum propter vitæ integritatem, ecclesiæ DEi perquam utilem, & huic regno valde fructuosum esse. *VI Cal. Quinct. MDCX.*

Cum jam anno 1604 redeunte Societate per Galliam apertæ fuissent Societatis scholæ, occlusæ tamen manebant per sex adhuc annos Parisiis, quamvis civitas, cernens magnam in aliis urbibus studiosorum, probitate & eruditione florentium, frequentiam, ingenti earum teneretur desiderio. Sed rex Henricus differendum tantisper hoc negotium judicavit, tum ut scholæ Flexienses, in quas singulari ferebatur affectu, acta radice, pulcrius efflorescerent, tum ne academiæ Parisinæ, propter reditum Societatis afflictæ, exulceratis adhuc temporibus ægre faceret.

At vero ejus filius Ludovicus XIII non contentus, Societatem adversus obtrectantium calumnias defendere, potestatem insuper recludendi scholas collegii Parisiensis anno 1610 edicto fecit; a sanctiore regis consilio comprobato. Hoc diploma cum curiæ, ut in acta referatur, patres offerrent, responsum fuit, votis potituros, modo intra sex menses in corpus universitatis cooptarentur, & legibus illius staturos se promitterent.

Tres jam facultates sub his consenserant conditionibus, cum Hardivillerius rector academiæ, Edmundus Richerius facultatis theologicæ syndicus, Martellerius partis adversæ causidicus faventibus palam Harlæo, Parlamenti præside, & Servino ejusdem advocato primario, ne scholæ aperirentur, novam tempestatem cient, recocta antiqua crambe convitia in Societatem ejusque doctrinam despumantes.

Editus in hanc rem ab ignoto tunc authore famosus libellus, cui titulus *Anticotonus*, felle & veneno turgens, in quo per latus Cotoni tota Societas calumniis impetebatur. De hoc *in hist. Gall.* Anticotonus. *ad ann.* 1610 ita scribit Gramondus, senatus Tolosani præses: *in P. Cotonum editus libellus, opus temerarium, vanaque dicendi licentia & procacitate probatum multis, ut apud multos valent illicita. Damnatus item iisdem diebus Parlamenti Lutetiani placito Bellarmini liber, quem in Guilielmum Barclajum de potestate summi pontificis scripserat. Intercedit Romanæ sedis nuntius, obtinetque a rege, in suspenso haberi sententiam*; quam rector academiæ & Servinus a Parlamento obtinuerant.

Porro Anticotonum confutavit primum ipse Cotonus, prolatis provinciarum, urbium, judicum, testimoniis: dein alii, partim amici, partim domestici, quorum elucubrationes exstant; sed hodierni calum-

niatores,

niatores, iis silentio præteritis, non desinunt, obsoletas & putridas merces suas ex Anticotono venales proponere, eandem crambem identidem recoquentes.

Neque tunc acquiescebant Hardivillerius & Servinus cum suis tribulibus; sed in frequenti senatu asserebant, Societatis doctrinam esse inimicam libertatibus ecclesiæ Gallicanæ, nec stare cum regni legibus, ac theologiæ placitis unquam posse; nec urgere cessabant, ut Societatis sententiam exponerent patres, de sigillo sacræ confessionis, de concilii supra pontificem authoritate, de civili magistratuum potestate in clericos, & aliis id genus invidiosis capitibus.

Negavit P. Provincialis Christophorus Baltasar, nos novam invehere doctrinam, sed ab ecclesia & academiis receptam, prout regulæ nostræ jubent, tradere, de propositis vero capitibus Cardinalis Perronius, & quicunque tunc erant Lutetiæ præsules, ac doctores celeberrimi, cum essent rogati de doctrina Societatis, collatis inter se diu multumque consiliis, responderunt, secretum sacræ confessionis & immunitatem clericorum esse de jure divino & naturali, & addiderunt, melius esse consultum securitati principum, si hoc sigillum severissime custodiatur; alias enim fore, ut omnis cogitati sceleris emendandi, & principis conservandi locus auferretur, cum nemo tale flagitium, animo conceptum, confiteretur; si timere deberet, ne illud confessarius ad tribunal justitiæ deferret: præterquam, quod ipsum sacramentum confessionis, quod hæretici volunt, odiosum nimis redderetur, & sacrilegiis daretur occasio.

Postquam intellectum fuit, doctrinam Societatis cum doctrina tot doctorum virorum, & schola ipsa Sorbonica congruere, debellatum esse videri poterat: sed Martellerius novum libellum venenatum edidit contra Societatem, prout hodiedum nova identidem scripta famosa, prodeunt, antiquas calumnias, toties profligatas, recoquentia, quæ nihil aliud merentur, quam satyra Martellerii, quæ a senatu Tolosano, Ambianensi, & Aquitano tanquam libellus infamis fuit damnata, bibliopolis ad gravem pœnam tractis.

Neque aliter sentire prudens intellectus poterat, postquam Montholonus celeberrima oratione Societatis caussam defenderat, productis regum, principum, magistratuum, gravissimis testimoniis, ex omni Europa collectis. Brevis tunc malacia; quam turbavit liber Martini *Becani* de juramento, quod sibi rex Angliæ præstare volebat. In hoc opere de pontificum & regum potestate auctor disserebat: argumento delicato sane, & rebus nostris in Galliæ

Becani.

impor-

importuno ; de quo quidquid dixeris , in scopulum impingas : si medium iter arripias , neutri parti satisfacias.

Experti sunt id doctores Societatis , Bellarminus , Suarez, Becanus. Scopulos oppositos vitare volebant , sententiam mediam de potestate *indirecta* amplexi ; sed eo eventu , qui Claudium Aquavivam moveret, ut cautelam suis & limites præscriberet.

Contra Becani librum doctores in academia Lutetiana , & senatores in curia acerbe declamabant , jamque eum , ceu læsæ majestatis reum , rogo destinabant , cum regina edicto vetuit , ne hac in re ulterius procedatur.

Non tam facile deferbuit æstus , quem ob similem librum P. Francisci *Suarez* adversarii concitaverant. Scripserat is jussu Pauli V Summi Pontificis *defensionem fidei Catholicæ adversus errores sectæ Anglicanæ , cum responsione ad apologiam pro juramento fidelitatis. Et ad præfationem monitoriam serenissimi Jacobi , Magnæ Britanniæ regis.* Suarezii.

In sex partes Suares hoc opus divisit. In tertia demonstrat supremam Pontificis in spirituali regimine auctoritatem , cui subjecti & obsequentes esse debeant principes Christiani : in quarta clericorum a foro sæculari immunitatem. Hic liber tanto magis ussit Jacobum regem , quo auctor erat illustrior , quoque avidius passim legebatur. Ad flammas igitur illum condemnavit , utque rex Hispaniæ idem faceret persuadere conatus est. Is librum doctissimis præsulibus & theologis examinandum dedit. Omnium una fuit sententia , integerrimam esse libri doctrinam , verbo DEI, conciliis & patribus consonam. Neque contrariam rationibus principum ; cum per legitimum erga Sedem Apostolicam obsequium nequaquam minuatur eorum authoritas , sed secundum divinam ordinationem muniatur salus. Philippus igitur digna Catholico rege epistola Suaris doctrinam ab objectis criminibus vindicavit , atque Jacobum regem , ut ad majorum suorum religionem , qua a pientissima matre sua fuisset institutus, rediret, amice est adhortatus.

Faciliores aures Jacobi accusatio invenit in Gallia , non quidem apud regem , aut regentem ejus matrem , sed apud Parlamentum , quod , postquam accusatores truncatos quosdam mutilosque locos ex Suaris libro sine contextu collegerant , rogo eundem addixit , atque carnificis manu discerptum cremari jussit , addito senatusconsulto, ut patres Societatis Suaris doctrinam tanquam seditiosam regnisque inimicam damnarent. Sed Paulus V sententiam illam in suum dedecus & Ecclesiæ cedere perspiciens , graviter

apud regem & reginam conqueſtus, evicit, ut ſenatusconſultum irritum a rege declararetur. (anno 1614.)

Servini conatus novi.

Sed necdum extinctus inimicorum Societatis ardor. Agebantur regni comitia, in tres ordines diſtincta, præſulum, nobilitatis, & populi. His Servinus, pro Hugonoto & penſionario regis Angliæ habitus a nuntio Apoſtolico, quamdam juramenti formulam offerebat, in cujus verba omnes Galli jurare juberentur, ea ſpe ductus, nunquam Jeſuitas juramentum iſtud emiſſuros; quia ſpecie tuendi regem, religio & Papæ auctoritas impetebatur. Jamque tertium ordinem, laqueos non ſatis perſpicientem, ſuam in ſententiam traxerat; cum acriter obſtitit primus ordo & ſecundus, præſulum nempe & nobilium, ne lex ejusmodi rogaretur. Indignum quippe illis viſum, in tam ſancto cœtu erroribus ſectariorum patrocinium adhiberi. Cumque Surdiſius & Perronius Cardinales ceterique prælati ac ſacerdotes, in templis etiam pro religione & auctoritate ſummi Pontificis perorarent, plerique ex tertio illo comitiorum ordine errorem dedocti ſunt.

Igitur Servinus Parlamentum inſtigavit, ut edito mox decreto juramenti formulam comprobaret. Graviſſime id acceperunt, præſulum & nobilitatis ordo, eoque violatum jus comitiorum queſti ſunt (quæ dum habentur, nihil promulgare fas eſt Parlamento) ſuasque querelas ad regem detulerunt, ut ſenatusconſultum irritum haberet, & curiæ omni in poſterum cauſſarum, ad religionem ſpectantium, cognitione interdiceretur, Servinus vero, cui primæ in hac ſcena partes, gradu moveretur. Rex edito diplomate cauſſæ hujus cognitionem ſibi reſervavit, & cum contentio ingraveſceret, ſenatusconſulto abrogato, ſolvit comitia: atque cum gaudio excepit perhonorificum teſtimonium, quod in his univerſalibus regni comitiis Societati dederant clerus & nobilitas.

Iidem duo ordines rejecerunt libellum maledicum, Servini manu comitiis oblatum, quo Inſtitutum Societatis impugnabatur. Titulus hujus ſcripti erat *Protocataſtaſis*, ſive de prima Societatis JEſu inſtitutione reſtauranda. Auctor *Theophili Eugenii* nomen aſſumpſit, re ipſa autem erat *Guilielmus Pachelinus*, qui 18 annis in Societate verſatus, cum ad profeſſionem quatuor votorum non admitteretur, ab eadem deſcivit, bilemque in matrem exſpuit.

Pachelini furor.

Fœtum hunc ſuum informem Pontifici maximo ceterisque orbis Chriſtiani principibus dedicare præſumpſit, contenditque in eo, veterem Societatis diſciplinam corruiſſe, reformandam proin eſſe, & in ſtatum priſtinum reponendam. Sed ſibi ipſi penitus erat contra-

trarius ; nam volebat , ut omnes ad ſolennem quatuor votorum profeſſionem admitterentur : ut pſalmi in templis canerentur , ut nec Theologia nec Philoſophia a noſtris traderentur in ſcholis, ſed rudimenta duntaxat Chriſtianæ fidei pueris ac rudibus explicarentur : denique ut nomen JEſu Societati eriperetur. P. Richeomus ineptum correctorem erudito ſcripto ita correxit, detectis, quibus liber ſcatebat , erroribus , ut ferme in cunis evaneſceret, atque a Romanis cenſoribus notatus infamia in indicem librorum prohibitorum fuerit relatus.

Sed malignus deſertor , cum primus conatus non ſucceſſiſſet, alterum adhibendum cenſuit , novumque fœtum non minus deformem edidit, docere profeſſus modum, quo Societas, quæ eſſet perniciosa, ſit cohibenda, ut minus noceat. Sed Pariſienſis prætor convitiatoris partum in ipſis cunis ſuffocavit.

Id genus infames libelli hodiedum contra Societatem ab hæreticis & malignis Catholicis paſſim emittuntur ; ſed nihil continent, quam veteres calumnias & ſcomata, ex antiquis obtrectatoribus conſarcinata ; quos dudum Cotonus, Richeomus, Andreas Eudæmon-Joannes , Gretſerus , Forerus , Pallavicinus, aliique multi confutarunt. Non eſt probrum , ab hæreticis & malis hominibus vituperari, ſed laus maxima. Inter perſecutiones & calumnias crevit Eccleſia : Apoſtoli ibant gaudentes a conſpectu concilii , quoniam digni habiti ſunt pro nomine JEſu contumeliam pati : ipſe Sanctus ſanctorum, innocens , impollutus, ſegregatus a peccatoribus , opprobria tulit, & per tribunalia raptatus, eſt condemnatus.

Ceterum , livor, odium, invidia, tot libellis famoſis, tot accuſationibus , calumniis, atque procellis excitatis , adeo nihil profecerunt adverſarii in Gallia, ut poſt reſtitutionem Societatis intueri debuerint , eandem per totum regnum propagatam , plurimis collegiis auctam florentemque ; Eccleſias , & ſcholas magna frequentia conſpicuas , regum favores, cor ipſum Henrici Magni, pretioſum ſane amoris pignus , Eccleſiæ Flexienſi datum , Cotonum fruſtra, miſſionem ab aula petentem, regibus , Suffrenum reginæ a ſacris confeſſionibus & concionibus.

## ARTICULUS III.

### *Comitia Calviniſtarum. Seditio principum &c.*

POſtquam ſectarii in accuſanda Societate fruſtra vires conſumpſerant , aliunde rebus ſuis proſpiciendum judicabant. Comitia 10

igitur gentis suæ Salmuriæ in Andegavensi provincia, ubi academiam habebant, celebrant, præsidibus Bullionio, Sullio, & Rohano, Hugonotorum ducibus, statutumque in iis, præter confirmationem edicti Nannetici petendas esse plures urbes, stipendia pro ministris suis majora, seminaria item, in quibus juventus religione reformata, ut loquebantur, imbueretur.

Animum ad talia audenda illis faciebant tum propriæ vires, quas non raro minitabantur, tum Galliæ, cum rex pupillari esset ætate, res turbatæ. Quippe principes, incentore Bullionio, arreptis armis, adversus reginam tutricem movebant seditionem: Nivernensis Campaniam, Maynius Suessionem, Longavillæus Picardiam, Vindocinensis, e carcere elapsus, Britanniam invasit.

Seditio.

Henricus Condæus, proximus post regem Ludovicum, ejusque fratrem, regii sanguinis princeps, in cujus verba, quamvis esset Catholicus, etiam Calvinistæ jurare erant parati, seditionis caussas aut prætextus acerba epistola ad reginam perscripsit; principes contemptos, externos gubernaculo admotos, ærarium largitionibus exhaustum, nulla indicta comitia, omnes ordines afflictos, violatam fidem edicti Nannetici, ac propterea Calvinistas armatos, malam denique universim regni administrationem objiciens, quin imo exprobrans: principum esse, ruinæ regni obviam ire: vel armis extorquenda regni comitia.

Respondit regina Condæo, non esse opus armis extorquere, quod ipsa ultro esset datura: principes non fuisse despectos, sed provinciarum præfecturis honoratos & divitiis auctos; in eos factas largitiones, ne pacem turbent. Multa se cum ipso Condeo contulisse consilia, cur nihil eorum, quæ nunc exprobraret, meminisset? Si regno consulere sit animus, cur rebellioni se principem præbeat, cur turbet, cur patriam in se ipsam armet? Non in alio se peccasse magis, quam, quod nimis multa dissimularit, & egerit cum eo leniter. Omnia sua studia in id fuisse intenta, ut in pace & tranquillitate regnum floreret; in id ascitos in arctius consilium viros probos, quibus salus publica curæ; neque nunc sibi aliam esse mentem, modo per arma Condei liceat.

Et hæc quidem regina ad principem Condeum scripsit, sed facile perspexit, eo jam esse ventum, ut ferro sit frangenda seditio: delectus igitur haberi jubet. 3000 Helveti stabant sub Bassompetro, 4000 prætoriani sub Espernonio, nova supplementa Lavordinus adduxit; ut adeo 13000 educerentur adversus principes,

pes, quorum copiæ non ultra 6000 armatos conſtabant. Hos nomine Condei ducebat Bullionius, Calvinianæ ſectæ princeps.

Territi principes impari numero haud difficiles aures præbebant Guiſio, pacem reginæ nomine offerenti. Itum in has leges: Indicenda proxime univerſalia regni comitia. Reſtituendos principes. Declarandum eos propter rempublicam fuiſſe armatos. Militi ex ærario publico ſolvenda ſtipendia. Ambaſiam ad finem uſque comitiorum Condeo committendam. (Anno 1613.)

## ARTICULUS IIII.

### *Regni comitia generalia. Varii obitus.*

PAcata ſic tantiſper Gallia, Ludovicus exacto 14 ætatis anno (prout fert mos regum Franciæ) ſimul & pubes & major factus, habenas regni ipſe capeſſit, matremque arctioris conſilii principem dicit, atque ſolenni diplomate indicit regni comitia. (anno 1614.)

Habita prius pro more privata per provincias, quæ *provincialia* propterea appellantur. In his diſquiritur, quid in generalibus proponendum, & quinam ad illa delegandi. Poſtquam autem oratores Lutetiam pervenerant, ſolenni per urbem ſupplicatione datum eſt comitiis initium. Sed mox orta eſt contentio de jure præcedendi.

Nam epiſcopi illi, qui erant Pares Franciæ, priorem Cardinalibus locum prenſabant, eo allato argumento: ſummam Parium poſt regem eſſe dignitatem: hinc *Pares* dictos, quod pares inter ſe reliquis omnibus antecedant: regii etiam ſanguinis principibus anteire ſolitos in ſolennibus inaugurationis diebus, quando in officiis ſuis regi miniſtrabant. Pares anteire in curia archiepiſcopis: ergo etiam Cardinalibus, quorum dignitas extranea non ſit conſideranda in ſenatu. Lis de præcedentia.

At Cardinales opponebant, ante ipſos etiam regii ſanguinis principes Cardinales incedere ſolitos, donec in Poſſiacenſi colloquio Condei & aliorum Calviniſtarum potentia, pupillari Caroli IX ætate, priorem ſedem principes uſurparint, proteſtantibus contra id factum Cardinalibus, Lotharingo, Guiſio & Turnonio: Carolum VIII regem ipſum Romam ingreſſum Cardinalium decano priorem ceſſiſſe locum. Pares neque in Parlamento præcedere regiis principibus: ergo neque Cardinalibus: jam ſat alias eſſe Eccleſiæ hoſtium, indignum eſſe, quod pauci epiſcopi ordinem Hierarchicum,

 in

in ſummi capitis dedecus, attentent convellere, & Eccleſiæ principes gradu ſuo movere.

Quamvis autem nihil magis inſtabile ſit apud Gallos, ut inquit Gramondus ad annum 1614, nihil minus per leges ſancitum, quam jura ſedium, quæ pro varietate temporum & regum favore meri non raro ſunt arbitrii, nec niſi *proviſionali* decreto pro neceſſitate aſſerta, hic tamen pro Cardinalibus fuit pronuntiatum, & ordo ſequens obſervatus.

In medio aulæ ſublimis ſedebat rex: ad ejus dextram Maria Medicæa & Margaritha Valeſia, reginæ, & Eliſabetha principi Hiſpano deſponſata: juſto intervallo Condeus, & Sueſſio, regii ſanguinis principes: inferiori gradu Guiſius, Ellbovius, Eſpernonius, & Sullius, duces & Pares Franciæ: ad lævam vero regis Gaſto frater, & Chriſtina ſoror: Cardinales Rupefocaldius, Bonzius, Perronius: poſt hos Vantadurius & Mombaſonus, duces: dein Bullionius, Boſcodelphinus, Briſſacus, mareſchalli. In area inferiore dextram occupabat clerus, lævam nobilitas, utramque promiſcue delegati provinciarum, qui tertium ordinem ſeu populum repræſentabant.

Comitia regni.

Cum eccleſiaſticorum ordo quædam proponeret, quæ in ſuum præjudicium interpretabatur tertius ordo, hic, ut ægre faceret clero, ſtatim theſin illam toties agitatam in medium produxit: *nullam eſſe poteſtatem in temporalibus ſupra regiam, unique immediate ſubjectam DEO, nullis obnoxiam interdictis.* At conqueſtus eſt clerus, quod tertius ordo, ignarus Theologiæ, manum mittat in alienam meſſem: quæſtiones de fide ad ſolum clerum pertinere. At conteſtatus ille, ſe non ingredi fidei myſteria, ſed tanquam leges Galliæ fundamentales & immutabiles ſtatui velle hæc tria:

1. *Sacrilegum eſſe, reges, unctos DEI, quocunque prætextu occidere.*

2. *Debitam uni DEO immediate regum in ſubditos poteſtatem.*

3. *Nullis ſedis Apoſtolicæ interdictis ſubjacere imperia regum, ſubditosque nunquam exſolvi poſſe Sacramento fidei.*

Primæ propoſitioni aſſenſit clerus, & nobilitas, laudavitque ſynodum Conſtantienſem, quæ ſeſſ. 15 damnavit propoſitionem de licito tyrannicidio tanquam hæreticam.

Secundæ & tertiæ propoſitioni interceſſerunt duo primi ordines, eccleſiaſticus videlicet & nobilium. Secundam politicam eſſe: veram, ſi de Gallis regibus loquatur; dubiam & plerumque falſam,

ſam, ſi de principum promiſcue omnium in ſubditos poteſtate loquatur: nullo autem caſu de fide.

Tertia theſis ſumma contentione eſt agitata inter Cardinalem Perronium, & tertii ordinis oratorem. Innocuum fuerit per narrationem mere hiſtoricam eruditionis gratia referre breviter, quæ ab iis in utramque partem fuerunt dicta, prout ea prolixius refert Gabriel Bartholomæus Gramondus, natione Gallus, ac ſupremi ſenatus Toloſani præſes, in ſuis *hiſtoriis Galliæ ad ann.* 1615 *pag. m.* 65 *& ſeqq.*

De auctoritate ſedis Apoſtolicæ.

Probaſſe Perronium, inquit, ſedis Apoſtolicæ poteſtatem eccleſiaſticam in principes, lapſos in hæreſin, & alios ad eandem pertrahere, atque Eccleſiam Chriſti deſtruere connitentes. Contrariam opinionem novam eſſe, Luthero & Calvino fautoribus nuper natam: ſacramento vinciri reges Galliæ, dum throno inaugurantur, pellendi regno ſuo hæreticos: ſi pejeraverint, in hæreſin ipſi degeneres, ſi fautores hæreſiarcharum, novi dogmatis aſſertores, deberi vicario Chriſti pœnam perjurii, & cuſtodiam ovilis Dominici.

Perronii oratio pro illa.

In eam ſententiam exactis ſæculis itum, iri & hodie paſſim toto orbe Catholico, ſi Galliam demas. Ipſos doctores Galliæ, poteſtatem illam negantes, nunquam ſuam ſententiam pro dogmate fidei venditaſſe, veram & politicam duntaxat aſſeruiſſe.

Exemplis plenas eſſe hiſtorias: notum eſſe quomodo S. Ambroſius egerit cum Theodoſio M. Imperatore ob Theſalonicenſem lanienam. Euphemium patriarcham Conſtantinopolitanum Anaſtaſio Imperatori negaſſe obſequium, donec concilio Chalcedonenſi ſubſcripſiſſet. Eidem Imperatori, in Eutychis hæreſin lapſo, reſtitiſſe acriter Symachum Papam. Clotarium regem Gallorum ob immane ſcelus punitum a Pontifice. Juſtinianum II & Philippicum, Imperatores, pariter a Pontificibus fuiſſe mulctatos. Leonem Iſauricum Imperio dejectum Gregorii II decreto, quia Iconoclaſtarum hæreſin vi & exemplo propagaſſet.

Carolum M. ad Occidentis Imperium evectum ope Romanæ Sedis. Childericum enervem & regno imparem, dejectum, atque Pipinum ſubſtitutum aſſenſu ejusdem Sedis, a Gallis imploratæ. Philippum I Galliæ regem ob repudiatam legitimam conjugem, & inductam pellicem, ſemotum ab Eccleſia. A Gregorio VII communione interdictum Henrico IV Imperatori, ſubditosque ſolutos obſequii nexu. Excommunicatos Philippum Auguſtum Galliæ, & Joannem Angliæ regem: ita Ottonem Imperatorem, ita Raymundum comitem Toloſanum, in Albigenſium hæreſin

reſin lapſum, aucto hac occaſione Galliæ regno provincia: ita ab Innocentio IV in concilio Lugdunenſi ſacramento ſolutos Friderici II excommunicati ſubditos: ita dejectum Petrum Arragoniæ regem a Martino IV ob trucidatos Gallos in Veſperis, ut vocant, Siculis: ita ab Urbano V latam excommunicationis ſententiam contra Petrum Crudelem Caſtellæ regem, quia hæreticus & Eccleſiæ orthodoxæ hoſtis fuiſſet.

Hæc a Perronio publicis in comitiis propoſita fuiſſe, refert, quem dixi, Gramondus, ſcriptor Gallus loc. cit. additque, eum authoritate Theologorum nixum & juriſconſultorum, non modo exterorum, ſed etiam Gallorum, uti Joannis Pariſienſis, Almaini, Gerſonis, Joannis Sylvæ præſidis Lutetiani, Joannis Fabri, Stephani Aufrerii, Toloſani Parlamenti præſidis, Preſtii miniſtri regii, Gregorii Toloſani &c., qui cum Galli eſſent, minime poſſe eſſe ſuſpectos: unam illis eſſe pro ſummo Pontifice ſententiam, quod lapſis in hæreſin regibus, maxime, ſi religionem orthodoxam inſectantur, communione interdicere poſſit & regno. Abſurdam eſſe theſin, imo hæreticam, quæ contrarium velut *de fide* promulget, cui veterum ſubſcripſerit nemo, recentiorum pauci: ad ſummum tanquam theſin politicam defendi poſſe problematice: quo fiat ſatis auctoritati eccleſiaſticæ & ſæculari.

Eum errorem primam fuiſſe Henrico VIII Angliæ regi viam in hæreſin: ex injuſto repudio juſte condemnatum rebellaſſe contra judicem ſuum, atque deſpectis cenſuris Apoſt. Sedis jura invaſiſſe: non eam eſſe mentem regi Chriſtianiſſimo, ut Sedi Apoſtolicæ obluctari velit, neque ſub tanto rege timenda interdicta, qui non modo primogenitus Eccleſiæ filius, ſed etiam protector & liberator ſit &c.

Mironis contra illam.

Contra vero pro theſi ſua dixiſſe oratores tertii ordinis, idem Gramondus refert: ante 300 annos theſin illam adverſus Bonifacium VIII a Galliæ comitiis fuiſſe ſcriptam. Chriſtum diverſas a gladio habuiſſe claves, juſſumque Petrum, mittere gladium in vaginam. Manſuete poſt regnaſſe Eccleſiam. Summo Pontifici Chriſti vicario ac Petri ſucceſſori nullam eſſe jurisdictionem, ubi de privatorum poſſeſſionibus agitur, multo minus, ſi de regum bonis: primæ ſedi non eſſe poteſtatem, privatum civem, in hæreſin lapſum, ſpoliandi patrimonio, cur Magiſtratum? Cur regem?

Chriſtum ipſum reſpondiſſe Pilato, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Tiberium impium & flagitioſum fuiſſe Imperatorem, & tamen Chriſtum illum non privaſſe imperio, nec ſolviſſe

ſub-

ſubditos juramento, ſed juſſiſſe, dare Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. Si rex ad idola adoranda impelleret, nihil vetare, fieri martyres: ſanguine ſubſcripſiſſe martyres doctrinæ Catholicæ, quin graſſarentur in tyrannos. Principibus etiam diſcolis deberi obſequium verbo & exemplo docente Paulo: *omnis poteſtas eſt a DEo: qui poteſtati reſiſtit, ordinationi DEi reſiſtit.*

Summis etiam pontificibus ineſſe humanos affectus: per vitrum trigonum inſpici poſſe principum geſta: aulam Romanam odio duci poſſe aut gratia ad deceptionem pontificis: fulmina jaci poſſe, ut ferunt mortalium vices, in inſontem, aut minus reum, a manu irata, aut parum amica. Doceri id pluribus exemplis, præcipue Alexandri III, pedem collo Friderici I Imperatoris, ſupplicis & proſtrati, imponentis (*fabula eſt*). In iis, quæ de fide non ſunt, decipi quandoque poſſe pontifices.

Unum DEum regibus eſſe judicem, dicente rege Propheta: *Tibi ſoli peccavi.* Subſcribi a clero Gallicano concilii Conſtantienſis doctrinæ, qua reges, etiam tyrannice ſævientes occidi vetat. Quæ doctrina valere nequeat, ſi ſubditi per pontificem fieri poſſint ſui juris.

Nunquam autem a tertio ordine hanc theſin fuiſſe propoſitam, tanquam credendam de fide, datam in publicum tanquam politicam. Magiſtratuum eſſe doctrinam de politicis, theologorum de dogmaticis. Queri non poſſe pontificem, ſi politice credatur; ſicut rex non habet jurisdictionem in primam ſedem, ita nec iſtam in regem, ut eſt rex: unde *gratia DEi* regem dici. Childericum a comitiis generalibus fuiſſe dejectum. Philippum Pulcrum & Ludovicum XII contra Bonifacium VIII & Julium II excepiſſe. Reges Gallorum, quamvis ſedis Apoſt. ſint filii, emancipatos tamen eſſe & ſui juris, ut adeo propria ipſis ſint, quæ poſſident.

Ita hiſtorice rem geſtam narrat Gramondus præſes loc. cit. additque, momentum ferme omne comitiorum in ea quæſtione fuiſſe: vexatos his controverſiis ordinum oratores, nullo in populum ex vanitate quæſtionum obventu: in hoc peccatum maxime eſſe a delegatis; neque enim indicta fuiſſe comitia ea mente, ut trium Galliæ ordinum conventus tranſiret in ſcholæ munia.

Tertii ordinis opinioni acceſſit Parlamentum Pariſienſe, ac placitum vulgavit hac formula: *Rogante* (Servino) *procuratore regio, ſenatus cenſuit, pro lege politica, regnique fundamentali habendum poſthac, quod rex Galliæ unius DEi beneficio regnat, quod* Et Parlamenti.

*neminem in temporalibus agnoſcit, quod ſacrum ipſius caput eſt, adeo, ut nemini jus ſit, quocunque prætextu eum occidendi.*

Graviter tulit clerus, & queſtus eſt, Parlamentum limites poteſtatis ſuæ fuiſſe egreſſum; dum celebrantur regni comitia, velut juſtitio indicto, ceſſandum eſſe ſenatui. Cum clero conſentire nobiles in eandem ſententiam, non eſſe pro lege aſſumendas theſes, quas popularis ordo propoſuit: duorum ordinum ſuffragia uni prævalere; neque id juris eſſe Parlamento, ut comitiorum generalium placitis intercedat: ſummum iſtis jus eſſe, decernere pro republica ſub regis placito. Nuntius etiam Apoſt. vindicabat pontificiam auctoritatem.

In altercationem abiiſſet diſputatio, niſi rex decreviſſet, ut in ſuſpenſo habeantur theſes, donec opportuno tempore diſcuſſæ aut in legem irent, aut penitus abrogarentur. Datum interea prælo Parlamenti placitum, & per urbem diſpergitur, approbante imperito populo. Sed rex novo diplomate decretum ſuum confirmavit, & puniri juſſit typographum, quantumvis ægre id Parlamentum & ordo popularis aſpiceret. Et hic erat finis contentionis, intempeſtive, ut loquitur Gramondus, ab ordine tertio motæ.

Actum dein etiam in his comitiis de publice promulgando, & recipiendo in Gallia communi lege concilio Tridentino. Eleganter iterum ac docte Cardinalis Perronius peroravit pro concilio, cui acceſſit clerus: canones, eaque, quæ ad fidem pertinent, jam alias eſſe recepta; quæ vero ad diſciplinam & reformationem ſpectant, ſine omni cujuscunque præjudicio, recipi poſſe, ſi addatur hæc clauſula: *ſine præjudicio jurium coronæ regiæ, libertatum eccleſiæ Gallicanæ, privilegiorum, aut exemptionum.* Vana fuiſſe, quæ Miro & Savaronus nomine tertii ordinis objiciebant, ſcribit Gramondus, nihilque fuiſſe ex proborum mente, quo minus promulgaretur res ſancta; at populum hic clero prævaluiſſe.

De Trid. recipiendo.

Finitis comitiis trium ordinum concluſa offeruntur regi approbanda & confirmanda. Lecti in eam rem oratores: a clero Armandus Richelius, epiſcopus tunc Lucionenſis, brevi ad ſummum poteſtatis apicem evehendus: a nobilitate Seneſſæus Baro: a populo Miro præſes.

Placitorum hæc ſumma: *Regiæ domus & militiæ officia, in præſens venalia, poſthac diſtribuenda pro merito: beneficia eccleſiaſtica viris probis, una virtutis & doctrinæ habita ratione: profuſas in primores, quandoque immeritos, penſiones minuendas, ſi non omnino extingui illas placeat.*

Finis comit.

Sub-

Subjungit Gramondus, has leges non ultra annum fuiſſe obſervatas; inutilem proin fuiſſe comitiorum convocationem, in qua immenſi ſumptus ſint impenſi. Non indegere Galliam novis legibus: ordinationum volumina haberi ad nauſeam: præſtare paucas eſſe leges, quam multas, quæ non obſerventur.

Obiit hoc tempore (*anno* 1611) Carolus dux *Maynius* (*Me-* II
*duanus* aut *Mayennius*) magni illius Franciſci Guiſii, ad Aureliam Du Mayn.
a Poltroto interempti, filius, Henrici Guiſii & Ludovici Cardinalis, mandato regis Henrici III Bleſis anno 1588 cæſorum frater: princeps magnus, & dignus ſtirpe Lotharingica: unitorum in Gallia Catholicorum poſt fratrem Henricum ductor, vicarius regni, ingens religionis columen, qui, ad tempus ſaltem, rex Galliæ eſſe potuiſſet, ſi regnum cum Hiſpano partiri voluiſſet. Sed reſervavit illud legitimo ſucceſſori, in quo nihil præter ſectam oderat: hanc ubi ſerio relictam ſcivit, poſuit arma, & Henrico regi, amiciſſime eum excipienti, ſubmiſit. Mortem ejus graviter tulit regina vidua, cujus, maxime adverſus Calviniſtas, utebatur conſilio & manu. Reliquit ex Sabauda conjuge Henricum Mayennæ ducem, dignum tanto parente filium, rebusque deinceps geſtis non minus clarum.

Sequenti anno deceſſit *Carolus Sueſſio*, Ludovici Condæi filius
tertio genitus, patruelis Henrici IV regis, Henrici Condæi, de Sueſſio.
quo ſæpius adhuc recurret ſermo, patruus, princeps acri ingenio, ſed ab aulæ ſtrepitu abhorrente. Filium ex Mercordia reliquit Ludovicum, in quo dein propago defecit.

Fratrem Carolum haud diu poſt ſecutus eſt *Franciſcus Contius*,
nulla relicta prole. Ejus geſta nec laude nec vituperio digna di- Conti.
cuntur. Henricus Condeus vero ejus ex fratre nepos cum duos filios haberet, per primum *Condæam* ſtirpem propagavit, per alterum novam *Contiam* fundavit, in diem usque hodiernam florentes.

Nec ſilendus *Henricus Montmorantius*, dux Damvillæ *Comeſta-*
*bilis* & Par Franciæ, Occitaniæ gubernator, magni illius Annæ, qui Montmor.
in pugna Sandionyſiana alter velut Epaminondas cecidit, filius; non indignus tanto patre, niſi poſt illius mortem cum Calviniſtis conſilia contuliſſet, quia Catharinam Mediceam a domo Montmorentiana averſam credebat. Obiit 1614, uti etiam Cardinalis *Jojoſa*, collegii Purpuratorum patrum decanus, plenus dierum & meritorum.

# ARTICULUS V.

*Concini potentia inviſa. Parlamenti monita, regi data. Alterum bellum civile. Calviniſtarum arrogantia. Pacificatio. Alterum bellum civile.*

12 PArlamentum Pariſienſe haud æquis oculis aſpicere potuit, quod in nuperis comitiis regni nulla ſui ratio fuerit habita; quapropter, iis finitis, duces, Pares, & primores Franciæ, quibus dignitas ſua locum & ſuffragium in Parlamento concedit, convocavit, ut de ſalute reipublicæ conſultarent; cum autem innotuiſſet, nulla a rege petita venia convocationem iſtam eſſe factam, imo aula, & præſertim regina invita, nullus ex ducibus & principibus comparuit, Condæo, qui acceſſurus erat, alio miſſo.

Celebratur nihilominus conventus, in quo *Concinus* maxime, marchio *Ancræus* petebatur. Erat hic Pennæ in Hetruria tenui fortuna natus, atque anno 1600 cum Maria Medicæa in Galliam profectus; ubi opera uxoris ſuæ, Eleonoræ Galligaiæ, quæ reginæ erat a cubiculis, ac ſingulari apud eam gratia valebat, in aulam aſcitus, atque ad ſummam primi miniſtri dignitatem, tantasque divitias provectus, ut Ancreæ marchionatum in Picardia emeret, ingentemque, ut ferebatur, pecuniam accumularet; dictus etiam a Ludovico rege, matris commendatione, mareſcallus Franciæ & Normanniæ gubernator.

Lividis oculis Galliæ proceres aſpiciebant tantam hominis exteri potentiam; quapropter in Parlamento, ea, qua dixi, ratione convocato, communi ſuffragio in eam itum ſententiam, ſuccurrendum laboranti Galliæ, rebusque in deterius lapſis. Unius hominis, & quidem exteri, arbitrio ſtare jus vitæ & necis: tyrannidem uſurpari ſub bono principe, neque privatis incrementis ſatiari ambitionem viri & avaritiam: tantum abeſſe ab homine novo & alienigena curam incolumitatis publicæ, ut hoſtili odio in principes, patriæ ſtudioſos, ac totius regni perniciem graſſetur.

*Verdunus* igitur ſenatus princeps libello ſupplici regi offert curiæ placita, quorum hæc ſumma: promulgandas concilii Conſtantienſis, quæ de rege ſunt, ſanctiones: perperam actum, quod ſuſpenſa ſint, quæ pro ſecuritate regis & regni a ſenatu ſunt decreta: procul habendos a regni arcanis peregrinos homines, quibus, ſtet an ruat Gallia, perinde ſit: prohibendos militarium munerum mercatus: nec præficiendos legionibus ignotos homines: per

Verduni ad regem libellus inſolens,

per gradus ſecundum merita aſcendendum ad armorum imperia: nobiles olim Gallos, gregarios inter imbutos belli artibus & experientia, antequam ductores fierent. Externos, quibus inveteratum in Gallos odium, arcendos præfecturis militaribus & forenſibus, neque eccleſiaſticis beneficiis admovendos: prohibendum nobilibus commercium cum principibus exteris.

Conſervandas eccleſiæ Gallicanæ libertates & privilegia: minuendos & ſtirpi ſuæ uniendos monachos, in numeroſos ramos indies pullulantes: corrigendos abuſus arctioris conſilii, quibus nulla ſæpe cauſſa, velut in ludibrium, Parlamentorum placita fiant irrita, cauſſasque facilius, quam par ſit, ab eodem avocari, maxime capitales, quo fiat, ut ſcelera impune per provincias graſſentur: edicta regia executioni non eſſe mandanda, maxime pecuniaria in oppreſſionem populi, antequam Parlamenti actis ſint inſerta, rataque habita. Ita ſancitum veteri lege, quæ quotidie infringatur pro libidine eorum, quibus ſumma rerum eſt credita: ſanctum eſſe ærarium publicum, legendos quæſtores a ſordibus puros: corrigendos abuſus, quibus conſumatur belli nervus, ad ſaginandam privatorum avaritiam. Coacervatam Henrici M. parſimonia magnam pecuniæ vim, nulla populi oppreſſione; hanc in uſus privatos diſtrahi, ſimulque intendi tributa, ac populum opprimi: animadverſurum ſenatum in authores tot malorum, ſi regis auctoritate non ante depellerentur.

Acerba hæc admonitio, dicam, an reprehenſio & comminatio, lecta fuit in præſentia regis, principum, procerumque de ſanctiori conſilio: quorum alii Parlamenti inſolentem audaciam, alii temeritatem non ferendam, alii inauditum nulloque exemplo nixum facinus reprehendebant: comprimendos ſpiritus, ultra metas poteſtatis ſuæ exæſtuantes: unum eſſe regem Galliæ; reſtituendum ſibi & regno; mirum eſſe, quod ſubditi ac ſervi regis hæc audeant, qui tamen identidem clament, regem Franciæ ſupremam ſoli DEo debere poteſtatem, mortalium nulli obnoxiam: nuper tanto ardore eos contendiſſe, nullam ſupremo paſtori ac vicario Chriſti in regem regnumque eſſe poteſtatem, jam vero a ſervis ac ſubditis in regem regnumque uſurpari imperium. Reprobatus.

Regina præſertim, ſe & Ancræum maxime peti facile perſpiciens, fuit indignata, & tum per ſe, tum per Brulardum, regni cancellarium, Parlamenti accuſationem confutavit. Poſtridie placitum arctioris conſilii vulgabatur, quo rex calumnias eſſe pronun-

 tiabat,

tiabat, quæ in libello oblato in adminiſtratores regni a Parlamento fuerant conjecta. (*Grammond. ad ann.* 1615.)

13 Recruduit paulo poſt bellum civile, quod rurſus principes cum aula colliſit. Cauſſa aut prætextus idem, Acræi in aula gratia, & mala per eum regni adminiſtratio: re ipſa invidia, & abuſus infirmæ adhuc ætatis in rege, quolibet ſibi ademptum credente, quod alteri accreverat. Acceſſit pruriens in turbas Calviniſtarum indoles, quieta nunquam, & in ſuam ſemper vigilans ruinam, ne ſapere cogatur. Suſpecta illi timendaque videbatur ex deſtinatis Ludovici regis cum Anna Hiſpana nuptiis utriusque gentis Catholicæ conjunctio.

Bellum civile

Facilem invenit in ſua conſilia Condæum, Catholicum equidem principem, & aliter haud dubie facturum, ſi rex eſſet: ſed nunc, cum Ancræum in aula dominantem non ferret, in adverſam partem abreptum. Vulgaverat is ſuas in publicum querelas: indigna pati ſe, & confœderatos ſecum principes: injuriam nuper illatam ſenatui Pariſino, pro ſalute regni excubanti, cuique acceſſus ad regem pro republica liber eſſe debeat: ſpretas ejus monitiones vindicandas: edicti Nannetici ſervandam fidem: comitiorum decretis ſubſcribendum: publicum hoſtem eſſe, a quo diſſipetur regni ærarium, & opprimatur exactionibus populus: violenturque fœdera, regem inter & principes ſancte inita.

Invitati mox ad communem veluti cauſſam adſunt principes, Nivernus, Longavillæus, Mayennius duces, Bullionius & Sullius mareſcalli Calviniſtæ, quibus accedunt Rohanæus & Subiſius fratres cum omnibus ſectariis; qui in comitium collecti Rupellæ in hæc capita convenerunt.

Pro lege fundamentali habendum, quod regum Galliæ poteſtas ſit immediate a DEo, prout nuper in comitiis a tertio ordine fuit propoſitum, & a Parlamento confirmatum: inquiſitionem in cædem Henrici IV eſſe inſtituendam, eamque vindicandam: promulgationem concilii Tridentini, a clero & nobilitate petitam, eſſe rejiciendam: declarandum a rege, juramento pellendi hæreticos non contineri Gallos reformatos: ſimpliciter appellandam religionem reformatam, ſine addito, *quam reformatam vocant.*

Plures urbes reformatis dandas: Vergerio ſenatori Pariſienſi, Catholicam religionem amplexo, ſubſtituendum religionis reformatæ: regiis ſumptibus alendos miniſtros reformatos: non ſex, ſed duos tantum miniſtros reformatos præſentandos regi, ex quibus unum confirmare teneatur; Sedanæ urbi protectionem confirmandam

A Calviniſtis.

dam a rege, ſolitasque penſiones & ſtipendia perſolvenda principi Bullionio: confirmandas reformatis urbes ſecuritatis: conſilium arctius reformandum, & reſtituendum in ſtatum, quo fuit ſub Henrico IV, reformatis inimicos arcendos ab eorum cauſſis: agendum, ut rex monitionibus, nuper a Parlamento propoſitis, aſſenſum præbeat. His niſi articulis rex annuat, armis extorquenda.

Ex quibus ſane videas, quam infelix ſit conditio principis, qui ſectam tam inſolentem, arrogantem, minacem, ſeditioſam & rebellem ferre debeat. Quid enim hoc aliud, quam regi leges præſcribere, & exuto jurato obſequio imperare?

Condæus, probe gnarus, quantum ſit factioni ſuæ momentum in fœdere cum ſectariis, cum eis in hæc capita convenit. Pollicentur 1 obedientiam & fidem regi promittere (*in quem arma ſunt diſtricturi*). 2 authoritatem regiam vindicare (*quam proculcatum eunt*). 3 Tridentini promulgationi reſiſtere (*quia veritatem docet*). 4 ire obviam malis, quæ imminent ex nuptiis regis cum Hiſpana (*non malis, ſed ſibi volunt ire obviam; quia ex hac conjunctione vires ſuas minuendas timent, male ſibi conſcii*). 5 operam dare, ut arctius regis conſilium reformetur (*ut arctius regem conſtringant.*) 6 confirmandum publice edictum Nannetenſe, cavendumque, ne eccleſiæ reformatæ detrimentum patiantur. (*Nullum paterentur, ſi vere reformarentur*). 7 fidem ſolenniter dandam in opem mutuam. (*Mala fides nulla fides*). 8 arma non ponenda niſi communi conſenſu. (*Egregii enim vero regiæ, quos ſe clamant, ſecuritatis & authoritatis vindices*). 9 programmata Condæi nomine ſubſcribenda (*ut ſub nomine Catholici, & regio de ſanguine principis, effuſius graſſari poſſint*): nihil tamen Condæus in arcibus & urbibus novare valeat. (*Quia eſt Catholicus*). 10 proſpiciendum indemnitati eorum, qui belli cauſſa bonis, dignitatibus, aut præfecturis dejicientur. (*Sed unde? numquid ex bonis regiis? at hoc eſt alieno corio ludere*). 11 fovendum confœderatos inter frequens commercium: arcana habenda conſilia; reformati in urbibus Catholicis, quæ Condæi partes ſequentur, ſecure degant, & exercitio religionis libere fruantur; damna ex adverſæ partis bonis compenſanda. (*Omnia diligenter expenſa in præjudicium tertii, & quidem regis ac religionis Catholicæ. Sic nempe filii tenebrarum prudentiores ſunt filiis lucis.*)

Fœdere hoc percuſſo ictoque provincias dividunt, multas urbes ſuas in partes pertrahunt, regi fidas ferro & igni vaſtant, terrorem per totum fere regnum circumferunt. Rex quoque juſtum adver-

adverſus perduelles exercitum duxit, ex Gallis & Helvetis conflatum, ut adeo viribus hoſtem ſuperaret. Sed prudenter apud ſe perpendens, nihil noxium magis regno, quam bellum civile, in quo, ſeu vincat, ſeu vincatur, ſit amiſſurus, ſuaſu plurium accedente, pacem offert. Statuuntur primum induciæ, tum vero fœderati hæc capita anno 1616 pro pace conficienda regi offerunt.

Pax extorta.

1. Facienda inquiſitio in Henrici IV parricidas, conciliique Conſtantienſis & Sorbonæ de regum vita decreta renovanda: atque ad Parlamentum remittenda inquiſitio. *Conceſſum.*

2. Articulus tertius ordinis tertii de immediata regum poteſtate confirmandus: ſi quid contra ab arctiore conſilio irrepſit, delendum. *Suſpenſum.*

3. Gallicanæ eccleſiæ privilegia ſint ſalva. Tridentinum non promulgetur. Parlamenta in antiquum ſtatum reponantur. Arctioris conſilii placitum abrogandum, quo Parlamenti monitiones & S. C. rejecit. Rex dictis monitionibus & comitiorum placitis reſpondeat. *Conceſſum.*

4. Exteris ne committantur præfecturæ militares aut forenſes, aut alia munera publica. Militia equeſtris reſtituatur; nec in alios uſus erogandum vectigal, præſtari propterea ſolitum. *Conceſſum.*

5. Conſilium regis arctius reformandum, nec quicumque temere ad illud admittendi. Dona in immeritos tollantur. Annua penſio, regi præſtari ſolita ob prorogationem officiorum, penitus tollenda. Sublevandum oneribus populum, quibus opprimitur. *Conceſſa.*

6. Servanda fœdera, cum Helvetis inita, utpote Galliæ perutilia. Penſiones & ſtipendia, ipſis promiſſa, diligenter ſolvenda, nec quæſtorum arbitrio permittenda. *Conceſſum.*

7. Diploma, contra Condæum, primum principem, & ejus ſequaces vulgatum, revocetur. Sedani protectio firmetur. Pictavienſes reſtituantur. Nemini fraudi ſint ab anno 1614 utrinque geſta. *Conceſſa.*

Calviniſtarum inſolentia.

Subſcripſerunt Condæus & Calviniſtarum legati. Additi articuli ſecreti, quibus a rege varia munita loca Condæo conceſſa; diſtributa aliis perduellionis præmia: in eosdem ingens pecuniæ vis collata & penſiones annuæ promiſſæ, ad quas exſolvendas, nova ſalibus tributa imponi neceſſe fuit. Hoc nempe erat illud levamen populi, toties jactatum: hæc illa ærarii cura; diſſipatum credebant, quidquid in ſuos loculos non defluxiſſet. Et quid aliud magis ærarium regium, totamque Galliam afflixit, quam mota toties

toties contra reges a Calviniſtis bella? Regina ipſa multoties conqueſta fuit, exhauriendum ærarium, ut a turbatoribus pacem emat.

Regiam poteſtatem ſanctam eſſe, nemini ſubjectam, a ſolo DEO immediate dependere, toties vociferabantur, qui per ſeditiones, per rebelliones, per mandata, præcepta, minas, majeſtate protrita, regem ſervire ſibi, & perduelliones præmiis remunerari cogebant. Neſciebat Gallia ſervile & precarium velut regnum, quamdiu unius religionis, unius erat labii; at vix ſectarii ſurrexerant, aliam mox faciem induit. Nulla amplius decretorum reverentia, circumſcripta monarchia, acciſa coronæ majeſtas, excuſſum parendi obſequium, ſpreta poteſtas, per ſeditiones, rebelliones, bella, ſubditis leges dictantibus, obedire compulſa. Et, quo triſtius evenire ſolet, ipſi etiam Catholici, (ſi tamen Catholici) novam a novis his hominibus linguam diſcunt, in deſpectum coronæ, ordinis eccleſiaſtici, ipſiusque ſupremi ſacrorum antiſtitis.

Inter ſecretos pacis articulos quidam putabant contineri etiam dejectionem, quæ mox contigit, *Brulardi Sillerii* Galliæ cancellarii, viri fide, integritate, eruditione præſtantis. Fortiter tulit variantis fortunæ vices; dignus ſane, qui revocaretur: major viſus, dum factus eſt minor. *Varæus* vero ipſius ſucceſſor, præſes ante Aquenſis, minor apparuit, poſtquam factus eſt major; documento utili mortalibus, quam imprudentes non raro fortunæ dignitatiſque gradum altiorem appetant. Brulardi dejectio.

Fluxas etiam ſpes, & humanarum rerum ludibria experta, deceſſit hoc tempore *Margaritha Valeſia*, regis filia, trium regum ſoror, regis 28 annos uxor ſine matrimonio, conjugata & cœlebs, vidua vivente marito; cui, forma corporis licet eſſe præſtanti, & dotibus animi præclaris ornata, diſplicuit. Clauſit Valeſiam ſtirpem regiam, legitimo traduce propagatam. Quid myricæ exſpectent, ſi cedris ſors ita ludit? Grande portentum.

# ARTICULUS VI.

*Damnatur Romæ hiſtoria Thuani, & querela Arnaldi in Jeſuitas: ejus ineptia circa obedientiam. Richerii tractatus de eccleſiaſtica & politica poteſtate damnatur a conciliis. Diſſertatio de utraque. Decretum Parlamenti contra Caſtellum Romæ condemnatur.* 14

ANno 1609 Romæ a ſacra inquiſitione damnata eſt *hiſtoria Jacobi Auguſti Thuani*, uti ſtylo eleganti & terſa latinitate niti- Thuanus.

da, ita probata ex integro sectariis; quibus, dum res gestas temporis sui persequitur, apologiam atque panegyres scribere visus est, Romanæ auctoritatis hostis infensissimus; ut adeo mirum non sit, eum a Casaubono, Scaligero, Grotio, Heinsio, Clerico, Larreyo, Breitingero, aliisque heterodoxis ceu primæ magnitudinis sydus, & absolutam historici ideam adorari.

Mutua nempe fricatione vices reddere voluerunt; quia Thuanus Protestantium scriptores, quibus nimis sæpe usus est, & nimis facile credidit, super astra conglobatis laudibus extulerat. Gigantes hi illi erant, Catholici vero pumiliones & verrucæ Berecynthiæ. Optandum fuisset, ut eorum, quos tantopere laudabat, sectam aperta facie fuisset professus, ne sub nomine Catholico magis noceret, pestemque incautis lectoribus cum Apostolicæ Sedis contemptu afflaret. Illud prorsus mirandum, quod Jesuitas vehementibus odiis & scriptis fuerit insectatus, & tamen illis filium suum bonis moribus & litteris instituendum tradiderit.

Arnaldus contra Instit. Societatis.

Eodem anno Romæ damnata fuit *querela* vel *actio Antonii Arnaldi* adversus Jesuitas, qua isti accusabantur, quod sint devoti Papæ, affectu Hispani, seditiosi, regum parricidæ, adeoque rursus e Gallia exturbandi. Hæc aliaque furore æstuans & odio Jansenista, suique impotens evomuit, absque ulla ratione probabili. Merito proin a summa potestate nigro notatus est stigmate.

In quartum dein Societatis votum cæca rabie invehitur. Verba peregrina! votum horrendum! exclamat; cur ita? Quia vovent, inquit, quod in superiore suo Christum velut præsentem velint agnoscere, illique tanquam Christo obedire. Profecto peregrinum in Instituto Societatis oportet esse Arnaldum: peregrinum certe est Societati hoc quartum votum. Ecce turpem inscitiam hominis! Qui in Societate JEsu quartum emittunt votum, promittunt DEO, se ituros illico in regiones, quantumvis barbaras & remotas, ad convertendos ad fidem Christianam populos, vel etiam fideles christianis virtutibus imbuendos, quamprimum summus Pontifex miserit. Versatur ergo hoc votum circa missiones, in quamcunque terrarũ partem ex voluntate vicarii Christi suscipiendas.

At demus, Societatis homines vovere, quod in superiore suo Christum præcipientem velint agnoscere, eique sicut Christo obedire; an votum hoc horrendum foret dicendum? Usque adeone in ascesi rudis est Arnaldus, ut nesciat, unanimem spiritus magistrorum hanc esse vocem, Christum velut præsentem in persona superioris considerandum esse subditis? Quia propter Christum

&

& ipsi Christo obeditur, dum superiori in iis, quæ peccatum non continent, obeditur.

S. Basilius, S. Benedictus, S. Bernardus religiosis suis tale præceptum imponunt, obediendi videlicet superiori suo sicut Christo. Ipse S. Paulus Apostolus Ephesiis idem præceptum imponit: *servi obedite dominis vestris carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo &c. --- servientes sicut domino, & non hominibus. ad Ephes.* 6. Non totis artubus tremis, Arnalde, & exclamas: O voces horrendas!

Sed videte, qualem conclusionem ex tali obedientia inferat. Si Christus juberet occidere, oporteret occidere. Ergo si Jesuitarum Generalis Hispanus juberet Franciæ regem occidere, oporteret obedire, & illum occidere. Bella illatio! an ex doctrina patrum spiritualium ascetica, ex regula S. Basilii, S. Benedicti, S. Bernardi, ex præcepto S. Pauli tale monstrum illationis enascitur? præcipit Apostolus servis, ut dominis suis serviant, *sicut Christo*: ergo, si dominus præciperet servo, ut Cæsarem occidat, deberet eum occidere. Vah logicæ portentum! dignum sane, quem advocatorum tribus e docto suo cœtu proscriberet.

Quis adeo mentis inops, crassæque est inscitiæ, ut non intelligat, præceptum Pauli, sanctosque Patrum aphorismos, dum superiori obedire præcipiunt, sicut Christo, ad illa referri, quæ non sunt mala aut peccatum. Malum autem maximum & peccatum enorme est, regem occidere.

At vero, sicut Arnaldus, ut calumniari liberius fucata facie posset, timidus videri voluit, ita doctor Sorbonicus imo & syndicus, non minus famosus, in alterum extremum abiit, & audacia atque temeritate nomen grande & existimationem quæsivit.

Est is *Edmundus Richerius*, qui tractatum edidit *de ecclesiastica & politica potestate*, utrique summopere injurium. De posteriore scribit in hæc verba: *jure divino & naturali omnibus perfectis communitatibus & civili societati prius, immediatius, atque essentialius competit, ut se ipsam gubernet, quam alicui homini singulari, ut totam societatem & communitatem regat.* Et paulo post subdit: *contra hoc jus communitatis, se ipsam gubernandi, neque spatia temporum, neque privilegia locorum, neque dignitates personarum posse unquam præscribere.*

Richerius contra potestatem monarchicam.

Quid autem hoc aliud est, quam eversis monarchiis potestatem jurisdictionemque omnem ad aristocraticam aut democraticam

regiminis formam referre, aut ad ſummum precariam duntaxat aliquam & a ſubditis dependentem poteſtatem regibus concedere?

Imbutus erat Richerius doctrina, quam tradiderant Jacobus Almainus & Joannes Major, doctor uterque Sorbonicus, gladium fuiſſe datum reipublicæ ad ſui conſervationem: communitatem non poſſe renuntiare poteſtati deponendi principem, ſi male gubernet; illum, ſicut eſt propter populum, ita ab iſto ſuam habere authoritatem. Et, quod mirum, utriusque hujus doctoris opera recuſa ſunt cura Dupini, & quidem cum magno eorum elogio, quod etiam Richerio ſcripſit. Quod tenuerit doctrinam iſtam tempore Henrici III, quem jure cæſum defendebat, eo quod ſtatus regni eſſent ſupra regem, non adeo mirum eſt; quia tunc commune quoddam temporis fatum Ligiſtas omnes (quales cum Richerio erant doctores Sorbonici) in errorem præcipitabat. At quod tempore Henrici IV, pacato jam regno, ſuſtinuerit doctrinam iſtam reſuſcitare, & quidem impune, hoc enim vero mirum prorſus videri debet. Si vel unus ex Jeſuitis talia ſcripſiſſet, heu! quantus clamor in totam Societatem inſonaret! at Richerio epiſcopatus oblatus dicitur. (*Memoire Chron. ad an.* 1612.)

Rex, inquit Richerius, poteſtatem accipit a populo, certæ perſonæ ſe ſubjiciente: ſic primitus omnia fuiſſe regna conſtituta. At hoc multi negant, ajuntque, poteſtatem regiam immediate eſſe a DEO, idque non modo in regnis hæreditariis, ſed etiam electivis; nam licet ſtatus regni perſonam per electionem determinent, authoritatem tamen non ab illis, ſed a DEO perſonæ electæ tribui; ſicut a DEO tribuitur poteſtas ſummo Pontifici, quem Cardinales elegerunt: & ſicut vel DEus immediate, vel Papa tribuunt jurisdictionem epiſcopo, cujus perſonam canonici per electionem determinarunt. Atque hinc minime ſequi, ſtatus regni eſſe ſupra regem, aut hunc ab iis poſſe deponi; ſicut Pontifex a Cardinalibus, & epiſcopus a capitulo canonicorum non poteſt deponi; illamque regulam, quod iis modis res diſſolvatur, quibus fuit conſtituta, hic exceptionem pati. Videntur aliqui Galli doctrinam ſuam de majoritate concilii ſupra Pontificem ad majoritatem ſtatuum ſupra regem applicaſſe. Utraque falſa eſt, neutra tenenda.

Verum non tantum regiam poteſtatem læſit Richerius, ſed etiam pontificiam. Audiamus factum. Patres Dominicani, tempore capituli ſui generalis, aliquot theſes propoſuerant. 1. Quod ſupremus Pontifex ſit infallibilis in doctrina fidei & morum. 2. Quod

in nullo casu concilium sit supra Pontificem. 3. Quod pertineat ad Pontificem decidere res dubias, confirmare vel infirmare decisiones conciliorum, indicere silentium perpetuum partibus &c.

Baccalaureus quidam impugnavit has theses, easque tanquam contrarias concilio Constantiensi hæreseos arguit. Nuntius Ubaldinus, disputationi præsens, graviter id accepit. Vehementer exarsit contentio, donec Cardinalis Perronius argumento finem imposuit, asserendo, quæstionem hanc esse problematicam, nec pertinere ad fidem.

Die sequenti Jacobini (ita appellantur Dominicani Parisiis) hanc thesin affigebant, quod pertineat ad Papam, quæstiones de fide decidere, quodque in decidendo errare non possit. Contra has igitur theses Richerius eum, quem dixi, tractatum scripsit, quo prætendit stabilire doctrinam Sorbonæ & ecclesiæ Gallicanæ circa auctoritatem Papæ & gubernationem ecclesiæ. Et contra ecclesiasticam.

Ingens murmur & indignationem multorum excitavit Richerii liber, eumque Sorbona examini suo subjicere parabat, sed inhibita fuit a Parlamento, hortante potissimum Verduno ejus præside, qui Richerio scribendi auctor fuerat: exemplaria vero libri ad acta reponi jussit.

Cum igitur Sorbonæ manus a Parlamento essent ligatæ, nuntio Apostolico hortatore, Cardinalis Perronius archiepiscopus Senonensis cum suis episcopis comprovincialibus, Parisiensi, Altissiodorensi, Meldensi, Aurelianensi, Trecensi, Nivernensi, Carnotensi, zelo pro sana doctrina ardentibus, persuasisque, nulla potestate laica in materia hac mere ecclesiastica se inhiberi posse, *concilium provinciale Senonense* celebravit, examinatoque per plures sessiones Richerii libro, eum condemnavit, tanquam continentem plures *propositiones, expositiones, & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, &, prout sonant, schismaticas atque hæreticas.* Protestabantur tamen patres concilii, se per hanc condemnationem nullatenus lædere velle jura regis, & coronæ Franciæ, aut jura, immunitates, libertates ecclesiæ Gallicanæ. Damnatus a synodo.

Episcopus Parisiensis jussit, hanc censuram per omnes diœcesis suæ parœcias promulgari. Hoc exemplum secutus archiepiscopus Aquensis in *concilio provinciali Aquensi*, cum pluribus aliis episcopis tractatum Richerii condemnavit.

Appellavit quidem contra hanc concilii Senonensis & aliorum episcoporum censuram Richerius, sed adeo inutiliter, ut etiam syndicatu Sorbonæ fuerit privatus, quamvis multos, præsertim in

Parlamento, habuerit protectores. Neque in ullo deinceps amplius congressu comparuit usque ad mortem, quam oppetiit anno 1633, postquam errores suos retractavit, hortante Cardinale Richelio, librum suum submittens judicio ecclesiæ ac sedi Apostolicæ, tanquam judici infallibili veritatis.

Ceterum præter duo, quæ diximus, concilia provincialia multi alii tractatum Richerii confutarunt: inter quos Durandus, Pelleterius, Boucherius, Sirmondus, Spondanus, Duvalius, pietate & eruditione præstantes viri; ut adeo manifeste pateat, quam falso imputetur eruditissimæ nationi Gallicæ, quod universim quodammodo sententiam de infallibilitate & potestate Pontificis, aliis nationibus contrariam teneat.

Negandum tamen non est, quod Richerius etiam post fata multos sententiæ suæ fautores reliquerit, quos vel amicitia, vel amor novitatis, vel desiderium existimationis, vel odium quoddam, ex falsis ideis in curiam Romanam conceptum, vel denique ignorantia in illam pertraxerat, uti sæculares quosdam homines, ad quos quæstio ista non pertinet, & aliquos doctores de Sorbona, quæ fulcrum olim fuerat religionis & cathedræ S. Petri, adversus ejus inimicos defendendæ.

Scripserat equidem Joannes Vergerius, famosus abbas Sancyranus, Jansenii præcursor aut comes, nullum unquam fuisse sapientem, qui Richeristas pro schismaticis aut hæreticis habuerit. At sapientissimus episcopus Apamiensis Spondanus, continuator annalium Baronii *tom. 3 ad annum* 1612 scripsit, quod inde omnino sit timendum schisma.

Tribunal S. inquisitionis Romanum damnat anno 1609 decretum Parlamenti Parisiensis, contra Joannem Castellum prolatum, quod præter falsas in Societatem JEsu criminationes, ejusque ex Gallia ejectionem, hæreticam declaravit hanc propositionem: *rex Henricus IV hodie regnans non est in Ecclesia, donec a Papa fuerit approbatus.* Vehementer quippe displicuit Romæ, quod tribunal laicum, limites potestatis suæ supergressum, hæreseos censuram ferre attentasset; & quidem in propositionem, quæ nullatenus illam mereretur. Cumque ea de re Clemens VIII amare quereretur, Cardinalis Offatus, Franciæ orator, cum attentatum excusare non posset, verba saltem decreti benigna interpretatione mitigare satagebat. At vero Paulus V tamesi summopere addictus Henrico IV, (qui, ut controversiam, cum Venetis ortam, componeret, tantopere laboraverat) non dubitavit decretum Parlamenti

ti per inquisitionem damnare. Ceterum nemo tam demens fuit, ut crederet, decretum fuisse proscriptum, quod Castello pœnam irrogasset; quia nullum erat supplicium, quo enorme illius scelus expiari satis poterat.

## ARTICULUS VII.

*Berullus fundat Oratorium. Institutum Ursulinarum. Tertii Ordinis propositiones in comitiis regni contra Papam. Cleri oppositio.*

ANno 1611 Berullus, presbyter diœcesis Parisiensis, postea Cardinalis, cœpit instituere congregationem presbyterorum oratorii JEsu Christi D. N. ut pii & docti formentur sacerdotes de clero sæculari, utque ex eo seminario semper emitti possent boni ac probati animarum pastores, infidelibus etiam Evangelium prædicaturi. Et certe ex ea disciplina prodierunt multi eruditi viri, docti scriptores, celebres concionatores. Quamvis autem suos superiores habeant, nullum tamen emittunt votum. Unde quidam dixit, quod Oratorium sit corpus, in quo nemo imperat, & omnes obediunt. Institutum hoc Ecclesiæ salubre a Paulo V approbatum fuit anno 1613, ac postea per Galliam & Belgium diffusum. Maculam tamen aliquam quibusdam pulcerrimi corporis membris aspersit Jansenismus & Quesnellismus. 15 Oratorium Berullianum.

Idem Pontifex Paulus V anno 1612 in ordinem religiosum erexit piarum virginum cœtum, sub invocatione S. Ursulæ Parisiis congregatum, regulam S. Augustini profiteri jussum, atque ad id maxime intentum, ut puellæ instruantur, fœminæ ægrotæ visitentur, in nosocomiis aut carceribus detentæ pio solatio recreentur. Ursulinæ.

Prima hujus instituti fundamenta jam pridem antea, anno videlicet 1537, jacta sunt a B. Angela, quæ in Sebusiano agro plures devotas fœminas collegerat. Paulus III 1544 hunc cœtum approbavit. Gregorius XIII concessit 1571, ut clausura introducatur. Cumque jam per provincias Franciæ essent dispersæ, imo etiam Mediolani a S. Carolo Borromæo stabilitæ, 1604 Lutetiæ domicilium stabile fixerunt.

Magdalena Luilleria, pientissima fœmina, ut disciplina facilius conservaretur, effecit, ut in religiosum ordinem eveheretur. Gondius episcopus Parisiensis favit, rex permisit, Paulus V confirmavit. Vota proin religiosa illæ virgines Ursulinæ nuncuparunt;

quin

quin imo quatuor earum, audita Quebecensi relatione, usque in Canadam navigarunt, ut ibidem pro instituto suo fœmineam juventutem instruerent novi orbis Apostolæ.

Paulo post etiam Vincentius a S. Paulo congregationem *presbyterorum missionis* fundavit.

Anno 1614 habita sunt Parisiis *comitia generalia* trium regni statuum, præsulum, nobilium, & populi, qui tertium ordinem componebat. De his comitiis supra facta est mentio, hic breviter magis declaranda veniunt, quæ statum ecclesiasticum contingunt.

Lis inter primum & tertium ordinem.

Camera ecclesiastica constabat 132 deputatis, quibus præsidebant Cardinales, & primores regni præsules. Petendi promulgationem concilii Tridentini erat intentio. Sed vehementer obstitit tertius ordo, id agi spargens, ut inquisitionis tribunal in regno erigeretur. Regni bases & Ecclesiæ libertates suffossum iri. Periculosas regi ac statui doctrinas obtrudi; pro fundamentali lege statuendum, coronam regis a solo DEO dependere, nec ullum esse in terris, quacunque dignitate fulgeat, qui eam auferre casu quocunque possit, aut subditos a fide & obedientia jurata absolvere: sententiam contrariam ceu impiam, detestabilem, verbo DEI contrariam ab omnibus doctoribus & prædicatoribus damnandam. Si exteri talem doceant, Gallis ejusdem ordinis luendum fore: confirmanda a rege decreta concilii Basileensis & Constantiensis, prout etiam decreta Parlamenti, contra Tanquerellum Sorbonæ Baccalaureum, Marianam & Suarezium lata.

Ordo ecclesiasticus, vehementer, ut par erat, motus ea oratione tertiæ cameræ, quam in Anglia aut Salmurii fabricatam esse credebat, per Cardinalem Perronium reposuit, indignum esse, ut laici de iis, quæ ad fidem & religionem spectant, præsumant decernere: episcoporum & conciliorum ecclesiasticorum hanc esse sphæram. Oritura hoc pacto schismata, nec stabiliri fundamenta regni sed penitus convelli, sanguinem se potius daturos quam consensum in tam noxia consilia.

Ad singulas dein partes descendens Perronius, primam, inquiebat, securitatem regis spectare, alteram bona illius temporalia; atque in his omnes ordines unius esse labii: tertiam vero ad absolutionem subditorum a juramento fidelitatis, si princeps, qui juravit Catholicæ fidei defensionem, eandem vellet evertere, ac subditos ad Arianismum e. g. aut Mahometismum cogere. An in hoc casu nemo se posset opponere? An juramentum obedientiæ servandum? An tanquam verum tenendum, quod ecclesia Gallicana cum

omni-

omnibus theologis uſque ad adventum Calvini pro falſo habuiſſet? An nullus hic locus authoritati Eccleſiæ? A quo iſta quæſtio foret decidenda? An laicis competat jus decidendi, quid conforme vel contrarium ſit verbo DEI? An ſchiſma pernicioſiſſimum evitari poſſet, ſi impia & abominanda declararetur doctrina, ab aliis Eccleſiæ partibus approbata? An vita regum & ſalus patriæ in tuto poneretur per diviſiones, ſchiſmata, diſcordias?

Hæc diſſertatio Perronii, quam hic breviter hiſtorice per meram facti relationem attigi, per plures horas tenuit, eamque finivit per exhortationem ad tertium ſtatum directam, ut ſecundi ordinis exemplo (nam ſtatus nobilium cum eccleſiaſtico ſenſerat) in re, quæ doctrinam Eccleſiæ concernit, epiſcoporum ac prælatorum judicio deciſionem relinqueret, qui non minus ac tertia camera regis vitæ, juribus, & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ conſultum vellent.

Dum hæc ferveret contentio ſuper articulis a tertio ordine propoſitis, hic imploravit Parlamentum, quod illos ratos habuit, & decreto confirmavit. At primæ duæ cameræ, eccleſiaſtica nempe & nobilium, negotium ad regem detulerunt; qui, audito conſilio ſuo intimo, decretum Parlamenti reſcidit, atque deciſionem articulorum ſuppreſſit; Parlamento vero interdixit, ne ſe immiſceat quæſtionibus doctrinam vel authoritatem Papæ concernentibus.

Publicatum nihilominus eſt Parlamenti decretum ſub titulo *legis fundamentalis*, quod ſcilicet *nemo mortalium ſubditos abſolvere poſſit a juramento fidelitatis & obedientiæ*. At rex typographum in carcerem juſſit conjici; & papa Paulus V utrique priori ordini gratias egit, quod ſe oppoſuerit articulis popularis cameræ; ad evertendam, prout factum in Anglia, auctoritatem Sedis Apoſtolicæ tendentibus. Parlamenti decretum rex reſcindit.

Eccleſiaſticus ordo a rege petiit, ut reciperetur concilium Tridentinum; ut affectionem rex erga ſummum Pontificem anteceſſorum ſuorum exemplo conſervet, & a Parlamento ad conſilium ſuum avocet lites, ſiquæ orituræ eſſent de poteſtate Papæ & juribus coronæ: ad beneficia dignos nominet: ſimoniam confidentialem eliminet: curet, ut diſciplina regularis reformetur; immunitas eccleſiaſtica non turbetur; Bearniam coronæ reuniat, exercitium religionis ibidem introducat, & eccleſiaſticis beneficia & privilegia reſtituat: Jeſuitas patris exemplo ſub protectionem aſſumat, propter inſignes utilitates, quas in dies eccleſiæ regnoque afferunt, facultatem docendi in collegio Claramontano eis impertiatur, que- Cleri vota.

relas academiæ de illis ad consilium suum avocet, & quietem procuret. Reliqua concernebant militiam, magistratus Hugonotarum, tributa &c. Concilium has animadversiones ceu bonas & utiles laudavit. Sed facilior est cura quam curatio.

## ARTICULUS VIII.

### *In Bearniam reducitur religio. Reformantur monasteria. Archiepiscopatus Parisiensis erigitur.*

16 DEmonstravit tamen rex Ludovicus XIII eximium religionis zelum, dum anno 1620 rei Catholicæ in Bearnia succurrit; quam *Mongomerius* maxime, in aula Joannæ Albretanæ Navarræ reginæ potens, afflixit. Is quippe, ut Catholicam in Bearnia religionem funditus extingueret, jam anno 1569 omnia ecclesiasticis bona abstulerat.

Catholici ea de re sæpius apud Henricum IV fuerant questi. At Parlamentum Palense omnia ejus decreta elusit. Querela apud Ludovicum XIII fuit instaurata; pejorem esse Catholicorum in Bearnia conditionem, quam Constantinopoli apud Turcas, ubi suæ illis ecclesiæ, sacerdotes, usus sacramentorum, prædicatio verbi divini libera relinquatur.

Rex pro sua pietate his querelis motus, Catholicis ecclesias, bona clero, restitui, liberumque exercitium religionis esse voluit. Verum non ii erant Calvinistæ, qui mandatis parerent. Ab illis maxime suggestum fuerat tertio statui, ut tanquam dogma obtruderent, neminem ab obedientia, regi jurata, posse absolvere; at se ipsos ab ea facile absolvunt; prout per tot rebelliones & bella, contra regem suum mota, satis demonstrarunt.

Rex non poterat tunc, ob turbas, a regina matre motas, Bearnenses Calvinistas compescere, & obsequium mandatis suis extorquere, at motibus illis compositis, mox in Bearniam profectus Catholicam rem, a 60 jam annis exulem, restituit.

Calvinistæ per omnes provincias conferre capita, Rupellæ conventum cogere, vindictam & rebellionem meditari, arma undique parare, ac minitari, nisi Bearnia in locum suum reponeretur.

Anno 1622 petente rege a Greg. XV Cardinali Rupefocadio demandata fuit reformatio monasteriorum in Gallia, quæ a primo suo fervore descivisse videbantur.

Eodem

Eodem anno rex effecit, ut, inſuperhabita oppoſitione archiepiſcopi Senonenſis, epiſcopatus Pariſienſis in archiepiſcopatum eveheretur. Acceſſit anno 1674 ducatus & Paris Franciæ dignitas. Suffraganeos nactus eſt Aurelianenſem, Meldenſem, Carnotenſem, & poſtea etiam Bleſenſem.

## ARTICULUS IX.

*Nuptiæ regis. Cardinalis Surdiſius a Parlamento in jus vocatus. Diſputatio de immunitate eccleſiaſtica perſonali.*

JAm anno 1611 contraxerat rex Ludovicus ſponſalia cum Anna 17
Maria Mauritia, Philippi III Hiſpaniarum regis filia: Eliſabetha vero Ludovici ſoror deſponſa fuit Philippo, Aſturiæ principi, ejusdem Philippi III filio. Dos aſſignata utrinque 500000 aureorum, ſed mutuo compenſata, cautaque in caſum viduitatis reſtitutio dotis, additis in annos ſingulos 30000 libris Gallicis, in ſuſtentationem viduæ. Renuntiare etiam juſſa Anna pro ſe & ſuis ſucceſſoribus juri in Hiſpaniam; quam renuntiationem Galli jam tunc otioſam & inutilem dixere, utpote ab impubere factam, quæ ne quidem in proprium præjudicium, multo minus in ſucceſſorum renuntiare potuerit. Inita ſponſalia utrinque per procuratores.

Diſplicuit non modo Calviniſtis in Gallia, ſed etiam pluribus ex Catholicis, tam arcta cum Hiſpania conjunctio: tenellam eſſe ſponſis ætatem, ſi pubertatem adepti reſiliant, periculum eſſe in ultionem belli: certe principibus non conſultis tanti rem momenti non fuiſſe ſuſcipiendam.

Fortaſſis etiam diverſa nationis utriusque indoles, & animorum averſio querelis locum præbuit; nam, ut loquitur Gramondus ad ann. 1611, arrogantia ab Hiſpanis vincuntur Galli, urbana natio. Innata Hiſpanis eſt parſimonia: aurum argento & ſerico intertextum in veſtimentis raro apud illos in uſu: Galli in luxum diffuſi, ſeu veſtes ſpectes, ſeu corporis curam. Moroſa Hiſpanis conſilia, & tardiora, ſed firmiora: Galli magnanimi, alacres, in prima conamina fortes, in expugnandis & propugnandis arcibus validi, ſed mutabilis gens: Hiſpani fortius figunt pedem & conſtantius: lenta illis virtus; hinc bella cunctatione trahunt. Gallis propera prælia, & feſtinati caſus placent: eunt properi, quo juſſi; Nuptiæ.
ſed regreſſus ſæpe injuſſus & præceps: Hiſpani Fabios agunt. Gallis vita ingenua, libera, compta, facilis: illis tetrica & ſuperba.

Hiſpani ſua tantum mirantur; Gallis æqua judicia ſecundum merita. Ita Gramondus loc. cit.

Poſtquam deinde ſponſi iſti facti ſunt puberes, anno 1616 matrimonium contraxerunt. Guiſius Eliſabetham Bajonam deduxit, magno cum apparatu, Lermæi ducis, primi in aula Hiſpana miniſtri filius, dux Eſſedanus Annam; fitque utrinque commutatio, & Burdigalæ nuptialis ſolennitas.

Huic aſſiſtere ſolenni eccleſiæ ritu ad Cardinalem Surdiſium, archiepiſcopum Burdigalenſem ſpectaſſet; niſi propter gravem, qua implicatus erat, litem debuiſſet abſiſtere. Vertebatur hæc cauſſa. Nobilis quidam capitis damnatus a Burdigalenſi ſenatu detinebatur in carcere, ducendus ad patibulum. Surdiſius ſatellitio ſtipatus, effracto carcere, cæſoque cuſtode, reum eximit, & in libertatem aſſerit.

Immunitas eccleſ. Senatus apud regem, Burdigalæ ſponſam exſpectantem, queritur, violatum jus publicum, regis & ſenatus auctoritatem, cæſam a paſtore ovem. Præmiſſa trina citatione decernitur a Parlamento manus injectio in præſulem. Improbatum a ſanioribus hoc decretum: Cardinalem archiepiſcopum a nemine, inquiebant, niſi ſummo pontifice, in criminalibus præſertim, eſſe judicandum. Laicale forum eſſe incompetens: immunitatem eccleſiaſticam, præſertim perſonalem, Tridentino declarante, ex ordinatione divina deſcendere: non eſſe congruum, ut filius patrem, ovis paſtorem judicet aut plectat. Sacris inſuper canonibus, conciliorum decretis, ſummorum pontificum bullis, ſevere eſſe interdictum, ne laica poteſtas clericos ad ſuum tribunal trahat: his autem canonibus & decretis reverentiam atque obſequium deberi a ſenatu apprime Catholico.

Contra vero objiciebant aliqui ex Gallis, prout teſtatur Gramond. ad ann. 1616, 1 per unctionem reges ſacri characteris conſortes fieri, jurisdictionem proin conſequi in clericos. *Reſp.* longe aliam eſſe rationem unctionis regiæ, ac ſacerdotalis: nullum illa characterem ſacramentalem imprimit, ſed eſt ceremonia extrinſeca: dein neque omnes, quibus ſacer impreſſus eſt character, habent jurisdictionem, præſertim pro foro externo, & in Cardinalem atque epiſcopum.

2. Parlamenta Galliæ a primæva ſua inſtitutione, eccleſiaſticis & laicis conſtare judicibus; hinc mixtam illis eſſe jurisdictionem, in clericos juxta ac laicos. *Reſp.* laicis, licet in ſenatu mixti ſint clericis, nullam eſſe jurisdictionem in clericos reos

(quia

(quia illius sunt incapaces) neque clericis in Cardinalem & archiepiscopum, superiorem suum.

3. Cardinales etiam & archiepiscopos regum esse subditos. *Resp.* ratione feudi, aut officii temporalis, si quod ab illis habent, sunt subditi in negotiis civilibus, & politicis, quæ ad feudum aut officium spectant, in aliis non: & nunquam in caussis capitalibus; si non sint crimina excepta, uti majestatis, perduellionis, proditionis patriæ.

4. Falli eos, qui putant, diversam esse rationem episcopi & presbyteri, illumque exemptum esse a laicorum judicio, non vero istum. *Resp.* ita est: quoad hoc falluntur; nam uterque est exemptus. Quamvis major sit ratio eximendi episcopum, quam simplicem presbyterum.

5. Ascititia dignitate episcopali aut sacerdotali non exui subjectionem, judicibus sæcularibus natura debitam. *Resp.* quomodo ergo exuit subjectionem, qui fit Papa, rex, miles, qui domicilium in alieno territorio figit; aut quem rex eximit?

6. Eodem jure quodlibet dissolvi, quo colligatum est. Episcopos initiari a rege: ergo etiam exauctorari posse. *Resp.* imprimis regula patitur suas exceptiones: Papa eligitur a Cardinalibus, qui tamen non possunt illum exauctorare. Matrimonium mutuo consensu colligatur, non tamen illo dissolvitur. Deinde rex nominat tantum & præsentat personam pontifici: per consecrationem autem obtinet potestatem ordinis episcopalis, & per confirmationem pontificiam potestatem jurisdictionis; quia sine institutione canonica nullum beneficium aut dignitas ecclesiastica obtineri potest.

7. Cognitionem criminum, quæ vindicare non possit ecclesia, sanguinis expers, deferri ad laicos; alias præsules impune grassaturos, raro in suos ultrice Roma. *Resp.* ecclesiasticas personas, si crimen morte dignum commiserint, degradari ab ecclesia, & sæculari potestati ab eadem tradi; quæ deinde secundum leges civiles contra illas potest procedere: & sic non possunt præsules impune grassari; præterquam, quod multæ aliæ, præter degradationem, sint pœnæ ecclesiasticæ, uti gravissimæ censuræ, depositio ab ordine, officio, beneficio, & dignitate. Nec verum est, quod Roma sit negligens in puniendis criminosis Prælatis, si crimina ad eam deferantur. Deinde negligentia, dissimulatio, gratia, in sæcularia etiam judicia potest irrepere: imo etiam injustitia & præceps condemnatio clerici innocentis, ob odium, quo multi laici feruntur in ecclesiasticos.

8. Gallia eſt in poſſeſſione hujus poteſtatis, eamque dudum præſcripſit. Præter antiquos actus, adeſt exemplum ſatis recens Henrici III, qui anno 1588 Cardinalem Guiſium Bleſis occidi juſſit. *Reſp.* ubi datur incapacitas poſſeſſionis, datur etiam incapacitas præſcriptionis: atqui laici ſunt incapaces poſſidendi jurisdictionem in reos clericos (niſi in quantum ſe habilitatos a ſede Apoſtolica, uti in criminibus exceptis probare poſſunt) ergo etiam ſunt incapaces præſcribendi. Henricum III male egiſſe occidendo Cardinalem Guiſium, præter majorem multo partem Galliæ, cenſuit Roma, ipſeque in agone agnovit Henricus, abſolutionem a cenſura rogans. Si alia afferantur exempla, viderint eorum auctores, quam DEo, qui omnium, etiam judicum, eſt judex competens, rationem ſint reddituri.

9. S. Gregorius duos epiſcopos, qui res novas Aquilejæ & Mediolani moliebantur, ad tribunal Imperatoris remiſit. *Reſp.* jam dictum fuit, poſſe a laicis puniri clericum, quem depoſitum a ſacris poteſtas eccleſiaſtica curiæ ſæculari tradidit.

10. Tantum res eccleſiaſticas pertinere ad cognitionem cleri, crimina autem non eſſe rem eccleſiaſticam. *Reſp.* non crimina, ſed perſona illa committens eſt res eccleſiaſtica, uncta DEo, magisque ſacra, quam multæ aliæ res eccleſiaſticæ. Cæterum crimina clericorum poſſunt dici eccleſiaſtica, vel ab authore, vel quia ad forum eccleſiaſticum pertinent; ad quod deferri etiam poſſunt multa crimina laicorum, quæ ſunt mixti fori, & aliqua etiam privative debent, uti crimen hæreſis & ſimoniæ.

11. Chriſtum coram pontifice Caipha nihil reſpondiſſe, bene vero coram Pilato. Ergo non illum ſed hunc agnoviſſe judicem, ubi accuſatio de criminibus agebatur. *Reſp.* Chriſtus coram utroque initio reſpondit, ſe eſſe filium DEi: deinde vero coram utroque tacuit: neutrum autem agnovit ſuum judicem, ſicut non agnovit dæmonem, licet dixerit: *hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*, ſed torqueri ſe ab illis pro ſalute humani generis ultro paſſus eſt, ſicut a Malcho percuti. Abſurdum eſt dicere, Pilatum fuiſſe legitimum judicem Chriſti, qui eſt rex regum & dominus dominantium. Dignum ſane Calviniſtis dogma, ſed indignum, quod ab illis Catholici mutuentur.

At diſputationibus iſtis interceſſit rex, ac primum ſententiam ſenatus ſuſpendit, dein vero Cardinalem abſolvit ab hoc judicio, indignum ratus, ſolennitatem nuptialem (pridie ejus diei caſus contigerat) criminali in archiepiſcopum ſtrepitu perſonare. (*ann.* 1616.)

ARTI-

# ARTICULUS X.

*Condæus in carcere. Tertium bellum civile. Ancræi cædes. Luynius successor: regina mater Blesas in exilium missa. Thuani mors, & effigies.*

QUanquam extinctæ videbantur per pacem, cum principibus initam, turbæ, gliscebat nihilominus ignis sub cinere in magnam brevi rursus flammam erupturus. Cum potentia Ancræi augebatur in dies invidia; quemque ferre non poterant principes in aula dominantem, interimere statuunt, una victima publicæ quieti & communi omnium saluti litandum rati. At ille, haud ignarus, quam invisus esset, ut insidias declinaret, in Normanniam, provinciam suam, prorex abiit. 18

Rex alte in mentem admiserat, principes per provincias velut totidem reges exercere dominatum, motas toties, juventute sua spreta, turbas, concitatos in defectionem populos, arrepta in se arma, leges nupera pacificatione velut subdito sibi dictatas: non teneri se pactis, metu tam gravi & injusto extortis: justam a rege, vinculis constricto, ad regem liberum esse appellationem.

Accenderat jam ante iram regis, (cui alias suavis & mansueta indoles) Ancræus, Tarquinii exemplo papaverum capita demetenda demonstrans, & nunc etiam regina mater, memor nimium, quæ, dum tutelam gerebat, passa fuerat: meminisset tandem, quis esset. Unum duntaxat esse regem Franciæ, suprema ac monarchica potestate dominantem: jam vero quot principes, tot esse dominos, toties abusos regis lenitate: Condæum, incentoribus Calvinistis & aliis, quibus in turbido piscari volupe, tumultuantibus toties se ducem præbuisse, populari aura afflatum. Quid portenderat communis ille Lutetiæ applausus, quo nuper a seditione redux, fuisset exceptus? animo perpenderet, illum, præter sectæ studia, velut Galliæ soterem coli: nihil illi deesse, nisi coronam. Consulendum regi & regno.

Ancræi flabella.

Talia flabella eum in regis animo ignem succenderant, ut juberet, Condæum, tanquam ad consilium accitum, comprehendi, & primum in Luparæ, dein Bastillæ, ac demum in Vincennæ carcerem abduci: prosequente ultro maritum Montmorantia conjuge.

Principes, ubi inaudierant, captum Condæum, capiti suo metuentes, dato velut signo, insurgunt. Mayenius Suessionem invadit,

invadit, & firmat præsidio: Vindocinensis & Longavillæus legunt militem: Bullionius Sedani se armat: Nivernensi præcipua belli cura Guisii fratres, regi alioquin fidissimi, fugiunt ab aula, sed brevi ad illam redeunt. Rex copias, in tres partes divisas, ductoribus, Guisio, Montignio, & Avernensi comite (Caroli IX is erat nothus) in principes immittit; fervet bellum, expugnantur a regiis munimenta; fuissentque haud dubie victores, cum subito immutatur scena; belli theatrum clauditur, novumque aperitur cruentæ tragœdiæ. Cæsus subito Ancræus, & quidem mandato regis. Quod, qua ratione contigerit, paucis persequar.

Cædes Ancræi.

Aberat in Normannia Ancræus, cum Albertus *Luynius* comes in aula ipsi insidias struit, æmulumque rerum apice dejicere nititur: quem tot principes ac proceres dejicere non poterant. Alte quippe insinuaverat se se Luynius in regis gratiam, assiduus ejusdem in lusu, venatione, ludicris socius. Atque imprimis latentius spargit semina, dein vero, cum faciles aures inveniret, apertius regis animum aggreditur.

In id natos esse reges, inquiebat, ut ipsi imperia dispensent populis, & leges dicant. Regni arbitrium in Ancræum conjectum esse, versarique ab ipso pro libidine, vacuo duntaxat nomine regi, velut pupillo, relicto: inde tot turbas, bella, calamitates: nec quieturos principes, quamdiu exterum hominem ad clavum rerum sedere intueri debeant: omnes ad obsequium promptos accursuros, ubi, dejecto inviso incubatore, regem sibi & regno restitutum, habenas capessere inaudierint. Hoc principum, hoc provinciarum, hoc totius Franciæ votum esse: hoc unum levamen & medelam laborantis per plures jam annos patriæ, unam reducendæ communi saluti immolandam victimam.

Profundius in animum hæc Luynii verba rex demiserat; nec desinebat ille pro occasione eadem ingerere, donec rege expugnato decreta fuit Ancræi cædes, simulque modus eandem patrandi constitutus. Redierat iste ex Normannia Lutetiam; cumque die quadam in aulam erat ingressurus, Vitrius, custodiæ corporis præfectus, prout jussus fuerat, torvo & minaci vultu accessu prohibet; cum autem Ancræus, admota ad capulum ensis manu, minitaretur, gemina percussus glande interiit: sic finiit *Concinus*, *Ancræus* marchio, marescallus Franciæ, Normanniæ gubernator, primus regni minister, luculento rerum humanarum exemplo, per tot alios etiam summos aularum ministros demonstrato: quos blandiens fortuna ideo duntaxat ad summum dignitatis & gloriæ apicem evexisse

videtur,

videtur, ut bolidis inſtar pyriæ in alto diſrumpantur, & graviore lapſu corruant.

Cæde patrata ſtupens accurrit aula populusque, & ne tumultus oriretur a cæſi clientibus, rex, per feneſtram proſpiciens acclamavit, juſſu ſuo confectum opus. Tum vero gratulatio & communis applauſus perſonuit: cecidiſſe tyrannum, regnaturum jam ipſum regem: idem rex ſenatui nuntiari juſſit: reſtitutam hodie libertatem ſenatui, authoritatem legibus, regi regnum.

Quamvis autem ruina hominis arrogantis omnibus, ſi paucos demas, placuerit, non tamen modus: legibus agendum, judicio damnandum, & dandum animæ procurandæ ſpatium dicebant. Quidam tamen ſcribunt, non fuiſſe juſſam a rege cædem, ſed, ut comprehendatur, & cuſtodiæ mandetur; ſed cum ſatellitio cinctus vim minitaretur, fuiſſe occiſum. Regina mater, ubi rei geſtæ nuntium accepit, attonita ad regem accurrit: ſed audire debuit, probari illi, quod actum eſſet: neque hoc ſolum, ſed a Luynio perſuaſus etiam rex, ut pateretur, matrem a ſe amoveri, & Bleſas transferri: alias enim, ut ille ſuggerebat, matrem, regere aſſuetam, ſemper in regem velut pupillum tutelarem poteſtatem uſurpaturam. Reginam Bleſas diſcedentem comitatus eſt Armandus Richelius, exilii ſocius, major brevi Ancræo ſurrecturus. Relegatio matris.

Ceterum Ancræus tanto apud populum odio flagraverat, ut ejus cadaver, ad S. Germani ſcrobi injectum, extraheret, & fune collo alligato ad patibulum abſtraheret. Pendulum tempore aliquanto corpus hæſerat, cum rabies, necdum ſatiata, fune inciſo, illud delapſum diſcerpit & dilaniat mille inter opprobria. Eleonora, uxor ejus, ſingulari apud reginam viduam valens gratia, invidia & odio magis, quam criminibus gravata, in Baſtillæ carcerem detruſa, a majore ſenatus parte capitis damnatur; quo publice fuit imminuta: liberi proſcripti, omniaque bona fiſco addicta. In Ancræum poſt necem judicio actum. Poſtulatus uſurpatæ tyrannidis, amotæ pecuniæ publicæ, oppreſſi populi; pronuntiatumque, jure fuiſſe cæſum.

Cum fama patratæ cædis percrebuit, mox acies hoſtiles, porrectis dextris, arma abjiciunt, regio militi aperiuntur portæ: principes ad regem advolant, eidem ſe ſubjecturi, cum Ancræo ſeceſſionis cauſſam ſublatam rati, Galliamque inteſtinis deinceps procellis fore liberam.

Sed lætitiam publicam, communemque gratulationem temperavit, qui minime debuit, ejusdem auctor Luynius; in quem rex

non modo tranſtulit Ancræi bona, mobilia omnia & immobilia, quæ erant immenſa, ſed dignitates etiam & potentiam, majoribus incrementis auctam; ut adeo Ancræus in Luynium tranſiiſſe ſit viſus; cumque Albertus Luynius duos fratres ſuos, ſub uno tecto ſecum habitantes, in partem poteſtatis vocaſſet, dicebant Galli quidam linguæ procacis, in uno ſtabulo (alludentes ad Bethlehemiticum) tres eſſe reges: tyranno ſuperſtitem eſſe tyrannidem, renataque tria capita ab uno exciſo: Erymanthæo apro (ita Gramondus teſtatur) ſucceſſiſſe tricipitem cerberum: neque Gallis Herculem eſſe: a ſucceſſoribus excuſari Ancræum. *Gramond ad annum* 1617, quo anno mortuus eſt *Jacobus Auguſtus Thuanus*, ſub nomine Catholico ſcriptor acatholicus, qui ex Sleidano, Buchanano, Chytræo, aliisque Proteſtantibus compilavit hiſtoriam ſui temporis, ab anno 1543 ad 1607 continuatam, ſtylo meliore quam modeſtia & veritate, in Romanos pontifices, Societatem JEſu, & univerſim eccleſiam Catholicam, calumniis plenam: unde ex hoc armamentario ſectarii ſolent ſua arma depromere, tanquam Catholico teſte nobis inſultantes. Sed nihil minus, quam Catholicum ſtomachum ſub pectore habuit: prout multis argumentis demonſtravi in Idea Proteſtantium ſcriptorum, & prolixius multo in Apologia Ideæ.

Diviſit hiſtoriam ſuam, aut potius mythologiam, ab exceſſu Franciſci I ad poſtrema Henrici IV tempora continuatam, in 138 libros. Cum priores 80 edidiſſet, juſſus fuit ab Henrico IV fraudes ſuas & calumnias corrigere. Prodierunt igitur aliquantum caſtigatiores; ſed poſt mortem ejus anno 1626 Genevæ rurſus impreſſi ſunt ſecundum primum exemplar; quia hoc ſectariis magis placuit. Adjecti ſunt 58 poſteriores libri, quos auctor, dum viveret, non eſt auſus edere, poſtquam vidit, priores regi, omnibusque ſincere Catholicis ob ſententias hæreticas, dolos, & calumnias vehementer diſplicere. Quod enim Romana cenſura fuerint profligati, apertum hunc ſedis apoſtolicæ hoſtem parum moviſſet. Larvam illi detraxit Joannes Bapt. Gallus in ſuis notis ad illius hiſtoriam.

## ARTICULUS XI.

*Comitia Rothomagenſia. Lis inter nobiles & doctores de prioritate. Placita comitii. Benearnia regno unita.*

19 LUynius, ſicut in alia Ancræi ſpolia, ſic etiam in Normannicæ præfecturæ poſſeſſionem miſſus, cautius agendum ratus, ne ſe

ab

ab aula absente cuniculi apud regem adversum se agantur, eidem persuasit, ut Rothomagum, Normanniæ metropolim, comitia indiceret, iisque præsens adesset.

Orta mox nobiles inter & doctores, quales plures ex senatu aderant, de sedis prærogativa contentio. Primos esse oportere, dicebant illi, quos avitus sanguis atque illustris nascendi conditio supra vulgares natales evexit: atque inde dici nobiles, quod reliquos infra se habeant: soli eos clero cedere, venerationis gratia: ipsi regno coævum esse hunc ordinem; Parlamenta, quæ doctis constent, nuper esse nata: nobilibus in sanctiore regis senatu fas esse sententiam dicere: curiæ senatoribus a sede & suffragio exclusis. Nobiles in comitiis regni primum post clerum locum occupare; Parlamento aut nullam in illis sedem esse, aut eodem cum populo ordine promiscue censeri. Pro nobilitate.

Et merito; nam nobilium armis & victoriis provectum in id fastigium Franciæ decus, defensum toties regem ac regnum, ut adeo a regibus dici sint promeriti, regni dextera, columen imperii, ara salutis publicæ. Eorum fortitudini deberi ipsam religionem orthodoxam, & olim introductam, & postea tot præliis adversus sectarios propugnatam; interea vero, dum nobilibus in castris, in expeditionibus bellicis, frigore rigent artus, aut æstu fatiscunt, dulci otio frui doctores domi, in splendidis ædibus, suburbanis deliciis, vitæ quietæ voluptatibus.

Contra vero senatorii ordinis doctores togam sago præferendam putabant: nobilitatem esse geminam, inquiebant, alteram meritis & propria virtute partam, alteram a majoribus derivatam. Hanc omnibus hominibus esse communem: animam, meliorem hominis partem, quæque sola veræ nobilitatis est capax, ad solum DEum suam referre originem; nobilissimum proin omnibus idem esse principium, quod illas produxit ex nihilo, sua ipsius impressa imagine: corpus ab eodem supremo rerum omnium conditore ex terra Damascena fuisse compactum; ut adeo, teste Apostolo, omnes simus genus DEi, & gloriari possimus, communem nos habere in cœlis patrem. Pro doctoribus.

Quantum vero ad carnalem generis nostri propagationem spectat, eundem rursus omnium esse parentem, Adamum, communem omnibus genearchum: &, si majores desideremus, ad vetustissimos quemlibet stemma suum referre posse, Noemum, Lamech, Mathusalem, Henoch, Jared, Malaleel, Cainam, Enos, Seth, Adam: profundiorem neminem posse majorum stirpis suæ genealogiam texere.

 Si

Si vero propior generatio consideretur, quis ex nobiliori luto corpus suum progenitum gloriari possit? omnes ex eadem argilla, per Adamum propagata, constare. Sicut autem ortum, sic occasum omnium mortalium eundem esse, nisi st, qui dicat, aliquorum cadavera in nobiliorem abire putredinem, aut mortem non omnes excoriare, non omnium effodere oculos, abscindere aures, truncare nares, linguam exsecare.

Veram igitur nobilitatem meritis & virtute propria comparari; sine qua nobilitas sit denominatio extrinseca, vana, & inanis, non ornamento, sed probro. Eandem esse rationem nobilitatis, a principe sine meritis concessæ: principis hanc esse liberalitatem, non laudem nobilium, qui tam parum inde gloriari possint, ac egenus, qui majorem eleemosynam acceperit.

Cum itaque vera nobilitas meritis & virtute constet, non minus, qui toga, quam eos, qui sago merentur, posse fieri nobiles, eosque nobiliores, qui nobilioribus vitam suam consecrant laboribus, qui meritis in rempublicam, communemque patriæ salutem præstant.

Quapropter non negari, fieri nobiles, qui castra secuti, heroicis facinoribus, victoriis & trophæis, ab hoste reportatis, palmas & lauros metunt. Tales tamen non esse, qui adversus regem regnumque arma arripiunt, quales a sexaginta jam annis multi fuerint in Gallia, & plures ex præsentibus, qui post Henrici Magni fata, jam tertio arma adversus regem, justum & clementem cum principibus conjunxerint, ut ex populi spoliis res eorum privatæ augerentur, vana libertatis imagine iisdem objecta.

Aliam omnino nobilioremque multo esse conditionem eorum, qui per liberales scientiarum disciplinas, propria industria comparatas, aut, ad senatorium ordinem eluctati, in jure dicundo, gubernandisque populis, sacratæ themidis sacerdotes, regi assistunt, aut in scholis doctores jurisprudentiam interpretantur, per quam reges regnant, & legum conditores justa decernunt; docentque recte vivere, neminem lædere, suum cuique tribuere.

Quid nobilius, quid illustrius, quid ad communem reipublicæ utilitatem excellentius, quam præstanti doctrina, sapientissimis consiliis, prudentibus responsis, æquissimis sententiis, totidem veluti radiis, a divinissimo illo sole justitiæ mutuatis, pulsa caligine, & ignobili atque inerti ignorantia, orbem terrarum illustrare, pacem & tranquillitatem procurare, distorta in ordinem reponere, florentemque reipublicæ statum aut reducere aut conservare?

Non esse igitur, cur nobiles, adventitio suo, & solius fortunæ favore accepto titulo, togatæ genti, senatorio ordini, qui ipsorum etiam nobilium sit judex, se præferendos existiment; quin tanto anteponendos excellentes doctrina viros, quanto nobilior diviniorque est horum labor & occupatio.

His & similibus sagatæ & togatæ militiæ fautores de proedria privatim ac publice (teste Grammondo) inter se contendebant, rex autem odiosam litem noluit definire, sed jussit nobilitatem circum se consistere, Parlamenti oratoribus e regione locum sedendi assignari: suffragium vero primo a clero dari de negotiis ecclesiasticis, de militaribus a nobilitate, de reliquis a legatis senatus. In comitiis autem generalibus morem pristinum servari voluit, ut nempe primo sederet clerus, dein nobiles, tertius vero ordo, ex populi oratoribus conflatus, ultimo loco diceret sententiam, Parlamentum autem extra ordines esset.

Sicut autem hoc comitium a contentionibus cœptum, sic continuatum, finitumque fuit. Clero objiciebantur in luxum deflexi mores, absentia pastorum a suis ovibus; cum tamen eorum præsentia personalis sit juris divini: neque enim dixisse Christum Petro, cura, ut pascantur oves meæ, sed pasce oves meas. Hinc neque regem, neque summum pontificem in hoc dispensare posse.

Nobilitati vitio datum, quod protritis tot legibus in duella ruat, quod officia militaria prostent venalia, & quodammodo evadant hæreditaria: virtutis & meritorum illa esse debere præmia. Tollendas pensiones, quarum non alius sit effectus, atque exhauriri ærarium, populum exactionibus opprimi, augeri proceres, ut majore vi bellum regi inferre possint.

De *arctiore*, sive *arcano*, *aulico*, vel *sanctiore* regis consilio (quod etiam *consilium status* appellant) querela fuit proposita, inductos in illud imperitos & improbos etiam sine delectu homines: (ad Ancræum alludebatur) uni aulico, ad summam rerum admoto, reliquos mancipiorum instar servire, nemine auso contradicere: conferri sic in unius arbitrium fortunas omnium, convellique fundamenta regni: exorandum proin regem, ut remedium afferat. In eo concilio, quo gubernatio regni continetur, primas sedes deberi principibus, ducibus, Paribus Franciæ, & majoribus coronæ ministris; &, quamvis arcana regni non sint coram omnibus propalanda, eorum tamen, qui convocantur, majora attendenda suffragia. Regi uni esse proprium summum arbitrium, ut, quæ dixerit,

refragante licet consilio, pro lege sit habendum. Privatorum vero lites ad Parlamentum esse remittendas.

His autem Parlamentis culpæ dabatur, quod in factiones abeant, ortas inde, quod plures, sanguine aut affinitate prope juncti, in eundem senatum assumantur; renovandas proin constitutiones, quæ hoc vetant: qui nunc tales sint, cum aliorum Parlamentorum senatoribus commutandos: adhæc senatores impune delinquere, eo quod non ab alio, quam a Parlamento judicari velint, ab hoc autem collegam vel complicem facile absolvi; constituendos viros idoneos, qui provincias visitent, atque jure delegato querelas adversus Parlamenta audiant & judicent. (*Grammondus l. c.*)

Bearnia unita.

Finitis his comitiis, rex *Bearniam*, sive *Benearniam*, ad montes Pyrenæos principatum, Galliæ univit, obstrepentibus vehementer Calvinistis, qui in ea provincia a sexaginta jam annis sedem fixerant. Bearniam, inquiebant, separatam omnino esse provinciam, quæ nihil cum Gallia commune habeat: ad Aquitaniæ duces illam olim pertinuisse, tum vero per matrimonia primum ad Fuxensem, dein vero ad Albretanam domum & Navarræ reges fuisse devolutam, suisque semper privatis juribus vixisse: subditos se igitur esse Ludovico XIII prout ipsius patri Henrico IV, non ut regi Galliæ, sed ut Benearniæ principi.

Contra vero pro rege excipiebatur, Benearniam ab antiquissimis temporibus fuisse Galliæ provinciam, jam a Clodovæo occupatam: tradtam dein a Galliæ regibus ducibus Aquitaniæ sub *feudali* nexu (& quidem *ligio*) retento directo dominio: cessisse postea tanquam *subfeudum* jure dotali Foxensi comiti. Hoc autem subfeudum sublatum fuisse, quando Aquitania fuit unita Franciæ; nam tunc omnia jura ducis Aquitaniæ translata fuisse in regem Galliæ, ac proin etiam jus in Benearniam; ac deinceps tam domum Foxensem, quam Albretanam, & Borbonicam, ad quas per nuptias fuit translata, eam possedisse tanquam immediatum feudum Galliæ. Postquam autem Henricus Borbonius, materno jure princeps Benearniæ & rex Navarræ, factus est rex Galliæ, vinculum feudale fuisse solutum, & dominium utile cum directo *consolidatum*; neminem enim suum esse vasallum.

Neque dici posse, licet sublatum sit feudi vinculum, Benearniam tamen tanquam principatum a Gallia separatum, & diverso jure utentem, a Ludovico posse gubernari, sicut domus Austriaca gubernat Austriam, Hungariam, Bohemiam, quin tamen istæ inter

ter ſe uniantur, aut iiſdem legibus regantur: hoc, inquam, dici non poſſe; nam priſcis jam moribus invaluiſſe apud Gallos, ut ea, quæ princeps ad thronum evectus antea poſſederat, regno atque coronæ innectantur.

Sic Hugonem Capetum Burgundiæ ducatum & Lutetiæ comitatum ſecum attuliſſe; Ludovicum VIII comitatus Andegavenſem, Turonenſem, Cenomanenſem: Ludovicum XII ducatum Aurelianenſem cum comitatu Bleſenſi & Sueſſionenſi. Carolum V Aquitaniam tanquam feudum apertum coronæ univiſſe; neque aliam Benearniæ ſortem eſſe oportere: imo optandum, ut ſemper unita maneat; quia vis conjuncta fortior.

Decrevit igitur rex non tantum unionem, ut deinceps Bearnia Galliæ eſſet regni provincia, ſed etiam, ut Calviniſtæ bona eccleſiis erepta reſtituerent. Dici non poteſt, quanta contumacia ſe oppoſuerint ſectarii. Donata ea bona ſibi fuiſſe, dicebant, a Joanna Albretana Navarræ regina (avia paterna erat Ludovici regis, Antonio duci Borbonio nupta) & jam 60 annorum poſſeſſione firmata: diſtributa illa eſſe in penſiones pro alendis eccleſiæ ſuæ miniſtris, eorumque uxoribus & liberis.

At reſponſum, Joannam reginam non potuiſſe ea bona Catholicis eccleſiis, juſtis poſſeſſoribus ac dominis, eripere, & ſectariis donare, utpote aliena, nec præſcribi potuiſſe, utpote mala fide erepta & detenta: ſed neque quietam hanc detentionem fuiſſe, quod tot bella cum ſectariis geſta demonſtrent. Rex (quia tempora illa necdum matura ſunt viſa) eam rationem ſibi ineundam putavit, ut decerneret, bona eccleſiaſtica reſtituenda ſuis dominis; paſtoribus vero ſectariorum ex publico ærario proviſum eſt, aſſignatis annuis penſionibus. Simultaneum quoque religionis Catholicæ exercitium, ex ea provincia penitus eliminatum, introduxit, propter ſectæ potentiam lentius adhuc procedendum ratus.

## ARTICULUS XII.

*Aperiuntur Pariſiis Societatis ſcholæ. Brevis digreſſio de utilitate gymnaſiorum, contra opinionem Grammondi præſidis.*

NEc parum ad ſectam minuendam, augendumque religionis orthodoxæ decus, contribuit, quod idem rex, pietate non mi- 20

nus

nus quam clementia præcellens, ſcholas aperiendi, Pariſiis, ſicut jam parens ejus per reliquam Galliam, Societati JEſu poteſtatem fecit.

Sed acriter ſe oppoſuit Sorbona, & Parlamentum; incentore potiſſimum Servino, qui Societatem eſt perſecutus, quamdiu vixit: apud ſectarios propterea vir magni nominis. At rex ſummo jure litem ad ſe & conſilium ſuum arctius avocavit, in quo ſancitum, poſthabitis academiæ & Parlamenti oppoſitionibus, Societati JEſu poteſtatem dari, omnes artes & ſcientias Pariſiis etiam docendi.

Cum huic decreto, regis auctoritate ſubnixo, refragari aperte non poſſent theologiæ & artium in academia magiſtri, negant, ſe graduum academicorum inſignia collaturos candidatis, niſi poſt exactum in ſcholis ſuis triennium. Sed hoc ipſum etiam decretum abrogatum a rege & ſanctiore ejus conſilio fuit. *Grammond. ad ann.* 1618.

Idem Grammondus laudat hoc inſtitutum, cum in magnum litterarum & pietatis proventum cedat: additque, neminem bonum invidere viris optime meritis augmentum rerum: hæreſin ab iis oppugnari, prædicationi Evangelii incumbi, afflictis afferri ſolamen, lapſos erigi, virtutum ſemina ſcientiis probe miſceri; exiſtimat tamen, non eſſe ex uſu reipublicæ, in tot per Galliam locis gymnaſia erigi: peſſum ſic ire veteres academias: paternis in laribus ſtertere ſaginatos pullos: lippis & tonſoribus promiſcuum fieri ſcientiarum uſum, cum profanatione & detrimento rei litterariæ, & maxime militiæ ac commerciorum, quorum uſus decreſcat tanto ubique ſcholarium numero. Vigere apud ſectarios mercimonia, apud Turcas rem militarem, quia rarior apud eos uſus litterarum, in quas apud nos meliora ingenia abſtrahantur. Multos denique in tot ſcholis tempus otioſe conſumere, quorum ad ſtivam & agriculturam, ad opificia & inſtrumenta mechanica aptior eſt indoles.

**Contra gymnaſia.**

Verum audiamus tantiſper in litteraturæ gratiam, quæ Grammondo quiſpiam muſarum alumnus repoſuit. Pleraque ex his argumentis id, ait, evictura, tollendas etiam academias, reducendasque humanas mentes ad priſtinum, quo medio ævo obſoleverant, ignorantiæ chaos. An non etiam per diffluxum ad academias ſubtrahuntur homines militiæ, mercaturæ, opificiis? ſubtrahuntur, inquis, ſed pauciores. Ego vero exiſtimo, fœcundam eſſe tellurem matrem; multos filios gignit. Otioſa ſæpe ruſtica & civilis pubes: otioſi, & usque ad indignationem moleſti mendicorum greges.

**Pro gymnaſiis.**

ges. Applicentur, adstringantur labori, scribantur in milites: ostendatur civi via, qua ad commercia gradi possit: non deficient homines; innata mortalium animis habendi cupiditas attrahet. Verum si mercaturæ alveus ad alia emporia jam sit derivatus, licet omnia gymnasia claudantur, nullum inde in commercia commodum redundabit, nisi forte, si numerus mercatorum cresceret, omnes ad incitas redigantur.

Ex variis hominum statibus constat respublica, totidem veluti corpus membris: consuli debet omnibus, unumque socia alterius ope adjuvari: status ecclesiasticus Christianis populis ita est necessarius, ut pastores gregibus, duces militibus, sacerdotes divinis sacrificiis: viros requirit doctos, & multos, pro multitudine populorum; multi debentur sacratis supremo Domino asceteriis. Viri docti in scholis formantur.

Oculo reflexo infausta illa tempora respicere lubeat, in quibus paucæ adhuc erectæ erant scholæ: boni superi! quanta ruditas! quanta morum corruptio! quantus error, ignorantiæ soboles! Nunquam hæresis in eam amplitudinem excrevisset, si ea clero sæculari, si ea monasteriis fuisset eruditio atque doctrinæ præstantia, quam hodie læti aspicimus. Vel in cunis suffocata periisset. Cum autem pauci essent, qui possent obsistere, torrentis instar error se effundebat, qui pastores esse debebant, facti sunt lupi: sicut populus, sic & sacerdos. At scholæ erectæ stiterunt impetum. Quot Alcides hinc prodierunt, qui sibilanti excetræ venenatum rictum oppleverunt! quot clypei, quot tela ex his armamentariis deprompta! quot principes, quot populi, quos aut primus torrens, aut infelix nascendi conditio abstraxerat, ad majorum sacra, ad salutis portum reducti! quot aliis mortalibus misera pereundi voluntas exempta: scholarum hi fructus sunt.

Noverunt hoc sane principes, noverunt præsules, noverunt cum civitatibus magistratus, quibus curæ fuit sancta religio, qui ad honorem & cultum DEi, ad tutelam ecclesiæ militantis, ad reipublicæ commoda & utilitatem, sollicitudinem suam porrexerunt. Hinc ab eis erecta tot gymnasia, tot athenæa, tot artium liberalium & scientiarum palæstræ, in quibus formarentur & animarum (quæ meliorem reipublicæ partem constituunt) idonei pastores, & rudibus doctores, & curiis præsides, tribunalibus justitiæ vindices, principibus ac provinciarum rectoribus consultores, ad omnigenam totius reipublicæ felicitatem.

His ubi officiis, necessitatibus & utilitatibus publicis satis fuerit provisum, & adhuc supersint, qui studia absolverunt, quid eos, si laici sint, prohibet, mercaturam, aut militiam sequi? Neque enim verum est, litteratos ad hos status, & professiones ineptos reddi. Aptiores fiunt, nec tantummodo acriores ingenio, perspicaciores intellectu, sapientiores consilio, sed vel ipsa membrorum agilitate totoque corporis habitu alacriores promptioresque.

Aspicite, si lubet, tyronem militiæ, aut crudum de rure Menalcam, aut informem de stiva Mopsum, aut hirsutum de sylva Faunum, aut furvum de officina fabrili Cyclopem; quam distorta, quam lenta, quam absona, informia, & inepta omnia! quanto tempore & patientia opus, ut hic truncus dedoletur, & abstersa scabritie in Martis filium elaboretur. Adjungite illi scholastica de palæstra juvenem, militari imbuendum exercitio: mentiar, nisi hic uno die plus profecerit, quam ille hebdomade. Ingeniosa nempe antiquitas non frustra eandem Palladem & armorum & scientiarum deam finxit. Laurus facile mutatur in cassidem, & pallium in sagum.

Subeant hanc mutationem, qui scholis egressi, Tantali instar pomo inhiant, nec tamen ore patulo & famente possunt apprehendere. Subeant etiam, qui scholas adhuc frustra terunt, quibus aut mala indoles virtutem, aut parca natura negavit ingenium, aut in turpe otium projectis id duntaxat indulgetur, ut numerum augeant, & fruges consumant. Nihil est, quod ecclesiastica respublica aut politica ab istis speret. Facessat igitur profanum hoc vulgus: sagum induat, & verberibus corrigatur. Magnopere augebitur militia, nullo academiarum & gymnasiorum detrimento. Quamvis dubitem, an etiam militiæ ab his vappis multum emolumenti sit accessurum. Si non desit nervus belli, haud deerunt generosiores spiritus, qui ad signa convolent; si autem desit, non multo opus novo milite, quia bellum non est gerendum.

At viget apud Ottomannos res militaris, inquit Grammondus, quia rarior litterarum usus. Itane vero, sic judicas vir sapientissime? sic de musis, loqueris, quas amas? sic te docet ratio & historia, quam calles? videamus. Quando censes Turcarum Imperium fuisse potentissimum, totique Europæ formidandum? Illa ego tempora fuisse existimo, quibus Europa litterarum rudis in barbariem quandam abiisse videbatur. Ad sæculum abhinc tertium & ultra descende: quando Mahometana potentia, perruptis aggeribus,

ribus, per Asiam, Africam, & Europam se late diffudit. Vix autem bonarum artium & litteraturæ studia Europæ sunt restituta, cum militaris etiam vigor eidem rediit: tunc Ottomanno, ne ultra cresceret, sunt limites positi, tunc fixi termini, *non plus ultra*; ut adeo hodie Turcam non amplius adeo pertimescendum existimem. Si vel dimidia armorum pars, quibus Christianæ gentes se invicem mactant, in juratum illum Christiani nominis hostem converteretur, ultra Euxinum facile propelli posset.

Ipsam Europam cum Europa & aliis mundi partibus comparate. Cum litteris crevit potentia. Facta est se ipsa major, & tanto quidem incremento, ut ausim dicere, ante duo sæcula dimidia saltem parte fuisse minorem. Quod haud difficulter fateberis, si vires, quas tunc eduxit in aciem, cum hodiernis contuleris. Procul omni dubio Europa, ut morum cultura, sic artium & scientiarum disciplinis omnes mundi nationes antecellit; an propterea armis, viribus, rei militaris artibus est infirmior? minima est inter quatuor mundi partes amplitudine: viribus omnium maxima. Da, amico, fideli, & constanti fœdere secum ipsa consentire Europam; totum mundum debellabit.

Moscoviam cogita, ejusque provincias in immensum porrectas. Obscura in tenebris jacuit, sibi & aliis ignota propemodum, donec Petrus ille magnus scholas erexit, viros litteratos accivit, liberales artes & scientias induxit: tum enim vero virtus quoque ejus militaris gentium ubique inclaruit: acsi idem esset, doctam esse gentem, & bello fortem.

De Imperio Romano quid dicam? crevit cum litteris ars & virtus bellica: potentissimum erat, cum litteratissimum. In Augusti aut Trajani tempora oculos reflecte: quanto nitore, quanta venustate tunc pulcræ florebant musæ. Quanta doctorum æstimatio! sed quando amplius, quando fortius, quando erat potentius? stetitque primis æræ Christianæ sæculis suis bene compactus membris ingens Colossus, quamdiu litteræ. At vix musæ in senium prolapsæ, splendore ac forma amissa, jacuerunt squalidæ, disruptis, quibus ante cohærebat, nexibus, totus propemodum corruit. Si quæritis, quando exteræ nationes irruerint, & ingentes artus absciderint: ab eo tempore, quo litteræ in turpem inscitiam degenerarunt, epocham ducite.

Collegit equidem Carolus Magnus dispersas in Occidente reliquias, sed non ante, quam litteras postliminio reduceret, doctorum virorum, quin & adolescentum in scholis, ad quos invisebat, æsti-

æſtimator æquiſſimus, ac probe gnarus, ſine artium & ſcientiarum diſciplinis conſtitui non poſſe rempublicam. Cum illæ rurſus obſoleſcerent, corpus quoque Imperii eſt rurſus ſciſſum. Cum refloreſcerent, refloruit, crevitque; non quidem amplitudine terrarum, ſed tanto robore, ut invincibile foret, ſi ſibi conſentiret.

Nihil hic loquor, quod eruditionem tuam, Gramonde, effugiat: ſentisque ipſe, velut anima deſtitutum eſſe humanum genus, ſi litteratura careat. Sed vigent inter ſectarios commercia, inquis, quia rarior apud eos uſus litterarum. Hanc vero ſententiam tuam, neſcio quo animo, Proteſtantes ſint excepturi, qui non modo religionis, ſed & ſcientiarum inſtauratores ſe fuiſſe gloriantur. Quamvis autem hic nimium ſibi blandiantur, conſtat tamen, a primis ſuis incunabulis in id fuiſſe intentos, ut academias varias, & in quovis ferme oppido gymnaſia magnis ſumptibus erigerent. Hoc in Germania videmus: hoc in Gallia tua vidimus. Injuriam ſibi fieri, dicent fortaſſe Angli & Batavi, apud quos florent commercia, ſi neglectæ litteraturæ arguantur. Date curam, laborem, ſolertiam, alacritatem: portus, date flumina, pelagus: locorum ſitum, celebres nundinas, fluxum & refluxum maris date: hæc quæſtuoſam alunt mercaturam: Amphitrite, fœcunda illa divitiarum parens, cui deſpondetur, opulentum mercatorem facit. Hæc ſubſidia cui deſunt; magnas ſi tabernas erigat, operam perdit & pecuniam. Si Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, Luſitania tangerent ſtateram, ac miſcerent inter ſe commercia, aliarum nationum merces vetitas & caducas in terris ſuis haberent: quam alia foret rerum facies! quam opulente quam ſplendide inter eos florerent, ſine ſcholarum detrimento, mercimonia. Pactolum & flumen argenteum, mutato alveo, ad ſe derivarent. Hæc autem ſunt, quæ gentem faciunt potentem, quin obſit ſcholarum frequentia.

Quid vis amplius Gramonde? quid adhuc quereris? academiarum veterum ſolitudinem; peſſum has ire, dicit, per ſcholarum multitudinem, ipſasque litteras profanari. Quaſi vero profanetur virtus, militia, mercatura, ſi multi eaſdem colant. Academiis nihil decedit, ſed incrementum additur. Quot enim juvenes in annos ſingulos ad academias, ut ſublimioribus imbuantur diſciplinis, ex variis gymnaſiis avolant?

Informes ſæpe trunculos in homines elaborant gymnaſia, loqui docent linguam doctorum, primum emendate, tum vero eleganter, terſe, nitide, facunde: denique juvenes, moribus cul-

tos, & litteris humanioribus politos, magno numero ad academias transmittunt, & hoc academiis nocivum putem? quid academiæ cum rudi pueritia? quid cum teneris pusionibus? cum implumi pullitie? num balbutientes Troſſulos, quibus liberior aer noceret, e ſinu matris excipiat? ſeveriores diſciplinæ, quarum tractatio ad illam ſpectat, defæcatam magis maturamque ætatem deſiderant, linguæ latinæ peritiam, juventutem liberalibus artibus, grammatica, poetice, rhetorica probe inſtructam, hiſtoriæ, geographiæ, chronologiæ, arithmeticæ, & linguæ græcæ primis ſaltem elementis imbutam. Gymnaſia ſunt ſeminaria & plantaria, ex quibus plantas jam ſubactas transferri oportet ad viridaria academica, eorumque hortis botanicis inſeri.

Hic eſt rerum ordo & recta ſeries. Quo plura ſunt gymnaſia publica, eo plures ſunt ſurculi, qui academiis implantentur, & in uberes fructus effloreſcant. Quantus hinc liberalium artium, ſcientiarumque ſplendor! quanta in publicum utilitas! quanta civitatum privata etiam commoda! ut enim ſilentio prætercam decus & ornamentum, quod iis afferre ſtudioſa juventus conſuevit: quantum pecuniæ infert civi, mercatori, opifici! quantum parentibus emolumenti!

Pauper eſt pater, aut multa prole gravatus (& quot ſunt tales!) mittere ad longinquam civitatem, ære deficiente, filios non poſſet. Quot præclara ingenia, publico bono nata, ſic ſqualerent, & obſoleſcerent! jam vero, dum præſens habet gymnaſium, poteſt filios, ſub oculis paternis, ſcholarum magiſtris, moribus & doctrina inſtituendos, committere, quin propterea vel obolum debeat expendere: atque hoc pacto alios adoptare ſtatui eccleſiaſtico, alios monaſteriis, curiæ alios ſæculari, cum magno domus preſſæ levamento, ſuoque ſuorumque ſolatio, & in futurum ſpe.

Ex quibus ſane conficitur, quantæ etiam privatæ ſint utilitates ex ſcholarum frequentia. Per hæc tamen nolim, in quovis oppido aut pago gymnaſia erigi. De ſcholis publicis urbium loquor, in quibus ſit juſtus diſcentium numerus: juſtus, inquam; nam non debet eſſe nimium parvus, ut æmulationem proliciat, nutriatque: non nimium magnus, ut profeſſor non tantum omnium ſed etiam ſingulorum profectui poſſit intendere. Quod obtinebitur, ſi in civitatibus populoſis, & provinciis, in quibus aut nullæ aut rariores ſunt ſcholæ publicæ, gymnaſia aperiantur.

# ARTICULUS XIII.

*Regina mater fugit e Blesensi custodia, ope Espernonii. Bellum inter filium & matrem. Pax, ejusque conditiones. Renovatio fœderis cum Sultano. Dissertatio de hoc fœdere. Atheus punitus. Obitus Cardinalis Perronii, ejusque effigies.*

21 MAriam Medicæam Luynii artibus, ut regi ac regno dominaretur securius, Blesas in custodiam abductam meminimus; jamque in alterum annum in hoc, ut interpretabatur, carcere hæserat. At solitudinis pertæsa, quamvis regio cultu haberetur, anno
Fuga. 1619 in libertatem se asseruit, ope lineæ fasciæ per fenestram noctu demissa, quamvis non sine vulnere. Delapsam excepit dux Espernonius, summus armorum præfectus in Gallia; qui Luynii odio, relicta aula, Metas secesserat. Sed a regina matre regis per litteras rogatus, accurrit, illamque sub militari custodia Blesis abduxit Engolismam.

Gravissime eam fugam rex tulit, & maxime Luynius, ab Espernonio & regina, quos sibi iratos noverat, rebus suis male metuens. Suppletur novo delectu miles; pars exercitus Guisio, pars Schombergio, & Nivernensi committitur, ducendus in Espernonium, qui magnam Franciæ partem in seditionem suam traxerat.

Dum bellum utrinque fervet, rex miseratus, populum suum
Bellum. a se ipso discerpi, Armandum Richelium, quem Avenionem in exilium miserat, revocat, atque ut reginam matrem, apud quam gratia valebat, ad pacem inflectat, jubet. Eo igitur auctore in hæc capita convenitur.

Reginæ electio datur loci, in quo velit degere, uti etiam fa-
Pax. miliæ: patrimonium, dotalitium, pensiones, salva sunto. Fructus, quos non percepit, ei restituuntor. Espernonio ejusque liberis, quæ pro regina egit, ne fraudi sunto, neque ipsius asseclis: sed omnes in statum pristinum reponuntor. Reginæ, ære alieno pressæ, per regis munificentiam subvenitor. Subscripsere pro rege Rupifulcaudius, & Bethunius Cardinales, pro regina Richelius.

Finito hac pace bello tristi, filium inter & matrem gesto, rex Engolismam ad matrem profectus est, quæ inter lacrymas expansis brachiis venientem excepit: &, ubi in conclave concessum, prodebat se in sermone natura, amore & ira alternas vices subeuntibus.

tibus. Poſtea Luynius venerabundus ad reginæ pedes accidit: regina eum mira familiaritate elevat. Simulata utrinque hilaritas: illa cogitavit præterita; hic futura timuit: ne videlicet, ſi in aulam rediret ad filium, memor Ancræi, Galigayæ, & ſuæ captivitatis, vindictam meditaretur, ſuaque minueretur authoritas, aut omnino concideret, inſtaurato Ancræi exemplo. Auctor proin eſt regi, quem totum poſſidebat, ne matrem in aulam recipiat. Secutus rex conſilium, relicta matre receſſit: illa vero Andegavum pro manſione ſua elegit.

Luynius, necdum ſatis ſe ſecurum ratus, quamdiu regina viveret libera, maternum & filialem amorem veritus, de potenti fautore proſpiciendum ſibi putavit, qui una ſecum impediret, ne unquam illa in aulam reciperetur, aut alias regimini ſe immiſcere poſſet.

Noverat, iratum eſſe reginæ Condæum principem, quem mire colebat populus, & rex jam tertio abhinc anno, Ancræi matrisque conſilio, in carcerem miſerat. Hunc, ut beneficio ſibi devinciret, effecit apud regem, ut publico edicto, etiam in acta ſenatus relato, Condæus decerneretur innocens, & injuſte carceri traditus. Properavit illico Luynius cum honorifico comitatu Vicennas, ac principem, ad libertatem omnibus votis ſuſpirantem, cuſtodia abſiſtere juſſa, exemit, atque ad regem adduxit, qui illum oſculo exceptum, & amiciſſime compellatum, priſtinæ dignitati & bonis reſtituit, plaudente Lutetia, quin univerſa Gallia; ſoli reginæ matri novo fixo aculeo, quod ſententia ſua ceu injuſta a rege filio ſit condemnata. Condæus liber.

Mirabitur fortaſſe quiſpiam, qui fieri potuerit, ut filius matrem ab aula relegaret, in cuſtodiam daret, bellum ei inferret, ipſius ſententiam, qua Condæum carceri addixit, injuſtam publice proclamaret. Aulicorum hæ artes ſunt; qui principem non raro verſant & reverſant. Præterquam, quod reginæ dominandi cupiditas, & Ancræi invidia exoſam eam apud multos reddiderant, & rex, quamvis filius, regem ſe eſſe meminerit. Tametſi autem Luynius non minori, ac olim regina & Ancræus, poteſtate dominaretur, blandiri tamen regi potuit, & quaſi omnia ab ipſo eſſent geſta, ſimulare.

Deceſſit hoc tempore Achmetus I Turcarum imperator, relicto ſub fratris ſui Muſtaphæ, e carcere extracti, tutela filio Osmanno II. At Muſtapha, detruſo in carcerem pupillo, uſurpator Imperii, in ſuos & exteros ſæviit, violato etiam in legatis, Gallo

&

& Anglo, gentium jure. Rei indignitatem non ferens Vizirius, ac capiti suo metuens, exercitum, quem adversus Persas abducturus erat, in tyrannum convertit, eumque solio dejectum mancipavit pristino carceri, ex quo liberatum Osmannum paterno throno restituit.

Hic Osmannus legatum in Galliam ad regem misit, tum deprecaturum injuriam, oratori Gallico a Mustapha illatam, tum renovaturum pristinum cum Gallis fœdus.

Mutuæ exprobrationes.

Non deerant, qui hoc fœdus, a Christianissimo rege cum Christiani nominis hoste ictum, acrius reprehenderent, gentem vero Austriacam laudarent, a religionis orthodoxæ zelo, á veneratione in sedem Apostolicam, ab expeditione Caroli V in Africam & Hungariam, traditaque ab eodem post amissam Rhodum equitibus Melitam, religionis Christianæ propugnaculum. Grandem illam ad Naupactum victoriam memorabant, a Joanne Austriaco sub auspiciis Philippi II Hispaniarum regis reportatam: exacta e Granatæ regno centum Mahometanorum millia: propagatam in ultimum Orientem & Occidentem religionem: contra vero Gallos, præter fœdus cum Turca communem cum Protestantibus in Germania caussam facere: in ipsis regni visceribus tolerari sectarios, & quidem eodem domi militiæque cum Catholicis ordine: jactari ecclesiæ Gallicanæ libertates & exemptiones. Hæc aliaque, prout sunt liberæ & audaces pennæ & voces, in Gallos conjiciebantur.

Galli vero retorquebant: annum 1527, direptam Romam, captum Clementem VII summum pontificem, ac septem mensibus in Adriani mole inclusum, ostentabant. De fœdere, a Carolo V cum Henrico VIII Angliæ rege adversus Catholicos inito: de majore regionis quam religionis cura, procaces linguæ loquebantur, dum æmulatio utramque gentem plus, quam boni optarint, in odia & mutuas iras accenderat.

Ego hæc missa facio. Meliora nunc vivimus tempora. Oblitterata sunt hæc objectamenta. Faxit DEus O. M. ut aquila perenni nexu maneat conjuncta liliis: & neque cum Turca, neque cum sectariis opus erit fœdere.

Duo tamen sunt, quæ Gramondus ad annum 1618 scribit, a veritate aliena, quæ dissimulanda non videntur. Primum est, Carolum V in constitutione *interim* duos articulos hæreticos vulgasse: quorum altero sacerdotum matrimonia fuerint permissa, altero libatio sacrosancti corporis sub utraque specie. At fallitur

vir

vir cæteroquin eruditus: ad disciplinam hic usus spectat, non ad dogmata: fuitque pro diversis temporibus in ecclesia varius.

Alterum est, contractum fuisse per diversa tempora a gente Austriaca cum Ottomannis fœdus, nominatim a Ferdinando I anno 1541. Sed quo id argumento Gramondus probat? missos persæpe ad Portam oratores, ait, per quos supplex pacem petiit, atque, ut hanc obtineat, munera obtulit, & tributa annua. Demus, hæc vera esse: an hoc est inire fœdus? omne, ut opinor, fœdus est vel *defensivum* (ut loquimur) vel *offensivum*, vel utrumque complectitur. Pacificatio, datio munerum, ad quam ex istis speciem pertinent? profecto ad nullam. Sanctus Ludovicus cum Mahometanis pacem fecit: an propterea fœdus cum iis iniit? & quid communius Christianis etiam principibus, quam legatis Turcicis, ad se missis, dare munera? Plus importat fœdus proprie acceptum, armorum nempe aut auxiliorum communionem. An hanc paciscuntur omnes, qui pacem faciunt? an omnes istos confœderatos dicemus? plane, nisi bella velimus esse perpetua, pacem aut inducias, etiam cum Turcis, inire necesse est. Si fœdus Gallorum cum Sultano nihil aliud comprehendit, innocens sane illud pronuntiari oportet.

Audiamus, quid Galli ad hanc innocentiam defendendam in medium attulerint. Vetita esse universim, jure naturali aut divino, non posse fœdera cum infidelibus dicebant; alias enim non potuissent illa inire Abrahamus aut electus ille DEi populus, uti Machabæi cum Romanis & Spartanis, neque hodie iniri possent cum sectariis, quia hæc magis periculosa sint religioni & animabus, quam illa; cum multo facilius & frequentius contingat, Catholicos ex communione cum istis incidere in hæresin, quam cum illis in Mahometanam, Ethnicam, aut Judaicam infidelitatem: neque hæretici ecclesiæ Catholicæ sint minus noxii, quam illi, qui non sunt baptizati, imo magis.

Gallorum argumenta, pro fœdere cum Turcis.

Igitur tunc fœdus cum infidelibus & hæreticis ici posse, cum aut *necessitas* justa id exigit, aut *utilitas* religionis suadet. Utramque autem hanc conditionem inveniri in fœdere, quod Gallia iniit cum Mahometanis.

Nam quantum ad primam spectat, tunc urgere necessitatem, quando propriæ vires non sufficiunt, neque a Catholicis haberi possunt subsidia, ad propulsandam gravem injuriam, aut avertendum damnum grave, certo injustum. Atqui ea tunc fuisse tempora, quibus Gallia per se solam non potuisset resistere immani po-

tentiæ, aut ruinam regni sui avertere, nec fuisse Catholicos, a quibus sperare potuisset auxilium.

Quippe visum, totam propemodum Europam, imo orbem terrarum in unam domum abituram. Hispaniam, Italiam, mare mediterraneum, Belgium, Germaniam, Hungariam, Bohemiam, & quidquid ab ultimis usque Gadibus ad mare usque Balthicum terrarum porrigitur, Austriacæ ditionis fuisse: accessisse Lusitaniam, cum amplissimis Americæ, Asiæ, quin & Africæ provinciis, ut adeo diceretur, solem Austriacis nunquam occumbere: accessuram quoque fuisse Angliam, nisi sterilis Philippi cum Maria thorus Walliæ negasset principem. Et fuisse grandes spiritus, tantæ moli animandæ ciendæque pares, Carolum & Philippum filium: qui vel solus, demptis Germaniæ, Pannoniæ, Daciæ, Bohemiæ provinciis, plus terrarum fuerit complexus, quam vastissimum olim Romanorum Imperium. Galliam vero in arctum constrictam, quacunque se parte circumspiceret, undis se & tanto hoste undique vidisse obsessam. Solam tam immani potentiæ, in dies quodammodo in majorem amplitudinem excrescenti, fuisse imparem: nisi igitur, intercluso spiritu, perire vellet, aut acceptis legibus hostis gratiæ regnum debere precarium, aliena fuisse quærenda subsidia: sed ubi? inter Catholicos nulla fuisse: imperante igitur necessitate percutiendum cum Ottomanno fœdus, ne una domus in orbis monarchiam excresceret.

Neque hoc fœdus ecclesiæ fuisse noxium, cum se non extenderit ad casum, quo religionis caussa ageretur. Politicum duntaxat fuisse, ad res & jura sua conservanda intentum; quin imo in magnas Catholicæ religionis utilitates redundasse: per hoc quippe cum rege Christianissimo fœdus mitigatum apud Ottomannos Christiani nominis odium, permissam Catholicis suam in Oriente religionem, quin & tutelam exhibitam. Cohibitas injurias & oppressiones, a Mahometanis, & Græcis schismaticis inferendas: vindicatas illatas: valere apud Sultanum ejusque aulam oratores Gallos gratia, excubare a rege suo jussos & providere, ne Latini, aut Græci, Romanæ ecclesiæ uniti, vel res Catholica detrimentum in Oriente patiatur, quin omnem curam intendere, ut majus incrementum accipiat.

Surrexisse hoc pacto Galatæ tria religiosorum monasteria, Constantinopoli, aliisque locis plures ecclesias, novem episcopos, a sancta sede Romana lectos, officio suo libere fungentes: 50 & ultra Patres e S. Francisci familia ad sacri sepulcri custodiam protegi;

tegi; ſecuros præſtari peregrinantes ad illud, aliaque pia loca, ſacroſanctis Chriſti Domini veſtigiis ſacrata: miſſiones Apoſtolicas inſtitutas per Romaniam, Græciam, Arabiam, per Ægyptum, Palæſtinam, Syriam, per Armeniam, Meſſopotamiam, Aſiam minorem, reliquumque Orientem, qui ſacerdotibus Romanæ eccleſiæ occluſus foret, niſi authoritate Chriſtianiſſimi regis & fœdere cum Fulgida Porta aperiretur. Nec modo rem Catholicam ſub protectione regis vigere per Imperium Turcicum, adeo quidem, ut omnes Catholici in illo *Franci* appellentur, ſed per ipſos etiam Græcos ſchismaticos inſigne religioni obſequium præſtitum, dum regis Galliæ auctoritate & ſumptibus in Moldavia, Conſtantinopoli, & Jeroſolymis in ſynodos congregati, Lutheri & Calvini errores uno ore condemnarunt, & aperte demonſtrarunt, ſe in omnibus articulis ab eorum ſectis diſſentire, atque in omnibus ferme cum Romana eccleſia convenire.

Quo id effectum, ut Lutherani & Calviniſtæ, qui confeſſiones ſuas ad Græcos approbandas miſerant, atque illos ejusdem ſecum religionis eſſe impudenter dicebant, a Græcis condemnati confuſique heſternos ſuos natales, nuditatem, & impudentiam, toti orbi revelarent.

Hæc, in utramque partem tunc dicta ſcriptaque, eruditionis duntaxat gratia, hiſtorice referre volui, quin inſtituti mei eſſe exiſtimem, quid de iis ſentiendum, judicium meum interponere.

Toloſæ hoc tempore flammis fuit traditus *Vaninus* Italus, tanquam atheus, quod doceret, cauſſam omnium rerum ſolam eſſe naturam: qua peſtilenti doctrina juventutem, ſemper novitatis avidam, ſeduxit. In carcere Catholicum ſimulavit. Sed cum ſpes nulla amplius vitæ convicto & condemnato ſupereſſet, dixit, philoſophice ſe moriturum: ſed dum blaſphema in Chriſtum lingua exſcinderetur, clamore & ejulatu incondito prodidit, quam procul a ſua doctrina eſſet ſtoicus. Documento etiam eſſe Vaninus poſſet, quam vana & parum Chriſtiana ſit eorum philoſophia, qui dicere præſumunt, in materiis philoſophicis non eſſe attendendum ad ullam ſacram ſcripturam, aut veritates revelatas, ſed ſolius philoſophantis ingenii judicio omnia decernenda.

Vaninus &c.

Capitali quoque ſupplicio affecti alii duo, Ancræi olim clientes, quod in Luynium ſatyram ſcripſiſſent. Sed ille mos Galliæ arguendus, quem vigere dicunt, quod condemnati per ſententiam, mox ad ferale ſupplicium educantur, nullo relicto ſpatio, quo ſe ab horrore & perturbatione colligant, & animam procurent.

Idem supplicium subeundum fuisset Theophilo poetæ impuro, nisi quidam in aula, quos fortasse carminibus suis delectavit, intercessissent, ut pœna mortis mutaretur in exilium. Laudanda hic Gallia, quod tales impudentes innocentiæ corruptores severe puniat.

Cum Hispania proponente dux *Lermæus*, primus aulæ minister, purpura esset donatus, mox Gallia *Gondium*, archiepiscopum Parisiensem pontifici proposuit, in Cardinalem efformandum.

Quod faciendum sibi Franci putabant, tum ne Hispania videretur esse major, tum quia nuper (anno 1618) obierat Cardinalis *Perronius*, fulgentissimum lumen sapientiæ & doctrinæ, omniumque disciplinarum decus & ornamentum: poesi, eloquentia, philosophia, theologia (quam in Parisiensi academia præclare docuit) ante omnes excellens. Et, quod summæ laudi, tenui fortuna natus, in scholis studentium famulus, nullius commendatione, sed propriis meritis ad summos honores fuit evectus: creatus primum Ebroicensis episcopus, tum archiepiscopus Senonensis, tum proprio motu a pontifice Cardinalis. Ad conversionem Henrici IV non parum contribuit, ejus absolutionem legatus Romæ promovit, eundem per concertationem, quam supra diximus, cum Plessæo Mornæo Calvinista, in fide confirmavit: dictus hæreticorum malleus, quos doctissimis libris confutavit. Denique moriens in amoris testimonium cor suum domui Societatis JEsu professæ Parisiis legavit.

Obitus Perronii,

Obiit eodem ferme tempore *Villaregius*, primos inter regis minister, eidem Societati non minus, ac Perronius, amicus fautorque: vir summa integritate, prudentiaque, longo rerum usu collecta: expertus nihilominus instabiles aulæ vices.

Villaroy.

## ARTICULUS XIV.

*Lis de edictis, Parlamento insinuandis, & in acta referendis. Bellum civile quintum, cum principibus & matre. Synopsis turbarum, quas Calvinistæ excitarunt. Bearnienses jubentur bona ecclesiastica restituere. Detrectant. Expeditio regis in Bearniam. Reducitur clerus. Motus Calvinistarum, arrogantia & præparatio ad bellum.*

22 SUb initium anni 1620 contentio orta est regem inter & Parlamentum Parisinum. Vacuum erat ærarium, in largitiones, officia-

officialium turbam, & inutiles, ut ſpargebatur, uſus profuſum. Edicto igitur regio nova & extra ordinem tributa imperantur. Moris eſt, ut ejusmodi edicta, antequam publicentur, & executioni dentur, Parlamenti actis inſerantur, & quodammodo comprobentur; noluit id præſtare, quod exactiones iſtas populo graviores æquo cenſeret. Urget rex iterum iterumque: perſtat in ſententia ſenatus. Quare rex, comitantibus Condæo, Sueſſione, aliisque aulæ primoribus, legem dicturus, ſenatum ingreditur.

Ubi ſolio majorum (*lectum juſtitiæ* vocant) recubuit, pauca præfatus Varæum, aulæ procancellarium, proſequi jubet. Is de poteſtate regum, quomodo in eorum arbitrio omnium fortunæ ſint poſitæ, dicebat: perperam ſenatum regiis mandatis obluctari. Primam aut ad ſummum alteram deprecationem eſſe permiſſam. Si rex perſiſtat in propoſito, nihil Parlamento ſupereſſe, quam obſequendi officium. Conſtituta a regibus Parlamenta, memorabat, ut allevent poteſtatem regiam, adjuventque, nullatenus vero, ut illam adimant, aut circumſcribant: ſummo imperio, nemini obnoxio, monarcham eſſe regem Francorum, tantum juris ſenatui competere, quantum ipſe conceſſerit. Ultra ſphæram ſuam evagari curiam. Privatorum cauſſis cognoſcendis erectum eſſe hoc tribunal; publicas, & quæ regni gubernationem contingunt, ad arctius conſilium ſtatus pertinere, rege tamen utrobique ſupremo rerum & negotiorum omnium arbitro; ut poſſit, quæ placent, approbare, quæ diſplicent, rejicere.

De regiſtratione.

Solitos quidem reges ab aliquo tempore edicta ſua Parlamento communicare, ut actis inſerantur, publicentur, & ſuavius executioni mandentur, aut etiam conſilium ejus exploretur; at non eſſe in officii neceſſitatem vertendum, quod ultro & liberaliter conceditur, quandocunque regi placuerit, rurſus auferendum: neque aliud exemplis doceri, quam conſilium reges aliquando expetiiſſe pro arbitrio. Aliter, qui ſenſerit, imperitum eſſe aut contumacem. Rem perduellioni proximam fore, malique ad populum exempli, ſi obluctari porro præſumat.

Ad hæc Verdunus ſenatus princeps, juſtitiam vim pati, pravis aulicorum conſiliis leges infringi, regis, populum ſuum amantis, optimam indolem perverti, querebatur: negavitque, nullas Parlamento in publicis partes eſſe. Plura addidit, quibus ſe rex læſum exiſtimavit, & abſolute edictum, ne quidem prælectum, actis Parlamenti juſſit inſeri. Cui imperio, uti debebant, obtemperarunt.

Bellum civile.

Majorem regi curam injecit ſeceſſio principum ab aula. Cum enim æquis oculis aſpicere non poſſent, totum regem a Luynio poſſideri, Andegavum ad reginam matrem, privatæ & exulis ab aula vitæ pertæſam, eodemque in Luynium odio flagrantem, convolant: ejusque ſub auſpiciis arma capiunt. Abit rurſus Gallia in partes. Sueſſio, Maynius, Longavillæus, Vindocinenſis, Nemoroſius, Eſpernonius, cum Valeta filio, Rohanio, Buſcodelphino, Tremolio &c., provincias dividunt.

Contra illos rex ipſe armatus, cum Condæo, Guiſio, Nivernenſi, aliisque, qui in fide permanſerant, procedit. Diripiuntur, vaſtanturque arces, urbes, provinciæ: denique in Andegavenſi agro committitur prælium, in quo fuſi principes, pacem reſpiciunt, quam, conciliante Richelio, qui ad ſpeciem partes reginæ adhuc ſequebatur, ab optimo rege facile impetrant, iisdem ferme legibus, quibus nuper ad Engolismam mater & Eſpernonius; reſtitutione in integrum & amneſtia in pactum deducta (*anno* 1620).

Hugonoticum.

At vix finem acceperat quintum hoc bellum civile, a ſubditis regi illatum, cum mox ſextum, multo gravius, ſanctiusque capit initium. Geſtum illud contra Calviniſtas, viribus feroces, perpetuo rebelles, & regno Chriſtianiſſimo exitiales. Induxerat eos *Joanna Albretana* Navarræ regina, Ludovici XIII avia: & Catholicis eccleſias ac bona abſtulit. Quomodo, illa obſtetrice, hæc ſecta ſit nata tempore Henrici II, quomodo adoleverit, & tumultuari mox cœperit, atque Ambaſiana conſpiratione totam regiam familiam de medio tollere ſit conata ſub Franciſco II, quomodo ſub Carolo IX invecto extero milite graſſata, Drocenſi pugna, capto Condæo, victa; ad Aureliam, immiſſo Poltroto, interemerit victorem Franciſcum Guiſium, intercipere ad Meldas attentarit regem, forti ac fida Helvetorum ope ſervatum: ad S. Dionyſii, & ad Jarnacum gemino prælio victa, occumbente in illo Anna Mommorantio, in iſto Ludovico Condæo, factionis principe: cæſa iterum ſub Colignio, qui Condæo ſucceſſerat, prælio Moncontoræo: nihilominus, affluentibus ex Aquitania cum novis ſupplementis Henrico Navarræo, & Henrico Condæo patruelibus, pacem rogare regem coegerit.

Quot ſeditiones, rebelliones, bella, in Henricum III moverint: in quantas anguſtias eum conjecerint, atque pugna Cutracenſi victores, in Guiſios ſævire, Lutetia profugere, adverſus Catholicorum henoticon arma corripere, ſeque ipſum in exitium dare coegerint.

Quanta

Quanta in Henricum IV propter conversionem convitia sparserint: quomodo edictum Nannetense, quot urbes, quas *securitatis* appellabant, ac *fidei pignora*, quot privilegia extorserint, & reliqua parte septima hujus apparatus prolixius retulimus.

Post mortem conjugis Maria Medicaea, ut tutelam filii in pace gereret, immensa auri profusione emere a sectariis illam debuit. Nec tamen obtinuit firmam, sed rumpendam, quandocunque illis placuerit.

Ludovicum XIII clavo admotum, quod supra diximus, bello adorti, in eam arrogantiam fastumque surrexerant, ut belli pacisque arbitria sibi deposcerent, eam pacificationibus conditionem adjicere soliti: *si libertas conscientiae, si ministrorum annuae pensiones, si urbes, libertatis & fidei obsides permittantur.*

Visum praeterea regi indignum, esse in Christianissimo regno provinciam, in qua orthodoxa religio exulet: & Calvinistae ecclesiis, Catholicis ereptis, bonisque ecclesiasticis iniqua usurpatione incubent, ad nutrimentum erroris.

Edictum itaque Ludovicus edidit, quo suas episcopis sedes, & bona, quae ecclesiis fuerant erepta, restitui jussit: assignata ministris sectae pensione. Intercessit mandato senatus Bearnensis, illudque, moras ex moris nectens, eludere est conatus. Cum autem rex executionem urgeret, *Forcaeus*, cui summa in Bearnia auctoritas, rescripsit, paratos esse Bearnenses edictum exequi, si rex comitia habendi copiam concederet, cum ea res communi reformatorum voluntate sit conficienda. Caussa Bearnensis.

Rex, haud satis praevidens, quo petitio ista tenderet, licentiam fecit. Indicuntur igitur Lodunum, in Pictonibus urbem, *sectae comitia*: accurrunt ex singulis provinciis tres legati, primus ex nobilibus, alter ex pastoribus, tertius ex plebe delectus.

Septem articuli in hoc conventu sunt concepti: quibus petunt abrogationem edicti: securitatis urbes novo diplomate confirmari: Lectorae (munita urbe) *Fontaralio* ad Catholicos digresso, substitui gubernatorem reformatum: duos reformatos in senatum Lutetianum assumi: illatas reformatis injurias resarciri: exustum Burgi a Catholicis templum, eorum aut regis sumptibus restituendum. Postulata Hugonot.

Negavit rex, quidquam concessum iri, nisi comitium prius dissolvatur. Insolentibus quippe his postulatis didicit, praepropera sua concessio cogendi conventum publicum quam sibi & regno suo fuerit noxia, utpote in id intenta, ut communem caussam provinciarum, in quibus erant dispersi, facere, conjurare, & bello se parare possint.

Re-

Rescribunt sectarii, non ante congressum suum dissolvendum, quam rex postulatis suis annueret. Rex contra, tanquam in perduelles agendum, majestatis reos, & quietis publicæ perturbatores, nisi ocius obtemperent. Perstant contumaces. Vivarienses primi arma corripiunt, quos Mommorantius, expugnato Privatio & aliis locis munitis, domat.

Bearnia conversa.

Rex vero, spreta sua edicta non ferens, in Bearnenses expeditionem suscipit. Subsequi jusso exercitu, solis prætorianis & nobilibus stipatus provinciæ imminet. Bearnienses, regis præsentis auctoritate & timore perculsi, mox dedunt Arsacum, Palum metropolim, & Navarræum castrum, quo non est aliud in Gallia munitum magis. Exemplum sequuntur aliæ arces, quibus Bearnia est frequens, inventusque ibidem ingens belli apparatus. Atque hac felicitate a rege inermi intra triduum tota provincia reducta est ad parendi obsequium, quæ, spectatis munimentis & locorum situ, per triennium fatigatura videretur instructum exercitum.

Præscriptæ Bearnensibus quatuor leges: 1 Episcopi & abbates restituti in senatu pristino more judices sedento. 2 Episcopis authoritas, & clero bona, quæ olim possedit, restituuntor. 3 Navarra inferior & Bearniæ principatus Galliæ regno unitus esto. 4 Seditiosi proscribuntor.

Mittuntur in possessionem episcopi. Pali, principum olim sede, ubi Henricus IV regis pater natus & educatus fuerat, templum primarium, a sectariis pollutum, illico conciliatum, & divino cultui fuit adoptatum. Post peractum divinum officium instituta per urbem, a 60 annis ex integro Calvinianam, supplicatio, tanta solennitate & populi affluxu, ut Romam in eam urbem cum suis ritibus transiisse diceres. DEum Eucharisticum portabat episcopus, conopeum quatuor principes. Sequebatur aperto capite, cum accenso in manu cereo religionis vindex Ludovicus, cum magna nobilium frequentia. Post supplicationem facunde ad concionem dixit P. Arnulphus S. J. regis confessarius, argumento ex his Scripturæ verbis desumpto: *Non est hic aliud nisi domus DEi & porta cœli.* Atque hunc finem accepit expeditio Bearnensis, triumphantibus Catholicis, ringentibus heterodoxis.

Conciliabula Hugonot.

Bearnienses in congressu primum Montalbano, frequentiore dein Amiliano, vehementer conquesti de tyrannide, ut appellabant, a fratribus auxilium rogant. Legati provinciarum, inter quos Chamierus & Jolius, famosi Prædicantes, cum multis ex secta nobilibus.

Decer-

Decernitur auxilium Bearnensibus, munitio locorum, belli apparatus, pecunia collectitia, delectus militum, bellum, ab omnibus fratribus simul gerendum. Mittitur legatio ad Lesdiguerium & Bullionium mareschallos, ad Tremollium, Rohanium, Süllium, Castillonium, duces, & sectæ capita, ad diversas provincias: indicitur Rupellam synodus generalis: mittuntur ab ea ad regem litteræ, plenæ querimoniis in aulicos, & Jesuitas, quos persecutionis auctores horrendis convitiis proscindunt.

Partiuntur provincias. Normanniam, Insulam Franciæ, Bituricensem, Andegavensem, Turonensem, Cenomanensem decernunt Bullionio, primo Franciæ marescallo: Britannicam, & Pictaviensem Subisio: Engolismensem & Santonensem cum adjacentibus insulis Tremollio: Aquitanam & Bearnensem Forcæo: Galliam Narbonensem Rohanio: Vivariensem, & Cebennensem tractum Castillonio: Delphinatum, Provinciam, Burgundiam Lesdiguerio: munus vero supremi imperatoris Bullionio deferunt. 47 leges gerendi belli promulgant, apertos rebellionis in regem testes.

Monstro simile visum, mangones & plebeios de fæce homines, absque regis assensu ausos comitia cogere, & tanquam pleni essent rerum domini, leges ferre. Habent nempe hoc Calvinistæ, gens semper inquieta, & ad arma prompta: regnis & monarchiis exitiales, ad populare regimen illas deprimere conantur. Exempla præsto sunt.

Prout autem hodiedum mos fert, ut, antequam bello detur initium, varia circumvolent scripta, quæ *manifesta* vocant, ita etiam in Gallia jam tum contigit. Quia autem ex his statum Galliæ, Calvinistarum rebellium sanguinolenta consilia, fastum & arrogantiam, regi vero impositam belli necessitatem luculente est perspicere, lubet ea, quæ tunc ultro citroque dicta scriptaque sunt, compendio referre.

## ARTICULUS XV.

### *Dissertatio de Calvinistarum caussis bellandi. Querelæ sectariorum.*

CAlvinistæ, quod diximus, ex omnibus provinciis in *Rupellanis comitiis* erant congregati; & quamvis juberentur repetitis sæpius mandatis regiis illa dissolvere, perstabant tamen refractarii, atque, ut orbi fucum facerent, declarationem caussarum, cur bel- 23

lium ſuſcipiendum, ad omnes principes & respublicas directam, ediderunt.

Memorant in iſta, cogi ſe ad legitimam defenſionem, qua vita & conſcientiæ libertas ſibi, uxoribus, liberis ſalva maneat. Proteſtantur tamen, eam ſibi eſſe mentem, ut regi ſine conditione pareant, quem non agnoſcere usque adeo flagitioſum ſit, ut, qui ei reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtat: nullam in orbe poteſtatem ſupra regiam eſſe; hinc illa Romanorum in ſe odia. Abſit, inquiunt, regem armis a nobis peti, regem unctum DEi: ſcimus, quid regi debeamus. Diadema Gallicum, parentum noſtrorum virtute Henrico patri partum, conſervabimus filio. Lex eſt nobiſcum nata, qua regibus præſto eſſe aſſuevimus. Teſtes Henrici duo, dum a Catholicis opprimerentur.

Rupellæ ſynedrion.

Abſit, ut rebelles aut ſeditioſi dicamur: odio religionis, ab erroribus purgatæ & reformatæ, premimur: propterea regis edicta, & Parlamentorum decreta in nos ſæviunt. Noſcant principes, noſcat univerſus orbis, nos plane innocentes eſſe. Per calumniam lege majeſtatis damnamur, quorum ædibus direptio & incendium, quorum capitibus reſtes & gladii imminent. Ut olim martyribus, cum perditis hominibus nobis eſt negotium: ſecus innocentia noſtra probatione non indigeret. Audite ergo magni per orbem principes legitimos queſtus & defenſionem noſtram.

Niſi abdicaſſemus jura regni, diviſam hodie cum regibus Galliam religio noſtra poſſideret. Præter conſcientiæ libertatem nihil affectavimus. Conceſſa fuit per edictum Nannetenſe. Paci ſæpe ſubſcripſimus, ſed qua libertas illa continetur; quam, ſi violetur (ut violari palam eſt) quidni armis vindicare liceat?

Statim ab exceſſu Henrici M. quem religio noſtra defenſorem habuit, inimici coronæ Gallicæ ſtuduerunt perdere gentem noſtram reformatam: quam ſi coronæ columnam dicimus, erit forſan indecora nobis jactantia, vera tamen. Actum dolo cuniculisque, ut mole ſua rueret ædificium.

Prima in nos mali labes ex ſacramento, a rege die inaugurationis præſtito, hac formula: *Juro in fide regia, quos eccleſia hæreticos renuntiaverit, conaturum me, qua vi potero, finibus regni mei expellere.* Quid ſperandum nobis, quos eccleſia Romana jam dudum hæreticos dixit? ergo colligenda vaſa, quærenda extra Galliam ſedes.

Illius querelæ.

Erupit in nos apertius vis inimica, cum anno 1615 in comitiis generalibus, Lutetiæ habitis, petitum fuit, ut valeret poſthac

hac in Gallia concilium Tridentinum, quo regno interdicitur illi qui libertatem conſcientiæ concedit hæreticis.

Nec ſat Jeſuitis (genti deterrimæ) effræni in nos licentia debachari ex ſuggeſtibus: clam etiam regis animus vana in nos ſuperſtitione faſcinatur. Illis certe debitum, quodcunque patimur: gens ſanguinis avida Chriſtiani: per quam eodem prætextu nunc Germania deſolatur. Viſus nuper e Societate illa nefaria homuncio, temerarium caput, jura regni in Bearnia uſurpans. Vix regiæ conſcientiæ eſt admotus, cum ex legitima cauſſa extorres Lutetia Jeſuitæ reſtituuntur: ſtatim Bearnenſes epiſcopi prævalent paſtoribus noſtris; omnia ſtatim in pejus ruunt, ſtatim conſcientiæ libertas opprimitur. Hæc tibi debentur, profligate homuncio, qui colore pietatis bellum nobis movendum in aula detonas. Placita ſunt Romanæ curiæ, quæcunque proponis: quorum id præcipuum, fidem hæreticis non eſſe ſervandam; ergo edicta, ſi Romæ expediat, obſerventur, ſin minus, corruant. Hinc illæ regis, peſtifero velut aere afflati, voces, malle ſe coronæ quam animæ jacturam pati.

His additi Cardinales & epiſcopi, gens inimica nobis, quæ præter Romam nihil ſpirat, civilibus diſſidiis innutrita, ſecreti conſcia Hiſpani, Romanæque curiæ honoribus, cujus Jeſuitæ menſarii ſunt, velut aucupio capta.

Et armantur in nos Parlamenta, vano religionis prætextu in nos crudelia & iniqua. Si quis in iis, Romanæ ſervitutis impatiens, ad noſtram tranſit religionem, illico ſenatu movetur. Quid a rege ipſo ſperandum nobis, quem obſidet Romana eccleſia per emiſſarios ſuos? ſi quis noſtrum ratione officii ingreditur in aulam, inſinuatur in aurem ſuſurrus: *Hic niger eſt: aut regia aut Calviniſmo abſtine.* Populus quoque in nos concitatur ſeditioſis concionibus, tanquam in hoſtes publicos.

Quid opus plura addere? direpta templa, temerata religio, effoſſa cadavera, rapti infantes & in monaſteria intruſi. Advoluti genibus regis, perduelles ſumus. Videant & judicent externi principes. In Lodunenſi nuper conventu queſti ſumus, ereptam nobis Lectoræ arcem, non adſcriptos duos e noſtris Lutetiano Parlamento, direpta templa & concremata, inveterata Parlamenti Toloſani præ cæteris in nos odia. Permiſſa nobis comitia, ſi intra ſex menſes poſtulatis noſtris non ſatisfieret: defecit conditio, & tamen vitio vertitur conventus Rupellanus.

Secuta Bearnenſis expeditio, qua nihil injuſtius. Ad te DEus immortalis, ad vos externi principes, clamat ad ultionem ferri & flammæ vim paſſa innocentia. Percutimur palam & cædimur, dum circumlato per urbem idolo genuflexionem negamus, uni debitam DEo.

Admiſſus in Navarræam arcem a Saleſio rex, ea cautione, nihil in urbe mutatum iri. Contra fidem datam Saleſio præfecto ſuffectus Poyanus, homo Catholicus. Bearnii leges & antiqui mores ex integro immutantur: natali ſolo pellimur; peregrini ſumus in patria, auctore omnium Arnouſio Jeſuita, de extirpanda Calvini hæreſi perorante.

Hæc inter depravatur animus Lesdiguerii. In Gallia Narbonenſi petimur armis. Privatium, Bergum, Valouſium, & Vallum obſeſſa capiuntur. Vaſtat in ea provincia urbes noſtras Mommorantius. Vim patitur Caſtillonius. Deterrima Forcæi conditio: qui poſtquam ſub Henrico M. inſenuerat bellis, Bearnii procuratione & officio deſtituitur.

Parce rex tuorum ſanguini. Deſperatio magnum eſt in mortem incitamentum: vos externi principes adeſte: Iſraelitis adeſto tuis immortalis DEus, & populo tuo electo ſuccurre.

Hi fuerunt Hyænæ planctus, in omnem Europam emiſſi. Dederunt etiam ad regem litteras, in quibus violatæ illum fidei poſtulant: confiſi nempe viribus ſuis: ſiquidem ipſi jactabant, ducentas reformatis arces eſſe in Gallia, præſidio, vallo, aggere munitas, centum expeditionibus eas non occupandas: quinquaginta præliis inſtructa acie dimicandum. Si uno vel altero rex fuerit victus, coronam nutaturam, nec procul fore mutationem ſtatus, ex regio in popularem. Fortiores duplo eſſe reformatos in Gallia, quam anno 1577 fuerint Batavi, dum, excuſſo potentiſſimi regis jugo, rempublicam conſtituerent. Parum agnitas Ludovico reformatorum in Gallia vires: quadringentis virorum millibus communem firmari cauſſam, trecentis urbibus, mille & quingentis molis majoris tormentis bellicis. Denique eſſe ferrum, & promptum tot hominum millibus aut libertati aut morti animum. *Gramond. lib. 7 in princip.*

Audiamus jam defenſionem Catholicorum, quam non nemo Hugonotarum querimoniis & accuſationi oppoſuit.

ARTI-

# ARTICULUS XVI.

## *Apologia Catholicorum.*

NEſcio profecto, quid mirandum magis, an hominum iſtorum infrunita malitia, an calumniandi voluptas, an vero ſtolida ac ſecum ipſa pugnans contentio. Nihil mali de rege cogitant; ſed tantum opere ipſo exequuntur: regi ſe non opponunt, ſed tantum arma in ipſum capiunt, & bellum concitant. Sciunt, quid regi debeant; rebellionem nempe apertam, clades, ruinam. 24

Si regi veſtro paretis, cur mandatis refractarium Rupellæ hæret veſtrum conventiculum, contra leges, contra regni conſuetudinem, contra regis voluntatem coactum? flagitioſum eſt, dicitis, regi non parere: DEi ordinationi reſiſtit, qui ei reſiſtit: non paretis, reſiſtitis: concludite. Si nulla eſt in orbe poteſtas ſupra regiam, quare vos illam contemnitis? quare frontem obduratam opponitis? quare ſolio regem ſuo dejicere molimini? cur mille tormentis bellicis minitamini? cur rebelles litteras in totam Europam diſpergitis? cur totum orbem in regem veſtrum, quantum in vobis eſt, armatis?

Innocentes ſumus, inquiunt, martyribus ſe comparant: o ſanctos innocentes, quos Herodes perſequitur! o martyres! quid ergo diſtricti veſtri gladii, quid armorum perſtrepentium minæ, quid belli nefarii apparatus, quid conjurationes veſtræ loquuntur? o innocentiam, hactenus inauditam! o promptam regiæ poteſtati obſequendi voluntatem!

Vultis ſcire, quænam apud vos poteſtas ſit ſupra regiam? ſupra regem ſunt veſtræ ſynodi provinciales, veſtri circuli, comitia veſtra Rupellana, ſupra regem unus quandoque ſeditioſus homo: ſupra regem cuique ſuum privatum commodum. Vetat rex coitiones veſtras turbulentas: coitis. Solvi jubet inauſpicatum, rebelle comitium: perſtatis. Perduellionis pœnas minitatur: minas minis, edictis contemptum, mandatis contumaciam opponitis. Urget rex parendi obſequium: arma oſtentatis. Per regnum ſuum vult tranſire: trecentas portas venienti occluditis: heus! quis tu? rex veſter: quid petis? ingreſſum. Apage! vetant comitia Rupellana. Hæc, hæc poteſtas eſt ſupra regiam. Ire per conculcatum regem & regnum; hæc veſtra eſt poteſtas. *Non eſt poteſtas ſupra regiam:* o pulcra verba! ſuperi boni! quam facto contraria! perrumpendum, ferro perrumpendum, cum laniſta illo exclamatis.

Poteſtatem & jura regia uſurpat ſeditioſum veſtrum conventiculum, tributa indicit, leges promulgat, jura belli & pacis ſumma poteſtate diſpenſat, omnem Galliam ſeptem præfectis armatis diſtribuit, faſces præire jubet, regi bellum denuntiat. Ecce! quid ſit ſupra poteſtatem regiam.

Et quid aliud ſignificat juramentum veſtrum, nuper Rupellæ editum? *Juramus, obſervaturos, executionique mandaturos, quidquid Rupellana comitia ſtatuerint, &, ſi opus eſt, bona, libertates, & vitam confirmandis eorum decretis impenſuros; ſecreta concilii nec verbo nec ſcripto revelaturos.*

Itane vero, viri fratres? *quidquid*? juramus. Quid autem, ſi veſtra comitia ſtatuerint crimen perduellionis, proditionis patriæ, læſæ majeſtatis? juramus: *quidquid.* Quid, ſi ſtatuerint provinciarum vaſtitatem, rapinas, latrocinia, innocentum oppreſſiones, parricidia, principum, regis, regni excidium? juramus: *quidquid ſtatuerint.* DEum immortalem! quis hic non videt gentis hujus innocentiam? placidam indolem? fidem in regem, toties decantatam? promptum obſequium? ſupremam regis in terris poteſtatem, quam prædicatis? fruſtra eſtis, o boni! aliud cogitatis, aliud molimini, aliud juratis, &, quod peſſime juratis, impie impletis. Et quare tam arctum ſilentium ſecreti veſtri juratis? mens recti conſcia non fugit lucem.

Verum ſit hæc veſtra conſcientiæ libertas, ut arcana veſtra tenebris involvatis, merentur. Utinam denſa nox illa perpetuo contexiſſet! non tot fortes viri cecidiſſent, non decolores cruore patrio decurriſſent amnes, non tot hominum millia bello, fame, peſte contabuiſſent: non tot urbes, oppida, agri jacerent vaſtati, deſolati, ſqualidi. Si poſt ſæcula interrogabitur: unde hæc buſta, hæc rudera, hæc vaſtitas? reſpondebunt genuini annales: ab Hugonotis. Nimis enim, heu! nimis in apertum erupit ſanguinolentum veſtrum arcanum, quam ut ulla ſit ætas deletura illius memoriam.

Sed præterita tempora reſpicitis: Henrici reges vobis in ære ſunt: his abiiſtis in creditum: hi veſtri debitores: niſi jura regni abdicaſſetis, diviſam cum regibus Galliam poſſideretis. Regni columnas vos appellatis. Arrogans dictum! ſuperbum! inſolens! an hominis vocem audimus? adeone furor mentem eripuit, ut jura regni vos abdicaſſe dicatis? quænam vobis unquam in regnum jura? vos columnæ? ſuperi! quales columnæ?

Neſcit

Neſcit nempe litteratus orbis gentis veſtræ hiſtoriam. Florebat Gallia, tranquilla domi, formidanda foris, æſtimata ubique. At vix intraſtis homines pacifici, quieti, manſueti, cum mox ruptis legum repagulis in omnem Galliam effrænis ſe effundit licentia, circumſonant claſſica, omnia ſurſum deorſum eunt. Quæ provincia, cui vaſtitatem non intuleritis? quis rex amplius in ſolio ſuo tutus? quis furor? quæ rabies? quæ unquam barbaries, inhumana, immanis, atrox, vidit facinora, quæ vos humani homines in ordinem eccleſiaſticum, & omne univerſim nomen Catholicum conſciviſtis? facinora, ad quæ omnes, qui ſunt homines, cohorreſcant. Itane vero debet vobis regnum? nervos inciſos, dicite, ſolutas compages, exhauſtam medullam, provincias incendiis depaſtas, fumantia urbium buſta, cruore patrio tumentes amnes, plura centena hominum millia in ſanguine natantia, aut ruinis ſepulta, regnum univerſum exitialibus veluti furiarum tædis ambuſtum, ſqualidum, &, quantum in vobis fuit, extinctum, dicite: hæc ſunt, quæ debentur vobis: talia vos fuiſtis & eſtis regni columina.

At Henrici duo vobis, largis creditoribus, debent. Quid debent? dicam: Henricum III quatuor omnino bellis invaſiſtis, in extremam calamitatem præcipitaſtis, Salmuriam arcem, ne gratis mali eſſetis, extorſiſtis. Henricus IV ſanguini regnum debuit. Sine vobis regnum florentiſſimum adiiſſet: quod laceratum, vaſtatum, & undique fatiſcens adiit, veſtrum eſt beneficium: non quod adiit, ſed quod vaſtatum, quod laceratum. Amaſtis Calviniſtam: odiſtis Catholicum. Beneficia, a patre in vos collata, convertiſtis in injuriam filii. Indulſit improvide vobis ille tot arces, tot urbes, ut ex iis filium oppugnare, & ſtatum in ſtatum inducere valeretis.

At cum *perditis* hominibus vobis negotium eſſe, querimini. Hoc non intelligo. Quinam ſunt iſti perditi homines? cum rege veſtro vobis eſt negotium: hic urget edicta ſua: huic refractarii frontem obduratam objicitis. Jam non miror, Calviniſtas plenis calumniarum plauſtris in Jeſuitas invehi, cum regem ſuum, multo pientiſſimum, perditum hominem compellare non perhorreſcant.

De Jeſuitis Gramondus, præſes Toloſanus, licet non admodum iis addictus, ſcribit: *regi admoventur, quia probi ſunt: hinc improborum in ipſos invidia. Quod a ſectariis odio habeantur, & famoſis libellis proſcindantur, habent, quod ſibi gratulentur.* Quod autem

autem P. Arnulphum, regis confessarium, profligatum homuncionem e nefaria Societate compellatis, a quo rex fuerit fascinatus, vestræ est humanitatis & in regem reverentiæ.

Sed quare tam modesta tam gravi ad reges & principes oratione utimini? quare P. Arnulpho tantopere irascimini? regia jura in Bearnia usurpavit. Qualia? an pastores vestri regia jura usurpant, cum e suggestu ad concionem declamant? quod P. Arnous in reducenda in Benearniam religione, & genuino DEi cultu regi adjutor fuerit, atque spiritualia obsequia præstiterit, non est jura regia usurpare. Rupellæ sunt, qui illa usurpant.

Vidimus calumniam: eruditionem videamus. *Vix* Arnousius regiæ conscientiæ est admotus, inquiunt, cum extorres Lutetia Jesuitæ restituuntur, *statim* Bearnenses episcopi prævalent. Quid? quid dicitis viri eruditi? *vix*? *statim*? Jesuitæ dudum antea jam ab Henrico IV fuerant restituti, quam Arnousius Ludovici XIII conscientiæ fuerit admotus.

Sed sit hæc vestra in rebus notissimis eruditio: illud maligni est animi, quod dicatis, ex Romanæ curiæ placitis docere Jesuitas, fidem hæreticis datam non esse servandam. Quis hoc docuit? quis unquam ex Jesuitis dixit, fidem hæreticis legitime datam non esse servandam? litteris gravissimis, a toto generali concilio Rupellano ad omnes reges & principes datis, videntur non fuisse inserenda tam crassa mendacia, tot cruda convitia, tot inhumanæ calumniæ; qualis etiam est, quod per Jesuitas Germania desoletur. Omnia nempe Jesuitæ fecerunt.

Fidem fortassis aliquam invenissetis; quia multi facile credunt, quæ in Jesuitas sparguntur; facile enim creduntur, quæ lubenter creduntur; sed quia episcopos, Cardinales, curiam Romanam, supremum senatum Parisinum, regemque ipsum adeo, eadem actione pulsatis, eodem judicio condemnatis, Jesuitas absolvitis. Quem ex sapientibus crediturum vobis existimatis, dum nihil tam sacrum sanctumque est, quod virulenta vestra penna non attentet polluere.

Sperastis, apud Jacobum regem magnæ Britanniæ vos inituros gratiam; sed æquiori is erat animo, quam ut sputa vestra probaret, aut rebelles subditos, in regem suum insurgentes, tueri vellet. Batavos forsan movissetis; quia eadem utriusque meta. Sed rex Hispanus necdum adhuc satis erat excussus. Proprius obstitit armorum strepitus, quo minus audiretur alienus.

Confusa, vaga, ac fluctuans erat hactenus oratio conciliabuli Rupellani; jam vero descendit ad caussæ capita. *Prima in nos*, inquit,

quit, *mali labes ex ſacramento præſtito a rege, qua die inauguratus fuit.* Quid? an nova eſt hæc juramenti formula? Antequam Calvinus erupit, ſic jurarunt reges Galliæ; quia erant reges Chriſtianiſſimi: ipſe etiam Henricus IV, quem pro numine tutelari colitis, ſic juravit. An propter vos abſiſtendum a more majorum? cur tamdiu ſiluiſtis? cur ſucceſſori obſtrepitis? & quomodo juramentum Ludovici poteſt eſſe prima mali labes, cum & Henricus pater, & alii ante illum Galliæ reges idem præſtiterint, præſertim, cum ad veſtra lamenta declaravit, ſe, dum illud ſacramentum nuncuparet, nihil de vobis cogitaſſe? Illud adhuc quæro, an perfidus eſſet rex, aut fidei datæ violator, ſic hoc juramentum non ſervaret? nequaquam, dicetis. Ergo neque, ſi quid, male vobis promiſſum, non ſervaret, debet a vobis poſtulari perfidiæ.

At ſi ſacramentum regis prima vobis mali labes, quæ eſt ſecunda? *petitum in comitiis Lutetianis fuit, ut concilium Tridentinum valeret.* Vah! magnum crimen! petierunt quidam, ut res ſanctiſſima publice promulgaretur. Ergo prodeant arma, inſonent claſſica, mille tormenta bellica tonent, fulminent! pacate tantiſper! num promulgatum fuit concilium? Gratulor vobis Calvinicolæ, quod etiam inter eos, qui Catholico nomine gloriantur in Gallia, inveneritis, qui vobiscum in hac parte ſentiant, & ſanioris partis vota ſufflaminaverint, non quidem quoad dogmata fidei, nam hæc dudum in conciliis provincialibus & diœceſanis Gallicis ſunt promulgata, & ab omnibus, qui Catholicam fidem profitentur, recipi debent, ſed tamen quoad aliqua decreta, ad diſciplinam ſpectantia. Quid ergo queri mini? quid vultis amplius? concilium a rege non promulgari? non fuit promulgatum: nihil innovatum. Deſideria veſtra fuerunt impleta. Conquerimini, ut conqueramini.

Sed in illo concilio decernitur, ut *regno interdicatur illi, qui libertatem conſcientiæ concedit hæreticis.* Fateor: hoc decretum nunquam legi in Tridentino. Eſt hæc nimirum nobilis ſectariorum indoles: falſa ac vera perinde habent; modo calumnientur, & ea quidem calliditate, ut illa de induſtria immiſceant, in quibus ipſi Catholici non ſunt unius linguæ. Hinc theſin illam odioſam, in Gallia ventilatam, an rex nullam in terris ſupra ſe in temporalibus poteſtatem habeat, illamque de promulgatione concilii Tridentini &c. obtrudunt; quamvis ad cauſſam eorum nihil faciant. Sufficit, ſemina aliqua diſcordiæ inter Catholicos jacere. Hinc

etiam decretum illud Tridentino affingunt, ut rudibus imponant, acſi regno privet eos principes, qui hæreticos tolerent.

Ad Bearnenſem regis expeditionem devolvuntur, *qua nihil ſibi deterius in hanc diem, nihil injuſtius accidiſſe, dicunt: immutatas ex integro leges & mores antiquos, natali ſe ſolo pulſos.* Hem! ſiſtite laſſum pedem! nemo vos pellit. Veram audiamus hiſtoriam.

Joanna Albretana, favore & auxilio Galliæ regum regina Navarræ, Henrici IV mater, ingens novatorum columen, *Bearniam* etiam ſub feudali nexu a Galliæ regibus poſſidebat. Ejecit illa, incentore Mongomerio comite, Henrici II interfectore, epiſcopos & clerum, templa ac bona eccleſiaſtica antiquiſſimis dominis ac poſſeſſoribus, contra fas & jus omne abſtulit, & Calvinianis præconibus tradiderat. Nec his contenta, Catholicos omnes in exilium miſit, nullo habito reſpectu dominorum feudi, Catholicorum Galliæ regum.

Cum dein Henricus IV ejus filius regno Galliæ potiretur, extinctum eſt feudum, dominio utili (ut juriſtæ loquimur) *conſolidato* cum directo dominio. Poterat proin omni jure ſua bona antiquis poſſeſſoribus reſtituere. Noluit tamen Calviniſtis, quorum opera, dum adhuc Calviniſta eſſet, uſus fuerat, ægre facere. Id ſolum, quaſi pro gratia, impetravit, ne Catholica religio ex Bearnia omnino proſcripta eſſet.

Ejus filius Ludovicus XIII jure ſuo, dudum quæſito, uſus Bearniam regno univit, & clerum Catholicum in integrum reſtitui juſſit, oblato tamen miniſtris Calvinianis ſalario, quod nullo titulo debuit, ex ærario publico. Quid æquius? quid manſuetius? quid liberalius?

Reſtiterunt nihilominus pertinaciter edicto ejusque executioni Bearnenſes, authoribus maxime miniſtellis & Forceo, provinciæ pro rege gubernatore. Non tulit, ut ferre non debuit, effrontem contumaciam Ludovicus rex: atque, quam dixi nuper, expeditionem ſuſcepit. Solus cum aulicis, ſine exercitu, Bearniam intravit, & juſtiſſimum edictum eſt executus. Nemini vis illata: nemini adempta libertas conſcientiæ: nemo in exilium miſſus.

Quid ergo eſt, quod querulemini? quid propter cauſſam Bearnenſem tantos motus cietis? *Solo pulſi ſumus*: falſum eſt. *Poſſeſſionibus dejecti ſumus*: quibus? alienis, eccleſiaſticis, clero Catholico per vim ereptis. *Præſcripſimus.* Locum non habet præſcriptio, ubi deficit titulus, vera poſſeſſio, bona fides; ubi ingreſſus

greſſus violentus: ubi uſurpatio cum mala fide continuata: ubi detentio injuſta toties ab epiſcopis interpolata. Judicio etiam coram quocunque juſto tribunali clerus *obtinere* debuiſſet, ſi *rei vindicationem* aut *interdictum unde vi* vobis intentaſſet. Rex judicavit: & recte judicavit.

*At Catholica religio fuit introducta.* Ita eſt: jure divino & humano. An quis ex veſtris ad illam amplectendam fuit coactus? profecto nullus. Permiſſa omnibus religionis libertas. Quid, malum! quid eſt hoc? homines iſti libertatem conſcientiæ identidem inclamant, hanc ſoli DEo ſubjectam eſſe: ſectam ſuam peregrinam, novitiam, nuper per dolos & vim apertam intruſam, per totam Galliam volunt eſſe liberam: ſi autem rex Catholicam religionem, mille & ultra annorum poſſeſſione firmatam, velit eſſe liberam in regno, eccleſiæ ſanctæ primogenito, Chriſtianiſſimo, ſuo, cœlum & terra miſcentur. O rem auditu indignam! o temeritatem gentis & arrogantiam incredibilem! usque adeone miſerum eſt, eſſe Catholicum, ut, quæ libertas permittitur Calviniſtis in Gallia, negetur Catholicis?

Sed *percuſſi ſumus*, inquiunt, *cæſique*, *dum circumlato per urbem idolo genuflexionem negavimus.* Vox blasphema, & execranda! non uno duntaxat orco digna! ſi DEo non vultis, regi ſaltem veſtro præſenti parcite: nec idololatriæ eum poſtulate. Hæccine illa reverentia, quam DEo, quam regi ſuo ſubditi debent? heu! in quæ tempora incidiſti infelix Gallia, ut in te, tot olim ſanctorum matre fœcunda, audire debeas, & quidem a filiis tuis, voces, ad quas omnes boni cohorreſcant, omniumque ambæ aures tinniant. Exurge Clodovæe fidei ſanctæ parens! exurgite ſancti Ludovicii pii manes, ſpreti, conſputi, proculcati honoris divini vindices.

Sed quid iraſcimur inſipientibus, ſtolidis, impiis hominibus? Calvinus eos hanc linguam heri docuit, Calvinus, cui characteriſtico epitheto *impii* cognomen adhæret: *Calvinus impius.* Hic eos docuit ſpernere tam clara tam manifeſta Chriſti verba: *hoc eſt corpus meum*: ſpernere conciliorum & patrum authoritatem, ſpernere totam antiquitatem, ſpernere totam, tot Evangelicis promiſſis ornatam, Chriſti eccleſiam. Parcat iſtis homuncionibus DEus! cæci ſunt, & duces cæcorum. Credere malunt ſuperbo, arroganti, infami ſtigmate aduſto apoſtatæ, quam illis, *quos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere eccleſiam DEi.* Apage *ſignum*! apage *tropum* ſacramentariorum! *Verbum caro factum eſt: hic eſt filius*

*meus dilectus: hoc eſt corpus meum*: ecce verba ſymbolica! ſi DEum euchariſticum idolum appellas, cur non etiam incarnatum? eodem prorſus modo ſacræ loquuntur paginæ. Abſit blasphemia! Sed *percuſſi cæſique ſunt veſtri, qui idolo genuflexionem negarunt*. O callidam aſtutiam! his verbis utuntur, ut exteri credant, occiſos fuiſſe. *Cæſi ſunt*: ſed quare? quomodo? nemo juſſit, ſupplicationi veſtros eſſe præſentes. Abſtitiſſent, ſicut plerique alii. Irriſores, irreverentes adſtare ſupremo Numini non patiebatur regis pietas. Et quid tandem, ſi apparitor contemptorem DEi virga percutiat? ſi DEo noluerunt, regi ſuo genu flexiſſent: politica fuiſſet adoratio.

Hem! novum crimen Ludovice rex, & in hanc usque diem inauditum! *Lectoræ arcem Catholicus poſſidet*. O verba inania! ecce! Lectoram Henricus IV donaverat Fontaralio, præſtanti bello viro, virtutis militaris præmium. Succeſſit legitimo jure hæreditario patri filius: hic abjecto Calvino Catholicam religionem eſt amplexus. Deturbatum propterea Lectora volunt ſectarii, alias bellum regi illaturi. Quare? quia factus eſt Catholicus: arx hæc reformatis debetur. Quomodo hoc probatis? non eſt hæc arx & urbs ex iis, quas *matrimonii*, *ſecuritatis*, *fidei obſides* appellatis, & nimis liberaliter, & in Galliæ ruinam vobis rex conceſſit. Quam iniquiorem hic rurſus Catholicorum conditionem facitis. Tranſiens ad veſtram ſectam Senevierius marchio Caſtilloniam arcem retinuit. Sed Fontaralius, tranſiens ad avitam majorum religionem, retinere non poteſt Lectoranam, jure proprietatis ſuam. Illud æquum, hoc iniquum eſt. Quo usque tandem progreditur arrogantia veſtra? licet autem Fontaralius æquiſſimo jure Lectoram poſſideret, paruit tamen etiam hic veſtro rex mandato: abdicato Fontaralio, Blainvillio Calviniſtæ urbem & arcem conceſſit. Quid ergo querimini? poſtulaſtis, amoveri Catholicum: amotus eſt. Petiſtis, Calviniſtam ſubſtitui: ſubſtitutus eſt. Per DEum immortalem! quid vultis amplius?

Hoc amplius volunt, *duos e ſecta ſua aſſumi ſenatores in Parlamento Pariſino*. Res nova! quamdiu ſtat Gallia, nunquam viſum, nunquam auditum, ut aperti ſectarii in ſenatum illum, qui ſacroſanctus eſſe debet, aſſumerentur. Poſtquam robore in Gallia Calviniſtæ invaluerant, ſuſpectos habuerunt judices ſupremæ curiæ. Deſcendit rex in eorum poſtulata, *cameram edicti*, uti vocant, erexit, æquali ex Catholicis & ſectariis numero mixtam, in qua, ut omnis faceſſat querela, eorum cauſſæ judicarentur. Hoc non

non ſufficit? non ſufficit: etiam in Parlamentum ſe volunt intrudere. Quo jure? plane nullo, niſi quod ipſis præbet jus ſuum canonicum, id eſt, enſes, bombardæ, pyroboli, catapultæ, ollæ igniariæ, & mille ſua tormenta bellica. Ceſſit nihilominus regis clementia, & extra ordinem duo pro eis officia adjecit.

*Negata a rege Prædicantibus ſalaria, militi Hugonotico ſtipendia* objiciunt. Sed qua lege cautum, ut rex miniſtellis veſtris, avitæ fidei juratis hoſtibus, turbatoribus & incendiariis Galliæ, ſalaria præbeat? ut propriis ſtipendiis milites veſtros in ſuam & regni ſui perniciem armet? ut feras in caveis nutriat, quandocunque ſectæ placuerit, adverſum ſe emittendas? portentum eſt, ex medulla populi ali ejusdem oppreſſores, ex vectigalibas publicis ſuſtentari regis ac regni hoſtes.

A ſexaginta annis nulla regibus bella, niſi eum Hugonotis, ſi primodia Henrici IV regis excipias, ubi modicum quid belli Hiſpanici erat reſiduum. Sæpe pax inita, eo compendio, ut rex rebellium ſectariorum debita ſolveret. Pacis tempore, quod erat breviſſimum, immenſæ in vos factæ ſunt largitiones, exhauſta æraria publica, ut pacem ſervaretis, ut quietem pateremini: beneficia, penſiones, ſalaria, ſtipendia, vertiſtis in dantis perniciem; quaſi nervum novi belli, adverſus eum movendi, vobis dediſſet. Pœnitet, arma vobis in manus data, quibus eum oppugnaretis. Si jam modum ponat largitionibus, ſi tanta jactare deſinat, quis prudens eum arguat? Vectigalem vobis velletis habere regem, ut habuiſtis hactenus.

At *Saleſio ſuffectus Catholicus arcis Navarræ præfectus: per Mommorantium aliquot urbes expugnatæ.* Quid tum? rex uſus eſt jure ſuo. Saleſio nonagenario homine præfectura ſe abdicante, non licuit regi ſubrogare virum bene meritum? urbes, quæ fuerunt occupatæ, non erant Calviniſtis donatæ, ſed ad tempus commodatæ. Et licet fuiſſent donatæ, propter inſignem ingratitudinem donatio omni jure revocari poterat. Perduelles erant regi, arces perfidiæ; negatus regi ingreſſus. Expugnari igitur vi oportuit.

*Direpta & cremata templa, temeratam religionem, effoſſa cadavera,* clamat Rupellanum ſynedrion. Magnus & confuſus clamor! ex lamentis iſtis tyrannidem, neſcio quam, poſſet fortaſſe quiſpiam colligere, fuiſſe exercitam. Sed, ut dicere ſolemus, ex muſca faciunt elephantem. Audiamus. Homo quidam, Martinus nomine, ex infima plebe Turonibus, ad Calvini caſtra transgreſ-

 ſus,

ſus, fuerat mortuus. Dum funus pro more Calviniano effertur, pueri Catholici cantu incondito illudunt, aliasque nugas tractant. Ex Calviniſtis quidam obvio puero colaphum infligit, eumque proſternit. Oritur rumor, puerum fuiſſe occiſum. Concurrunt Catholici; Martini corpus effodiunt & diſcerpunt. Accendunt templum Calvinianum, aliasque inſolentias exercent.

Sectarii apud regem queruntur, jus gentium violatum, & fidem publicam, direptas ædes, templum crematum, impeditas exequias, effoſſum cadaver. Juſſu regis fit inquiſitio: auctores tumultus alii ad reſtim, alii ad rogum damnati, pœnam luerunt.

Quid jam hic, dic ſodes, quid aliud petere & exſpectare ſactarii a rege poterant? morte punivit nocentes Catholicos. Quare ergo regi exprobrant? quare tumultum unicum, a plebe excitatum, & quidem non ſine omni cauſſa data, a magiſtratu Turonenſi, quantum poterat, inhibitum, a rege tam ſevere punitum, tantopere exaggerant, ut videri poſſet, Catholicos ea conſciviſſe facinora, quæ a Calviniſtis barbara crudelitate & immani rabie per totam Galliam fuerant patrata. *Cremata templa, effoſſa cadavera*! quid numero plurali effertis, quod eſt unum?

*Raptos ab ubere matrum infantes, & in monaſteria detruſos.* Mendacium eſt. Ante decimum quintum ætatis annum nemo ſuſcipitur in monaſterium: nemo intruditur, ſed volens ac rogans recipitur. Aut hoc reprehendere, aut libertatem conſcientiæ prædicare definite; niſi forte tantum tranſitus a nobis ad vos, non autem a vobis ad nos liber eſſe debeat.

Scripſit eadem ſynagoga Rupellana ad ipſum etiam Ludovicum regem epiſtolam, accuſationis & minarum plenam. Quin adeo frontem & pudorem omnem exuit, ut regem ſuum in faciem perfidiæ poſtulare ſolutum a ſe ea conditione conventum Lodunenſem, inquiebant, ut, ſi poſtulatis ſuis, quæ Bearniam, Lectoram, & duos ſenatores concernunt, intra ſex menſes non ſubſcriberetur, liceret ſibi nova Rupellam comitia indicere; conditionem non eſſe impletam; regem debitorem reum ſibi eſſe violatæ fidei.

Sed quam hæc non tantum ab omni pudore, & veneratione, regi debita, ſed etiam a veritate ſint aliena, aſſeclis ſuis Calviniſtis pathetice demonſtravit mareſcallus Lediguerius in epiſtola ad comitium Rupellanum data. Rupellam, inquit, conveniſtis, ſed quonam jure? illegitimi ſunt conventus, inſcio rege indicti. Quæſitus color ex Bearnia, Lectora, & petitis duobus ſenatoribus. Va-

næ

næ ſunt penitus, quas moviſtis, querelæ, magisque in bellum prætextus, quam pro cauſſa communi zelus.

Plane factum ſatis petitionibus veſtris, antequam Rupellæ conveniſtis. Ergo conventus non modo illegitimus eſt, ſed etiam ſine cauſſa probabili. Quos petebatis Lutetiano Parlamento adſcribi ſenatores duos, adſcripti fuerunt; quam querebamini, Lectoram a Fontaralio poſſideri, poſt tranſitum ejus ad Catholicos, in Blainvillium reformatum fuerat translata. Libertas conſcientiæ in Bearnia eſt integra. Si quid mutatum in urbibus, ſi leges novæ conſtitutæ, meminiſſe debetis, regem eſſe, qui ſic mutavit, ſic conſtituit.

At mutata præſidia arcium, novi ſubſtituti præfecti: qua lege, quæſo, vetitum, dominum uti re ſua? ſi conceditis, legitime regnare principem, an non conceditis, urbes, & quæcunque in regno publica ſunt, ipſius eſſe? Precario regnat, qui patitur, militem ſuum in urbibus in alterius verba jurare; rexque nomine tenus eſt, qui aliis ex neceſſitate obnoxius, habet magis, quod ſequatur, quam quod eligat.

Hinc palam eſt, contra jus omne convocata comitia: quæ ſi non actutum diſſolvitis, perduelles eſtis, prorſusque irritum erit, quidquid pro communi cauſſa conabar: contra, ſi abſiſtitis, plura impetrabo & majora, quam creditis. Ita Calviniſta prudens & manſuetus ad Calviniſtas inſipientes & turbulentos, quibus jam certum erat, clementiſſimum ſuum regem bello aggredi.

Ex quibus ſane, hucusque in medium allatis, perſpicue elucet, quam falſi, quam vani, quam futiles fuerint prætextus, quos ſynedrium illud Rupellanum per totam Europam diſſeminavit, ut reges, & gentes exteras in communionem rebellionis traheret. Dominari volebat in Gallia ſecta impotens, regem ſubjugare, ſtatum popularem inducere. Hæc belli cauſſa. Vix humanis rebus exemptus fuerat Henricus rex, cum de libera republica, exemplo Bernatum, Genevenſium, Batavorum Calviniſtarum, capita & conſilia contulerunt. Adhuc cor patris palpitabat in ſanguine, cum de bello regi infanti inferendo cogitarunt. Et intuliſſent, niſi regina mater largitionibus avertiſſet. Nec abhorret a gentis indole, vagientibus in cunis principibus inſidias ſtruere, prout in apologia ſua teſtatur Jacobus Angliæ rex, quem in cunis ſuffocare Calviniſtæ ſunt conati. *Gramondus lib. VII.*

# ARTICULUS XVII.

*Belli caussæ. Principum animus. Calvinistarum furor. Regis pietas. Engeriaci, & aliarum multarum urbium & arcium expugnatio. Victoriarum cursum sistit Monalbanum. Solvitur ejus obsidio. Maynii principis obitus & elogium. Obitus Chamieri. Dimissio P. Arnulphi confessarii ab aula. Digressio de confessariis principum. Mors misera Luynii, ejusque effigies.*

25 CUm igitur bello ubique apparando Hugonoti alacriter incumberent, rex diploma publicavit, in quo memorat, quanta jam mala a gente ista inquieta passa sit Gallia; usurpatam regiam potestatem, arrogantiam, fastum, contumaciam, minas, spreta edicta, abdicatum regem: multa pacis gratia a se dissimulata, at clementia sua auctam proterviam, circumsonare ipsorum arma, coactum se tueri majestatem & bellum repellere; agendum contra illos ceu publicos grassatores. Promittit simul protectionem iis sectariis, qui regi suo essent militaturi, aut saltem neutri parti adhæsuri, Nannetensi edicto ipsis confirmato. Hæc regis promulgatio eo valuit, ut primum Lediguerius, dein etiam Tremollius, rejectis provinciis, quas conventus Rupellanus illis decreverat, partes sectæ abdicarent, ad religionem Catholicam paulo post transituri: secutus est (*ad speciem saltem*) quod magis mirum videbatur, exemplum Bullionius princeps, alias omnium adversus aulam factionum particeps, & a synedrio Rupellano designatus totius exercitus imperator. Creditum, quod senio confecta ætas, timor amittendi suas ditiones, & populare symmystarum regimen eum averterint.

Easdem neutras partes amplexi sunt plures ex Hugonotis nobiles, easdem propter rationes; quia videbant, plebem ad democratiam vergere, apud quam modica nobilitatis ratio, in regio statu florens.

Major regi timor a Catholicis quibusdam principibus, Suessione, Maynio, Nivernensi, ob Luynii dominationem aula absistentibus, ne Hugonotis se conjungant. Iis bono dolo illusum a legato (quod mireris) Rupellanorum, in aula versante, tanquam pax propediem esset conficienda, simulante, atque ut ad regem reverterentur adhortante. Contra vero *Rohanius*, *Subisius* ejus frater,

*Castil-*

*Caſtillonius*, & *Forceus*, Calviniſtæ, deſtinatas ſibi a ſynedrio provincias, & munera militaria acceptarunt, totius rebellionis deinceps & belli capita.

Bellum ſecta inchoat a crudelitate & petulantia, in ſacerdotes, templa, altaria, ſacras reliquias, monaſteria exercita. Nihil tam ſanctum, quod non fuerit pollutum & proculcatum. Nudati & flagellati monachi: a fœminis ipſis fœdiſſima auditu in viros crudeliter patrata: temeratæ DEo dicatæ virgines: ſanctæ ecclesiæ verſæ in equorum ſtabula; ſanctiſſimi ſacramenti ſacræ hoſtiæ in terram projectæ, & pedibus protritæ, tanto furore & rabie, ut omnes ex orco furias erupiſſe diceres. Ipſum etiam jus gentium graviſſime violatum, dum *Croſſius*, cameræ edicti Gratianopoli præſes, ad Montem Peſſulanum a rege miſſus legatus, atrociter a fæce populi fuit interemptus, incentore Suffreinio miniſtello; Rohanio, qui in urbe præſens aderat, diſſimulante: per vim, dolos, fraudes ubique graſſatum. Bellum.

Rex interea, Luynio creato Comeſtabili, quæ eſt prima poſt regiam dignitas, atque poſt obitum Henrici Mommorantii per plures annos vacaverat, per San-Paulæum Gergobiam, per Condæum Sacro-Cæſaream (*Sancerre*) inter præcipuas ſectariorum urbem, occupat. Samuriam, magni momenti ad Ligerim urbem, academia Calviniana famoſam, quam Henricus III olim in fœderis pignus ſectæ dederat, a Pleſſi Mornæo, armis & literis viro celebri, traditam accepit; atque expeditionem ad Pictones & Aquitanos ſuſcepit: Condæo, San-Paulæo, Longavillæo, Nivernenſi, Vindecinenſi, ne quid a tergo intutum relinqueret, ſectarios exarmare juſſis, in Biturigum, Aurelianenſium, Picardiæ, Normanniæ, Campaniæ provinciis, horum principum gubernationi ſubjectis.

Poſt multas urbes arceſque qua vi qua deditione interceptas, antequam ſe rex ad *Engeriaci*, prævalidæ in Santonibus urbis, obſidioni accingeret, ſacra ſynaxi, fortium robore, muniri voluit, tanta pietate, ut exempli vis pleroſque aulicorum ad imitationem traheret.

Engeriacum, ſuperiori ætate fruſtra a regibus obſeſſum, duobus armatorum millibus, præfecto Subiſio, & omni apparatu bellico a Rupellanis fuerat inſtructum, ut adeo longior & cruenta eſſet obſidio. Spectabat oppugnatio ad Comitem Stabuli, apud quem ſumma belli authoritas; ſed quia Luynius rudis erat belli, nomen geſſit, Lediguerius mareſcallus, longa armorum experientia ſubactus, rei ſummam. Engeriacum.

Postquam multi ex utraque parte, nobiles etiam viri, ceciderunt, obsessi in pacta cum rege convenire volebant, sed is pacta cum subditis aspernatus, ut se regis clementiæ sine conditione permitterent, imperavit. Tandem rex hac forma urbem recepit: *Rex, misericordia suorum ductus, humiliter deprecantibus Engeriacis parcit: si fidem sacramento adstrinxerint, abdicaturos se factiones & prava consilia, debitoque in obsequio perstituros, quamdiu vixerint; ea conditione vita illis & libertas salva sunto.* Subisius, posito ense, ad genua regis procumbit, veniam rogat, ac fidem jurat. Receptus a rege in gratiam: *sed*, ut loquitur Gramondus, *rara sectariis fides: tot pene apud eos perjuria, quot sacramenta: neque enim seditione abstentum a Subisio & sociis.*

Quo tempore Engeriacensis obsidio tenuit, Maleretus cum viginti Aquitaniæ urbibus ad regis obsequium rediit, quamvis Forcæus & Rohanius omnem Aquitaniam & Galliam Narbonensem ad rebellionem concitarent. Verum Maynii ducis virtus militaris super omnes enituit, dum, licet quartana laboraret, & paucas haberet copias, Forcæum & sectarios prælio vicit, & Calmontium atque Neracum, permunitas urbes, expugnavit. Aquitanis auxilio venit classis Rupella emissa, cum numeroso milite, qui ea edidit in Catholicos crudelitatis exempla, quæ omnem barbariem superarent. Sed ab Elbovio, a rege submisso, strenue magnaque cum jactura rejecti sunt in undas, &, ne porro Rupella solvere possent, injectum frenum. Cincta urbs terra marique a Guisio & Espernonio.

Interea Lediguerius Pontium urbem occupat, Maynius Clairacum, & munimentis exuunt; quod multis aliis hoc bello urbibus & castellis contigit, quia rebellionis receptacula hæresi asylum præbuerant. Condæus, & San-Paulæus, ex Aurelianensi stirpe princeps, Sullianam suspectam arcem, quam uxor in absentia mariti strenue propugnaverat, expugnant: quippe dux Sullius Calvinista, neutrarum se partium simulans de industria aberat: uxor vero & filius aperte sectariis favebant. Castillonius, cui Rupellanus conventus Vivariensem & Cebennensem provinciam designaverat, cum videret, sectariorum res in deterius labi, in regias partes propendebat; unde a suis Hugonotis in jus vocatus, cum forum declinaret, gubernatione fuit dejectus.

Cum rex Aquitaniam, Santones, Occitaniam, Pictaviam, in quibus maxime dominabatur hæresis, victoriis fuisset emensus, Montalbanum (*Montaubau*) cursum stitit. Celeberrima hæc Calvinista-

viniſtarum in Occitania ſeu Septimania urbs, natura & opere munita, atque academia Calviniana, ex qua hæreſis tantum veneni ſparſerat, famoſa, vergente in autumnum anno 1621 obſidere cœpit.

Longum foret cruentæ hujus obſidionis ſeriem recenſere; quot irruptiones tentatæ, quot eruptiones, quot machinis æneis fulminatum, quanta pertinacia, quo furore fœminæ mixtæ viris urbem defenderint, quantum ſanguinis, maxime ex parte oppugnantium fuſum. Quæ omnia apud Gramondum, qui tunc jam in ſenatu Toloſano florebat, prolixe deſcripta invenies. Rohanius, ſupremus tunc belli apud Calviniſtas imperator, 1200 armatos ex Cebennenſibus, feroci gente, urbi ſuppetias miſerat: quorum 600 a regiis in itinere cæſi, captique, 600 in urbem penetrarunt, animosque, ad deditionem jam proclives, firmarunt. Quare rex, cum hyems ingrueret, & exercitus ipſius ita eſſet acciſus, ut ex triginta millibus vix tertia pars ſupereſſet, lues inſuper in caſtris graſſaretur, obſidionem ſolvit. Montalbanum.

Cæſi nobiliſſimi duces multi, & inter eos, qui ſolus multorum inſtar erat, Henricus Lotharingus, dux Mayennæ (quem etiam principis *Meduani*, *Maynii*, aut *Mayeni* nomine hactenus compellavi) heros incomparabilis, Carolo patre, vicario olim Galliæ, & rei Catholicæ columine, digniſſimus filius, cui cum ſanguine Lotharingico innatum hæreſis odium. Habitu corporis erat giganteo, ſuper omnes eminens, animo majore: Catholicorum amor, hæreticorum terror; religionis vindex, ſectæ flagellum, & adverſus illam Aquitaniæ & Septimaniæ tutelaris genius. Vel ſola anni hujus æſtate 14 arces munitas, acſi volucrum nidi eſſent, cepit & diſturbavit. Plures non raro erant oppugnati, quam oppugnantes; expugnavit tamen, in ſe ipſo circumferens exercitum: qui terrore nominis diſſlaret hoſtiles acies. Maynii obitus.

Cum Guiſio patrueli monſtraret apparatum, quem feciſſet ad irruendum, globo, ab ignobili manu emiſſo, petitus occubuit, florenti adhuc ætate, & viribus Herculeis, 43 annos natus. Quando mors ejus innotuit, totis caſtris trepidatum eſt, & deſperatum; Montalbani vero, tanquam ingens parta eſſet victoria, triumphatum.

Sicut autem univerſa ſecta in plauſus abiit, ſic omnis Gallia orthodoxa luctum induit, & non aliter, acſi rex obiiſſet, patri patriæ parentavit, tanta in ſectarios ira exardeſcens, ut Lutetiæ & Charentonii plures ex ipſis mactarentur. Solus ex Ca-

 tholicis

tholicis gaviſus eſt Luynius; quia ſolus Maynius blandiri noluit: indecorum ratus, principem homini, ex ultima nobilitate extracto, aſſurgere. Hinc rarus erat in aula, & ſæpius cum aliis principibus communem cauſſam habuit, non adverſus regem, ſed Luynium, quem dominantem, ſe neglectis, ferre non poterant.

Et Chamieri. Maynii piis manibus immolatus eſt magnus Chamierus, exilis tanto principi victima. Erat Daniel Chamierus, in Delphinatu natus, Calviniſtarum idolum aut oraculum, edicti Nannetici faber, ſynodorum præſes, Prædicantium Alpha, Calviniſtarum Papa, doctrinæ ſtupor, quam in *corpore* ſuo *theologico*, in *epiſtolis Jeſuiticis*, & maxime in *Panſtratia* ſua *Catholica*, tribus prægrandibus voluminibus, plaudentibus inferis, conſtipavit. Sed & hæc excetra ſuum Alcidem invenit in Ignatio Armando, Joanne Broſſardo, & Jacobo Gretſero S. J. patribus: qui Chamieri mendacia, calumnias, fraudes, & dolos toti mundo demonſtrarunt, prout prolixius in Idea ſcriptorum Proteſtantium, & Ideæ apologia oſtendi: ut adeo demonſtrarit, quantis viribus in eruditione hiſtorica polleat, Joannes Breitingerus Tigurinus miniſtellus, dum in ſuo *Urim* & *Thummim* ſcripſit, Chamierum a nemine fuiſſe refutatum.

Jam vero, proh dolor! grandis hic eccleſiaſtes, Chamierus, quo die auditores ſuos ad conſtantiam rebellionis adverſus regem zeloſe accenderat, caſſide, ferreo thorace & haſta armatus, eruptionem ex urbe tentans, occiſus eſt præ mœnibus Montalbanis.

Arnulphi dimiſſio. Soluta obſidione rex profectus Toloſam, primam poſt Lutetiam Galliæ urbem, magno cum apparatu & pompa excipitur; indeque Monhurtianam expeditionem ſuſcepit. Luynius vero eo digreſſo P. Arnulphum (*Arnous*) qui regi a confeſſionibus fuerat, ab aula dimiſit, his ad eum uſus verbis: *doleo, quod regis juſſu ſeceſſum ab aula indicere cogor, quem habui, & habebo ſemper inter amicos.* Ad quæ Arnulphus: *non eſt, quod doleas ab exceſſu meo, cujus ipſe es unus auctor: plane immunis a labe ſum: neque aliud mihi objici poteſt, quam quod volui & curavi, ut rex regat. Cæterum bonam tibi gratiam debeo, quod e fluctibus per te in portum evadam. Id unum timeo ne confictum forte in me crimen Societati imputetur.* Luynius, *ne in cauſſam inquire*, ſubinfert, *cum regi dominationis affectatæ ſis reus, mihi fidei non ſervatæ.*

Ecce cauſſam hujus dimiſſionis, quam uterque prodit, & tota Gallia facile credidit, cum omnibus notus eſſet Luynius, qui ſolus regem poſſidere vellet, & regnare, & feſtuca umbram projicit, quam timet ambitio. Exoſum habuit regiæ conſcientiæ arbitrum, noluit-

noluitque, viro, non ſolum probo cum primis, integerrimoque, (*ut loquitur Julius Cordara hiſt. Societ. part. 6 lib. 6 n. 94*) ſed etiam ſpiritus ingentis ac liberi, qui nullo cujusquam reſpectu, quæ ſentiret, aperte loqueretur, aures & animum principis quotidie patere.

*Certe, corruptis omnibus, qui regi circumſtabant* (inquit Gramondus hiſt. Gall. lib. 11) *unus Arnouſius Luynæo negavit conductitiam operam, quo, etſi amico ingratus, fidus regi fuit.* Sed quomodo ingratus eſſe amico potuit per hoc, quod regi fidus fuerit? an virtus virtuti poteſt eſſe contraria? Ingratitudo locum non habet, ubi fides, regi debita, officium expoſcit.

Addit Gramondus, dejectum fuiſſe munere, quod Luynæum, fortunæ ſuæ artificem, non vocavit in ſecreti ſui conſcientiam. Sed quomodo vocaret? num arcana, quæ cum rege tractabat, fortaſſe ad conſcientiam pertinentia, Luynio aperiret? at affectatæ dominationis reum dixit Luynius: cujus & qualis dominationis? ſi rationi ſtatus pro foro externo ſe immiſcuit Arnulphus, graviter deliquit in Societatis leges, quæ ſub gravibus pœnis id prohibent. Si interrogatus a rege reſpondit, aut, quæ ad conſcientiam regis ſpectabant, conſcientiæ director ſincere & libere monuit, functus fuit ſuo officio, graviter adſtringente.

Miſera ſane conditio talis viri: profecto niſi zelus animarum univerſalis eſſe deberet, & ſalus publica etiam ageretur, non modo is, qui aſſumitur in confeſſarium principis, ſed ordo etiam religioſus, ex quo aſſumitur, deberent expaveſcere. Omnia imputantur confeſſario. Si per defectum delinqui putatur princeps, mox volat querela, confeſſarium non fungi ſuo munere: ſi per exceſſum; ſuadente confeſſario factum creditur. Unde toti ordini invidia accreſcit & animorum averſio, parciorque, quod inde conſequi neceſſe eſt, animarum proventus. Conditio confeſſarii regii.

Jam vero in aulis ipſis, quæ ſolent eſſe theatra paſſionum, quot ſuſpiciones, invidiæ, querelæ, detractiones, inſidiæ, fraudes in ſcenam prodeunt! quam multa imputantur confeſſariis! nec ceſſatur, donec inviſus homo gratia apud principem & gradu ſuo moveatur: prout a Luynio adverſus P. Arnulphum factum vidimus. Et quot talia exempla! quantam tempeſtatem vel unus aulæ miniſter, ſi altius principis animo ſe ſe inſinuavit, in integram etiam communitatem ciere poteſt.

Errat tamen Gramondus, dum Arnulphum a ſumma fortuna dejectum & in exilium miſſum ſcribit: non a ſumma fortuna, non

in exilium, sed ad altiorem & meliorem fortunam, ad soli serviendum, cui servire regnare est, ad sacram quietem, turbis vacuam, ad fratres suos, in patriam, ad se ipsum & apostolicos labores, certatim ab ecclesiarum præsulibus expetitus rediit. Mundani homines, nihil bonum, nihil magnum, nihil votis dignum existimant, nisi quod in mundo splendet, & ea, quæ sunt spiritus, non percipientes, veram humanæ mentis felicitatem nesciunt.

Alius sensus erat Mutio, Societatis JEsu præposito, qui (teste Cordara loc. cit.) ad provincialem scripsit, *dimissionem Arnulphi apud omnes æquos rerum æstimatores fuisse quasi testimonium laudis, in ejus vitam actionesque redundantis, nemine non agnoscente, suis illum consiliis, & in regendo Christianissimo rege prudentia, studioque religionis, non de Gallia modo, verum etiam de ecclesia universa optime meritum esse.*

Fortasse etiam Luynius apud sectarios gratiam inire voluit, quibus Arnulphus erat exosissimus: certe, postquam cum Rohanio, penes quem Calvinistarum summa erat, fuit congressus Luynius, ejus culpa illico soluta est Montalbani obsidio & decreta Arnulphi dimissio; quapropter Brietius ad ann. 1621 *prævaricatorem* appellat Luynium. Brevi post pax cum sectariis non tam inita, quam empta: plane pro tantis victoriis minus decora; confirmato, omnis mali fonte, edicto Nannetensi, & permissa sectæ plena errandi ac pereundi libertate.

Quamvis autem Arnulphus, cum regi, prout decuit, vellet valedicere, Luynii artibus & potentia accessu fuerit prohibitus, nequaquam tamen rex, quidquid jactaretur, offensi unquam animi signum prodidit, quin imo ab expeditione redux illum benevole & familiariter excepit, pluresque ejus interventu Societati favores exhibuit; inter quos aucta per Galliam eo ipso tempore collegia, ipsiusque summa voluntate erecta Tolosæ domus professa.

Nihil vero sectariis, aliisque Societatis osoribus acerbius accidit, nihil, quod regis animum manifestaret patentius, quam ubi paucos post Arnulphum dimissum dies arbitrum ac directorem conscientiæ elegit P. Gasparem *Seguiranum*, ex eadem Societate sacerdotem.

Luynii mors misera.

Sed nec Luynio longum ab amoto, quem æmulum putabat, gaudium fuit; nam vix mense evoluto, cum esset in robore ætatis, in dignitatis & authoritatis apice, morbo interiit, magna, si paucos ejus clientes demas, totius Galliæ lætitia. Vix erant, qui funus curarent; hinc clam avectum, nullo apparatu tumulatum est.

Sic vitæ comœdiam finiit Carolus Luinius (*Luynius, Luynæus a quibusdam ſcribitur*) non magna fortuna natus, teneræ Ludovici ætati adhibitus, ludicris eum, & aucupio maxime diſtinebat, matre tutrice & Ancræo, regnandi avidis, eam Ludovici educationem non improbantibus. Cum autem pubertatem adeptus regni adminiſtrationem ſuſcepiſſet, Luynii artibus, qui jam alte in animum regis admiſſus fuerat, Ancræus cæſus, mater regina vero ab aula dimiſſa eſt.

Ab eo tempore Luynius, quoad vixit, regem ita ſibi adſtrictum habebat, ut, quocunque vellet, impelleret. Auctus mox ſummis honoribus, dux creatus, Par Franciæ, prorex Normanniæ, mareſcallus, & tandem, licet rei militaris imperitus eſſet, Comes Stabuli (*Comeſtabilem Franciæ* appellant) cui plena, veteri inſtituto, armorum bellique authoritas, a rege dictus; cumque *Varæus*, regni cancellarius, vir ſtoicæ & integerrimæ vitæ, cum antiquis illis Camillis, Fabriciis & Catonibus comparandus, fuiſſet mortuus, ſigilla etiam regni, nemine ſe opponere auſo, uſurpavit, ut adeo domi militiæque, quod inauditum, omnia ſolus eſſet Luynius.

Inde principum indignatio atque ab aula ſeceſſio, nobilium averſio, populi querelæ, totius nationis iræ & odia. Quæ tamen omnia minoris erant roboris, quam ut impotentem dominatorem, favore regis, quem totum occupaverat, protectum, gradu movere poſſent. At mutata ſubito rerum ſcena. Cum nihil amplius ei deeſſet, quam regis nomen, morbo correptus lethali (veneno contractum putabant) ab amicis, familiaribus, medicis, omnibus deſertus jacuit, donec contabeſceret: nec funeri, ſanie diffluenti, ullus honor habitus. Nemo amplius amicus, nemo beneficii accepti debitor eſſe voluit. Rex ipſe (quod mirabantur) nullum mœrorem præſetulit. Sic eunt res humanæ. O ampullatam vanitatem! qui per totam Galliam magnitudinem ſuam extenderat, vix ſeptem palmorum ſcrobem invenit. Quam bene propheta regius: *filii hominum usque quo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

ARTI-

## ARTICULUS XVIII.

*Perfidia sectæ. Cæsus Subisius, & Forcæus. Rohanii virtus. Monspelii obsidio. De pace consilia. Oratio Lediguerii pro pace. Condæi contra pacem. Ejus articuli publicati: secreti.*

26 ANno 1622 nec hyeme a bello cessatum: variæque Hugonotorum arces sunt interceptæ. Burniquelli sectariis arma fuerant adempta: sed cum regii milites noctu vino, quod large ipsis cives præbuerant, obruti jacerent, allatis Montalbano armis, omnes a a Calvinistis sunt occisi. Hæc eorum fides jurata: quam sæpius hoc bello, principes etiam viri, demonstrarunt. Falso objiciunt nobis non raro doctrinam, quod hæreticis fides non sit servanda: meliori jure diceretur, eorum inter dogmata & illud esse, fidem Catholicis non esse servandam. Facta saltem id docent.

Ineunte vere rex cum novem duntaxat millibus Campum Martium ingressus Subisium, Rohanii fratrem, qui Engeriaci fidem regi juraverat, sed eandem rursus exuerat, gravi clade affecit, cæsis duobus sectariorum millibus. Elbovius vero, Lotharingus princeps, Petragoricos subigit, victo Forcæo, qui a rege veniam obtinet, & sectariorum partibus renuntiat, ut adeo ex principibus Calvinistarum soli Rohanæi fratres debellandi restarent.

Cum autem etiam in hoste virtus sit laudanda, fateri oportet, Rohanium fratrem seniorem, totius hostilis exercitus imperatorem, ex cujus etiam ore omnes Calvinianæ urbes pendebant, ingenio, fortitudine, industria, laborum patientia, belli artibus nemini secundum, paucioribus licet esset instructus copiis, non raro regios superasse. Non currere, sed volare ipsum dixisses, ut omnibus esset præsens, consilio & auxilio. Præcipuum ipsi subsidium a maritimis provinciis, quas hæresis maxime infecerat, & ex agro Cebennico, montibus & incolis ferocibus horrido. Ac demum eo rem perduxit, ut pinguem sibi pacem referret, & rebellionis merces solvi ipsi debuerit.

Nam etsi rex & duces ejus hostiles sæpe acies profligarent, multasque arces urbesque magna virtute expugnarent, nihilo tamen secius sicut anno superiore ad Montalbanum, sic isto (1622) ad Montpelianum hæsit victoria.

Mon-

Monspelium sive *Mons Pessulanus* (*Monpellier*) urbs in Occitania inferiore, situ & opere munita, academia celebris, referta tunc temporis erat Hugonottis. Hanc rex obsidere cœpit; jamque eo cruenta oppugnatio fuerat progressa, ut imminere deditionem sperari posset, cum de pace ineunda cum Calvinistis deliberatio est instituta. In utramque partem ferebantur sententiæ. Maxime vero inter se disceptabant Condæus, princeps Borbonius, apprime Catholicus, qui pro obsidione, cui præerat, ac bello continuando perorabat, & Lediguerium, quem rex post obitum Luynii Comitem Stabuli renuntiaverat, qui pacem suadebat. Eruditionis interest, utriusque argumenta & rationum pondera metiri. Monspelii obsidio.

Patet omnibus, inquit Lediguerius Comes Stabuli, quam noxia mihi futura sit pax, cum eo fungar munere, cujus omnis est in bello authoritas. Nemini a rege inferior in castris est Comes Stabuli: jus omne militiæ penes illum: pecuniæ, officiorumque universim omnium est dispensator: per pacis otia languet & vilescit. Quapropter suspecta esse nemini debent, aut possunt consilia pacis, quæ potiora habeo. Pro pace.

Galliæ bellis intestinis & externis omnibus insenui: pacem bello potiorem esse, & multorum annorum experientia me docuit, & naturæ institutione didici. Vastantur provinciæ, in busta abeunt urbes, jura divina humanaque pessundantur. Lassata profecto est cædibus Gallia, florens olim in pace, nunc ad medullam usque exhausta; nudata populis, lacerata, discerpta, innatans filiorum sanguini. Rex in se ipsum sævus, sua abscindit membra, sua evellit viscera, suas enervat vires, per victorias etiam se ipsum jugulat.

Omne quidem bellum calamitosum, illud tamen maxime, quo civis in civem, frater in fratrem ferali ferro grassatur. Peregrinentur potius arma, & alienum solum premant. Vicini Germaniæ principes implorant auxilium; Palatinus exulat, opprimuntur alii, Vallis Telina, Rhœtis erepta, gens inimica in immensum crescit, non quietura, donec Europam omnem sub jugum mittat: interim vero Gallia, quæ sola aggerem posset objicere, mutuis civium vulneribus cadit.

Satis, satis profusum gentilitii sanguinis: gerantur bella, triumphos paritura. Parati sunt subditi agnoscere ac venerari regem, petunt veniam, rogant pacem. Quid quærimus amplius? magna quidem gessisti rex, Galliam percurristi victoriis, quot passus, tot lauri tot palmæ tuæ. Sed heu quantum superesset belli! hyeme

nunc appetente dubius Montis Pessulani eventus: quot mapalia tot armatæ turres, quot pagi tot propugnacula, quot urbes hostiles, tot munimenta. Et demus, Monspelium expugnari, tot alia claustra perfringi: Montalbanum memoria repetamus, Rupellam cogitemus, proh quanta nomina! hæc omnia tua sunt rex, aperientur portæ, flexo poplite excipient dominum, patrem patriæ venerabuntur, si pacem concesseris.

Ita quidem Lesdiguerius, qui, licet nuper Catholicum fuerit professus, retinuisse tamen aliquid affectus erga agnatam sectam videtur, aut saltem inter illos fuisse politicos, quibus ultima religionis est cura: fortassis etiam æmulatio & ira in Condæum, quem bellum suasurum noverat, linguam acuit. Nam dum oppugnandum Monspelium, uterque supremam armorum præfecturam sibi vendicabat, Condæus tanquam primus sanguinis regii princeps, Lesdiguerius Comestabilis titulo, penes quem esset summa post regem belli authoritas. Vicit Condæus: Lesdiguerius ad Privatium expugnandum a rege missus: invidere igitur æmulo (prout delicata in hac re est ducum militarium indoles) pronum erat urbis expugnatæ gloriam.

Contra pacem.

Condæus igitur prosecutionem belli suadens, si ita, inquit, ante bellum cœptum dixisses, Lesdigueri, accepta fortasse tua fuisset oratio, at nunc, dum eo usque progressi sumus, sero suades. Desperata sectariorum est caussa: partam jam ferme victoriam num e manibus labi patiemur? centum & quinquaginta urbes aut propugnacula amisit secta. Unico adhuc opus impetu, ut penitus corruat. Monspelium deditionem jam meditatur. Montalbenses extrema premuntur esurie; dum mareschallus Theminius, urbem constrictam tenens, alimenta arcet. Hac adhuc hyeme fame pereant necesse est, ni se dedant. Eluendum Montalbanum dedecus superioris anni, nec ferendum, ut typho inflata civitas dicat, se regem superasse. Rupella pariter terra marique a Suessione & Guisio cincta, commercio omni intercluso, ultimam patitur egestatem. Deprimenda superba civitas, rebellionis caput, & ita deprimenda, ne porro in regem suum possit insurgere. Non dubitandum, Guisium, ut classe, ita & prælio prævaliturum.

Reliqua Calvinistarum municipia, aut armis jam fuerunt subacta, aut ita locis disjuncta, ut mutuo sibi non possint esse auxilio. Non illis superest bello duratus miles, non pecunia, non annona, non alia, quibus geruntur bella. Quid sperandum genti perfidæ, quæ solis muris ceu carcere concluditur? Si cessamus, re-

sumet

ſumet vires, & rurſus inſurget, niſi regem ſibi vectigalem & ad omnia obſequentem habeat: & tunc de novo inchoandum bellum, quod jam ferme penitus confectum habemus. Et quam pacem dabimus? quam ipſi nobis.

Profecto aut bellum hoc inchoandum nunquam fuit, aut fortiter & conſtanter continuandum eſt, donec finis intentus obtineatur: an obtentus? cauſſas belli rex diplomate manifeſtavit, rebellionem nempe apertam. Num ceſſat? quid loquuntur diſtricti adhuc gladii? quid portæ regi occluſæ? quid armatæ in regem eruptiones?

Tuus, rex auguſte, tuus honor agitur, tua per Galliam & exteros nominis fama, ſi victorias tuas in fine corrumpas, & pacem cum ſubditis, velut paribus, ineas precariam. Vel non potuit, dicent, & erit infirmitatis dedecus; vel non voluit, & prudentiam, religionem, conſtantiam tuam deſiderabunt.

At calamitates belli facunde recitat Lesdiguerius. Has ſecuturas ante bellum prævidimus: inchoavinus tamen. Et quis earum author? rebellio Calviniſtarum. Conſulamus annales Galliæ: ex quo hæc peſtis intravit, actum fuit de quiete & ſalute patriæ: quot mortalium millia neci data! quot urbes, quot provinciæ devaſtatæ! non eſt ea genti indoles, quæ poſſit pacem aut quietem pati: non ceſſabit Galliæ calamitas, quamdiu hanc luem in viſceribus geret. A primis ſuis incunabilis bella ex bellis miſcuit: a ſe ipſa non recedet: miſcebit in poſterum. Utinam vanus ſim augur: vix abducemus noſtros exercitus, cum metu libera denuo tumultuabitur: tum quod metus non ſoleat eſſe diuturnus magiſter officii, tum quod genius, faſtuoſus, turbulentus, ſuus, non ſinat eſſe tranquillam. Hinc Rupellæ, Montalbani, Amiliani, Nemauſi, Uticæ, caſtri Albigenſis, cautum vult munimentis, hoc eſt præcipuis rebellionis ſedibus & propugnaculis, ut iis confiſa regi impune inſultare queat.

Si bene cœpta, & glorioſe ad finem deducta propemodum, ſtat abrumpere, eam ſaltem demus pacem, quæ, ſi non voluntatem, vires certe nocendi genti infidæ eripiat. Diruantur perfidiæ clauſtra: decutiantur ſuperbæ ſubſtructionum criſtæ: ſolo æquentur munimenta, ſine diſcrimine. Edicti Nannetenſis fidem ipſi fregerunt Calvinicolæ, rebellione, belloque regi & Catholicis univerſim omnibus illato. Aperiant portas regi, ejusque clementiæ ſe permittant. Alia pax ſine dedecore iniri nequit. Veniet, ſpero,

 tempus,

tempus, quo exurget Hercules, qui virulenta hydræ capita uno ictu ſit demeſſurus.

At in exteras provincias conjuncta vertenda ſunt arma: ſuccurrendum oppreſſis principibus Germaniæ, Vallis Telina Hiſpano extorquenda, figenda meta creſcenti potentiæ. Vide, Lesdigueri, ne Calviniſtis, ſi fas eſt dicere, tuis, nimium faveas. Vis, ut bellum inferamus genti Auſtriacæ. Hoc omnium eſt ſectariorum votum. Quo crimine nos læſit? a ſexaginta annis inteſtinis motibus bellisque atrocibus a Calviniſtis conquaſſata eſt Gallia: an rebus ſe noſtris miſcuit? an Calviniſtis opem tulit? hæreticum in Gallia regem eſſe noluit. A Calviniſta regnum Bohemiæ ſibi eripi non eſt paſſa. Religionem Catholicam tuetur adverſus ſectarios. An improbas? Si ſeria fuit tua nupera profeſſio Catholica, vide, quid moliaris. Calviniſta eſt Fridericus, invaſor regni: Calviniſtæ maximam partem ſunt Griſones, crudeliter graſſati in Catholicos Vallis Telinæ incolas, pro libertate & religione certantes. Apud te ipſum penſa, quid nuper primum Mansfeldius, Friderici dux, ſit promeritus, dum cum viginti armatorum millibus in Campaniam noſtram irruit. Hos tu Galliæ & fidei hoſtes, in cauſſa ſua injuſta cupis a nobis adjutos. Næ tu præclarum induiſti Catholicum, qui tanto conatu cauſſam agis iniquam Calviniſtarum in Gallia, & extra Galliam.

Ego vero ita judicandum exiſtimo; minus prudentis eſſe conſilii, ad alienum reſtinguendum, aut potius inflammandum incendium accurrere, dum proprii penates ardent: dum faces ventilant & per provincias circumferunt Galliæ incendiarii. Eripiantur his prius exitiales tædæ: diſturbentur rebellionis propugnacula, auferantur arma; religionis & regni ſecuritati conſulatur: vindicetur majeſtas ſpreta: noſcat orbis, Ludovicum totius Galliæ eſſe regem, & neſcire ſtatum democraticum in ſtatu monarchico: aperiant clauſtra ſua ſectarii, & regis arbitrio ſe relinquant: niſi finiantur cauſſæ belli, non finiatur bellum. Eja! pene attigimus metam: quid hæremus? quod ſupereſt immenſo victoriarum curſui, vel momento quodammodo conficietur, ad aſſerendam regi majeſtatem, ad religionis decus immortale, ad perennem patriæ ſecuritatem.

Tremit, deſperat hoſtis, attritus miles, nulla ab externis auxilii ſpes, Anglus negat opem, Germanus & Batavus ſecum ipſo luctatur. Favent tempus, occaſio, omnia; quæ neſcio, an unquam nobis ſint reditura.

Poſt-

Poſtquam in utramque partem dictum, auditis ducum ſententiis, prævaluit Lesdiguerius. Decreta pax. Condæus, ne ſubſcribere cogeretur, petita miſſione, in Italiam abiit, in Lauretana æde, ut dicebat, voti exolvendi cauſſa, tædio haud dubie rejecti conſilii, quod Galliæ & religioni ſalubre putabat.

Decreta igitur pace, rex edictum promulgat, in quo ait, remedia a ſe tentata omnia ſanandis perduellibus, donec cognitum, curatione irritari malum: oppoſita igitur armis arma: proſtratam ſectam, coronæ minitantem: indignos quidem ſua clementia auctores ſeditionis, ſub qua gemuit, & gemit etiamnum Gallia, ſuorum proditione infelix; quia tamen ſe & ſua permittant ſibi, petentes veniam, recipere ſe eos in gratiam, quorum perduellio deberet patibulo expiari. Recenſet deinde pacis articulos. Pax decernitur.

1. Edicti Nannetici fides ſalva eſto, & integra ex omni parte. Articuli.

2. Catholica religio reſtauranda per totam Galliam, ejusque exercitium, prout ab antiquo viguit.

3. Eccleſiarum proventus reſtituuntor antiquis poſſeſſoribus, non obſtantibus uſurpationibus, & longo uſu contrario.

4. Religionis, quam reformatam appellant, liber uſus eſto in omni loco, ubi ante fuerat: uti etiam judicialis fori, vectigalium, & cameræ edictalis.

5. Munimenta, in ſectariorum urbibus recens exſtructa, diruuntor: neque aliud præter muros, turres & portas maneto.

6. Nova munimenta aut muros conſtruere ipſis vetitum eſto.

7. Conventuum indictio & celebratio eſto prohibita, exceptis conſiſtoriis, pro morum diſciplina corrigenda haberi ſolitis.

8. Perperam geſta ab ineunte anno 1621 rex condonat, iis exceptis, quæ art. 87 edicti Nannetenſis continentur.

9. Briſono & Privatio ſingulari diplomate veniam concedit.

10. Rationales, qui vi aut juſto metu adacti pecuniam ex ærario regio numerarunt, liberi ſunto.

11. Quæcunque ſententiæ & Parlamentorum placita, in rebelles ſectarios lata, irrita ſunto.

12. Qualiacunque judicia militaria ab exordio hujus ſeditionis valida habentor.

13. Captivi utrinque ſine pretio liberi dimittuntor, non obſtantibus obligatoriis inſtrumentis.

14. Inſtrumenta, actiones, tabulæ, proſcriptis adempta, reſtituuntor.

15. Edictum istud Parlamenta & Cameræ edictales in acta sua referunto.

*Datum Monspelii* 20 *Oct.* 1622.

Hi articuli fuerunt publicati. Alii, ad tegendum dedecus, secreti habiti. His Valesiorum ducatus in hypothecam Rohanio concessus, donec sexcenta librarum millia, ipsi promissa, acciperet, ad compensandam pecuniam, bello amissam. Promissa Subisio pensio annua, quantam ante bellum a rege acceperat. Calongio Rohanii legato pensio 6000 librarum constituta. (*Prob! quanta pretia perduellionis! & a victore!*) Rupellæ & Montalbano integra relicta munimenta, castro Albigensi, Nemauso, Amiano, Uticæ, pars dimidia: Monspelii diruta: magistratus ibidem mixtus ex Catholicis & sectariis constitutus, cum antea totus fuisset Calvinianus.

Urbes omnes, *quas in hanc diem* possederant sectarii, ipsis relictæ, sed sub titulo *precariæ concessionis*, etiam illæ, quas *matrimonii, securitatis, & fidei datæ obsides* appellare consueverant. Pensiones, prædicantibus, præfectis, & militibus stationariis urbium Calvinianarum, ex ærario regio pendi solitæ, penitus abrogantur.

Guisius, antequam de pace nuntium accepisset, navali prælio Rupellanos vicit, atque insignem retulit victoriam; cum autem dispersas hostilis classis reliquias persequitur, de pace nuntiatur.

Per hanc pacem res Catholica id emolumenti capiebat, ut ubique liberum ejus exercitium statueretur; nam sectarii illud ante varie turbabant: imo aliquibus in locis omnino exulabat. Deinde rex eas urbes & castella, quæ belli hujus biennalis tempore interceperat, non restituit sectariis. Decimæ & alii proventus ecclesiastici Catholicis restituti: & ministellis negatæ pensiones: munimenta ex parte diruta.

## ARTICULUS XIX.

*Richelius fit Cardinalis & primus minister. Seditio Monpeliensis. Rohanius datur in custodiam. Sectariorum tumultus. Rohanius liberatur. Rupellæ motus ob castrum Ludovicæum. Bellum Valtelinum. Modus exigendi tributa. Quæstorum peculatus. Mors Brulardi.*

27 Rex ovans. Confecta pace Monspeliensi rex Avenione transiens splendide a legato pontificis excipitur, geritque se velut in urbe sua. Inde Gra-

Gratianopolim, Delphinatus metropolim, episcopatu, Parlamento, & academia celebrem, invisit. Lugdunum cum veniret, Genevensis reipublicæ legati flexis genibus protectorem suum venerati sunt. Alias id receptum in Gallia, ut cleri, nobilitatis, & senatus oratores stantes, curvato tamen poplite, ordo populi provolutus in genua, regum legati stantes tecto capite, regem alloquantur, sedeantque, cum rex sedet. Calendis Januarii anni 1623 rex ovans Lutetiam per triumphales arcus ingressus est, ab omni ordine cum festiva acclamatione & plausu exceptus.

Ad preces reginæ matris Ludovicus Armandum *Richelium* proponit pontifici, in Cardinalium collegium cooptandum. Renuntiatus Cardinalis Avenione, ubi prius Luynii artibus exulabat. Haud multo post, dejecto Veteravillio, primi ministri dignitati, reginæ matris commendatione, admotus, Galliæ habenas capessivit, universo orbi regendo par. Indignante oculo aspexere principes & proceres, penes unum summam rei rursus futuram, Ancræum & Luinæum veriti.

Richelius Card. & primus minister.

Prima cura erat, ut pax Monspeliensis executioni mandetur, urbiumque munimenta ex præscripta formula diruantur. Ægerrime id habuit sectarios, Monspelienses maxime, quorum castella & propugnacula penitus erant prosternenda. Intolerabilius adhuc iis visum, senatum mediam partem constitui Catholicum, & cum ea quidem prærogativa, ut primus senator, veluti præses, esset Catholicus. Prope tumultus a seditione aberat, nisi Valancæus, qui ex pacis placito cum quatuor armatorum millibus Monspelii substiterat, donec munimenta essent demolita, & senatus compositus, eandem compressisset.

Rohanius audito urbis tumultu, protinus accurrit, an sedaturus, an magis accensurus, incertum. Valancæus ei ingressu interdicit, confirmatis necdum in pacem animis, probe facturum, si abstineret. Ille nihilominus, cinctus nobilium turba, ingreditur, & velut tutelare numen a cive excipitur. Rogat Valancæus iterum iterumque, ut urbe absisteret, donec æstus populi deferbesceret; cumque nihil proficeret, armata manu contumacem abducit in custodiam.

Rohan. captus.

Timuit nempe Valancæus, ne sub alis Rohanii corvi audacius crocitarent; alias etiam ira in eundem flagrans, quod nuper, dum novum advenientem regium militem per Cebennos in hyberna distribueret, scripto eos Rohanius hortatus sit, ut extrema patiantur potius, quam ut provinciam hactenus liberam ferant in servitu-

tem redigi. Unde visus est Valancæo nova rursus contra regem & pacem moliri.

Obstupuit omnis Gallia ad capti Rohanii nuntium. Furit omnis secta quam ante acerbius, spargitque minas. Seditiosi mox percurrunt provincias, pacem violatam clamant, opem postulant: supremum alias reformatis ecclesiis illuxisse diem: in Rohanio duce, libertatis vindice, cœptum facinus, mox in nobiles, ceu summa papavera, ac demum in totam reformatam gentem, propagandum: magnitudinem periculi festinum remedium poscere: omnium caussam verti: uniendas protinus vires: Montalbanum documento esse, virtus quid unita possit.

Res certe discriminis plena, ne tota rursus sectariorum natio insurgat. Subisius in ipsa aula tonat, ni ocius frater liber dimittatur, quinquaginta peditum, & viginti equitum millibus in libertatem asserendum, bellum atrox fore, & DEum ultorem perjurii.

Deliberatum illico in arctiori regis consilio, quid statuendum, in hoc rerum articulo, faciendumque. Fuerunt, qui dicerent, aut capiendum non fuisse Rohanium, aut supremum actum operi cœpto imponendum. Fidem ab ipso prius fractam: confirmatos in contumacia Cebennos, in seditione Monspelienses: occasione utendum opportuna: sectam capite minutam truncum fore exanimem. Mitius alii senserunt, atque rex ipse, mandatque Valancæo, ut Rohanium protinus libertati restituat, vel futurorum metu, vel fidei datæ religione; adjecta tamen conditio, ut Monspelio excedat, nec in illud redeat. Stetit pars utraque sententia regis, Valancæus liberando, Rohanius recedendo: cumque miles in urbe insolesceret, Monspelienses exstrui pro eo recipiendo arcem petierunt, cui pleno nisu ante obstiterant. Valancæo constructio & præsidium commissum.

Monspelienses castellum petierunt exstrui, Rupellani autem destrui: quod nempe rex prope ad eorum urbem, ut esset frenum, erexerat; *Ludovicæum* dictum ab ejus nomine. Sudes erat in oculis. Sæpe ab urbe in arcem, sæpe ab arce in urbem facta irruptio, velut inter hostes captæ utrinque prædæ. Rex sæpe a Rupellanis interpellatus, ut diruatur inimicum repagulum. Rex stare voluit. Hinc iræ superbæ civitati, in bellum denuo erupturæ. Similes tumultus Calvinistæ Apamiæ contra pacem initam excitabant: manifesto documento, quam inquietum turbidumque sit regnum, in quo harpyæ nidulantur.

Arx Ludov.

Ut

Ut religio majori auctoritate firmaretur, & Lutetiæ splendor accederet, episcopatus Parisiensis Senonensi provinciæ subtractus, in archiepiscopatum conversus est, attributis suffraganeis, Carnotensi, Aurelianensi, Meldensi. Primus archiepiscopus fuit Joannes Gondius, qui fratrem & nepotem Cardinales habuit. Archiepisc. Paris.

Incidit in hoc tempus bellum *Valtelinum*. Vallis Telinæ incolæ, apprime Catholici, a Grisonibus Calvinistis crudeliter habiti, privilegiis & libertatibus vi & armis privati fuerant: & vehementer laboratum, ut intrusa hæresi religione quoque privarentur. At illi pacta, vi injusta extorta, nullam vim habere rati, captata dein occasione Calvinistis partim cæsis, partim expulsis, in libertatem se vindicarunt, Hispanis ex vicino Mediolanensi ducatu eis opem ferentibus. Bellum Valtel.

Displicuit Gallis & Venetis, ab Hispanis in eo inter Italiam & Germaniam claustro pedem figi. Actum per legatos. Vallis Telina data Pontifici in depositum, donec caussa componeretur. Sed cum Hispani nihilominus dominari in ea viderentur, Estræus, apud Helvetos orator Franciæ, jussu Richelii Vallem armata manu, pulsis Pontificiis & Hispanis, occupavit, ac Grisonibus confœderatis suis denuo subjecit, salva tamen religione Catholica. Expulit sequentibus temporibus Gallum Hispanus, & iterum Hispanum Gallus. Ita magni reges pro pugillo terræ certabant: quem tamen neuter esset retenturus. Noluit nempe Gallia, ut Hispania cum Germania per vallem istam conjungatur.

Apud Cadurcos seditionem excitavit tributi exactio. Non eadem ubique in Gallia illud indicendi ratio. Gratuita olim erat largitio. Transiit cum tempore in necessitatem arbitrium. Duplex autem invaluit exigendi modus. In quibusdam provinciis plus minusve contributum pro arbitrio statuum provincialium, qui propterea quot annis conventum habebant. Tributi exactio.

Altera ratio in aliis provinciis severior. Nulla in his provincialium cognitio. Sed rex publicanis seu quæstoribus (quos *electos* Galli vocabant) indicit summam, quam petit. Hi pro fundorum modo distribuunt, exiguntque tanto rigore, ut nemo obstrepere ausit, nisi perduellis haberi velit. Nulla hic valent privilegia, nulla exemptio. Parendum quæstori.

Posteriori hac ratione ab electis, ad hoc destinatis, facta exactio apud Cadurcos, cum prior ac mitior antea fuisset usu recepta. In seditionem erupit populus, novitatis impatiens. Arripuit arma. Mirum! *Theminius* prætor illius provinciæ, cum centum equitibus

duodecim Cadurcorum millia profligat, & auctores seditionis ad furcam rapit, omni in futurum provincialium conventu interdicto. Publica tamen in electos aliosque quæstores ac publicanos querela fuit, peculatus & repetundarum reos: erecta proin *camera justitiæ*, quam lecti ex quolibet Parlamento duo componerent, præside Memmio. Habita severa inquisitio, tantumque criminis inventum, ut depeculatores ad decem librarum milliones, ærario regio restituendos, condemnarentur. Optime judicatum: sed executioni datum pessime; quippe illi, quibus ea commissa fuerat, adeo in se ipsos aliosque liberales fuerant, ut modicum in ærarium sit illatum. Executores executorum fuissent constituendi: & de his rediisset periculum. Sic populi sudore luditur, & patrimonio publico privata avaritia saginatur. Addit Gramondus, unum ex illis depeculatoribus tantum corrasisse pecuniæ, quo regnum emeretur: & cum centum patibula fuisset meritus, auro emisse ab executoribus vitam.

Cum sponsalia, a Carolo Walliæ principe cum Maria Hispana, Philippi IV sorore, non procederent, contractum nuptiale fœdus cum Henrica Francica Ludovici XIII sorore. Missa virago in abyssum calamitatum. Verum hæc in historia Anglica & Hispana prolixius dabimus; ne Gallica nimis excrescat. Quam ob caussam etiam fœdus, Gallos inter Batavosque anno 1624 renovatum, in Belgicis referemus *Part.* 9.

Obiit plenus dierum *Brulardus Sillerius* Galliæ cancellarius, sæpe, quæ aularum est vicissitudo, gradu suo dejectus, sæpe iterum restitutus. Quatuor regibus servivit, ultimam ætatem DEo & sibi impendit, inter mortem & mundana negotia intervallum constituendum prudenter existimans. Viavillius, quem ad præfecturam ærarii promoverat, virum integerrimum, quæ mundi est gratitudo, cancellarii munere dejecerat: sed dejector dejectus, datusque in vincula, e carcere Ambasiano profugus in Belgium exulatum abiit. (*Anno* 1624.)

ARTI-

# ARTICULUS XX.

*Calviniſtæ iterum rebellant, auctoribus Rohanæis. Bellum terra marique. Batavi detrectant pugnam adverſus fratres. Calviniſtæ vincuntur tribus præliis. Pax. Richelii conſilia. Bellum Genuenſe. Felix initium, infelix exitus, ob Italiæ conſpirationem, & Sabaudi ac Lediguerii diſcordiam.*

CAlviniſtas, ſi tam benignam pacem referant, brevi rurſus in bellum erupturos, prout Condæus prædixerat, annus 1625 oſtendit. Auctores novæ rebellionis Rohanæi fratres, Monſpelienſis cuſtodiæ memoria adhuc ſaucii. Et ſenior quidem cum uxore Bethunia utramque Septimaniam percurrit, ſtipatus miniſtellorum grege, magnumque Bibliorum volumen præferens, in templis, in plateis ad concionem dixit, eamque precibus, lacrymis, minis in bellum accendit. 28

Subiſius vero, tractis in rebellionis ſocietatem Rupellanis, arci Ludoviceæ iratis, inſtructa claſſe Ream inſulam invadit, regias naves abducit, Blavetum oppugnat, ferro & igne late graſſatur. Omnis ſecta correptis armis Catholicos, alta pace ſopitos, ſuique, ut putabant, ſecuros invadit.

Rarus regi miles, iſque per tenuia urbium præſidia diſperſus. Colligunt ſe tamen, quantum poſſunt, regii duces. Theminius & Valancæus in Septimania ſe opponunt Rohanio, eumque prælio vincunt: Mommorantius navali, Toraſius terreſtri certamine Subiſium.

Ubi illud memorabile ad noſcendam ſectariorum, etiam amicorum, indolem. Miſſa fuerat regi ex fœdere adverſus rebelles claſſis Hollandica: præfectus illi Hautinus, ad omnia lentus, retroſpiciens, numerum non vires augens. Opportuna prælio erat occaſio. Inſtat, urget, obſecrat Mommorantius, architalaſſus Galliæ; tergiverſatur, cunctatur, detrectat pugnam Hautinus: nullum ſe habere mandatum ab ordinibus Batavis, dominis ſuis, ut decretorio prælio experiatur cum Galliæ reformatis, ejuſdem religionis ſociis.

Tales fœderatos etiam hodie vidimus, qui optant hoſti victoriam, gaudentque vinci. Magna enim vero ſpes in talibus ſociis, qui, ſi non proditores cauſſæ communis, otioſi adſtant ſpectatores, ad hoſtem transgreſſuri lubentius; & arma in ſocium converſuri.

Quoties Catholici adverſus Catholicos omnibus viribus ſuccurrerunt ſectariis, Germaniæ, Sueciæ, Bataviæ! at Batavus religioni ſibi ducit ſtare fœderi adverſus ſectarios. Dicamus, quod res eſt; ſed cum pudore dicamus: inimicus humani generis magis religioſos, magis ferventes, magisque fidos habet ſervos, quam DEus.

Trina victoria, a Theminio, Mommorantio, & Toraſio reportata, ſecta jam fuerat attrita, cum caudam adhuc gyrat coluber, & rictum exerit, quin morſum adhuc gravem regiis in Septimania defigit.

Quippe, dum Theminius ingruente jam hyeme, pecunia, annona, re tormentaria parum inſtructus in Fuxenſem agrum expeditionem ſuſcipit, atque in eo urbem, quam *Manſum Azyli* nominant, oppugnare aggreditur, rerum defectum, tempeſtatem, morbos, hoſtem, adeo adverſos habuit, ut, trina impreſſione fruſtra tentata, multis ſuorum amiſſis, obſidionem ſolvere coactus fuerit, læto ſectariorum plauſu.

Quia tamen videbant, res ſuas in magnum diſcrimen adductas, neque pares fore ſuſtinendo in alterum annum bello, oratores ad regem mittunt, pacem rogaturos. Reſponſum illis, *Subiſium & Rupellam pace excludendos, reliquis vitam, bona, libertatem omnem, urbes, muros, jura, officia, & cætera omnia in eam diem poſſeſſa, ſalva fore, qualia edicto Nannetenſi continentur: Carolum Britanniæ regem pacis ſponſorem fore.*

Rohanius omnes nervos intendit, ut ſectam a pace averteret, niſi frater Subiſius & Rupella includerentur. Miſit in Hiſpaniam ad regem Catholicum, in Angliam ipſe Subiſius excurrit, ſubſidia rogaturi. At ſecta calamitatum pertæſa, majoresque rebus ſuis deſperatis metuens, communi delegatorum conſenſu ivit in pacem, a rege propoſitam, quam etiam exteri principes, Anglus, Sabaudus, Veneti, Batavi, vehementer urgebant. Cauſſa mox pateſcet. Se ipſos quærebant: Gallo adjutore felicibus armis domus Auſtriacæ, & creſcenti potentiæ limites unita vi figere volebant.

Hæc prima Richelii, dum rerum clavo fuit admotus, cogitatio. Hinc procul domo turbis Valtelinis ſe miſcuit, Griſones adverſus Catholicos juvit: Calviniſtis in Gallia, toties rebellibus, tam propitiam pacem dedit: hinc denique ea deinceps bella ſeminavit aut nutrivit, quorum acerbos fructus hodiedum in Germania Catholici ſentimus.

Bellum Genuenſe.

Cœptum a *bello Genuenſi*: cujus variæ cauſſæ traduntur: Marinus Genuenſis, Galliæ apud Sabaudum legatus in jus vocatus

Genuæ,

Genuæ, vadimonium deſerit. Publicantur ejus bona. Hoc Gallus & Sabaudus ad injuriam ſuam pertinere interpretabantur. Alii ducis imaginem Genuæ ludibrio habitam dicebant. Alii in æmulationem vicinæ dominationis, & terminum motum, cauſſam refundebant. Re ipſa per latus Genuenſium domus Auſtriaca petebatur. Hæc Richelio meta.

Genua, prælonga ripa in Orientem & Occidentem Mediterraneo ſubtenſa navigantibus eſt clavis Italiæ, *Janua* propterea etiam appellata. Clauſam hanc januam Hiſpanis volebant, ne per illam in ducatum Mediolanenſem & Germaniam illis ſit tranſitus; ſed Philippus Hiſpania, Ferdinandus Germania concluderetur. Nec dubitabant, eos ſe pro amica republica huic bello immixturos: quamvis illum Batavum, hunc Germanicum deſtineret.

Gallos Lediguerius Comes Stabuli, ſuos dux ipſe ducebat. Junctæ copiæ 25000 peditum, 4000 equitum conſtabant. Felices initio progreſſus. Miſſa Mediolano & Neapoli ſubſidia cæduntur. Trepidatum vehementer Genuæ: imbellis ætas & ſexus cum pretioſis Liburnum transmiſſa, deliberatumque in ſenatu. Utramque oram deſerendam, & omnes vires Genuam convocandas, pars major cenſebat. Interceſſit Doria, cui belli adminiſtratio fuerat commiſſa: enervandum hoſtem per ripæ clauſtra: Gallum, primo impetu ferocem, mora & cunctatione frangi: nec diuturnam inter duces fore concordiam: ventura interea ſubſidia, quæ Imperator, quæ rex Catholicus terra marique expediant. Itum in hanc ſententiam.

Vatem fuiſſe Doriam eventus oſtendit. Quamvis enim confœderati omnia, præter Genuam & Savonam, caſtella urbesque ſui juris feciſſent, & ducem Feriæ, Mediolani gubernatorem, ab obſidione trimeſtri Verrucæ depuliſſent, tamen, cum Imperator, Hiſpanus, duces Hetruriæ, Parmæ, Mutinæ, omnisque, demptis Venetis, Italia Genuenſibus ſuccurriſſent, cæſo Gallo & Sabaudo, omnique ripa in eos inſurgente, expeditio Italica evanuit, eo etiam maxime ex capite, quod inter ducem & Lediguerium ortæ diſcordiæ bona conſilia enervarint. Uterque primas partes ſibi vendicabat: alter alterum ſuſpectum habuit: Ledigueriùs proditionis etiam inſimulatus, quod pecunia a Genuenſibus corruptus, defuerit officio. Hoc certum, Gallos ſine honore in patriam rediiſſe, nullo alio operæ pretio, quam ut regi aurum & milites perirent.

A bello externo reditum ad turbas domeſticas. Pariſiis hoc anno 1625 habebantur comitia eccleſiæ Gallicanæ generalia, ſingulis

 gulis

gulis decenniis convocari ſolita. Aderant tres Cardinales, octo archiepiſcopi, triginta epiſcopi, inferiores Prælati centum. Actum de reformatione diſciplinæ eccleſiaſticæ.

Multum etiam moleſtiæ huic conventui intulere gemini libelli famoſi, hoc tempore in regem, Richelium, aliosque miniſtros, incertis auctoribus ſparſi, quibus illi traducebantur tanquam hæreſis in Germania & Valle Telina promotores. Verum de his mox uberior recurret ſermo.

## ARTICULUS XXI.

*Ira Richelii Cardinalis in Jeſuitas. Santarelli liber ob defenſam Papæ auctoritatem crematus. Ingens tempeſtas in Societatem. Servini interitus. Parlamenti & Sorbonæ cenſura a rege tandem compeſcitur. Sorbonæ diſſidia ob doctores regulares.*

29 ANno 1626 conventus cleri Gallicani condemnavit duos libellos famoſos, quorum uni titulus: *admonitio ad regem Chriſtianiſſimum*: alteri: *myſteria politica.* Utroque perſtringebatur Cardinalis Richelius, qui, ceu primus miniſter ad eum potentiæ ac dominationis apicem pervenerat, ut majori ipſum quam regem periculo offenderes.

Cum autem auctorem non poſſet detegere, in Jeſuitas (quibus etiam alias, quidquid mali contingit, affingi ſolet) ſuſpicionem conjecit, & indignationem; quæ quantarum eſſet virium, mox oſtendit, viris innocuis culpam alienam luere coactis.

Primus effectus iræ ſe exeruit in librum Antonii *Santarelli* theologi S. J. Itali, *de hæreſi, ſchismate, apoſtaſia & poteſtate ſummi Pontificis in his delictis puniendis*, Romæ editum, & a magiſtro ſacri palatii approbatum. In hoc auctor viſus eſt de poteſtate ſpirituali Pontificis in reges & principes liberius loqui, quam aliqui de ſenatu patiantur.

Traditus propterea liber igni, vocatique in examen Patres. Quaſi vero Societas in Gallia poſſet agi rea, ſi alicubi terrarum Jeſuita quispiam ſcribat aliquid, quod quibusdam in Gallia non placet. Si Romanam curiam conſtituerent, longe aliter, credo, decernerent. Imo facto ipſo videntur ſibi contradicere. Si enim rex adeo independens eſt, cur toties obluctantur edictis regiis? cur

tribu-

tribunitia velut poteſtate illis intercedunt? cur nullum decretum ratum eſſe volunt, niſi a ſe ſit confirmatum, & in acta relatum, ſicque robur accipiat?

Vix librum Santarelli editum eſſe *Servinus* intellexerat, cum Pariſiis non haberetur, Lugduno accerſendum putabat, ſuoque odio in Societatem implacabili expromendo denuo occaſionem ſe nactum ratus, in Parlamento coram rege ipſo tanta vehementia tantaque corporisque animique contentione in eandem detonuit, ut apoplexia tactus in ſenatu corruerit, rationem redditurus coram eo, qui judices judicat. Interitus Servini.

Exſpirantis hoc fato Servini in locum ſucceſſit *Talonus*, qui, coacervato, quidquid hæretici aut inimici Catholici in eam usque diem adverſus Jeſuitas ſcripſerant, eos denuo Gallia pellendos perſuadere conatus eſt, nec deerant, qui decretum exilii jam conciperent; verum *Molanus* regi propoſuit, quam inique ageretur cum Jeſuitis Gallis, ſi propter culpam unius hominis Itali, qui ſecundum morem ſuæ nationis ſcripſiſſet, tantopere deberent luere.

Verum liber Santarelli ſecundum curiæ decretum fuit publice flammis traditus, victima defenſæ poteſtatis pontificiæ, cætera innoxius. Santarelli liber crematus.

Sed necdum acta erat tragœdia. P. Cotonus, tunc Franciæ provincialis cum Ignatio Armando, aliisque duobus ſuperioribus, ad ſenatum citatus, atque per milites armatos eo deductus, a Verduno primo præſide fuit interrogatus, cur illi, qui gubernant conſcientias tot hominum, meliores poſſident cathedras, tot principum confeſſiones excipiant, magnamque juventutis in regno partem inſtruant, nihil ſcriberent contra pernicioſam doctrinam, multis libris in vulgus ſparſam, & in ſpecie contra librum Santarelli, qui tam patenter auctoritatem principum læderet?

Reſpondit Cotonus, prudentiam exigere, ut nihil ea de re in publicum emittatur. Nam ſcriptorem Gallum vapulaturum Romæ, ſicut ſcriptor Italus Pariſiis, totumque ordinem in diſcrimen adducturum. Societatem in id eſſe intentam, ut neminem offendat.

Quamvis hæc reſponſio ſapientioribus æqua fuerit viſa, propoſitum nihilominus Patribus fuit ſcriptum approbandum & ſubſcribendum, in quo iſtæ quatuor propoſitiones continebantur. Vexa Societatis.

1. Regem poteſtatem ſuam & dignitatem a nemine accepiſſe, niſi a DEo & ſuo gladio.

2. Papam nullam habere poteſtatem, nec coercitivam nec directivam in ſupremos principes.

3. Regem

3. Regem non posse excommunicari.

4. Papam non posse subditos liberare a juramento fidelitatis, nec regnum interdicto subjicere, quæcunque demum subsit caussa.

Cotonus respondit, subscripturos Jesuitas, si Sorbona & clerus Gallicanus pariter velit subscribere; at suum non esse, superioribus ecclesiasticis legem ponere, nec aliis, quæ ante se fuissent, ecclesiæ partibus: præsertim, cum statibus generalibus regni anno 1614 visum fuerit, hanc materiam non attingere, idque a rege ipso fuerit approbatum.

Nuntius apostolicus, quem Cotonus accesserat, nec ipse in hoc contentionum æstu audiebatur. At vero Richelius, iræ suæ in Societatem, sola suspicione sua conceptæ, satis litatum ratus, significavit, a Jesuitis nihil aliud exigendum, quam ut subscribant formulæ, promissum generale continenti, quod velint signare censuram, a Sorbona & clero Gallicano in librum Santarelli ferendam: quod Cotonus jam ante Parlamento obtulerat.

In Sorbona acerrime dimicatum fuit, quanam censura liber Santarelli sit perstringendus. Tandem per majora vota, urgentibus maxime Richeristis, quibus Sorbona scatebat, censuram protulerunt: quod scilicet doctrina, in libro contenta, sit *nova, falsa, erronea, contraria verbo DEi, inspirans odium adversus Papam, inferens schisma, derogans supremæ regum authoritati, qui non dependeant, nisi a solo DEo, objiciens obstacula conversioni regum infidelium & hæreticorum, aperiens viam turbis, factionibus, parricidiis.*

Tinnierunt ambæ aures multorum ad tam acerbam censuram facultatis; totoque nisu se opposuerunt, non modo multi doctissimi ac pientissimi præsules, sed etiam cum Duvalio, Mauclerco, Reverdo, Pouleto, Isamberto, non pauci doctores Sorbonici: his instantibus, & injustitiam censuræ demonstrantibus, plures, qui eam tulerant, ad alteram partem se contulerunt.

At vero senatus decreto edito, censuram observari jussit, cum severa prohibitione, ne quis contra illud loqui aut scribere præsumat. Et quamvis rex gemino decreto graviter prohiberet censuram publicari, aut Santarellianæ caussæ se immiscere, non tamen obtemperatum fuit.

Idem parendi regiis mandatis subtractum obsequium in caussa ipsius Sorbonæ; nam doctores Sorbonici sæculares exclusos volebant doctores regulares, qui non essent de hoc mundo; quamvis hacte-

hactenus nullo diſcrimine ſtatus aut ordinis omnes doctores theologiæ fuerint in facultatem admiſſi, ejusque conventus.

Seculares ad Parlamentum, regulares ad regem ejusque conſilium libellum ſupplicem dederunt. Parlamentum multitudinem religioſorum Sorbonæ indecoram exiſtimans, ſtatuit, ut duo tantum ex quovis conventu regulari ad conventus Sorbonæ admitterentur. Rex vero cauſſam ad ſe & conſilium ſuum aulicum avocavit; at vero ſenatus, jura ſua lædi queſtus, in perferenda lege perſtitit, petiitque a rege, ne toties cauſſas ad aulam, & conſilium ſuum arcanum avocaret. Sed rex ſilentium ea ſuper re impoſuit; ſervatumque eſt ad annum usque 1649, quo doctor de *Saint Amour*, & Arnaldiſtæ, ejus ſocii, excludi volebant e facultate Hallierum ſyndicum, de multitudine doctorum mendicantium, qui ad conventum venerant, conqueſti. Qua ſuper re Parlamentum priſtinum ſuum decretum renovavit. Sed obſervatum tunc non fuit usque ad annum 1663, quo contra regularium multitudinem a conſilio regio fuit confirmatum.

Dum Parlamentum quæſtionem theologicam agitabat, facultas Medica & Artium, tantundem ſibi conceſſum rata, P. Teſtefortii theſin condemnavit, qua dicebatur, *ſacram ſcripturam partim in bibliis, partim in decretalibus, quatenus iſtæ ſacras ſcripturas explicant, contineri.* Quamvis autem theſis iſta ad theologicam amuſſim non ſatis exacta ſit viſa, juſſu tamen regis, a præſulibus implorati, cenſura revocari debuit; quia a judice incompetente lata.

## ARTICULUS XXII.

### *Canadenſis miſſio a Calviniſtis diſturbata. Mors Petri Cotoni & Servini diverſa.*

IN Canadam, ſeu novam Franciam, jam ab Henrico IV introducta fuerat Societas & per eam religio, ſed ab Anglis rurſus expulſa. Ne igitur hic ager deſolatus ſqualeret, authoritate ducis Ventadurii Lalemannus, Brebeufius, & Maſſæus, Societatis noſtræ ſacerdotes, rurſus in Canadam navigarunt, ac altero menſe Quebecum provinciæ caput attigerunt: ſubmiſſi brevi Noyrotius, Noæus, aliique plures. Sed Hugonoti, penes quos omne in nova Francia erat commercium, tam nigram de Jeſuitis ideam incolis impreſſerant, ut nihil magnopere ad gentis ſalutem proficerent. 30

Canadenſis miſſio.

Delata querela ad Richelium, frustraneos esse labores Evangelicos, quamdiu apud Hugonotos esset commercium: arceri alimenta, & gravissimas alias inferri ab illis molestias, transferre negociationem ad Catholicos statuit, ac centum mercatores Catholicos cum novis Missionariis quatuor navibus imposuit. At cum oram Canadensem attigissent, viderunt flumen S. Laurentii ab Anglis, quos Hugonoti ex Virginia evocaverant, obsessum. Vi quæritur ingressus: sed multitudine Anglorum, magnoque navium & armorum apparatu obruti, post sex prælii horas, deditionem facere coacti sunt. Jesuitæ in Angliam, ceteri in Galliam remissi sunt. Quebecum quoque deditum Anglis; Societatis domus direpta, triumphantibus Galliæ Hugonotis, mali omnis auctoribus. Et quidem hæc acta sunt pacis tempore, dum Galliæ neque cum Anglis neque cum Hugonotis erat bellum in Europa, anno videlicet 1626. (*Cordara hist. Soc. l.* 10 *in fin.*)

Cotoni obitus.

Obierunt hoc anno Cotonus & Servinus: quorum, sicut diversa fuit vivendi ratio, ita & moriendi. *Petrus Cotonus*, Canadensis Missionis magnus promotor, morum integritate, vitæ sanctimonia, zelo religionis, constantia in adversis, prudentia, modestia, doctrina, eloquentia excellenti, tota Gallia celebris, quanto bonis in amore & æstimatione, tanto malis, & præsertim hæreticis, fuit odio: utroque maximo. Quot illi cum his certamina! quot calumniæ in illum voce, & libellis famosis, sparsæ! quoties quæsitus ad necem! quoties dignitates, etiam præcipuas sibi oblatas, respuit!

Henricus IV perspecta illius virtute & doctrina, conscientiæ suæ arbitrum esse voluit. Post nefariam ejus cædem, institutio Ludovici XIII a regina matre Cotono commissa, cui etiam a confessionibus & concionibus esset. Hinc novus in illum depluit nimbus calumniarum, sed velut in rupem. Sæpius petiit missionem ab aula, quam tandem post 20 annos, nempe 1617 obtinuit: moxque tyrocinium Lugdunense adiit, sui, ut dicebat, colligendi caussa; sed adeo tempore illo otiosus non fuit, ut solo anno 1618 ad populum 220 conciones habuerit. Anno 1621 Burdigalensis collegii rector, simulque concionator, Aquitanicæ dein provinciæ, ac demum Franciæ summa cum laude præfuit, in eo munere anno 1626 omnibus sacris procuratus placidissime obiit, ætatis 63. Ad exequias ejus ingens populi fuit accursus, eum virum sanctum publice prædicantis. Hæc & alia plura prolixe recenset Nathanael Sotuellus in Bibliotheca Scriptorum Societatis.

Sed

Sed audiamus ſcriptorem externum, Gabrielem Gramondum, teſtem minime ſuſpectum, qui Cotono hoc elogium ſcripſit: *longa illi in virtute perſeverantia*, inquit, *& procul ambitu vita. Henrici IV conſcientiæ admotus, nullo rei privatæ ſtudio egit in aula innocenter: ſcientiarum apicem ingenti laude adeptus eſt: facundia floruit adeo, ut eloquentiæ imperium penes Cotonem eſſet. Magna hæc certe apud homines, maximum, quod in DEo vixit, florens & candens lilium inter ſpinas, hoc eſt, homo incorruptus in aula.*

Libros edidit plurimos, ſapientia, eruditione, & virtute plenos, maxime adverſus miniſtros ſectæ Calvinianæ, uti epiſtolas de fide Catholica apologeticas adverſus Chamierum; acta diſputationis cum eodem: apologiam pro ſe ipſo adverſus Anticotonum: inſtitutionem Catholicam contra inſtitutiones Calvini: librum contra miniſtrum Rigordum: defenſionem concilii Tridentini: epitomen controverſiarum: Genevam plagiariam, ubi oſtendit, quot ſacræ ſcripturæ loca Calviniani corruperint: relapſum Genevæ plagiariæ: librum de devotione Calviniſtica: apologias varias de miſſæ ſacrificio, matre DEi &c. ac præterea multas conciones, Manuale precum, meditationes, aliosque libros aſceticos.

Hæc prolixius aliquantum ſcribenda cenſui, quia vix credo alium fuiſſe Societatis noſtræ hominem, quem ſectarii tot mendaciis atque calumniis appetierint, cui tot inſidias ſtruxerint, atque Cotono, hæreticorum malleo.

Communi cum his odio, eoque, quoad vixit, implacabili, in Cotonum, totamque Societatem flagravit Servinus, in Parlamento advocatus fiſci, eundem, prout ipſam etiam ſedem apoſtolicam, qua voce qua ſcripto perpetuo inſectatus. Hinc quibusdam creditum, non eſſe Catholicum.

Cum hoc anno tanto furore (quod ſupra attigimus) in Parlamento regiis edictis obluctaretur, ut ſui impotens *ſubſellia manu frangeret*, repente concidit exanimis; *JEſus, Maria* exclamans. Ex quibus verbis colligit Gramondus, obiiſſe Catholicum, quamvis ſine omni ſacramento, aut alio ſigno Chriſtiano.

## ARTICULUS XXIII.

*Diſcordiis ac turbis miſcetur aula per Ornanum, & Gaſtonem. Ornanus in carcere. Conſpiratio principum in Richelium. Vindocini fratres in carcere. Chaleſius plexus capite. Bellum Anglicum. Buquingamus profligatus a Toraſio & Schombergo. Rupella expugnata, & expurgata. Erectum trophæum in monumentum ſtupendi operis. Mors Lediguerii.*

31 ANnus 1626 inteſtinis plenus diſcordiis, tragicam aperit ſcenam, magnis capitibus funeſtam. Mali origo ab invidia & odio in Richelium, quem, omnia gubernantem, ſicut olim Ancræum, & Luynium, principes ac proceres deturbare de tanta potentia nitebantur.

Gaſto concitatur in Card.

Ornanus Gaſtonem, ducem Aurelianenſem, regis fratrem, cujus erat moderator, inſtigat, ut, cum jam id eſſet ætatis (18 annos impleverat) prodiret ex tenebris, & rei publicæ manum adhibeat: unum dominari Richelium, neglecto & contempto regis fratre, rege ſterili, in proximam ſpem regni nato: uſu diſcenda regni arcana, & manum aptandam clavo. Dejiciendum a politico imperio, eccleſiaſtico homini interdicto, Cardinalem, & ad aram ſuam remittendum; principum ac procerum hoc votum eſſe: omnes conſilia & opem collaturos, ſi Gaſtonem, orientem veluti ſolem, cauſſæ communis caput ſalutare queant.

Audiit attente ſibilum titillantem Gaſto: inſinuare ſe aulæ: intereſſe conſiliis; miſcere ſe negotiis: circumſpicere ſocios & amicos. Exulcerabat magis ipſius animum, quod ſponſa ei deſtinaretur Monpenſeria, domus Monpenſeriæ, ex ſtirpe Borbonica oriundæ, hæres, ac proin pinguem dotem allatura: a qua tamen abhorrebat.

Maxime autem principis iram accendebat ab ipſius latere abſtractus, & in vincula conjectus *Ornanus* mareſcallus, ejusque fratres. Tum enim vero Gallia in partes abiit. Sueſſio princeps, Vindocinenſes fratres, Henrici IV filii naturales, aliique proceres in Richelium conſpirant, eumque captivum abducere decernunt. At Cardinalis callidus & cautus totam telam in ſe textam detegit. Conjiciuntur in carcerem Vindocinenſes principes, quorum alter magnus Franciæ prior, in carcere mortuus, alter Britanniæ magna

cum

eum authoritate præerat, ab ipſo fratre ſuo decepto, in aulam & caſſes pellectus. Captus uterque Bleſis concubia nocte, dum uterque in eodem cubili, ſui ſecuri, & alto ſomno oppreſſi dormirent. Al grius cancellarius ob ſuſpectum reſponſum Gaſtoni conquerenti datum munere dejectus: Sueſſio fuga evaſit: Chaleſius, Gaſtonis & Cardinalis proditor, præſertim vero ſui ipſius, capite plexus: plures alii ad carceres condemnati, actumque adeo ſevere, ut omnes, quos Richelio adverſari conſtabat, aut morte aut carcere plecterentur. Quia autem plures timebat inſidias, militaris cuſtodia fuit adhibita, tanquam regi: & quantum creſcebat invidia, tantum potentia, præfectura Britanniæ auctus, & archithalaſſi munere, a Mommorantio in ipſum translato.

Poſtquam anno 1626 hæc acta ſunt, tumultus domeſticos externi rurſus exceperunt, bellum maxime Anglicanum, & Hugonoticum, a Rohanæis fratribus & Buquingamo Anglo concitatum; quippe Subiſius, quod ſupra dixi, a Mommorantio & Toraſio terra marique victus, fugit in Angliam, ut bellum adverſus patriam & regem ſuum accenderet. Bellum Hugon.

Quas negavit Jacobus pater, aures præbuit Carolus filius: Subiſii & Rohanii partes ſtrenue adjuvante *Buquingamo*, qui præfecturam hujus belli ambiebat. Quæſitus bello color ex prohibito nuper Mansfeldio per Galliam tranſitu, quo decem Anglorum millia periiſſe in Palatinatu dicebant, atque Fridericum exulem deſtitutum ſubſidio. Addebant, violatam per oppreſſionem reformatorum pacem, cujus rex Angliæ ſit fidejuſſor. Cui accedit Anglia.

Igitur *Buquingamus* cum ingenti & ſuperba claſſe centum navium, quibus decem Anglorum, & tria Gallorum millia vehebantur, Ream inſulam, Rupellæ obverſam, aggreditur. Victi numero Galli in arcem Martinianam ſe recipiunt, quam *Toraſius*, inopia licet omnium rerum laborantem, tanta fortitudine & conſtantia defendit, ut Buquingamus, omnibus incaſſum tentatis multisque ſuorum amiſſis, obſidionem quadrimeſtrem ſolvere fuerit coactus. Recedentem Galli, ſuppetiis a Schombergo aucti, magna edita ſtrage profligant, & in Angliam fugere compellunt. Toraſius a rege dictus mareſcallus Franciæ, Richelio minus applaudente, quia timuit, ne æmulus ſuccreſceret. Toraſii virtus.

Interea vero, dum Angli, iisque permixti rebelles Galli ad San-Martinianum hæſerant, Rohanius more ſuo provincias Aquitaniæ & Occitaniæ percurrit, omnesque ſectarios ad arma corripienda, & cum Anglis conjungenda excitabat. At miſſi Condæus,

Mommorantius, Ventadurius, nullo eum loco ſunt paſſi conſiſtere. Occupatæ multæ rebellium urbes, relatæque victoriæ.

Rupellæ expugnatio, Coronidem addidit Rupella, ſectæ armamentarium, perduellionis caput, & omnis mali fons, quæ, excuſſa regia auctoritate, democratiam quandam formaverat. Fruſtra illam Carolus IX per fratrem Henricum Valeſium oppugnaverat. Et credebatur invincibilis. Vallis, muris, arcibus, propugnaculis, munimentis ſtupendis ſuperbiebat. Domandus prius oceanus, fræno & compedibus conſtringendum elementum indomitum: domuit, conſtrinxit Richelius: Alexandri in expugnanda Tyro æmulatus exemplum, trabibus, tignis, arboribus ingentibus, ſaxis immanibus, atque navigiis ponderoſe ſaburratis, in undas demiſſis; molem admirandam conſtruxit, eaque portum clauſit, ne Anglis, aut aliis ſectariis aditus pateat.

Cum igitur omnis commeatus eſſet interclusus, omnibus equis, felibus, canibus, muribus, pellibus, corio, & membranis conſumptis, atque 13000 fame jam enectis, extrema eſuries poſt 15 menſium obſidionem pertinaciam tandem fregit, ut ſupplices veniam precarentur & urbem dederent. Rege cum prætoriano milite & mille nobilibus triumphantis more urbem ingreſſo, purgata & reconciliata templa; Cardinalis Richelius celebravit ſolenne miſſæ officium, P. Suffrenus S. J. ad concionem dixit, ſubjuncto hymno Ambroſiano.

Et repurgatio. Poſtridie ſolenniter ad aram operatus eſt archiepiſcopus Burdigalenſis: circumlatum ab eodem ſolenni ſupplicatione ſanctiſſimum ſacramentum, umbellam geſtantibus duobus principibus, & duobus Franciæ mareſcallis, rege cum longo nobilium agmine ſubſequente.

Sub veſperum erectum Chriſto victori trophæum, cruce ſublimi loco affixa cum hac inſcriptione: fuſis terra marique Anglis, fractis ſectariorum partibus, victa ſubditorum rebellantium pervicacia, vero DEi cultu reſtituto, oceano compedibus vincto, Rupella in deditionem accepta, dubium majore clementiæ an fortitudinis exemplo, regibus & principibus fruſtra conjurantibus, victor exercitus DEo O. M. & Ludovico XIII Galliarum Navarræque regi inviĉtiſſimo, Pio, Juſto, Triumphatori, hoc monumentum ſacravit, principibus decus, hoſtibus terror, applauſus Gallis, exemplum poſteris, orbi univerſo portentum. (*Anno* 1628.)

Inſcriptiones.

Inciſa

Incisa etiam fuit æneæ tabellæ totius obsidionis imago cum hac epigraphe, quam haud dubie amica Richelio manus posuit: „ Ludovico XIII regnante, Armando Card. administrante, prin-„ cipibus Europæis frustra in Galliam conjuratis, injecta oceano „ fræna, Rupella capta, hæresis conclamata. Obstupescis & mi-„ raculi auctorem quæris? non est unius tantum hominis opus. „ Duo sunt. *Ludovicus fecit: Armandus invenit.*

Dicitur autem in his inscriptionibus primo: *fusis terra marique Anglis*; nam non modo ante obsidionem Rupellæ, dum arcem S. Martini oppugnarent, victi & in Angliam repulsi sunt; sed etiam, dum Rupellæ jam obsessæ subsidio venerunt.

Dicitur secundo, *Europæos reges & principes frustra in Galliam conjurasse.* Quia Gallici scriptores tradunt, non tantum Angliæ, sed Hispaniæ quoque regem, ducesque Lotharingiæ ac Sabaudiæ cum Hugonotis Galliæ conspirasse, imo articulos fœderis exhibent, inter regem Hispaniæ & Rohanium, Hugonotorum caput, initi: atque hoc scutum obtendunt, cum illis objiciuntur fœdera, cum Batavis aliisque sectariis inita. (*Vid. Gramond. lib.* 18 *Brietius ad annum* 1628)

Regiæ denique *Clementiæ* fit mentio; quia rex vitam & libertatem sectæ Rupellanis non ademit. Mœnibus tamen & munimentis omnibus exuit; ut adeo urbs tam superba in patentem pagum abiret; donec anno 1659 rursus munita fuit, imposito tamen, ut cohiberetur deinceps, castello, cum præsidio regio.

Obiit *Lediguerius*, per omnes militares gradus ad summas dignitates eluctatus, factus ex advocato miles gregarius, signifer, locumtenens, centurio, tribunus, castrorum metator, mareschallus Franciæ, Comes Stabuli, seu summus armorum præfectus. Virtuti militari hæc debuit, & erga quatuor reges fidei. Provecta ætate conversus Catholice obiit. A Barberino legato interrogatus, *quando pontificem sit agniturus*? respondisse fertur: *cum tu eris pontifex.* Quod dixit, implevit.

Mors Lediguerii.

ARTI-

# ARTICULUS XXIV.

*Bellum Mantuanum. Pax cum Sabaudo. Belli Hugonotici reliquiæ. Privatii pertinacia. Qualis pax data sectariis. Regina mater, & Gasto ab aula recedunt. Nuptiæ Gastonis, & bellum adversus Richelium. Captus Mommorantius & capite plexus. Lotharingia occupata.*

32 FErvente adhuc obsidione Rupellana exarsit bellum Mantuanum; quod, cum jam supra in historia Germaniæ fuerit expositum, brevissime hic perstringo.

Anno 1627 obiit Vincentius II dux Mantuæ & Montisferrati absque liberis. Quinque erant competitores: 1 Carolus Gonzaga materna hæreditate dux Nivernensis, in Gallia natus & educatus, proximus masculina ex stirpe defuncti agnatus, & ab eodem institutus hæres. 2 Ferdinandus dux Guastallæ, linea & gradu uno remotior. 3 Duæ defuncti sorores, quarum una duci Lotharingiæ, altera Ferdinando II Cæsari erat nupta. 4 Vincentii ex fratre defuncto neptis: cujus mater Sabaudiæ ducis erat filia: vetera præterea in ducatum Monsferratensem jura allegabat domus Sabaudica.

Lis de Mantua.

Tardius investituram petiit Nivernensis a Cæsare; qui utrumque ducatum in sequestrum dari voluit, donec caussa inter competitores judicio esset definita. Recusavit id Nivernensis, qui se ipsum jam in possessionem miserat. Hæc autem dum agerentur, Corduba Mediolani gubernator, Casalim, quam Galli propugnabant, obsidet, Sabaudus vero reliquas Montisferrati urbes occupat, & Nivernensis ducis in Gallia conductas copias, octo armatorum millibus constantes, ita contrivit, ut ne unus quidem in Italiam evaderet.

Nivernensis opem Ludovici regis implorat; qui Rupella expugnata, expeditionem Italicam decernit, matrique regni cura commissa, bruma licet rigente Sabaudiam occupat; inde per montes eluctatus Susam oppugnat, cum regem inter & ducem in has conditiones convenitur.

Pax cum Sab.

1. Dux Sabaudiæ liberum Gallis in Italiam transitum reditumque permittit: annonam justo pretio ministrabit.

2. In fidei pignus interim regi traditur Susa.

3. Excepta

3. Excepta *Trino*, dux decedet possessione eorum, quæ in Monferratensi ducatu occupavit.

4. Pedemontium & Sabaudia neutras in hoc bello partes sequantur.

5. Promittit rex protectionem, si quispiam odio hujus pacti bellum duci moverit.

6. Hæc si fuerint præstita, duci restituetur Susa, Trinum vero tanquam proprium possidebit: & insuper Nivernensis annuatim præstabit quindecim aureorum millia.

7. Additi articuli secreti de fœdere cum Italicis principibus ineundo.

Corduba his cognitis Casalis obsidionem solvit. Illi præfectus Torasius, Susæ Crequius. Sed cum dux tergiversari videretur, & (ut loquitur Brietius ad an. 1630) artibus suis Franco plus noceret, quam vi & armis, Richelii consilio bellum illi denuntiatum fuit. Occupata Sabaudia, transmissæ rursus Alpes, captæ Saltiæ; Casalis strenue defensa a Torasio adversus Ambrosium Spinola, sed antequam advenirent Galliæ auxilia, Santa Crucio, Spinolæ, tædio mortui, successori dedita. Capta a Cæsarianis Mantua, atque direpta. Postquam autem Galli in Italiam sub tribus marescallis penetrarunt, jamque ad pugnam accinctæ stabant adversæ acies, de pace, Ratisbonæ inita, nuntiatum est. Conditiones supra in hist. Germ. recensui. Concessus Nivernensi uterque ducatus, Sabaudo restituta, quæ fuerant ablata. Horum aliqua posterius quidem acta sunt, anno videlicet 1630, sed placuit hic conjungere.

Reliquiæ belli Hugon.

Capta Rupella multum adhuc belli supererat in ipsa Gallia adversus Hugonotos: tametsi enim excetræ caput esset abscissum, movebat tamen adhuc caudam & corpus reliquum. Nam licet multæ se urbes regi subjecerant, per Occitaniam tamen seu Septimaniam (*Languedocium* vulgo appellant) furorem obstinatum secta exprompsit, auctoribus & incentoribus, prout ante, Rohanæis fratribus; qui bello Italico confisi, illique regem succubiturum ominati, in vanas spes insanientes sectarios accendebant. Nec modica ipsis fiducia in Hispaniæ & Angliæ regibus, quorum intererat, semper in Gallia superesse aliquid, quod Gallia timeret, si extra se arma porrigeret. Quid de fœdere Hispani cum Hugonotis inito Galli scriptores referant, cum statum Hispaniæ recensebo, breviter attingam *Part. IX.*

Privasii direptio.

Frontem præ reliquis obduravit *Privatium* seu *Privasium*, urbs ad Vivarienses sita. Rex ipse cum Richelio illam oppugnat. Tor-

mentorum vi ruina omni ex parte editur. Ter magno impetu irruptionem per murorum hiatus tentant regii, ter repelluntur; & prope aberat, quin erumpentes caſtra regis expugnarent. Tandem numero victus miles præſidiarius, noctu urbe elabitur in caſtellum. Poſtera die ingreſſi regii urbem diripiunt. Non ætati, non ſexui, non ædibus parcitum. Haud multo poſt arx quoque expugnatur: præſidiarii alii cæſi, alii fuga dilapſi.

Tandem cum ſectariis omnibus in has conditiones conventum.

Pax cum Hugon.

1. Catholicæ religionis exercitium ubique liberum eſto. Clericis & religioſis bona, reditus, monaſteria, a quocunque poſſideantur, reſtituuntor.

2. Crimina, occaſione belli patrata, condonantur.

3. Libertas religionis ſectariis conceditur, prout in edicto Nannetenſi continetur.

4. Intra tres menſes omnia munimenta ab ipſis ſectariis, ſolis mœnibus exceptis, diruuntor.

5. Reſtituuntur ſectariis bona, licet fiſco ſint addicta.

6. Sectariis conceditur libera manſio per totam Galliam, exceptis Rupella, Privatio, & inſulis Rea & Oleronio.

7. Manebunt ſectariis edictales cameræ pro judicandis eorum cauſſis.

8. Qui authoritate publica regias pecunias pro communi cauſſa impenderunt, ab actione repetundarum abſolvuntur.

9. Juſtitiæ & rationalium cameræ reſtituuntur.

*Datum Nemauſi menſe Junio 1629.*

Solum Montalbanum recuſavit munimenta ſua diruere. Sed cum Richelius exercitum adduxiſſet, imperata fecit. Rohanius dudum proſcriptus, rebellionis ſæpius auctor, cum videret, fruſtra ab Hiſpanis & Anglis exſpectari ſubſidia, & ſectarios ſe regi ſubjeciſſe, tandem etiam compulſum ſe vidit, gratiam implorare: ſed juſſus eſt Gallia faceſſere, nec ſibi, nec regis ſubditis, quamdiu in ea viveret, ſatis tuta. (*Brietius ad an.* 1629) Inita etiam pax inter Anglum & Francum, cum jam hic nihil amplius, ille omnia timeret a ſuis.

Obitus Rohan. fratrum.

Porro Subiſius in patriam non rediit, ſed anno 1641 in Anglia improlis obiit. Rohanius vero poſtea iterum in gratiam receptus, legatione apud Griſones & Venetos functus, Genevam receſſit, ubi tanquam numen quoddam Calvinianum fuit ſuſceptus. Sed quietis impatiens, Bernardi Vinarienſis caſtra ſecutus, accepto ad Rhenofeldam lethali vulnere, Tigurum primum, dein Königsfel-

dam, celebre olim, in cantone Bernensi monasterium, transportatus, ibidem hæresi suæ immortuus est anno 1638, ætatis 59. Cadaver ejus uxor, Bethunii Sulliaci ducis filia, Genevam transferri curavit, ubi terræ mandatum est, inscripto ingenti elogio. Addere liceat: *hic jacet corpus Henrici Robanii ducis: sed ubi anima?*

Neque hic stemma propagavit. Quantum autem hi duo fratres religioni Catholicæ nocuerunt, tantum alii Rohanæi principes eidem profuerunt, optime de ecclesia meriti, summis Cardinalatus & archiepiscopatus dignitatibus in ea fulgentes.

Bello Hugonotico finito, ut nulla unquam esset Galliæ quies, reditum mox ad turbas domesticas. Cardinalis Richelius adeo totum regem occupatum habebat, ut nullam aliis in eo partem relinqueret. Magna propterea in aula flagrabat invidia non modo apud proceres, sed etiam Gastonem, ipsamque adeo regis matrem; quæ tamen antea, dum tutelam gereret, & postea Luynii artibus ab aula fuisset relegata, Richelium ab intimis consiliis habuit, exilium eam ob rem cum illa passum.

Cum autem post mortem Luynii in aulam ad filium rediisset mater, illius commendatione Romana purpura ornatus, & regis lateri ceu primus administer in locum Luynii fuit admotus. Quod sane vel facere non debuerat, vel a se ipsa in id fastigium provectum, & rebus Galliæ augendis fortiter ac provide excubantem, æquo animo ferre, redundante in auctorem creaturæ gloria.

At, prout variabilis est fœminarum indoles, & inquieta imperitandi cupiditas, indignata, plus apud regem servum, quam matrem & fratrem, posse, ut oculos subtraheret inviso spectaculo, ab aula recessit, primo Compendium, postea vero in Belgium ad Hispanos. Gasto cum matre recedit.

Matris partes, eadem invidia & odio stimulante, secutus est Gasto, alter filius; qui proceribus aliquot stipatus primum Aureliam, provinciæ suæ caput, dein in Burgundiam & Lotharingiam evasit, sed a rege insequente undique pulsus, denique in Belgium ad matrem fugit, bellum adversus fratrem præparaturus. (*Anno* 1631.)

Anno sequenti regis iram adhuc magis accendit Gasto, dum, (mortua in puerperio prima conjuge, Maria Borbonia, Henrici Monpenserii filia hærede) fratre non consulto, duxit Margaritham, Caroli III Lotharingiæ ducis sororem. Hoc matrimonium curia Parisiensis invalidum declaravit, quod lege cautum esset, ne principes regii sine regis & Parlamenti consensu nuptias contrahant: quasi vero laicus senatus impedimenta matrimonii dirimentia posset statuere.

 In-

Mommorantii cædes.

In bellum apertum erupit diſſenſio. Nam Gaſto, tracto in partes ſuas Henrico Mommorantio, Occitaniæ gubernatore, tanquam regem e Richelii manibus erepturus, cum paucis copiis adverſus regium exercitum, quem mareſcallus Schombergius ducebat, progreſſus in aciem, facile victus, & cum fratre rege paciſci coactus eſt. *Mommorantius* vero in confertam aciem invectus, vulnerum plenus captus, atque a Toloſano ſenatu læſæ majeſtatis condemnatus, capite plexus eſt, omnium (ſi Richelium excipias) ſummo mœrore.

Erat quippe ex nobiliſſima & antiquiſſima Galliæ proſapia, magni illius Annæ Mommorantii Franciæ comeſtabilis nepos, ætate florens, omnibus naturæ & gratiæ dotibus ornatus, Catholicæ religionis, pro more gentis ſuæ, adverſus ſectarios defenſor acerrimus, navali & equeſtri victoria, a Subiſio relata, cæſo ſæpius Rohanio, & reductis in fidem regis Occitaniæ urbibus, victo in Italia Doria, toto orbe celebratus, dux, mareſcallus, architalaſſus, & Par Franciæ, Septimaniæ prorex; qui ad Montalbanum, ad Montem Peſſulanum, ad Rupellam, ad Caſalim, & alias toties caput ſuum pro rege expoſuerat, ac propterea ab omnibus bonis ſumme amatus, ſumme æſtimatus, cuique omnes longam vitam optarent.

Creditum multis, cum tot alii principes ac proceres, qui toties adverſus Ancræum, & Luynium bellum geſſerant, a regis innata clementia veniam obtinuerint, ita etiam Mommorantio, qui non regem, ſed Richelium petierat armis, primum hoc crimen, regio fratri ſociale, fuiſſe condonandum, aut pœnam mitigandam, ſed nihil valuere preces propriæ, nihil conjugis Urſinæ, nihil illuſtriſſimæ, tam bene meritæ, familiæ, nihil totius propemodum nobilitatis Galliæ, nihil tot merita. Armandi iræ debebatur hæc victima.

Sicut autem Chriſtiane vixit, ita fortiter ac pientiſſime feralem ictum excepit: conjux vero vidua monaſterium eſt ingreſſa, ut meliori domino ſerviret, qui & culpam indulget facilius, & merita remuneratur copioſius.

Gaſto, tum durioribus conditionibus, quibus ſe dediderat, tum maxime Mommorantii cæde irritatus, tum etiam, quia miniſtrum omnipotentem ſuſpectum habuit, eluſis cuſtodibus, iterum in Belgium fugit. (*Anno* 1632) Sed poſt biennium in Galliam ad fratrem rediit, humaniter ab eo exceptus.

Lotharingia occupata.

Anno 1633 Richelius, ſuperatis domeſticis hoſtibus, ad bellum Germanicum animum intendens, Lotharingiam pene totam cum

ipſo

ipſo Nancæio Carolo III eripuit. Cauſſa obtenta, quod dux ſororem ſuam Gaſtoni rege invito deſpondiſſet, atque occulte in Belgium ad eundem dimiſiſſet. Re ipſa animus erat, ducem ab Auſtriacis, quibus videbatur addictior, avellere, & ſecuram gerendo bello Germanico ſtationem occupare. Quidam ſcriptores Galli referunt, ducem, a Richelio perſuaſum, Ludovico ceſſiſſe Lotharingiam. Sed parum intereſt, ſive vi ſive metu aliquid extorqueas.

Sequenti anno Metis Parlamentum fuit conſtitutum pro Lotharingis, & iis, qui, ut a Suecis tuti eſſent, ſub protectionem Galliæ conceſſerunt. Tales Brietius *ad an.* 1634 enumerat, magnam partem Alſatiæ, epiſcopatum Baſileenſem, Spiram, & Philippoburgum, a Suecis reddita.

# ARTICULUS XXV.

*Synodus Charentonienſis Calviniſtarum fruſtra conatur unionem cum Lutheranis cudere. De jure pontificis judicandi in prima inſtantia. Prætenſio Gallorum. Dux Eſpernonius excommunicatur. Moniales a dæmonibus obſeſſæ.*

ANno 1631 Proteſtantes *Charentonii* in Gallia *Synodum* celebrarunt, in qua unio Calviniſtarum cum Lutheranis, jam antea toties fruſtra tentata, ad incudem denuo revocabatur. 33

Quippe Hugonotæ, auditis Guſtavi Adolphi victoriis, Lutheranismum in immenſum augendum rati, gluten nexumque cum iis fabricabant, Auguſtana etiam confeſſione aſſumpta, quam in fundamentalibus fidei articulis a confeſſione Calviniſtica non diſſentire dicebant.

Proteſt. unio deſperata in fide.

At Lutherani, fundatoris ſui exemplo, confraternitatem cum Sacramentariis ſemper execrabantur, niſi quando contra Catholicos pro viro uno ſtandum erat.

Atque imprimis Lutherus, *nullam unquam hæreſin magis deteſtandam fuiſſe ortam ac Sacramentariorum*, ſcribit *Tom.* 2 *Wittenb. fol.* 121. Zachæus Faber Lutheranus miniſter in ſua inſtructione, anno 1620 Lipſiæ edita, pag. 34, 35 &c. Calviniſtas eſſe *diaboli diſcipulos, hæreticos omnium, quos unquam orbis vidit, teterrimos.*

Schlüſſelburgius in ſua Calviniſtarum Theologia, in proemio, *neminem ſalvari poſſe, qui damnatæ Calviniſtarum ſectæ adhæreat:*

*doctrinam eorum tanquam diabolicam eſſe damnandam: impudens eſſe mendacium, quod in uno tantum articulo a Lutheranis diſſentiant, cum in plurimis diſcordent.*

Joannes Harennius Calvinianus olim miniſter in relatione ſuæ converſionis de anno 1587 pag. 17 tam deformem Calviniſtarum, maxime miniſtrorum, imaginem exhibet, quæ omnibus piis mentibus horrorem incutiat.

Omitto multos alios Lutheranos, qui Calvinianam ſectam tanquam abominandam hæreſin ſunt deteſtati. Unde mirum non eſt, quod coaleſcere nunquam potuerint, licet Charentonia ſynodus plures de ſuis articulis remittere voluerit; acſi ii, in quibus cum Lutherauis diſcordant, ſint indifferentes, atque ad fidem non pertinentes. Si ad fidem non ſpectat eorum opinio de Euchariſtia ſeu Sacramento cœnæ, atque reali Chriſti præſentia, de prædeſtinatione &c. cur tantas tempeſtates excitarunt? cur nos idololatros toties appellant?

Nempe homines iſti neſciunt, quid ſit de fide; cum infallibilem ſcripturarum interpretem, & judicem controverſiarum non habeant. Hinc tot inter eos indifferentiſtæ & libertini. Quod ſpiritus privatus cuivis cerebro dictat, ſectantur. Clamant equidem: *ſcriptura! ſcriptura!* ſicut olim quidam *templum domini! templum domini! hic eſt Chriſtus, hic eſt.* Sed an ſcriptura ſit verbum DEi: in quibus libris ſit verbum DEi, & præcipue, in quo ſenſu ſit verbum DEi, ex ſuis principiis ſcire nunquam poſſunt.

Anno 1632 rege petente Papa delegavit 4 epiſcopos, ad judicandos Prælatos, qui Occitanos in favorem Gaſtonis ad ſeditionem concitaverant. Ab his Delbenius, epiſcopus Albigenſis fuit depoſitus, & in monaſterium detruſus.

Verum poſtea anno 1650 in conventu cleri Gallicani hoc judicium fuit diſcuſſum, opinantibus quibusdam, illud a Papa committendum fuiſſe 12 in provincia epiſcopis, ab horum vero dein ſententia concedi appellationem ad ſedem apoſtolicam. Ita enim in concilio Sardicenſi fuiſſe ſtatutum, & uſu Galliæ dudum introductum; prout ab Hincmaro ſeniore fuiſſet demonſtratum. Africana concilia id ipſum jam ante Zoſimo pontifici oppoſuiſſe.

De prima inſtantia.

Negarunt hoc alii, & uſu contrario Sardicenſi derogatum putabant, ſicut canoni ejusdem concilii de non tranſeundo ad alium epiſcopatum. Noluiſſe ſynodum neceſſitatem imponere, judicandi prius cauſſam epiſcopi per comprovinciales epiſcopos, quo minus

Pap

Papa possit eandem per se ipsum in prima instantia judicare, aut per judices delegatos.

Multa exercitæ hujus potestatis ab historia suppeditari exempla. A Zosimo Papa per Arelatensem archiepiscopum depositum Proculum Massiliensem episcopum, anno sequenti a Bonifacio Maximum episcopum Valentinum, a Bonifacii successo e Cœlestino delegatam potestatem Viennensi & Narbonensi judicandi duos suos confratres. A S. Leone Hilarium Arelatensem ad dicendam caussam citatum Romam, & jure Metropolitano privatum Ab Hilario Papa interdicto subjectum Narbonensem, & Arelatensem jussum inquirere in Mammertum Viennensem. Exempla.

Multi quoque episcopi ex diversis provinciis appellarunt ad sedem apostolicam, quin episcopi comprovinciales prius judicaverint. Aliqui ex illis absoluti, alii condemnati fuerunt, quin ecclesia Gallicana libertatem suam læsam quereretur. Ac proin Urbanum VIII Papam jure suo usum dicebant, dum quatuor episcopis caussam Aquitanicæ seditionis, in quantum ad clerum pertinebat, delegavit; neque synodum cleri debuisse exprobrare violationem antiquorum canonum, qui non amplius essent in usu.

Ipsum adeo Parlamentum Parisiense, pro libertatibus Gallicanis adeo vigilans, eam sedis apostolicæ potestatem recentioribus etiam temporibus agnovit, dum anno 1523 voluit, ut episcopi, seditionis, quam Carolus Borbonius Comes Stabuli excitaverat, complices, delegatos judices a Papa peterent; & anno 1525 idem Parlamentum episcopum Meldensem, de Calvinismo suspectum, ad Clementem VII remisit. Anno autem 1532 Franciscus I a Papa obtinuit breve, quo commissarios designavit, qui jure procederent adversus episcopum Parisiensem, conspirationis accusatum.

Concilium quoque Tridentinum sess. 24 caussas criminales episcoporum Papæ reservavit. Quamvis autem illud quoad disciplinam non sit receptum solenni aliquo decreto regio in Gallia, octo tamen conventus generales episcoporum & cleri illius promulgationem petierunt, & in conciliis provincialibus pleraque decreta fuerunt recepta; prout etiam in comitiis generalibus regni anno 1614 ordo ecclesiasticus se obligavit ad ejus observationem.

Neque obstat concordatum; quia in eo majores caussæ, quales utique sunt caussæ criminales episcoporum, sedi apost. sunt reservatæ: prout etiam ultima exempla allata declarant.

Sed

Sed neque numerus 12 delegatorum est necessarius, prout Petrus de Marca *in Concord. sacerd. & imp. lib.* 7 *c.* 28 observat. Variis tamen temporibus lis super hac quæstione in Gallia recruduit, opinantibus diversis, prout ipsis aut affectus suggessit aut privatum commodum. Illud tamen aliqui Galli inter libertates suas recensent, quod Papa non possit Romam citare episcopum Franciæ, nec per alios quam episcopos judicare.

Caussa Espernonii. Anno 1633 inter Sourdisium archiepiscopum Burdigalensem & ducem Espernonium gubernatorem Aquitaniæ, orta est rixa, plena scandalo, quæ etiam infimæ conditionis vernis probro foret. Præsul questus fuit de quadam injuria, domesticorum cuidam suorum a milite præsidiario illata. Præfectus militum currum præsulis in platea detinuit, ut interrogaret, quis militum reus esset. At præsul illico in sententiam excommunicationis erupit.

Dux Espernonius congregavit protinus ecclesiasticos, qui censuram nullam habere robur declararunt. Præsul eos ad se citavit. At illi protectionem ducis implorarunt, qui prohibuit, ne quis, præter domesticos præsulem accederet, distributo, qui arceret, circum palatium milite.

Præsul, habitum suum pontificalem indutus, domo egressus in platea publica alta voce clamavit: *ad me mi popule! non est amplius libertas pro ecclesia.* Dux hoc audito, rhedaque conscensa, quæsivit archiepiscopum, & apprehenso ejus brachio, interrogavit, qua auctoritate seditionem excitaret? præsul adhuc altius pleno gutture clamavit: *verbera, verbera tyranne! tu es excommunicatus!*

Dux sui impotens baculo ei tegumentum capitis decussit. Præsul vero templum cathedrale ingressus, ducem excommunicavit, & omnes civitatis ecclesias interdicto subjecit. Parlamentum Burdigalense ad partes archiepiscopi sui accessit, alias jam averso a gubernatore animo.

Cardinali Richelio optata hæc erat occasio, opprimendi sibi invisum ducem, qui solus in animum inducere non poterat, ut genu flecteret coram eo; bene memor, quis ipse sit, & quis alter fuerit. At sensit, quam adorare noluit, potentiam. Omnibus muneribus exutus ad domum suum Plassacensem migrare jussus est, donec ab excommunicatione absolveretur.

Roma illum citius absolvisset, probe gnara, neminem Espernonio majori zelo difficillimis etiam temporibus pro religione stetisse; episcopos quoque faventes habuit. Sed ambitioni debebatur

sacri-

ſacrificium. Richelius optimam Romæ voluntatem hebetavit, in id intentus, ut dux diutius ſentiret, in cujus manibus ſortes ſuæ eſſent ſitæ. Juſſus tandem fuit Sourdiſius archiepiſcopus eum abſolvere; quod anno primum ſequenti fecit, & quidem majori cum ſolennitate, quam dux optaret. Reſtituta illi Aquitaniæ gubernatio, filio vero duci Valettæ data conjux, Richelii conſanguinea.

Huic tragœdiæ anno 1634 ſucceſſit Loudonenſis comœdia. Moniales cujusdam monaſterii a prima ad ultimam omnes dæmonibus obſeſſæ erant, aut fingebant. Grandierus, curatus ad S. Petri, exuſtus, quod malus ſacerdos & bonus magus diabolos eis immiſiſſe crederetur. Multus & varius erat in Gallia ſermo de hac ſive hiſtoria ſive fabula; quam *Loudunenſem poſſeſſionem* appellabant. Multis ex eo ſuſpecta res videbatur, quod diaboli illi neſciverint latine loqui, & exorcismos non intellexerint, præter unum, qui tamen ſolœcismos & barbarismos immiſcuit.

## ARTICULUS XXVI.

*Lis de matrimonio Gaſtonis, ſine conſenſu regis inito. De legibus Gallorum, quibus irrita declarant matrimonia, ſine conſenſu parentum inita. Liber de virginitate damnatus. Vita & effigies Vergerii abbatis Sancyrani. Ejus liber Petrus Aurelius.*

ANno 1635 acrem in Gallia diſputationem excitavit matrimo- 34
nium Gaſtonis cum Margaretha Lotharingica, Caroli III ducis ſorore. Nam rex Ludov. XIII hoc fratris ſui matrimonium voluit declarare irritum, eo quod ſe inſcio & invito fuiſſet contractum. Acceſſit Parlamenti decretum.

Rex cauſſam ad concilium cleri detulit. Conſulti doctores. Tandem poſt multam diſceptationem declaratum fuit, matrimonia principum regii ſanguinis, præſertim proximi coronæ hæredis, qualis tunc erat Gaſto, eſſe invalida, ſi inſcio aut invito rege inirentur.

Poſtea anno 1639 Lud. XIII extendit eam legem ad matrimonia, ſine conſenſu parentum inita, requiſivitque ad valorem quatuor teſtes præter parochum, cui prohibuit aſſiſtere, ſi non adſit conſenſus parentum, quamvis filia jam 25 & filius 30 ætatis

tis annum implevisset. Ludov. XIV hoc decretum anno 1697 renovavit.

Matrimonium sine consensu parentum.

Ut leges has suas Galli defendant, dicunt, non irritari per illas matrimonium, sed tantum prohiberi, fierique illicitum, atque pro quasi invalido haberi quoad effectus civiles, in quantum liberi privantur jure successionis hæreditariæ, & donationis, a parentibus recipiendæ: fere sicut secundæ nuptiæ invalidæ habentur quoad effectus quosdam civiles.

Alii vero existimant, leges plus velle, atque matrimonium ipsum, sine consensu parentum initum annullari, cum simpliciter irritum declarent, & Parlamentum semper talia matrimonia cassa pronuntiet, atque sic contrahentes ad alias nuptias transeant. Hinc alii, ut difficultatem istam solvant, aliam viam ineunt, dicuntque, sub duplici ratione matrimonium spectari posse, sub ratione sacramenti nempe & contractus; atque sub posteriori ratione subjectum esse potestati humanæ, cujus est regulare contractus & conditionem aliquam ad substantiam illius exigere, prout fecit concilium Tridentinum, dum contractum clandestinum irritavit, & præsentiam parochi cum duobus vel tribus aliis testibus ad substantiam illius requisivit.

Verum, cum ratio contractus matrimonialis inter Christianos a ratione sacramenti separari vel absolute non possit, vel saltem nunquam licite separetur, contractus matrimonialis semper est contractus *sacer*, qui non subjacet potestati ac jurisdictioni laicæ. Unde Tridentinum sess. 24 can. 12 ait: *si quis dixerit, caussas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.* Et Cap. 1 de Ref. Matr. expresse damnat illos, *qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse.* Et alioquin majores ecclesiæ caussæ (quales utique sunt matrimoniales) reservatæ sunt sedi apostolicæ. *c.* 1 *&* 2 *de translat. episc.* unde constans est canonistarum sententia, impedimenta dirimentia matrimonii pro Christianis ab illa sola posse statui.

Quare, cum Ludovicus XIII episcopum Montpeliensem in caussa Gastonis Romam misisset, alienam omnino ab opinione regis & cleri Gallicani invenit: & facultas theologica Lovaniensis super eodem Gastonis matrimonio consulta respondit, quamvis illud declararetur invalidum, sustinendam tamen a conjugibus excommunicationem potius, quam ut possent illud rumpere; cum sciant, omnes conditiones, ab ecclesia requisitas, fuisse observatas. Citatque facultas in eam sententiam multos doctores. Alii

dixerunt,

dixerunt, per declarationem cleri unum ex sacramentis fuisse abrogatum; illamque pugnare cum doctrina & constanti praxi ecclesiæ; quæ matrimonia, sine consensu parentum per se loquendo, censet illicita, non tamen invalida. Contraria vero Parlamenti praxis videtur salvari non posse, nisi dicatur, quod expressæ vel tacitæ sedis apostolicæ concessioni innitatur, consensum parentum tanquam solennitatem substantialem ad contractum statuendi.

Alia ratio est de sponsalibus, quæ sunt invalida, quando matrimonium est illicitum, cum nulla dari possit obligatio ad illicitum; cum igitur matrimonium absque consensu parentum ordinarie sit illicitum, sponsalia sunt nulla, si id agatur, ut matrimonium contrahatur sine consensu parentum.

Anno 1638 Sorbona damnavit librum *de Virginitate* cum notis, in quo auctor videtur statum conjugalem virginali præferre, additque, vota nihil ad perfectionem Christianam conferre: illa non esse bona, nisi pro imperfectis: eum qui præscribit certas vivendi regulas viamque, exigere, ut homines non dependeant a DEo, & liberis motibus ejus spiritus, qui spirat, ubi & quando vult. Christum non commendasse paupertatem illam voluntariam, qualis in religiosis cernitur, sed necessariam, quæ non quæritur: illam opus esse hominis, hanc divinæ providentiæ.

At vero S. Thomas *opusc.* 18 ait, ex suggestione diaboli quosdam asserere, quod laudabilius sit agere bonum sponte ac libere, quam votis adstringi.

De sacramentis pariter male sentit auctor. Nam cum dicat, attritionem esse insufficientem ad sacramentum pœnitentiæ, semperque contritionem & amorem perfectum exigat, qui per se ipsum peccatorem justificat, juxta ipsum absolutio non est peccati remissoria, sed tantum *declaratoria* remissionis, cum semper supponat, peccata jam ante per contritionem remissa.

De auctore hujus damnati tractatus multus erat sermo, alii Sequenotum, Oratorii presbyterum, parentem indicabant, alii ex scriptis *Vergerii abbatis San Cyrani* conflatum dicebant. Uterque propterea carceri fuit inclusus, ille Bastillæ, hic Vicennarum.

*Joannes Vergerius* Bajonæ natus, intimus Jansenii amicus, imo hortator & adjutor operis famosi de gratia, abbatiam S. Cyrani ab episcopo Pictaviensi accepit. Parisiis dein sedem fixit, ut in illo orbis theatro inclaresceret. Æstimationem autem sui ut compararet, magnam austeritatem præsetulit, quo alter velut Elias aut Joannes Baptista suspiciebatur. Non loquebatur de alio, Abbas San-Cyr.

 ac

ac restauratione pœnitentiæ, ſpiritu primitivo, & antiquis canonibus, de cæcitate hominum, & profunda ſanctiſſimarum ignorantia veritatum amare conqueſtus.

Hypocriſis iſta multos admiratores, ipſum adeo Cardinalem Berullum, attraxit. Multi directioni ejus ſe ſubjiciebant, præſertim moniales, quæ pro oraculo illum habebant. Illud cum hæreticis hujus temporis, amicis & diſcipulis ſuis, maxime inculcabat, nullam ſupereſſe eccleſiam, cum in capitibus ſummi momenti ſit lapſa in errorem. *Confiteor tibi*, dicebat ad Vincentium a S. Paulo, fundatorem presbyterorum Miſſionis, *quod DEus me illuſtravit, nullam amplius eſſe eccleſiam: non: a 5 vel 6 ſæculis nulla amplius eſt eccleſia: corruit, periit.* (Abelly in vita S Vincent.)

Præterea docebat, peccata venialia confiteri eſſe inutile, ac praxin novellam: actum duntaxat eſſe humilitatis, qui poſſit etiam fieri laico: nec eſſe neceſſarium, in confeſſione exponere numerum peccatorum mortalium, aut circumſtantias, ſpeciem mutantes: per abſolutionem non remitti peccata, ſed eam ſignum tantum eſſe, quod ſint remiſſa, cum per contritionem perfectam, quam neceſſariam dicebat, jam antea fuerint remiſſa: ſatisfactionem præmittendam confeſſioni & abſolutioni: communionem plus facere ad delenda peccata, quam confeſſionem: confirmationem præcipuum eſſe ſacramentum, ipſi etiam baptismo præferendum, nec aliam requirere diſpoſitionem quam baptiſmum.

Ecce ſpiritum hujus Janſeniſmi confundatoris! quid cum hoc homine facias? objicis theologos? contemnit. Provocas ad S. Thomam? veram theologiam extinxit. Concilium Tridentinum allegas? fuit conventus Papæ & ſcholaſticorum, qui ſanam doctrinam corruperunt.

Ne autem enormes iſtæ doctrinæ in publicum erumpant, generoſus iſte confeſſor ſedulo cavit, prohibuitque diſcipulis ſuis, ne arcana iſta revelarent; ſecus ſe negaturum omnia. Litteras etiam omnes, a ſe ad alios ſcriptas, juſſit comburi, ne unquam deprehendi queant.

Moniales in abbatia Portus Regii, quarum erat director, prorſus infatuavit, linguamque ſuam loqui docuit, tanto ſacramentorum contemptu, ut ne quidem in paſcate illa perciperent, ſed joco exploderent. Super omnes autem in doctrina, eloquentia, & verborum profluvio proficiebant mater Angelica, famoſi Antonii Arnaldi ſoror, & mater Agnes abbatiſſa, quæ duæ magnæ fœminæ Vergerio in ſuo monaſterio facultates & locum dederunt fundandi

Port Royale.

ſemi-

ſeminarium pro viris doctrinæ Vergerii faventibus, & Auguſtinum Janſenii propugnaturis; quam ſpem magiſtri ſui ſcriptis innumeris nimis diligenter nimisque maligne laborantes abunde impleverunt. Appellati ſunt *domini Portus Regii* (*Meſſieurs de Port Royal*) novi Evangelii fundatores.

Porro Vergerius multa ſcripſit, præſertim contra Jeſuitas, quibus omnibus bellum denuntiavit, omnesque orbe terrarum exturbatos volebat, exemplo eunte in diſcipulos. Famoſiſſimum illius opus eſt, quod ſub nomine *Petri Aurelii* adverſus Societatem edidit. De hoc libro ſuo ipſe ſcripſit elogium, quod a 600 annis non prodierit melior. Clerus Gallicanus anno 1641 illum juſſit imprimi ſuis ſumptibus. Novem librarum millibus conſtitit editio. At rex totum opus ſuppreſſit, typographo in cuſtodiam dato. Sed Prælati quidam recudi curarunt: quia epiſcopis blandiebatur, quos Papæ ſuppares fecit, tribuens eis plenitudinem poteſtatis in tota ſua diœceſi. Unde Godellus ei hoc elogium ſcripſit: *epiſcoporum defenſor inviƈtiſſimus, veritatis amator acerrimus, hierarchiæ vindex juſtiſſimus, theologus in avitæ theologiæ ſinu educatus.*

Scripta San-Cyrani.

Verum non eadem ſtat iis ſententia, qui opera San-Cyrani profundius inſpexerunt; nam illi præter furorem & calumnias, in omnes religioſos ordines infrunito calamo ſparſas, inveniunt varias propoſitiones aut aperte hæreticas, aut hæreſin ſapientes: alias falſas omnino, qualis eſt illa, qua dicit, religioſos ineptos eſſe ad Prælaturas eccleſiæ. Alius profecto eſt ſenſus ipſius eccleſiæ, quæ tot omni ætate viros, ut populorum curam ſuſciperent, ex ſolitudine ſua & aſceteriis ſacris extraxit: & quidem in Oriente Græci non alios ad epiſcopatus admittunt, niſi qui ordini S. Baſilii ſunt addicti. In Occidente vero ſolus illuſtriſſimus ordo S. Benedicti jam tempore Trithemii & Volaterrani eccleſiæ dederat 28 ſummos Pontifices, 200 Cardinales, 600 archiepiſcopos, 4000 epiſcopos. Credo, præferendum tot eccleſiarum judicium invidiæ & odio Vergerii.

Aliud etiam de illo fuit judicium S. Vincentii a S. Paulo, qui initio ſimulata auſteritate & eccleſiæ reformandæ zelo deceptus, amicitiam cum illo contraxerat, ſed ubi intimius ſuperbum novatorem inſpexit, protinus deſeruit, & teſtimonium contra illum dixit.

Ipſe Dupinus *hiſt. eccleſ. ſæc. XVII*, quamvis minime inimicus, ſcripſit, quod San-Cyranus *raro materias fundamentaliter tractet, neque ſit exactus in ſuis deciſionibus.*

Carcer. Tandem alius multo ſenſus de illo fuit regi, ejusque ſanctiori conſilio, cujus mandato abductus fuit anno 1638 in Vincennenſem carcerem, propter hæreſes; prout ex reſponſo Cardinalis Richelii dilucide conſtat; nam cum pro San-Cyrano intercederetur, repoſuit, Germaniam & Galliam ex integro adhuc Catholicas fore, ſi Lutherus & Calvinus in tempore fuiſſent miſſi in locum, ubi non potuiſſent amplius nocere.

Dum carcere detinebatur, quæſtio de ejus doctrina eſt habita, teſtibusque multis convictus de graviſſimis erroribus; ex quibus, uti etiam ex ineptiſſimis & contradictoriis ejus reſponſis conſtat, nunquam fuiſſe hominem magis vanum, arrogantem, fallacem, vindictæ appetentem. Negavit res evidentes, accumulavit mendacia mendaciis, perjuria perjuriis, contradictoria contradictoriis. Nihilominus a ſuis pro ſancto colitur, pro patre eccleſiæ, pro Apoſtolo, pro Martyre veritatis, quod Gaſtonis matrimonium dixiſſet validum, ad tumbam, in imaginibus, in reliquiis adoratur. Aliud ſane vita, aliud ſcripta, aliud proceſſus inquiſitionis demonſtrant.

Poſt mortem Cardinalis Richelii a Chavignio, ſecretario ſtatus, & Molano præſide impetrata illi liberatio a carcere anno 1643, certis tamen conditionibus; eodemque anno ad tribunal divinum fuit citatus, rationem redditurus de tot ſcandalis, totque animabus in ruinam datis. Abortum hunc terra ſuſtinuit annos 62.

Attribuitur ipſi etiam liber, in quo probare nititur, in certis circumſtantiis licitum eſſe ſe ipſum directe occidere pro bono publico, pro liberanda republica a noxio cive, pro liberando ſe ipſo a tormentis, laudatque Socratem & Catonem, imo & Neronem, quod ſecundum rationis lumen egerint, actumque virtutis, ſe ipſos necando, exercuerint.

## ARTICULUS XXVII.

*De libertatibus eccleſiæ Gallicanæ. Diſſenſiones inter Galliam & Urbanum VIII. Richelii molimina. Optati Galli liber de timendo ſchismate novas excitat turbas. De prætenſo Patriarchatu. Criſis de propoſitionibus damnatis.*

35 ANno 1639 a 22 Cardinalibus, archiepiſcopis & epiſcopis, prout etiam a regio conſilio condemnatus fuit liber, pro *juribus & libertatibus eccleſiæ Gallicanæ ſcriptus.* Viſus is eſt deſtruere potius

tius veras libertates, & ſchismati occaſionem præbere; cum nihil aliud contineat, quam collectionem variarum uſurpationum, quas poteſtas ſæcularis contra eccleſiam attentavit. Hoc eſt, quod zelum Prælatorum accendit, quamvis Richelius protectionem libri ſuſcepiſſet.

Clerus Franciæ nulla agnoſcebat jura aut libertates, quæ tenderent ad diſſolvendam unionem cum eccleſia Romana ſua matre, aut ad infirmandam obedientiam filialem erga eandem: & tam parum ambiebat ejusmodi privilegia exerrantia & imaginaria, quam parum infringere jura regis & regni. Non ex quolibet facto jus erui poſſe, prudenter judicabat, multa fieri factaque eſſe, quæ fieri non deberent; uſurpationem non raro eſſe, quod uſus & conſuetudo dicitur. Multa non tantum ab iis negari, qui ſedi apoſt. & eccleſiaſtico ordini magis ſunt addicti, ſed ab ipſis etiam Gallis. Ante centum jam annos diſputatum fuiſſe de libertatibus Gallicanis, & adhucdum diſputari. Hinc petitum a clero, ut rex cum ſanctiore ſuo conſilio & epiſcopis aliquando determinaret, quænam ſint illa privilegia, immunitates & libertates eccleſiæ Gallicanæ, ut veri & laudales uſus ab uſurpationibus ſecernerentur.

Circa hoc ipſum tempus variæ inter ſummum pontificem Urbanum VIII & Galliam ortæ ſunt diſſenſiones. Franciſcus Barberinus ſuſceperat in ſe protectionem Hiſpaniæ, conqueſtus igitur rex Galliæ petiit, ut Antonius Barberinus protector Franciæ deſignaretur. At Pontifex prohibuit ſuis nepotibus, ne regni alterutrius negotiis ſe immiſcerent. Perrexit rex petere, & Papa negare. Diſſenſio cum Urbano VIII.

Adhæc rex in Lotharingia, a ſe occupata, voluit conferre beneficia, in concordato non comprehenſa. Roma noluit conſentire. Inde altera offenſio. Petiit inſuper rex P. Joſephum Capucinum, virum celebrem, donari purpura, quod tamen occultis Richelii, qui eum ſecretarium quam collegam habere maluit, artibus impediebatur. Mareſchalli Eſtræi domeſticus Romæ fuit occiſus, nec cædes eo rigore, quem Gallia exſpectaverat, vindicari poterat. Denique Cardinali Valettæ, in Pedemontio, ubi Franciæ mareſchalli munere fungebatur, mortuo, Papa exequias haberi noluit.

Hæ querelarum cauſſæ in publicum vulgabantur, & ut magis apprehenderentur, effecit Cardinalis Richelius; is quippe ad apicem potentiæ eluctatus, ut in eccleſiaſticos quoque omnes dominari poſſet, legatus ſedis apoſtolicæ per Gallias conſtitui a Papa petiit; ſed non obtinuit. Conabatur inſuper, ordines religioſos antiquiores ſibi ſubjicere, jamque ipſe abbas Cluniacenſis fuerat electus, Richelii conatus.

electus, & Ciſtercienſium atque Præmonſtratenſium ſupremus præſes; verum abbates extranei nolebant eum agnoſcere, & Papa bullam confirmationis negabat.

Exulcerabant hæc animum viri, facile irritabilis, & leges dare jam aſſueti. Unde occaſionibus inhiabat, monſtrandi Urbano Papæ, quem læſiſſet. Per decretum conſilii regii prohibuit expeditiones Romanas, aurumque trans Alpes mitti: per aliquot prælatos poſtulavit, annatas remitti, aut ſaltem imminui.

Majorem adhuc multo plagam Pontifici illaturus, vires omnes impendit, ut concilium nationale congregaretur, in quo pro Francia eligeretur Patriarcha, quem ſe fore certa ſpe ſibi promittebat, ut ſicut ſumma cum poteſtate gubernabat ſtatum politicum, ita etiam eccleſiaſticum gubernaret; idque conſilium ſuum, exaggeratis curiæ Romanæ erga regnum proceſſibus, illatisque gravaminibus adeo maligne regi propoſuit, ut is legatum, quem Pontifex extra ordinem miſerat, acceſſu prohiberet, omnique cum eodem communicatione epiſcopis regni interdiceret, donec Urbanus VIII plenam ſatisfactionem præſtitiſſet.

Evicit quoque hic miniſtrorum princeps aulæque gubernator, ut Parlamentum decretum ederet, quo vetabatur, ne de illorum, qui ad beneficia nominabantur, vita & moribus coram nuntio informatio fieret; timendumque ſane fuiſſet ſchisma, Anglicano forte non multum abſimile, niſi moderatio ſapientiſſimi Pontificis, ac denique mors grandia Richelii conſilia abrupiſſet. (*Mem. chron. ad ann.* 1639.)

Prodiit anno ſequenti libellus ſub hoc titulo: *Optati Galli de cavendo ſchismate liber paræneticus ad eccleſiæ Gallicanæ primates, archiepiſcopos & epiſcopos.* In hoc author, poſtquam oſtendit neceſſitatem unionis cum uno capite, qui eſt ſummus Pontifex, affectionem Gallorum erga ſedem apoſtolicam olim tam magnam & inconcuſſam, videri extinguendam, & eccleſiam Gallicanam brevi non multum fore abſimilem Anglicanæ, niſi clerus prompto remedio ſuccurrat.

Fundavit timorem ſuum ſuper iis, quæ paulo ante meminimus, videlicet, ſuper petita remiſſione annatarum: ſuper libellis editis de libertate eccleſiæ Gallicanæ, ſuper declaratione regia circa matrimonium, qua conditiones ad ejus valorem requirantur, quas eccleſia non requirit.

Richelius, cum in notitiam auctoris venire non poſſet, librum condemnari curavit a Gondio Pariſienſi archiepiſcopo, tanquam falſum,

ſum, ſcandaloſum, turbantem pacem publicam, & inſpirantem averſionem a rege & ejus miniſtris ſub prætextu timendi ſchismatis. Huic cenſuræ ſex alii præſules ſubſcripſerunt; liber vero decreto Parlamenti a carnifice laceratus & exuſtus eſt.

Præterea Richelii mandato quatuor, qui librum confutarent, ſunt deſignati. Unus ex iis contendebat, creationem Patriarchæ nihil commune habere cum ſchismate, neque conſenſum Romæ magis eſſe neceſſarium, quam ad erigendum Patriarchatum Conſtantinopoli aut Jeroſolymis. Verum, quam inepte hic author ſic arguat, vel inde patet, quod neque in Oriente de jure erigi potuerint novi Patriarchatus ſine conſenſu Romani pontificis, quatenus eſt caput totius eccleſiæ, Chriſtique in terris vicarius; hinc neque illi Patriarchatus erant legitimi, donec conſenſus ſedis apoſtolicæ acceſſit. De novo Patriarchatu.

Deinde, licet in Oriente poſſent absque conſenſu Papæ Romani novi erigi Patriarchatus, non tamen in Gallia, quia epiſcopus Romanus indubitato eſt Patriarcha totius Occidentis; igitur erigendo in eo novum Patriarchatum, de jure illius detraheretur; quod ſine conſenſu fieri non poteſt; multo minus, ut talis Patriarchatus a cathedra S. Petri eſſet independens. Unde provincia, tale quid moliens, præberet haud dubie occaſionem ſchismati. Atque hinc merito confutator ille Optati Galli ab inquiſitione Romana anno 1643 eſt condemnatus; atque condemnationem iſtam, anno 1645 clerus Gallicanus recepit; licet alias Gallia decreta illius tribunalis (nempe inquiſitionis) non multum reſpiciat, neque Parlamenti *Regiſtratura* acceſſerit.

Anno 1640 conventus cleri Gallicani cenſura notavit Summam *P. Bauny* Jeſuitæ, ceu continentem propoſitiones inducentes morum licentiam ac corruptionem. S. Inquiſitio vero eam inſeruit indici; poſtquam aliquæ propoſitiones, inde extractæ, a Sorbona fuerant condemnatæ. Summa P. Bauni.

Innumeri a duobus & ultra ſæculis prodierunt libri, de caſibus conſcientiæ tractantes. Mare eſt immenſum, per quod multi viri pii doctique ſecure navigare ſe poſſe putabant, ſed dum altius ſe immiſerunt, in alterutrum, aut nimiæ ſeveritatis aut laxitatis oppoſitum ſcopulum impacti, naufragium paſſi ſunt, atque, ut dicitur, dum Charybdim vitare voluerunt, in Scyllam inciderunt. Criſis de ejusmodi auctoribus.

Immenſum dixi mare, eo uſque extenſum, quo actus humani, caſusque, qui accidere poſſunt, innumeri, ſeſe exporrigunt. Multa ſunt dubia, multa obſcura, denſa ſæpe nocte remigandum.

Felix ille, qui, dum directores conscientiarum in omnes eventus vult instruere, innoxius in portum evadit.

Vitanda extrema, verbum DEI, vox Ecclesiæ velut cynosura spectanda. Si necdum locuta est Ecclesia, caute incedendum; generalia theologiæ principia ad casus particulares prudenter ac circumspecte applicanda: consulendi patres ac doctores, quorum celebrior in Ecclesia authoritas: expendenda ad pondus sanctuarii rationum momenta: quid ea ex doctrina sequi posset, an morum laxitas, num tertii præjudicium aut periculum, probe considerandum.

Sed hic cardo difficultatis vertitur, ut quis hæc omnia rite observet. Et quid, si observet, res tamen adhuc maneat dubia? tunc noli tibi nimium fidere. Negari non potest, plures morales theologos, dum omnes, quos sibi figurabant, casus resolvere cogitabant, nimia sui fiducia in propositiones fuisse prolapsos, quæ censuram meruerunt. Neque ullus scriptorum ordo dicat, se in nullo suo membro humani aliquid fuisse passum. Forte, qui maxime se puros existimant, posteriores in vestigia sua traxerunt. Quod exemplis demonstrari posset, nisi odiosum foret. Est tamen hoc quorundam fatum, ut festuca in eorum oculis arguatur, dum trabs in aliis dissimulatur.

Illud autem animadvertere adhuc uvat, laxas illas propositiones, quas in materiis particularibus casistæ scripserunt, nequaquam profluere ex benigniore sententia de usu opinionum vere probabilium; nam *Probabilismus*, quod aias adverti, facit tantum propositionem *majorem*, quod liceat sequi sententiam, practice, vere, absolute & respective, theologice probabilem; *minorem* vero non facit, quod hæc vel illa sententia sit ita probabilis. Si igitur casuista diligenter caveat, ne levier aliquam propositionem practice probabilem dicat, nullum erit nimiæ laxitatis periculum.

Accedit, quod propositiones, qua propter nimiam laxitatem fuerunt confixæ, auctoribus suis probabiliores visæ sint; non igitur probabilismo sed probabiliorismo triluendæ essent. Nemo enim facile (nisi sit pessimus) in moralibus tradit doctrinam, nisi quæ ipsi videtur probabilior.

ARTI-

# ARTICULUS XXVIII.

*Bellum Austriaco-Gallicum, per totam pene Europam diffusum. Gallis initio infaustum. Natus Ludovicus XIV. Suessionis regii principis secessio & interitus.*

ANno 1635 cum prælio Nördlingano attritæ jam essent Suecorum 36
vires, & pax cum Saxone aliisque Imperii principibus composita, erupit tandem, ingenti populorum, & Catholicæ præsertim religionis malo, bellum atrox, domos inter potentissimas, Austriacam & Borboniam, tota propemodum Europa eunte in partes. Cum autem primo jam libro hujus VIII partis id persecuti simus, breviter hic ea, quæ ad Galliæ historiam peculiariter spectant, perstringemus.

Caussam belli gens altera in alteram conjiciebat. Illa pacem Ratisponensem violatam, raptam Lotharingiam, præsidio Gallico occupatas Imperii urbes, fœdere, consilio, ære, milite adjutos Suecos querebatur. Hæc nuperum Hispaniæ cum Rohanio fœdus, captum Trevirensem, aliosque Franciæ socios oppressos objiciebat. Hæ caussæ aut prætextus proximi: remotior potentissimæ in Europa utriusque domus æmulatio, quidquid alteri accederet, sibi adimi existimantis.

Collisi duo Cardinales, alter Franciæ, Belgii alter moderator. Melior ille visus politicus, qui Austriacos aggrederetur, jam alias undique bellis implicitos, hic vero Trevirensem captivum abduceret, Gallosque ejiceret tempore minime opportuno. Existimatum, dissimulandas prudentius interim fuisse Richelii machinationes, donec Cæsar, prosequendo Nördlingensem victoriam, Suecos, Hispanus Batavos debellasset. Si Gallus nihilominus auxilia, Suecis & Hollandis hactenus submissa, in apertum bellum mutasset, manifestius constiturum fuisse orbi, quam nullo id jure fecisset, quisque in hoc exitiali bello fuisset aggressor.

Sed, ut ut hæc se habeant, ea ætate jactata; illud visum pluribus, non decuisse S. R. Ecclesiæ Cardinalem, ut Ferdinandum II Cæsarem pientissimum, qui religionis caussa Suecicum bellum susceperat, & edictum suum ad restitutionem bonorum, ecclesiis ereptorum, urgebat, in caussa tam sancta impediret. Neque omnibus Gallis id fuit probatum, neque regis justi & pii id opus erat.

Certe constat, a Causino, regiæ conscientiæ arbitro, fuisse dissuasum; sed a Cardinale exilium retulit.

Bello itaque utrinque denuntiato, sparsum per Europam incendium, quo Germania, Lotharingia, Belgium, Gallia, Catalonia, Italia, Vallis Telina deflagravit. Et hoc quidem anno (1635) Gallus exercitus omnino quatuor immisit: primum Belgio, sub Castillionio & Brezæo, qui, reportata in Brabantia ab Hispanis *Aveniaca* victoria, cum Batavis juncti *Tilmontium* expugnarunt, sed in eo Capuam suam invenerunt; dum licentia, & voluptate enervatus exercitus ita diffluxit & evanuit, ut, ubi sit, quæreretur.

Miles Galliæ infelix.

Alterum in Germaniam duxit Cardinalis Valeta, Vinariensi junctus; sed tantum de ingressu non autem de regressu cogitare visus est; nam rediit sine tormentis bellicis, & vulnerum quam spoliorum ditior, ultimum ejus agmen haud parca manu carpente Gallassio; qui tamen & ipse Valetæ fatum expertus est; cum enim victoriæ fiducia profunde nimis se immisisset in Lotharingiæ viscera, ferro, fame, & peste acciso exercitu, unde venerat, pudorem secum ferens, regressus est.

Tertium in Italiam duxit Crequius, junctusque Sabaudo & Parmensi, *Valentiam* Insubriæ urbem oppugnavit: sed tantum oppugnavit: una urbe tres duces & tres gentes vincente. Cum quarto missus Rohanius in Vallem Telinam, ut ex ea parte Mediolanenses invaderet: sed omnibus, si non animus, fortuna defuit.

Nec annus 1636 Gallis felicior. Condæus Burgundiæ prætor *Dolæ* obsidionem solvere coactus. Magnus ille bellator *Torasius* ad Fontanetam in Italia occubuit; ignobili milite Buquinquamum & Spinolam superatos vindicante. Imo Lutetiæ trepidatum, dum Thomas Sabaudiæ princeps, Piccolomineus, & Joannes Werdius, vastata Picardia, tranatis amnibus, captis oppidis, Corbeio expugnato, Parisiis imminerent: vastante interim Burgundiam Gallicam Gallassio. At rex, jam sui vix securus, convocata omni nobilitate, collectoque grandi exercitu, Corbeio recepto, hostem e Gallia in Belgium ejecit, hyeme obstante, ne expulsum persequeretur, & Flandriæ ac Brabantiæ vices redderet.

*Joannes Werdius*, a Gallica expeditione redux, *Ebrenbretsteinio* Gallis erepto, Vinariensem ultra Rhenum projicit. Contra vero Franci, Harcurtio & Schombergio ducibus, Hispanos, in Occitaniam ex Pyrenæis erumpentes, strenue retundunt (anno 1637.)

Anno 1638 post viginti & trium annorum sterile matrimonium, na-

natus eſt Ludovico XIII ex Anna Hiſpana filius, ingenti non tantum univerſæ Galliæ exultantis lætitia, ſed affinis etiam, etſi tunc hoſtilis, Hiſpaniæ gratulatione: dictus *Ludovicus a DEO datus*, domum Borbonicam ad ſummum gloriæ & potentiæ faſtigium evecturus. Si quæras, quis puer iſte ſit futurus? Deficit reſponſio; quamvis enim nemo ſit tam rudis, ut magnitudinem Ludovici XIV ignoret, nemo tamen eſt, qui illam metiri queat. Lud. XIV.

Auxit Franciæ gaudium plauſumque illuſtris victoria, quam ad *Rhenofeldam* retulerunt *Vinarienſis* & *Guebrianus*, Gallorum Suecorumque duces. Fructus illius fuere capti præſtantiſſimi duces Cæſarei & Bavarici: inter quos Joannes Werthius, Gallorum terror; occupata inſuper Rhenofelda, Friburgum, & Briſacum: proh! quanta monumentorum nomina!

Temperavit aliquantum lætitiam res minus feliciter geſta in Guipiſcoa, Arteſia, & Italia. In prima illuſtres duces Condæum & Eſpernonium vicit Fontarabia, magna cum clade rejectos; in ſecunda Audomarum cum ignominia tentatum; in tertia Bremetum, quam cum defendere niteretur *Crequius*, rei militaris peritiſſimus, dignus Lediguerii gener, & urbem & vitam amiſit, globo e tormento bellico emiſſo contuſus.

Caſimirus, Uladislai Poloniæ regis frater, deſtinatus Luſitaniæ prorex, hoc anno per Galliam tranſiens fuit interceptus; at fratris precibus libertati datus, rex Poloniæ futurus, & poſt varia fata, abdicato regno, rediturus in Galliam, ibique moriturus.

Anno 1639 æqua velut lance Mars victorias cladesque diſtribuit. Poſtquam Salſulis ut pila luſum, *Melleræus*, tormentariæ artis peritiſſimus, Hesdinum, prævalidam in Atrebatis urbem, cepit, ipſo propterea in loco Franciæ mareſcallus a rege renuntiatus. Condæus in Cataloniam, jam nutantem, irrupit. Contra vero ad *Thionvillam*, quam Fequierus obſederat, Gallia apparatum bellicum, ducem, & exiſtimationem amiſit, cæſo Gallico exercitu, & urbe obſidione liberata.

Annus ſequens 1640 fatalis fuit Hiſpaniæ, deficiente Catalonia & Luſitania. Bello igitur inteſtino diſtractis Hiſpanis omnia deinceps erant graviora. Deficientes adjuti a Gallia; expugnatum Attrebatum, Taurinum, & Caſalis obſidione liberatæ, ab Harcurio. Gemina ad utramque in Italia clade affecti Hiſpani. Auxit Galliæ plauſum natus regi Philippus, alter filius, dux Andegavenſis, poſt mortem autem Gaſtonis patrui dux Aurelianenſis, cujus ſtirps in hanc uſque diem feliciter propagata eſt.

Sed, dum nova hæc Borboniæ gentis frons efflorescit, alia exaruit. Ludovicus quippe Borbonius, comes Suessionensis, regii sanguinis princeps, Henrici Condæi patruelis, anno 1641 cum Bullionio, Guisio, aliisque Galliæ nobilibus fœdus iniit adversus Richelium, a quo semper averso fuerat animo: fœderi accessit Hispanus, misso cum milite ex Belgio Lamboio. Commisso ad Sedanum prælio, Castilionius regii exercitus dux funditur magna strage. Sed dum Suessionensis nimis avide victoriam persequitur, glande petitus interiit, nulla legitima relicta sobole. Abscisso capite jacuit conspiratio. Bullionius & Guisius a rege recepti in gratiam.

Lamboius vero a Cardinale Infante, paulo post morituro, revocatur in Belgium; ubi Ariam, permunitam Artesiæ urbem, Galli extorserunt Belgis, rursusque Gallis Belgæ. Felicius res gesta ab Hodancurtio apud novos belli socios in Catalonia.

## ARTICULUS XXIX.

*Cimmartius & Thuanus ob proditionem capite plexi. Mors Cardinalis Richelii, Mariæ Medicææ reginæ in exilio, uti etiam ipsius regis, & Guebriani: horum effigies. Enguiennii ducis bellicæ virtutis rudimenta. Obitus Espernonii.*

37 ANnus 1642 & 43 palmis laurisque tristes cupressos miscens, magna in Gallia extulit funera. Per gradus veluti falx grassata, primo *Cimmartium* (Sammartium aliqui scribunt) & *Thuanum* demessuit. Cum Richelius cerneret, Cimmartium Franciæ marescallum in intimam regis gratiam & amorem admissum, novisque semper augeri honoribus, eum accusavit de fœdere cum Hispanis inito: moxque Lugdunum ductus in vinculis, ibique ceu proditor capite plexus est: additusque Thuanus Jacobi Augusti filius, ceu socius aut conscius criminis.

Mors Richelii. Paulo post iter æternitatis iniit ipse etiam Cardinalis *Armandus Richelius*, qui omnes adversarios vicit, nisi mortem: vir profecto ingenio, judicio, eruditione, calliditate, simulandi, dissimulandi, regnandi artibus, prudentia politica summus, cui Francia parem non habuit, qui honorem & ignominiam, vitam & mortem, quin Europam pro lubitu distribuit? Auditus in morte dicere, se tres claves regi relinquere, Brisacum ad Germaniam, Pinarolium ad Italiam, Perpiniacum ad Hispaniam aperiendam. Sed quorsum hæc omnia, si clavem ad cælum non invenisset? *Quid prodest?*

*deſt* ? Scripta ſunt ei ingentia elogia, ſed non omnia ab amico calamo : inter quæ illud epitaphium :

*Hic jacet Armandus, ſi non armaſſet, amandus.*

Non autem de Gallia tantum, ſed litteris quoque optime fuit meritus; nam & Sorbonæ magnificum collegium conſtruxit, & doctiſſimo opere (ſi tamen ſuo) de controverſiis fidei aliisque libris orbem illuſtravit.

Quos vita disjunxit, mors conjunxit. Nam ſub idem tempus Coloniæ Agrippinæ obiit *Maria Medicæa*, rerum humanarum vivum documentum. A Luinio in carcerem detruſa, per feneſtram evaſit. Aulæ reddita, dejecta fuit ab eo, quem evexerat. Richelium ad apicem gloriæ extulit, retulit exilium, per Europam ſparſum : primum enim ad Iſabellam in Belgium fugit, dein in Hollandiam, & Angliam ad filiam reginam. Sed cum Anglia ſus deque volveretur, exire compulſa ad Ubios abiit ; ubi omnium egena, deſerta, miſera, vitam exulem clauſit, Galliæ regens, regis conjux, regis, & duarum reginarum mater, Franciſci Magni Hetruriæ ducis filia, neptis Ferdinandi I Cæſaris. Medicææ,

Quam minus vivam, ſecutus eſt mortuam filius matrem, Ludovicus XIII poſt expeditionem Ruſcinonenſem, qua Perpinianum expugnavit, aliam, majoris momenti, eamque ultimam ſuſcepit, anno ætatis 42 regni 33. Sicut autem pientiſſime vixit, ita mortuus eſt, religione in DEum, probitate morum, caſtimonia conjugali, veniæ facilitate, temperantia, vitæ integritate, privatisque virtutibus princeps clariſſimus. Nec deerant dotes regiæ, quæ ſplendidius eluxiſſent, ſi a puero ita fuiſſet inſtitutus, ut ſuo potius quam alieno ductu regeret. Turbas, domi forisque exortas, non regi Ludovico *Juſto*, ſed miniſtris, imputa. Tres tales habuit, Ancræum, Luynium, Richelium. Inde indignatio principum, nobilium, populi. Lud. XIII.

Ne autem rex abſque ſatellitio ultimam expeditionem aggrederetur, comitem aſſumpſit prætorianum militem, eumque fortiſſimum, peritiſſimum. Erat is *Joannes Baptiſta Guebrianus*, Franciæ mareſcallus, multarum palmarum heros, Vinarienſis Atlas ; cæſis Lamboio & Mercio, capto Briſaco, Rheno Galliæ aſſerto clarus. Dum Rotwilam obſidet, globo percuſſus, atque ictu lethali ſaucius, in urbem expugnatam deportatus, ſupremam expeditionem ſuſcepit, eo ſecurius, quo probitatem vitæ cum virtute militari conjunxerat pulcrius : documento futurus bellatoribus, utramque virtutem ſociatam mutuis ſe ſe officiis adjuvare, atque mentem, Guebriani,

recti

recti conſciam, animoſius & felicius in vitæ diſcrimina & mortem ire.

Percuſſo capite membra defluxere: ab Hazfeldio victus victor exercitus, capti duces, impedimenta direpta. Tanti intereſt prudentem ac ſtrenuum habere ducem ducum.

Ex Guebriani veluti cineribus ſurrexit novus Phönix, magnus bellator ac Galliæ decus, *Ludovicus Borbonius*, *dux Enguiennius*, Henrici Condæi filius, qui jam anno ætatis 22 illuſtre in Belgio tyrocinium belli poſuit, dum abſterſit Thionvillæum dedecus, urbe occupata. Fructus hic erat inſignis victoriæ, quam ab Hiſpanis reportavit; poſtquam iſti prælio haud procul Cameraco conſerto, fuerant victores.

Et Eſpernonii.

Circa idem tempus longævam vitam, variiſque fatis exercitam, clauſit Joannes Ludovicus *dux Eſpernonius*, anno ætatis 88, antiquiſſimus omnium Par Franciæ, dux militaris, Eques Ordinis S. Spiritus, conſiliarius ſtatus, denique antiquiſſimus gubernator. Nobili in Occitania familia natus, ab Henrico III, apud quem cum Joioſa maxima valebat gratia, ad ſummas dignitates evectus, atque dux Eſpernonii, Par & archithalaſſus Franciæ, dux ſupremus pedeſtris militiæ, gubernator Metenſis, Normanniæ, Santoniæ, Engoliſmæ, & Portus Gratiæ, creatus. Quamvis apprime Catholicus, animo tamen a Guiſiis erat averſo. Unde poſt cædem Henrici III neutri parti erat addictus, donec Henricus IV ad religionem Catholicam animum applicuerat. Poſt hujus necem primus erat, qui in ſupremo ſenatu Medicææ tutelam filii deferret. Et quamvis poſtea gratia ejus excidiſſet, nihilominus tamen imploratus e Bleſenſi carcere eam liberavit, indignante licet rege.

Vix erit in annalibus Galliæ invenire ducem, tot mutationes paſſum, qui toties exciderit gratia regum, totieſque reſtitutus, modo ad ſuprema evectus, modo ad infima depreſſus. Sed eadem ſemper ei magnitudo animi, ac indoles generoſa, aſperior tamen, quam delicatus Galliæ genius ferret. Unde fiebat, ut, ſpoliatus ferme omnibus, quæ largior in eum fortuna contulerat, falſo etiam accuſatus, quod regis ac Richelii vitæ inſidias ſtruxerit, vitæ humanæ tædio obierit anno 1642.

Mirum ſane! vir iſte magnus ſæpius eſt conteſtatus, ſibi jam grandævo ac variantis identidem fortunæ pertæſo, reliquum vitæ æternitati eſſe conſecrandum; & tamen novis, ubi occurrebant, ſe turbis miſcuit: Cato ſimilis, dum murem videt.

Ex Margaretha Foxia ſuſcepit tres filios; quorum primus ad

Ca-

Caſalim cecidit, alter Cardinalis & archiepiſcopus Toloſanus, vitam profanæ militiæ impendit; in qua etiam ante patrem vitam poſuit: tertium Bernardum, in quo anno 1660 ſtemma defecit.

## ARTICULUS XXX.

### *Fœdus Gallo-Suecicum anno 1636 Wismariæ initum.*

GAllia jam dudum quidem favebat Suecis: ut arctior autem eſſet nexus, fœdus cum illis iniit in hæc capita.

1. Fœderis hujus finis eſto regni utriusque ſecuritas, & libertas Germaniæ.

2. Rex bellum facito trans Rhenum, regina vero Sueciæ in Bohemia, Sileſia aliisque domus Auſtriacæ hæreditariis provinciis.

3. Principes & ſtatus Imperii ſpoliati reſtituuntor.

4. Omnia in Germania reponuntor in ſtatum anni 1618.

5. Pars utraque relinquat in locis occupatis exercitium religionis liberum, quale antea fuit. (*Propter hunc articulum & tertium dicunt Galli, fœdus ſuum cum Suecis religioni fuiſſe utile, eo quod vi illius liberum exercitium Catholicum etiam in locis, a Suecis occupatis, fuerit ſervatum, & Catholici, prius ſpoliati, iterum reſtituti.*)

6. Bellum continuator, donec pars utraque poſſit acquieſcere.

7. Principes utriusque Saxoniæ in ſocietatem pertrahuntor.

8. Copiæ per utriusque provincias reciproce liberum commeatum habento.

9. Quod quisque occupaverit, retineto, quamdiu bellum viget.

10. Mutua præſtantor auxilia.

11. Rex Galliæ ſingulis annis Suecis numerato millionem librarum, & quingenta millia in præteritum.

12. Pacem neutra pars inito, niſi communi conſenſu.

13. In utraque aula legati ſunto, & apud ſummos duces in Germania.

14. Pacem eodem tempore pangunto.

15. Pacis congreſſus Coloniæ eſto.

16 Hoc fœdus etiam ſucceſſores obſervanto.

17. Et poſt initam etiam pacem mutuo ſuccurrunto, ſi pax ab hoſte violetur.

18. Hoc fœdus per triennium durato.

Cum autem ratihabitiones hujus fœderis non fuissent mutuo traditæ, anno 1638 fuit renovatum Hamburgi, cum paucis mutationibus.

1. Gallus in superiori, Suecus in inferiori potissimum Germania bellum gerat, & in domus Austriacæ provinciis, quantum fieri potest, sedem belli figat.

2. Articuli III, IV & V in gratiam Catholicorum concepti, exacte serventur.

3. Fœdus ad annum 1641 prorogatur.

4. De subsidiis, ob non commutatas ratihabitiones controversis, conventum, ut rex, præter residuum anni 1637 statim Hamburgi numeret 400 imperialium millia, ex præteritis autem nihil aliud regina prætendat.

5. Pro futuro autem triennio rex annuatim millionem librarum Turonensium solvat Amstelodami.

6. Et quia moneta Gallica pro his terris minus est commoda Suecis, rex pro singulis millionibus numerabit 400 imperialium thalerorum millia, in moneta imperiali.

7. Si pro tractatu pacis unus idemque locus utrique sit commodus, ibi instituatur conjunctim; sin vero, locis quidem diversis, sed tamen re, caussa, tempore conjunctim, a rege Coloniæ, a Suecis vero Lubecæ vel Hamburgi. Utrobique tamen præsens sit alterius legatus, qui referat ad suos plenipotentiarios, quibus insciis nihil suscipiendum.

8. Salvi conductus tamen prius per mediatores extradantur.

9. Utrobique idem sit dies primus & ultimus pacificationis, & omnia utrobique collatis consiliis aguntor, pari passu & lente utrobique incedendo.

10. Rex sponsor esto pacis Hamburgensis, & regina Coloniensis in decennium.

## *Fœdus Gallo-Cassellanum anno 1636 Vesaliæ conflatum.*

Fœdus hoc, a Ludovico XIII cum landgravio Hasso-Cassellensi initum, in proemio dicitur intentum ad conservationem libertatum Germanicarum, & obtinendam pacem æquam ac generalem orbi Christiano.

1. Landgravius habeat exercitum, constantem 7000 peditum, & 3000 equitum, pro caussa communi in Germania gerenda.

2. Succurrat quamprimum Hermansteinio.

3. Occupata non restituat hosti sine regis assensu.

4. Nihil

4. Nihil aget contra fœdus Gallo-Suecicum.

5. Relinquat liberum religionis Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ exercitium, & eccleſiaſticis integram poſſeſſionem & fruitionem ſuorum bonorum in iis locis, quæ ab anno 1618 occupavit, aut occupabit in poſterum, neque permittat, quidquam mutari. Idem rex promittit reſpectu Proteſtantium.

6. Gallis per terras ſuas præſtet ſecuritatem, hoſpitia, & annonam.

7. Neque inducias neque pacem ineat ſine conſenſu regis.

8. De pace agat, quando & ubi rex conſtituerit, omnesque vires exerat ad obtinenda ea, quæ per pacem regi ejusque confœderatis fuerint promiſſa.

9. Rex landgravio quot annis numerabit ducenta thalerorum imperialium millia.

10. Sperat tamen landgravius majora a rege ſubſidia.

11. Promittit rex nullam pacem inire, niſi comprehenſo landgravio, & ſatisfactione præſtita.

12. Si rex ſocietatem cum Angliæ rege eſſet initurus, landgravius comprehenſus eſto.

13. Uti etiam in fœdere Batavico.

14. Si landgravius provincia ſua expelleretur, rex eum cum perſonis illuſtribus in regnum ſuum recipiet.

15. Promittitque rex annuum ſtipendium.

16. Si landgravius amitteret exercitum, rex curabit, ut reſtauretur.

17. Si hoſtis pacem conventam nollet exequi, armis communibus compellatur.

18. Pacta hæc conſtent, quamdiu bellum durabit.



# CAPUT III

# *STATUS GALLIÆ*

## SUB

## LUDOVICO XIV.

## ARTICULUS I.

*Aulæ ordinatio. Mazarini initia. Belli prosecutio. Ducis Enguiennii victoriæ. Obitus Condæi.*

38 Quinquennis duntaxat erat Ludovicus XIV, cum patrem amisit. Adolevit igitur sub tutela matris Annæ, quæ curarum laborumque socios assumpsit Gastonem ducem Aurelianensem, quem vicarium regni constituit, & Henricum Condæum, consilii arcani principem, probe gnara, quam turbidum fuerit utriusque Medicææ, Catharinæ & Mariæ regimen, dum, neglectis principibus regii sanguinis, filiorum impuberum tutelam gererent.

Adjunxit tamen *Julium Mazarinum* Italum, quem rebus agendis parem jam Richelius in arcana sua consilia admiserat, ac propterea Ludovicus XIII in senatum ascitum intimum Romana purpura ornari curavit, quin & testamenti sui executorem designavit. Hujus igitur Cardinalis consiliis, arcanorum regni jam conscii, regina vidua ita est usa, ut Cardinalis Richelius in Cardinale Mazarino revixisse videretur; quæ res tandem post mortem Condæi graves iterum turbas, quin & bellum Galliæ civile concivit.

Horum igitur opera & consiliis Anna Hispana, regens Galliæ, bellum adversus fratrem suum Philippum IV totamque domum Austriacam, hoc est, *suam*, strenue est prosecuta.

Et anno quidem 1644 dux Enguiennæ victoriam superioris anni instaurans, Gallis, a Bavaris victis, succurrit, atque relata *ad Friburgum victoria*, multas ad Rhenum urbes cepit. Nec minus in Belgio inclaruit Gasto, dux Aurelianensis, regis patruus, expugnata magna virtute *Gravelinga*, tectumque hinc Calesium, inde aperta ad Dunkerkam via.

Idem Enguiennius anno sequente perditam a Gallis rem in Suevia restituit, cæso Mercio, prius victore. Nec minus fortiter ab

Har-

Harcurio gestum bellum in Catalonia, relata grandi victoria, multisque Hispanorum cum duce *Mortara* captis. Accessit expugnatio urbium in eadem Catalonia, & *Mottæ* arcis rupi impositæ in Lotharingia.

Anno 1646 obiit Henricus II Condæus, princeps Borbonius, Henrici I filius, Ludovici I Condæi nepos: natus anno 1588, anno 1596 ad fidem conversus. Trucidato Henrico IV ob negatam sibi Ludovici XIII tutelam & Ancræi potentiam, adversus aulam cum aliis principibus arma corripuit. Datus in custodiam, atque ex ea liberatus, constanti fide regi adhæsit. Ex Mommorantia conjuge suscepit Ludovicum, qui *Condæam*, & Armandum, qui *Contiam* deinceps familiam propagavit. Filiam vero duci Longavillæo despondit. Obitus Condæi.

Porro Ludovicum primogenitum, qui vivente patre dux fuit *Enguiennæ*, heroem præclarum, *Condæum* deinceps appellabimus. Is hoc anno instauravit priorum annorum adoreas, dum in Belgio *Dunkerkam* expugnavit, & postea Leopoldum archiducem gravi clade affecit.

Anno 1648 conclusa tandem fuit Monasterii in Westphalia pax Cæsarem inter & Galliam, cujus hæc est synopsis.

## ARTICULUS II.

### *Pax Monasteriensis Imperium inter & Galliam.*

IN præfatione dicitur, divina tandem bonitate factum, ut annitente serenissima republica Veneta, ejusque legati Aloysii Contareni interventu, quinque jam annis mediatoris munere impigre functi, per comitem *Trautmanstorffium*, Cæsareæ aulæ supremum præfectum, comitem *Nassavium* consiliarium secretum, & Isaacum *Volmarum* J. U. D. archiducis Ferdinandi consiliarium & cameræ præsidem, ex parte Cæsaris *Plenipotentiarios*: ex parte vero Ludovici XIV regis Christianissimi per Henricum *Longævillæum*, principem & supremum comitem de Neu-Castell, Normanniæ gubernatorem, Claudium de *Mesmes* comitem d'Avaux, regni Gallici ministrum, & comitem Abelem *Servientum* pariter Galliæ ministrum, in sequentes pacis & amicitiæ leges fuerit conventum.

## Caput I.

1. Pax ſit univerſalis & perpetua, veraque & ſincera amicitia inter ſacram Cæſ. & ſacram Chriſtianiſſ. majeſt. omnesque eorum fœderatos & adhærentes.

## Caput II.

2. Sit utrinque perpetua oblivio & amneſtia. Atque ut ea ſit ſincerior atque ſecurior, alter alterius hoſtes, præſentes aut futuros, nullo unquam titulo aut prætextu, quacunque ratione juvet.

## Caput III.

3. Circulus quidem Burgundicus ſit maneatque membrum Imperii, bellis tamen in eo, Galliam inter & Hiſpaniam vertentibus, nec Imperator nec ullus Imperii ſtatus ſe immiſceat. In futurum etiam ſit reciprocæ obligationis mutuos hoſtes non juvandi neceſſitas. Singulis tamen ſtatibus liberum ſit, huic vel illi regno extra Imperii limites ſuppetias ferre, non tamen aliter, quam ſecundum Imperii conſtitutiones.

## Caput IV.

4. Controverſia Lotharingica vel arbitris, utrinque nominandis, committatur, vel tractatu Gallo-Hiſpanico, vel alia amicabili via componatur, liberumque ſit ſtatibus, huic compoſitioni pacificis officiis ſe interponere, non tamen armis aut mediis bellicis.

## Caput V.

5. Omnes Imperii ſtatus (comprehenſa immediata Imperii Nobilitate) eorumque vaſalli, ſubditi &c., quibus ratione Bohemiæ, Germaniæve motuum aut fœderum, aliquid præjudicii aut damni, quocunque prætextu, fuit illatum, ſive quoad bona ſive jura &c., in eum ſtatum in ſacris & profanis plenarie reſtituti ſunto, quo ante deſtitutionem gaviſi ſunt, aut jure gaudere potuerunt, non obſtantibus, ſed annullatis quibuscunque mutationibus, interim factis.

6. Exceptiones, quibus possessores credunt se munitos, non impediant restitutionem, hac tamen facta, coram competente judice discutiantur.

7. Quamvis autem aliqui specialiter nominari petierint, non tamen non nominati pro omissis vel exclusis sunt habendi.

8. Elector Trevirensis plene in integrum restituatur.

9. Ex Ehrenbreitstein & Hammerstein, Imperator præsidia deducat, illaque castra electori & capitulo custodienda tradat.

10. Caussa Palatina dirempta est modo sequenti.

11. Dignitas electoralis, quam electores Palatini antehac habuerunt, cum omnibus regaliis, officiis, præcedentiis, insigniis & juribus quibuscunque, ad hanc dignitatem spectantibus, nullo prorsus excepto, ut & Palatinatus superior totus, una cum comitatu Cham, cum omnibus eorum appertinentiis, regaliis, juribus, maneant penes Maximilianum, Bavariæ ducem, ejusque liberos, & totam *lineam Wilhelminam*, quamdiu masculi ex ea superstites fuerint.

12. Elector tamen Bavariæ pro se, hæredibus, & successoribus debito *tredecim millionum* totaliter renuntiet, omnique prætensioni *in Austriam superiorem*, & statim a publicata pace omnia instrumenta, desuper obtenta, Cæsari extradat.

13. Cæsar cum Imperio consentit, ut instituatur *octavus electoratus*, quo Carolus Ludovicus comes Palatinus, ejusque hæredes, & omnes agnati lineæ Rudolphinæ, juxta ordinem succedendi in Aurea Bulla expressum, deinceps fruantur. Nihil tamen juris, præter simultaneam investituram, ad ea, quæ cum electorali dignitate electori Bavariæ, totique lineæ Wilhelminæ sunt attributa, illis competat.

14. *Palatinatus inferior* totus, cum omnibus bonis, juribus, appertinentiis, quibus ante motus Bohemicos electores principesque Palatini gavisi sunt, omnibusque documentis & actis, huc spectantibus, eidem plenarie restituantur, cassatis, quæ in contrarium acta sunt: idque auctoritate Cæsarea effectum iri, ut neque *rex Catholicus*, neque ullus alius, qui exinde aliquid tenet, se huic restitutioni ullo modo opponat.

15. Cum autem terræ quædam *Stradæ Montanæ*, ad electorem Moguntinum pertinentes, anno 1463 pro certa pecuniæ summa cum pacto perpetuæ reluitionis oppignoratæ fuerint, hæ præfecturæ penes Moguntinum ejusque successores permaneant, dummodo pretium parata pecunia intra tempus, executioni pacis præfixum, exolvat.

16. Ele-

16. Electori Trevirensi tanquam episcopo *Spirensi*, episcopo item *Wormatiensi*, jura, quæ prætendunt in bona quædam ecclesiastica, in territorio Palatino sita, coram competenti judice prosequi liberum esto.

17. Si contingeret lineam Wilhelminam masculinam prorsus deficere, superstite Palatina, *superior Palatinatus* cum dignitate electorali, quæ penes Bavariæ duces fuit, ad eosdem superstites Palatinos, simultanea interim investitura gavisuros, redeat: octavo tunc electoratu prorsus *expungendo*. Ita tamen superior Palatinatus tunc redeat, ut hæredibus *allodialibus* electoris Bavariæ actiones, & beneficia, quæ illis ibidem de jure competunt, servata maneant.

18. Pacta quoque gentilitia, inter domum electoralem *Heidelbergensem* & *Neoburgicam*, a superioribus imperatoribus super electorali successione confirmata, ut & totius lineæ Rudolphinæ jura, quatenus huic dispositioni contraria non sunt, salva rataque maneant.

19. Adhæc, si quæ feuda *Juliacensia* aperta esse competenti via juris evictum fuerit, ea Palatinis evacuentur.

20. Ut Carolus Ludovicus liberetur onere de *appenagio* prospiciendi fratribus, Cæsar ordinabit, ut illis intra quadriennium expendantur quadraginta imperialium thalerorum millia, ita, ut singulis annis 10000 solvantur, una cum annuo censu 5 de 100 computatis.

21. Tota domus Palatina, omnesque illi addicti, ministri, subditi, exules plena amnestia fruantur.

22. Vicissim Carolus Ludovicus cum fratribus Cæsareæ majestati obedientiam & fidelitatem, sicut cæteri electores & principes Imperii præstet, atque Palatinatui superiori pro se & hæredibus suis, tum ipse tum fratres ejus *renuntient*, donec ex linea Wilhelmina hæredes legitimi & masculi superfuerint.

23. Promissum, viduæ matri viginti imperialium millia nomine Cæsaris exsolutum iri, singulis vero sororibus Caroli Ludovici pro dote decem millia.

24. Comites a Leiningen & Daxburg in Palatinatu nulla in re turbentur.

25 Liberam *Imperii nobilitatem* per Franconiam, Sueviam, & tractum Rheni, in suo statu immediato Palatinus inviolate relinquat.

26. Uti

26. Uti etiam vasallos suos; qui tamen ei fidelitatis juramentum præstabunt, tanquam domino directo, atque ab eodem feudorum renovationem petere.

27. *Augustanæ Confessionis* consortibus servetur status anni 1624.

28. Paragraphi *princeps Ludovicus Philippus: princeps Fridericus &c.*, hic eodem modo inserti intelligantur, sicut in instrumento Suedico.

29. Controversia de præfectura & monasterio Kizingen aut amicabili compositione, aut summario juris processu terminetur.

30. Conventio Cæsareo - Suedica circa alimenta Christiani Wilhelmi marchionis Brandenburgici hic repetita censeatur.

31. Rex Christianissimus restituet duci *Wirtembergico* Hohenwiel, Schorendorff, Tubingam aliaque omnia, quæ in ejus ducatu præsidiis suis tenet.

32. Principes quoque Würtenbergici lineæ *Mompelgardensis* restituantur ex integro.

33. Uti etiam marchio *Badensis*, Durlacensis & Hochbergensis. *Alternetur* etiam in posterum inter utramque lineam Badensem, superioris videlicet & inferioris marchionatus, præcedentia, & sessio in comitiis, & circulo Suevico.

34. Lis de baronatu Hohengerolseck judiciali sententia terminanda.

35 Circa alios restituendos hic inserta intelligantur, quæ in instrumento Cæsareo-Suedico continentur.

36. Contractus, transactiones, cessiones, *vi metuque extortæ, irritæ sunto*, omni actione sublata. Si vero debitores instrumenta crediti vi metuve creditoribus extorserint, ea omnia restistuantur, actionibus desuper salvis.

37. Agitur hic pariter de debitis & nominibus violenter extortis.

38. Sententiæ, belli tempore de rebus mere sæcularibus latæ, nisi processus vitium & defectus manifeste pateat, aut in continenti demonstrari possit, non quidem sunt nullæ, ab effectu tamen rei judicatæ suspendantur, donec acta revideantur in judicio.

39. Si quæ *feuda* ab anno 1618 non fuerint renovata, nec eorum nomine præstita servitia, nemini id fraudi esto; sed tempus repetendæ investituræ a die factæ pacis cedere incipiat.

40. Omnes & singuli, qui alterutri parti toga vel sago mili-

litarunt, aut adhæſerunt, in eum ſtatum, quo ante dictos motus gaviſi ſunt, reſtituti ſunto.

41. Excipiuntur tamen ſubditi & vaſalli hæreditarii Cæſaris ac domus Auſtriacæ, qui eadem quidem gaudent amneſtia quoad perſonas, vitam, famam, honores, habeantque ſecurum reditum in patriam, ita tamen, ut ſe teneantur accommodare legibus patriis regnorum & provinciarum.

42. Bona autem eorum, ſi confiſcata aut alio modo amiſſa fuerant, antequam in partes Galliæ aut Sueciæ concederent, porro quoque amiſſa ſunto, ac modernis poſſeſſoribus permanento.

43. Quæ vero ob eam cauſſam, quod pro Gallis aut Suecis arma ſumpſerint, illis erepta ſunt, reſtituantur, abſque tamen refuſione fructuum perceptorum, aut damni illati.

44. Subditis autem A. C. pro privatis ſuis juribus juſtitia adminiſtretur, ſicut Catholicis.

45. Ab univerſali reſtitutione excepta ſunto, quæ reſtitui nequeunt, bona mobilia, belligerantium auctoritate interverſa, deſtructa, aut publicæ ſecuritatis gratia in alios uſus converſa, depoſita publica & privata, hoſtilitatis intuitu confiſcata, legitime vendita, ſponte donata.

46. Quia vero etiam *cauſſa Juliacenſis* magnas aliquando turbas in Imperio excitare poſſet, proceſſu coram Cæſare, vel amicabili compoſitione, vel alio legitimo modo ſine mora confecta pace dirimatur.

## Caput VI.

47. Cum de controverſia circa bona quædam *eccleſiaſtica*, & libertatem exercitii religionis, certa quædam compoſitio inter Cæſarem, ſtatus, & coronam Sueciæ, inſtrumento Cæſareo-Suedico fuerit inſerta, ea hic quoque cenſeatur inſerta ac ſtabilita.

## Caput VII.

48. Circa cauſſam *Haſſo-Caſſellanam* conventum eſt, ut tota domus Caſſellana, cum omnibus ſubditis & addictis plena fruatur amneſtia & reſtitutione, ad initium belli Bohemici reducta.

49. Abbatiam *Hirſchfeldenſem* cum omnibus appertinentiis, ſecularibus & eccleſiaſticis (ſalvis tamen juribus domus Saxonicæ) retineat, & eo nomine inveſtituram a Cæſare petat, & fidelitatem juret.

50. Jus

50. Jus directi & utilis dominii in præfecturas Schaumburg, Bückenburg, Saxenhagen, & Statthagen episcopatui Mindano antehac adjudicatum, ad eandem domum Cassellanam pertineat, salva tamen transactione, cum Luneburgensi & Lippensi inita.

51. Eidem domui 600000 thaleri numerentur ex archiepiscopatibus Moguntino & Coloniensi, episcopatibus item Paderbornensi & Monasteriensi, atque abbatia Fuldensi, pro locorum occupatorum restitutione, & indemnitate.

52. Interea autem pro pignore retineat, Neus, Cœsfeld, & Neuhaus.

53. Præsidia Hassiaca in his locis alantur sumptibus dictorum archiepiscopatuum, donec summa prædicta sit soluta.

54. Quamprimum trecenta millia fuerint soluta, restituatur Neussia, retentis Cœsfeld & Neuhaus.

55. Simul ac vero tota summa fuerit soluta, etiam hæ restituantur.

56. Reliquas urbes & arces Hassi statim post ratificationem pacis restituant.

57. Quamvis landgravia tutrix noluerit, sibi ab aliis, quam prædictis ecclesiasticis solvi, ex æquitate tamen etiam status cujuscunque generis cis & ultra Rhenum ad dictam summam concurrent, qui 1 Martii hujus anni Hassis contributionem dependerunt. Nec fas sit Hassis quemquam eximere.

58. Conventio a Cassellanis & Darmstadianis super successione *Marpurgensi* nuper facta, confirmatur.

59. Sicut etiam transactio, cum comitibus Waldecciæ inita.

60. Firmum quoque maneat jus *primogenituræ*, in qualibet domo Hassiæ, Cassellana, & Darmstadiana, introductum, & a Cæsare confirmatum.

## Caput VIII.

61. Cum item Cæs. Maj. ad querelas, nomine civitatis Basileensis & universæ *Helvetiæ* propositas, super nonnullis processibus & mandatis executivis, a camera Imperiali contra dictam civitatem, aliosque Helvetiorum cantones unitos, eorumque cives & subditos emanatis declaravit, Basileam, ceterosque Helvetiorum cantones in possessione vel quasi plenæ libertatis & exemptionis ab Imperio esse, ac nullatenus ejusdem Imperii dicasteriis & judiciis subjectos, placuit, hoc idem publicæ hic pacificationis conventioni inse-

inſerere, ratumque & firmum manere, atque idcirco ejusmodi proceſſus una cum arreſtis, eorum occaſione decretis, prorſus caſſos & irritos eſſe debere.

## Caput IX.

62. Ut autem proviſum ſit, ne poſthac in ſtatu politico controverſiæ oriantur, omnes *ſtatus* Imperii in antiquis ſuis juribus, libertate, privilegiis, libero juris territorialis, tam in eccleſiaſticis quam politicis exercitio, ita ſtabiliti ſunto, ut a nullo unquam ſub quocunque prætextu de facto turbari poſſint, vel debeant.

63. Gaudeant jure *ſuffragii* in omnibus negotiis Imperii, præſertim ubi leges ferendæ vel interpretandæ, bellum decernendum, tributa indicenda, delectus aut hoſpitationes militum inſtituendæ, pax aut fœdera facienda: nihil horum, aut quidquam ſimile poſthac fiat, niſi de comitiali ac libero omnium ſtatuum ſuffragio. At vero jus faciendi inter ſe vel cum exteris, ad ſui conſervationem & ſecuritatem, fœdera, cuivis ſtatui liberum eſto: modo ejusmodi fœdera non ſint contra Imperatorem & Imperium, pacemque ejus publicam, vel hanc transactionem, fiantque ſalvo ſemper juramento, quo quisque Imperatori & Imperio obſtrictus eſt.

64. Habeantur autem comitia intra ſex menſes a dato ratificatæ pacis, poſtea vero, quoties id neceſſitas aut publica utilitas exiget. In proximis vero comitiis emendentur imprimis priorum conventuum defectus, ac tum quoque de *electione Romanorum regum*, certa conſtantique *capitulatione* concipienda, de modo & ordine in uno vel altero ſtatu declarando in *bannum* Imperii, redintegrandis *circulis*, renovanda *matricula*, reducendis ſtatibus *exemptis*, remiſſione & moderatione *collectarum* Imperii, reformatione politiæ & *cameralis* judicii, ordinariis *deputatis*, munere *directorum* in Imperii collegiis, & ſimilibus negotiis, quæ hic expediri nequiverant, ex communi ſtatuum conſenſu conſtituantur.

65. Tam in univerſalibus vero quam particularibus diætis liberis *Imperii civitatibus* non minus, quam ceteris Imperii ſtatibus, competat ſuffragium deciſivum: illisque rata maneant omnia jura, ab Imperatoribus impetrata, vel longo uſu ante hos motus obtenta, poſſeſſa & exercita.

66. Exquirendum judicii aulici & cameralis conſilium, quomodo *debitoribus*, fortuna lapſis, aut nimiis uſuris gravatis ſuccurri poſſit, atque de eo in proximis comitiis referendum.

Caput

## Caput X.

67. Vectigalia & *telonia*, noviter invecta, aliaque onera, quibus commerciorum & navigationis usus deterior est redditus, penitus tollantur.

68. Quo tamen nihil derogatur juribus, privilegiis, teloniis, ab Imperatore de consensu Electorum, cum aliis, tum etiam comiti Oldenburgensi in Visurgi concessis, aut usu diuturno introductis.

## Caput XI.

69. Quo magis autem pax firmetur, & securitati publicæ magis prospiciatur, de consensu statuum conventum est:

70. Supremum dominium in urbes & episcopatus, *Metensem*, *Tullensem*, & *Virodunensem*, & nominatim *Moyenvicum*, eo modo, quo hactenus ad Romanum spectabant Imperium, in posterum ad coronam Galliæ spectare eique incorporari in perpetuum debere: reservato tamen jure metropolitano archiep. Trevirensis.

71. Restituatur Franciscus Lotharingiæ dux tanquam legitimus Virodunensis episcopus.

72. Imperator & Imperium cedunt Galliæ jus directi dominii in *Pinarolum*.

73. Imperator pro se totaque domo Austriaca, itemque Imperiũ, cedunt Galliæ *Brisacum*, *Landgraviatum* superioris & inferioris *Alsatiæ*, *Suntgoviam*, *præfecturamque provincialem* decem Imperii civitatum, in Alsatia sitarum, scilicet Haganau, Colmar, Schletstat, Weisenburg, Landau, Oberenheim, Rosheim, Münster, Kaisersberg, Turingheim, omnesque pagos, & alia quæcunque jura, quæ a dicta præfectura dependent,

74. Et quidem ita, ut nullus Imperator aut familiæ Austriacæ princeps, quidquam juris in prædictis, cis & ultra Rhenum sitis, ullo unquam tempore possit prætendere.

75. Sit tamen rex obligatus, in omnibus illis locis cessis *Catholicam religionem* conservare, prout sub Austriacis principibus conservata fuit, omnesque, quæ durante hoc bello novitates irrepserunt, removere.

76. Regi jus sit, habendi præsidium moderatum in castro *Philipsburg*, protectionis ergo, a Gallia tamen sustentandum.

77. Rex tamen præter protectionẽ, præsidium & transitum in dictum

ctum castrum nihil prætendet. Unde proprietas, jurisdictio, omniaque jura, fructus & emolumenta, excepto jure protectionis, episcopo & capitulo Spirensi permaneant.

78. Imperator, Imperium, & archidux Oenipontanus Ferdinandus Carolus, ordines, magistratus, officiales, subditos supra dictorum locorum exsolvunt vinculis & *sacramentis*, quibus sibi & domui Austriacæ erant obstricti, eosque ad subjectionem regi regnoque Galliæ præstandam remittunt, obligantque. Efficient quoque, ut a *rege Hispaniarum* eadem renuntiatio in forma authentica extradatur. Quod & totius Imperii nomine fiet.

79. Ad majorem hujus cessionis firmitatem Imperator & Imperium derogant omnibus prioribus decretis, nominatim capitulationi Cæsareæ, alienationes prohibenti.

80. In proximis insuper comitiis alienationes prædictæ habeantur ratæ.

81. Solo æquentur munitiones Benfeldæ, fortalitii Rhinavli, Tabernarum Alsatiæ, castri Hohenbar, & *Neoburgi* ad Rhenum; neque in illis sit miles præsidiarius.

82. Civitas Tabernarum neutralitatem accurate servet. Nullæ ad Rhenum munitiones in citeriori ripa, a Basilea Philippoburgum usque exstruantur; nec fluminis cursus alio derivetur.

83. Archidux Ferd. Carolus cum ea provinciæ parte, quam ei rex debet restituere, recipiet in se tertiam debitorum partem, quibus camera Einsisheimensis gravata est.

84. Circa alia Alsatiæ debita solvenda fiat conveniens distributio pro rata ditionum, quæ apud Austriacos remanent, & quæ ad regem deveniunt.

## Caput XII.

85. Rex restituet archiduci Ferd. Carolo quatuor *civitates sylvestres*, Rheinfelden, Seckingen, Lauffenburg, Walshut, cum omnibus territoriis & appertinentiis cis & ultra Rhenum: comitatum Hauenstein, Sylvam Nigram, totamque superiorem & inferiorem *Brisgoviam*, & civitates in ea sitas, antiquo jure ad domum Austriacam spectantes, scilicet Neuburg, Freuburg, Endingen, Kenzingen, Waldkirch, Villingen, Breunlingen, cum omnibus appertinentiis: totam item Ortnaviam, cum civitatibus imperialibus Offenburg, Gengenbach, & Cella, quatenus præfecturæ Ortnaviensi obnoxiæ sunt. Libera sit Rheni navigatio, &

nui-

utriusque ripæ commeatus & commercia ; ſola inſpectione mercium excepta. Nec etiam liceat, nova & inſolita vectigalia aut pedagia ad Rhenum imponere, ſed utraque gens ſit contenta ordinariis, ante hoc bellum ſub Auſtriaca gubernatione præſtari ſolitis.

86. Omnibus cis & ultra Rhenum reſtituantur ſua bona immobilia, corporalia & incorporalia, citra exceptionem meliorationum, ſumptuum, aut compenſationum : non obſtante quacunque confiſcatione, donatione, aut translatione, a Suecis aut eorum confœderatis facta. At vero bonorum mobilium, fructuum perceptorum, earumque rerum, quæ pondere, numero, & menſura conſtant, & intuitu belli ſunt exactæ aut extortæ, repetitio, ad amputandas lites, utrinque penitus caſſata & ſublata eſto.

87. Teneatur rex non ſolum epiſcopos, Argentinenſem & Baſileenſem, cum civitate Argentina, ſed etiam reliquos per utramque Alſatiam Imperio immediate ſubjectos ordines, abbates Murbacenſem & Luderenſem, abbatiſſam Andlavienſem, monaſterium in Valle S. Georgii, Palatinos de Luzenſtein, comites & barones de Hanaw, Fleckenſtein, Oberſtein, totiusque inferioris Alſatiæ nobilitatem, item prædictas decem Imperii civitates, quæ præfecturam Haganoënſem agnoſcunt, in ea libertate & poſſeſſione immedietatis erga Imperium Romanum, qua hactenus gaviſæ ſunt, relinquere, ita, ut nullam in eas ſuperioritatem poſſit prætendere, ſed iis juribus contentus maneat, quæ ad domum Auſtriacam ſpectabant. Per hoc tamen nihil detrahitur de ſupremo dominio regis, quod ſupra conceſſum eſt.

88. Rex in compenſationem partium ipſi ceſſarum archiduci Ferd. Carolo ſolvi curabit *tres milliones librarum* intra tres annos ſequentes, quolibet anno tertiam partem.

89. Præter dictam ſummam rex tenebitur in ſe ſuſcipere *duas tertias* partes debitorum cameræ Enſisheimianæ, archiducem pro tali quota prorſus indemnem præſtando.

90. Curabit Rex, ut dicto archiduci in locis eidem reſtituendis omnia inſtrumenta & litteraria documenta extradantur.

91. Si ceſſas terras pro indiviſo concernant, de his archiduci exempla authentica, quoties requiſierit, edantur.

## Caput XIII.

92. Ne controverſiæ inter Sabaudiæ & Mantuæ duces, ratione *Montisferrati*, a Ferdinando II & Ludovico XIII terminatæ, in

in Christianæ reipublicæ perniciem aliquando recrudescant, conventum est, quod tractatus Cherasci anno 1631 firmus maneat, excepto Pinarolo, per specialem tractatum cum Sabaudiæ duce Galliæ adquisito.

93. Ideoque utrinque promittitur observatio pacis *Chierascensis*, & defensio ducis Sabaudiæ in possessione Trini & Albæ.

94. Ut autem omnium dissidiorum semina inter dictos duces extirpentur, rex duci Mantuæ solvet 494000 aureorum, a Lud. XIII promissa in exonerationem ducis Sabaudiæ.

95. Cæsar, decenter requisitus, concedet duci Sabaudiæ investituram non tantum antiquorum feudorum, prout Ferd. II Victori Amadæo concesserat, sed etiam *Montisferrati* cum appertinentiis, per tractatum Chierascensem ipsi decretis.

96. Item Sabaudiæ dux non turbetur ab Imperatore in jure superioritatis, quod habet in feudis Rocheverani, Olmi & Cæsolæ, quæ a Romano Imperio nulla ratione dependent.

## Caput XIV.

97. Cæsar comitibus Cacheranis faciet restitui feudum Rochæ & Arazii, cum appertinentiis: uti etiam duci Mantuæ feudum castrorum Reggioli & Luzzareæ.

98. Simul atque instrumentum pacis subscriptum fuerit, cesset omnis hostilitas, & mox executioni detur: atque ad exercitum duces ocius citatis equis mittantur cursores, nuntii pacis.

99. Conveniant inter se plenipotentiarii intra tempus conclusæ & ratificandæ pacis, de modo & tempore restitutionis locorum, & exauctorationis militiæ.

100. Cæsar per totum Imperium edicta promulget, ut fiat executio, injungendo tam directoribus circulorum, quam præfectis militiæ circularis, ut restitutionem promoveant & perficiant.

101. Si restituendorum aliquis etiam *Cæsareos Commissarios* putaverit esse necessarios, etiam illi dentur. Quo casu tam restituendus quam restituens duos aut trinos nominabit. Cæsar autem *unum utrinque eliget*. Si restituens nominare neglexerit, Cæsar unum eliget ex denominatis a restituendo, & alterum pro arbitrio adjungat, ex diversa tamen religione.

102. Omnes, qui vigore hujus pacis ad restituendum vel aliquid faciendum obligantur, statim pareant.

103. Nemo directorum aut præfectorum circulis militiæ, aut commissariorum executioni resistat.

104. Omnes captivi sine discrimine togæ vel sagi liberi utrinque dimittantur.

105. Restitutione ex capite amnestiæ & gravaminum facta, liberatis captivis, & ratihabitionibus commutatis, præsidia militaria utrinque pari passu deducantur.

106. Mentio regis Catholici, aut ducis Lotharingiæ, aut prædicatum landgravii Alsatiæ, in instrumento Suedico Imperatori tributum, nullum Christianissimo regi præjudicium afferant; nec ea, quæ circa satisfactionem Suedicæ militiæ conventa sunt, ullum respectu suæ majestatis effectum sortiantur.

107. Hæc restitutio ab omnibus fiat reciproce & bona fide.

108. Restituantur etiam archiva & documenta litteraria, ut & tormenta bellica tempore occupationis in loco reperta, & ibi adhuc existentia. Invecta vero omnia liceat asportare. Decedentibus præsidiis & militibus subditi locorum teneantur suppeditare currus, equos, naves pro avehendis rebus necessarios, de uno territorio in aliud, non autem ultra illud.

109. Nulli civitati fraudi sit, quod ab hac vel illa belligerantium parte fuerit infessa.

110. Copiæ eo tantum numero retineantur, quem quivis status pro sua securitate judicaverit necessarium.

## Caput XV.

111. Pacem sic conclusam promittunt legati, a suis principalibus ratihabitum iri, atque ratihabitionum instrumenta intra octo septimanas a die subscriptæ pacis Monasterii reciproce commutanda fore.

112. Sit hæc transactio perpetua lex & sanctio Imperii pragmatica, æque ac aliæ constitutiones fundamentales Imperii, nominatim proximo Imperii recessui, ipsique capitulationi Cæsareæ inserenda, obligans non minus absentes ac præsentes, ecclesiasticos & politicos, sive status Imperii sint, sive non, eaque consiliariis & omnium tribunalium judicibus & assessoribus præscripta, tanquam regula, quam perpetuo sequantur.

113. Contra hanc transactionem ullumve ejus articulum nulla jura canonica vel civilia, communia vel specialia, conciliorum

decreta, privilegia, rescripta, litispendentiæ, sententiæ, res judicatæ, capitulationes Cæsareæ, religiosorum ordinum regulæ, aut exemptiones, appellationes, transactiones, investituræ, juramenta, renuntiationes, pacta, multo minus edictum anni 1629, vel transactio Pragensis, aut concordata cum Pontificibus, aut interimistica anni 1548, ullave alia statuta, dispensationes, absolutiones, aut aliæ, quocunque nomine vel prætextu excogitari poterunt, exceptiones, unquam allegentur, audiantur, aut admittantur: nec unquam contra eam in petitorio aut possessorio processus aut commissiones decernantur.

114. Qui vero huic paci contravenerit, aut executioni vel restitutioni repugnaverit, aut restitutum extra judicium gravare de novo tentaverit, sive clericus sive laicus fuerit, pœnam fractæ pacis ipso jure & facto incurrat.

115. Teneantur omnes hujus transactionis consortes singulas ejus leges sine religionis distinctione contra quemcunque tueri. Si autem quid violari contingeret, læsus lædentem dehortetur a via facti, caussa ipsa vero vel amicabili compositioni, vel juris disceptationi submittatur.

116. Si neutro modo terminetur controversia trium annorum spatio, teneantur omnes hujus transactionis consortes pro læso arma sumere ad repellendam injuriam, a passo moniti, quod nec amicitiæ nec juris via locum invenerit. Alias vero nulli omnino statuum liceat *jus suum armis prosequi*, sed jure experiatur. Secus faciens reus sit fractæ pacis.

117. Ubi motuum aliqua initia apparent, observentur, quæ constitutiones de pace publica præscribunt.

118. Transitus militum fiat sine damno, & sumptibus ejus, cujus sunt milites.

## Caput XVI.

119. Hac pace comprehendantur, qui ex communi consensu nominabuntur: interim autem respublica Veneta, uti mediatrix hujus tractatus. *Ducibus* quoque *Sabaudiæ & Mutinæ* nullum unquam afferat præjudicium, quod pro rege Christianissimo bellum gesserint, & etiam nunc gerant.

120. Continentur hoc § nomina legatorum, qui paci subscripserunt, & sigilla sua apposuerunt, nempe præter Cæsareos & regios, Moguntinus, Bavarus, Saxo, Brandenburgus, Austriacus,

Bam-

Bambergensis, Herbipolensis: Altenburgicus, Culmbacensis & Onolsbac., Cellensis, Calenberg. Comitum Wetterav. Franconici & Suevici scamni. Argentinensis, Ratisbon. Lubecensis, Norimbergensis.

Reliquis statuum legatis relictum liberum, an nomina sua velint apponere. Additum tamen, subscriptione nominatorum etiam non subscribentes tam firmiter obligari, acsi ipsi etiam subscripsissent, nec ullam protestationem aut contradictionem valere. *Acta haec sunt Monasterii Westphalorum* 24 *Oct.* 1648.

## § III.

### *Observationes.*

*Ad* 2 & 3. Haec Galli addita volebant propter Hispanos, cum quibus, hac pace exclusis, bellum adhuc perdurabat usque ad pacem Pyrenæam. Difficillimum accidit Cæsari, agnatum regem relinquere, & ægerrime ferebat Hispanus, se deserto pacem fieri; sed hæc Germaniæ erat necessaria, nec Galli aliter in illam volebant consentire, ut hoc pacto Hispano abscindantur Germanica auxilia, & domus Austriaca divideretur. Quod Gallus evicit, cum magna offensione Hispaniæ.

*Ad* 4. Etiam Lotharingiæ ducem ab hac pace exclusit Gallus, facilius esse ratus, cum singulis bellum gerere & deinde pacisci, quam cum omnibus simul. Unde sollicita etiam in posterum Franciæ cura, ut belligerantes fœderatos dividat.

*Ad* 5. *Quibus aliquid damni fuit illatum, plenarie restituti sunto.* Atqui Catholicis maxima damna sunt illata.

*Ad* 8 & 9. De caussa Trevirensi, & electore abducto, alias diximus.

*Ad* 11. Quamvis paciscentes putaverint, se omnia circa caussam Palatinam expressisse, omiserunt tamen de vicariatu Imperii statuere, an electorali dignitati, an terræ Palatinæ, sit affixus, &, si hoc, an superiori vel inferiori Palatinatui. Unde postea controversia, quæ tamen amice fuit composita.

*Ad* 12. *Renuntiet debito tredecim millionum*; quos nempe Bavariæ dux in bello Bohemico pro Cæsare expenderat, superiori Austria pro hypotheca assignata.

*Ad* 14. *Ut neque rex Catholicus &c.*, qui Franckenthalium præsidio suo adhuc tenebat, nec dimittere voluit.

*Ad* 22. Carolus Ludovicus diu detrectavit conditiones pacis acceptare.

*Ad* 27. *Status anni* 1624. Quare Galli non procurarunt ſtatum anni 1630, aut ſaltem anni 163·, quo bellum cœperunt?

*Ad* 35. Quamvis talia Germaniæ negotia ad Gallos non pertinebant, conformabant ſe tamen Suecis, confœderatis ſuis; unde multa in hoc tractatu Monaſterienſi iisdem omnino verbis ſunt repetita, quæ continentur in tractatu Suedico Osnabrugenſi.

*Ad* 47. Quæ in inſtrumento Suedico art. V de bonis eccleſiaſticis & exercitio religionis prolixe ſunt tractata, in hoc Gallico terminis generalibus acceptantur & confirmantur.

*Ad* 51 *& ſeqq.* Erat domus Haſſo-Caſſellana Galliæ & Sueciæ fœderi juncta, & Cæſari ac Catholicis inimica. Hinc iſti effectus.

*Ad* 61. Hic Helvetis primo poſſeſſio exemptionis ab Imperio & plenæ libertatis publico Imperatoris & Imperii decreto promulgata.

*Ad* 62 *& ſeqq.* Quæ capite IX hic ſtatuuntur, iterum ex inſtrumento Suedico ſunt deſumpta.

*Ad* 69 *& ſeqq.* Tres epiſcopatus Lotharingiæ jam Henricus II rex Galliæ ab Imperio abſtraxerat. Sed Imperium nunquam ſe iis abdicaverat usque ad hanc pacem.

*Ad* 72. Pinarolium, Imperii feudum, Sabaudiæ dux regi Galliæ vendiderat. Ne autem hic ratione Pinarolii eſſet vaſallus Imperii, facta eſt hæc diſpoſitio.

*Ad* 73. Alſatia, & alia, quæ hoc § recenſentur, pertinebant ad duos pupillos, Ferd. Carolum & Sigismundum, archiduces Oenipontanos.

*Ad* 78. Rex Hiſpaniæ pacem a Cæſare initam graviter ferens, diu noluit abdicare jus eventuale in Alſatiam &c.

*Ad* 82. Tabernæ Alſatiæ pertinent ad epiſcopum Argentinenſem; hinc iſta de neutralitate diſpoſitio.

*Ad* 85. Ex his patet, quam multas in Germania urbes Galli occuparint; unde tam caro pax redimenda.

*Ad* 87. Ex his patet, Galliæ in Alſatia &c. ſola illa jura fuiſſe per hanc pacem conceſſa, quæ ad domum Auſtriacam pertinuerant, ſtrenue ad hoc collaborantibus legatis Proteſtantium, toto hoc tractatu inimicis Auſtriæ.

*Ad* 105. *Ex capite amneſtiæ* reſtituendi erant, quibus durante bello aliquid fuerat ablatum; cum multis tamen hujus regulæ reſtrictionibus & exceptionibus. Ex *capite Gravaminum* vero facien-

da

da erat in eccleſiaſticis reſtitutio ad normam poſſeſſionis, anno 1624 habitæ.

*Ad* 106. *Nullum effectum ſortiantur*, hoc eſt, Gallia ad ſatisfactionem Suecicæ militiæ nihil teneatur ratione Alſatiæ & aliorum, hac pace adquiſitorum contribuere.

*Ad* 113. *Nulla jura canonica, nullæ religioſorum regulæ, nulla concordata, cum pontificibus inita &c.* Quid de hujusmodi expreſſionibus ſentiendum, continetur in Bulla Innocentii X.

*Ad* 115 *& ſeq.* Primo ergo vel amicabilis cauſſæ controverſæ compoſitio, vel via juris tentanda. Secundo, ſi neutra proficiat trium annorum ſpatio, teneantur hujus transactionis conſortes arma ſumere ad repellendam injuriam. Loquitur diſpoſitio de *tempore tunc præſente*, & executione *tunc temporis* facienda. Executione autem eorum, quæ in inſtrumento continentur facta, in futurum nemo amplius jus ſuum armis perſequatur, ſed jure experiatur. Secus faciens reus eſt fractæ pacis.

*Ad* 120. Pax cum corona Galliæ ſecundum præliminaria componenda erat Monaſterii, ſed ad finem Servientus Osnabrugam ad Suecos abiit, ibique concluſa, ſed ſubſcripta ab aliquibus Monaſterii: *ab aliquibus*, inquam, nam 44 ſtatus Imperii nolebant ſubſcribere, ſed contra tractatum aperte ſunt proteſtati.

## ARTICULUS III.

*Liber Arnaldi de theologia morali Jeſuitarum damnatus: uti etiam ejus liber de frequenti communione: ubi de æqualitate Petri & Pauli. Singularia fata Cardinalis de Rets. Arnaldi epiſtola ad Parem a Sorbona damnata: uti etiam litteræ provinciales Paſcalis a Papa &c. Criſis de iſtis. Piroti apologia damnata.*

ANno 1644 Parlamentum Burdigalenſe ac ſupremum juſtitiæ tribunal condemnarunt librum, cui titulus: *Theologia moralis Jeſuitarum contra moralem doctrinam Chriſtianam in genere*: qui publice laceratus eſt in curia, ceu *libellus ſcandaloſus, plenus impoſturis, fraudibus, impietatibus, propoſitionibus noxiis & deteſtandis, injuriis atrociſſimis, & horrendis calumniis.* 39

Tribuitur famoſus hic libellus *Antonio Arnaldo*; & confutatus eſt a Cauſſino & Moinio. Huic poſtea Paſcalis litteras ſuas pro-

vinciales superstruxit. Criminationes autem suas auctor desumpsit ex *Catalogo de traditionibus Romanis*, quem Maulinus Calvinianus minister consarcinavit anno 1632, ad imitationem Calvini, qui, postquam ab ecclesia anathemate fuit percussus, *theologiam moralem Papistarum* composuit. Sic Jansenistæ merces suas cariosas a Calvinistis mutuantur. Amicorum nempe omnia sunt communia. Suadetur utrisque, ut *theologiam Calvinisticam* legant, a Schlüsselburgio Lutherano editam.

Patres Carmelitæ anno 1646 in capitulo generali, Charentonii habito, prohibuerunt omnibus suis religiosis, ne Jansenianam doctrinam amplectantur. Unde auctor historiæ Jansenisticæ (Gerberon) occasionem sumpsit, protervè dicendi, quod boni isti Patres Veteris Testamenti non cognoscant gratiam Novi. Idem decretum condiderunt *Fullienses*; sed hoc non esse mirandum, dicit idem historicus, aut potius satyricus; nam P. Josephum, illustrem eorum theologum, esse Semi-Pelagianum, ac proin nihil in S. Augustino videre, nisi suum Molinam. Quam melius diceretur, Gerberonium esse larvatum Calvinistam, ac proin nihil videre in S. Augustino, nisi suum Jansenium.

Scripserat Arnaldus librum *de frequenti communione*, in cujus proemio docuit, *S. Petrum & S. Paulum esse duo capita ecclesiæ, sic tamen, ut constituant unum: Paulum esse æqualem, & non subjectum Petro in primatu & regimine ecclesiæ universalis.*

Hanc propositionem, S. Scripturæ, conciliis & patribus contrariam, anno 1647 damnavit Innocentius X. Nihilominus eandem renovarunt Quesnellus & Barcosius, abbatis Sancyrani nepos, homines voce tenus venerantes sedem Apostolicam, re ipsa in ejus ruinam, quantum poterant, laborantes, eique contumaciter obluctantes.

Anno sequenti 1648 archiepiscopus Bisontinus prohibuit lectionem operum *Arnaldi*, & *Sancyrani*, Parlamentum vero comitatus Burgundici etiam invectionem illorum & retentionem. Anno dein 1649 *Cornetus* ad facultatem theologicam, cujus erat syndicus, detulit propositiones Jansenii, quæ ab ea fuerunt damnatæ; quarum prima prope de verbo ad verbum est contenta in ejus Augustino *cap* 13 *lib. 3 de gratia Salvatoris.* Reliquæ sunt consectariæ ex duplici ejus delectatione inevitabili ac invincibili &c., &, quoad sensum in eodem continentur, atque verbis æquipollentibus. Verum hæc aliaque uberius referentur infra, ubi speciatim de Jansenismo tractabitur, prout etiam, ea, quæ anno 1651 &c. in congre-

gregationibus Romanis ab Innoc. X circa quinque Janſenii propoſitiones acta ſunt.

Inciderunt in hæc tempora graviſſimæ in Gallia turbæ, ſeditiones & bella civilia, ex eodem, quo priora, ſub Cocino, Luynio, & Richelio, fonte orta. Indignabantur principes regii ſanguinis, *Mazarinum*, hominem exterum, ſe neglectis, dum Ludovicus XIV teneram adhuc ageret ætatem, regni clavo admotum, omnia ſolum gubernare. Mazarinus bis regno exceſſit, principes in carcerem dati, Condæus denique exul: prout infra uberius diſſeretur.

Graſſantibus his turbis fata, non facile audita, ſubire debuit Joannes Franciſcus Paulus *Gondius*, *Cardinalis Radeſianus* (*de Retz.*) Pariſienſis archiepiſcopus. Is lubricam ætatem emenſus, cum prudentius ſacramentum matrimonii ſuſcepiſſet, ſacris (ut non raro contingit) ordinibus fuit initiatus, in id conſilium tractus ſpe archiepiſcopatus Pariſienſis, quem patruus ejus poſſidebat, eumque in coadjutorem ſuum aſſumpſerat, ordinatum archiepiſcopum Corinthiacum. Rez.

Bello civili flagrante largitionibus magnum ſibi clientum numerum comparavit, mediusque velut inter principes & Mazarinum, teſte Brietio *ad ann.* 1652, incedebat, 400 nobilibus grandique armatorum agmine cinctus, magnumque momentum facturus parti, cui accederet. Mazarino, ut ſuum faceret, ſuadente, regina tutrix apud Innocentium X effecit, ut eum Cardinalem crearet. At Mazarinus, rebus ſuis magis firmatis, æmulum formidans, in Vincennenſem carcerem abduci eum curavit.

Cum eo detineretur captivus, mortuus eſt ejus patruus, ac proin archiepiſcopatus Pariſienſis ipſi, cum jure ſucceſſionis coadjutori deſignato, debebatur. Unde Mazarinus, tumultum veritus, ſex pingues abbatias & liberationem e carcere promittit Cardinali, ſi archiepiſcopatui renuntiaret. Renuntiavit illico, probe gnarus, reſignationem, ab incarcerato extortam, eſſe nullam: conventumque eſt, ut Nannetum transferretur, donec Papa renuntiationem ratam haberet.

Militari igitur manu abductus in arcem Nannetenſem arcte cuſtodiebatur; cum autem Papa, eo cum Cardinali agendi modo vehementer irritatus, & alioquin Mazarino propter ejus dominatum infenſus, in renuntiationem nollet conſentire, cauſſamque cum Retzio ad ſuum tribunal evocaret, noctu per feneſtram, quamvis non ſine gravi humerorum læſione, demiſſus, ope Briſſaci du-

cis

cis in Italiam Romamque evasit, ubi Innocentius X paterno illum affectu excepit.

Gallia interea vario animorum motu hoc nuntium accepit. Capitulum cathedrale hymno Ambrosiano lætitiam, de libertate archiepiscopi sui conceptam, publice fuit testatum. Venit in partem gaudii populus, qui tanto in Mazarinum odio ferebatur, ut, si Retzius Parisios venisset, prout destinaverat, ad accendendos animos, alioquin jam ardentes, nova belli civilis flamma erupisset. Contra vero rex (instinctu haud dubie Mazarini) capitulo Parisiensi interdixit, ne ullum decretum ederet, quod non ante a consilio regio fuisset approbatum, ecclesiam vero Parisiensem vacantem declaravit, renuntiatione Retzii prætexta, jusso simul Parlamento processum formare contra illum ceu inimicum *status*, qui transiens per Andegavos & Pictavos incitasset nobiles ad arma capienda pro Condæo, in Belgium profugo. Epistola, quam Cardinalis Roma ad omnes Galliæ episcopos scripserat, Parisiis per carnificem fuit concremata.

At alius multo sensus fuit curiæ Romanæ, atque clero Gallicano, qui jurisdictionem ecclesiasticam vindicare nitebantur, & Retzium archiepiscopum agnoscebant, sparsis in eam rem pluribus libellis. Et visa est curia Parisiensis ex illis didicisse, se telum ultra metam potestatis sæcularis projecisse. Unde per Lyonæum Franciæ legatum Romæ apud Pontificem institit, ut judices in Gallia nominet, qui caussam Retzii cognoscant. At Alexander VII respondit, spoliatum ante omnia esse restituendum, tum delegatos suos de jure proprietatis judicaturos. Interim vero vicarios constituit, qui diœcesin gubernarent.

Verum Mazarini potentia evertit hæc mandata. Papa autem, ad evitanda majora mala, illa non urgebat. Retzius vero ita se Romæ gessit, ut veritus castrum S. Angeli, ex quo non tam facile evaderet, atque ex Nannetensi, mutato nomine ac vestibus ex Italia profugit in Germaniam, indeque in Hollandiam, genio suo, quin vexatio daret intellectum, aut characteris sublimitas absterreret a vitæ licentia, ubique indulgens.

Portus Regii doctores aliique Sancyrani aut Janseniani, in turbido piscaturi, aut, si res cederet, validum patronum habituri, suaserant ipsi, ut totam diœcesin suam interdicto universali subjiceret, oblatis in eum casum omnibus suis linguis & calamis. At præsul facile perspexit, quam desperatione plenum esset hoc consilium; multos illud contempturos, Parlamentum declaraturum invalidum,

validum, Papam rescissurum, ac denique viam sibi in patriam perpetuo obstructum iri, quin linguæ Jansenistarum & pennæ quidquam sibi essent profuturæ. Mortuo dein etiam Mazarino rex firmus perstabat in sententia, Retzium ad archiepiscopatum non admittendi, ceu hominem statui publico periculosum. Hoc cum ille cerneret, anno 1662 archiepiscopatui serio renuntiavit. Rex, venia redeundi facta, in gratiam eum recepit, redditisque maximam partem proventibus, qui fuerant sequestro subjecti, pinguem S. Dionysii abbatiam, ut solvere posset, quæ immensa contraxerat, debita, adjecit.

Tandem vero prodigus iste filius, mundi vanitatem satis edoctus, quotque spinis ejus honores sint circumsepti, saniores cogitationes suscepit, atque inter turbulentam vitam & mortis horam spatium interponendum ratus, anno 1675 in unam ex suis abbatiis se abdidit, propius meditaturus veritates, quas ad id usque tempus non nisi eminus & obscure conspexerat; itaque deinceps vixit in sua solitudine, ut conversio ejus æstimata sit triumphus gratiæ. Obiit anno 1679 ætatis 66, felix, quod vere dicere potuerit: *bonum mihi, quia humiliasti* me: felicior, qui antequam a fallaci mundo naso circumducatur, generoso contemptu illum deridet.

Anno 1653 Innocentius X damnavit quinque propositiones Jansenii, & anno sequente synodus cleri Gallicani declaravit, eas fuisse damnatas, *prout sunt in libro Jansenii*, & *in sensu ab eodem intento*. Papa vero Augustinum Jansenii iterato damnat, cum 40 opusculis, in ejus defensionem scriptis, eaque inter, apologiam Arnaldi pro eo scriptam, & litteras pastorales archiepiscopi Senonensis: prout etiam Sorbona anno 1655 condemnavit Arnaldi litteras, ad Parem Franciæ scriptas: in quibus alia inter Janseniana sphalmata hæc continebatur propositio: *gratia, sine qua nihil possumus, defuit justo in persona S. Petri in tali occasione, in qua dici non potest, quod non peccaverit.* 5 propositiones Jans. damnatæ.

Cum hæc aliæque Jansenisticæ propositiones damnarentur, Jansenistæ, scenam mutandam rati, in scriptores societatis JEsu, quos præcipuos suos adversarios putabant, stylum verterunt. Pennam manumque commodavit *Pascalis* Jansenista ex seminario Portus Regalis, scriptis 18 litteris, quas *provinciales* appellabant; quia primæ decem ad Perrierum, in Provincia curiæ consiliarium, erant directæ. Litteræ provinciales.

Et primis quidem, quas de gratia scripsit, litteris, velut prælusit satyræ, quam de doctrina morali Jesuitarum scripturus erat.

Invadit in iis patres Dominicanos, quos ceu hypocritas mendaces proponit, qui contra mentem ſuam, & contra ſuarum prædeterminationum naturam gratiam *ſufficientem* admitterent, *quæ nunquam eſſet ſufficiens.* At in quinta epiſtola & in ſequentibus totus eſt in ſatyra adverſus moralem Jeſuitarum doctrinam, jocularibus facetiis adornanda; atque id aſſecutus eſt, ut graviſſimam in ſocietatem tempeſtatem concitaret, multis, male deceptis, doctrinam ejus, quam ignorabant, ceu laxam, pernicioſam, ac morum corruptricem clamantibus.

Quippe Paſcalis, ſua & ſociorum ſuorum opera, ex libris, a Jeſuitis per totum orbem editis, collegit in unum cumulum, quidquid laxum ipſiusque calumniandi libidini idoneum videri poterat, mala fide frequentiſſime eorum verba allegans, nunc textus mutilando, addendo, decerpendo, aut alias corrumpendo, omiſſo contextu, ex quo mens auctoris erui potuiſſet, omiſſis limitationibus, exceptionibus, reſtrictionibus, explicationibus, argumentis. Alii plures eandem doctrinam tradiderant, imo præceſſerant: tacuit. Audacius alii ſunt locuti, egreſſi limites, quos Jeſuita poſuit: diſſimulavit: ſolos Jeſuitas reos egit. Innocuum ſenſum verba habere poterant; detorſit. Unus ex multis millibus Jeſuitarum ita ſcripſit: toti corpori impegit.

Nolim tamen omnes, qui ſunt innumeri, ſocietatis ſcriptores ab errore immunes dicere. Sed quæ tandem ſcriptorum natio, quæ in tanta rerum dubiarum multitudine ex integro ſit a labe pura? Cujus nullum membrum aliquando ceſpitaverit? Cui ex millenis propoſitionibus non aliqua minus cauta calamo defluxerit? In qua omnes ab humana conditione ſint exempti? Homines ſumus. Sed quis errorem unius vel alterius toti univerſitati imputandum jure exiſtimet? Errarunt plures Sorbonæ doctores, & graviter errarunt: exemplo ſunt Arnaldus ejusque aſſeclæ. An propterea generaliter dicendum: *Sorbona erravit*?

At demus, non paucos erraſſe ex Jeſuitis: an tunc ſaltem Paſcalinis accuſationibus, exclamationibus, exprobrationibus locus? Ageſis, ex ſanctis patribus nævos coacerva: corrumpe textus: in ſenſum ab illis alienum detorque. Exclama: ecce doctrinam SS. patrum! num hoc æquum? An ſapientis, moderati, boni viri hoc eſſe dixeris?

Ceterum litteræ provinciales, ceu *repletæ calumniis, falſitatibus, diffamationibus, & publicæ rei pernicioſæ,* damnatæ fuerunt a ſum-

a ſummo pontifice, inquiſitione Hiſpanica, Sorbona, atque a conſilio regio, & Parlamento Aquenſi ad rogum fuerunt damnatæ.

Nihilominus tamen ingentem per Galliam tumultum excitarunt: præſertim apud curiones Pariſienſes & Rothomagenſes, qui publicis ex cathedris adverſus laxam caſiſtarum doctrinam, detonuerunt, datisque ad omnes per Galliam parochos litteris, ut communem cauſſam facerent, inſtiterunt. Vicariis etiam Cardinalis de Rets operam ſuam diligenter conferentibus. Verum cum majores, indignum rati, absque ſua auctoritate, ridentibus in ſinum Janſeniſtis & Calviniſtis, tantos motus cieri, clamoribus infrunitis ſeſe opponerent, ſenſim æſtus deferbuit: mulierculis tamen, non minus facundis, adhuc contra Baunii ſummam, & theologiam Eſcobarii perſtrepentibus.

Recruduit curiones inter procella, cum anno 1657 P. Pirotus apologiam quandam pro caſiſtis edidit. Plures propoſitiones de ſimonia, uſura, occaſione proxima, quas ex variis auctoribus retulit, ſunt confixæ, etiam Romæ, ubi liber fuit prohibitus. Triumpharunt his victoriis Janſeniſtæ. Sed quid iſti dicerent, ſi Pirotus ejusque ſocii oppoſuiſſent, ſe veritatem ſcripſiſſe, ſuas deciſiones male fuiſſe intellectas, quæſtionem eſſe facti, an propoſitiones contineantur in libro Piroti, & quo ſenſu eas ſcripſerit; neque ad Papam nec epiſcopos pertinere, ut de *facto* pronuntient, cum tota eccleſia falli poſſit in diſcuſſione facti, & intellectu ſenſus intenti?

Sed non ita Pirotus, non ita alii ſocietatis ſcriptores. Propria Janſeniſtis eſt hæc cavillatio. Nullus Jeſuita eſt, qui propoſitionem aliquam docuerit, poſtquam reſcivit, eam a Sede apoſtolica, cujus irrefragabilem authoritatem agnoſcit & veneratur tota ſocietas, fuiſſe damnatam; vel certe ſi quisquam auſus id fuiſſet, non impune fuiſſet auſus.

Synodus cleri Gallicani anno 1660 ſub pœna excommunicationis prohibuit *Miſſale Romanum*, a Voiſino theologiæ doctore in linguam Gallicam traductum, quod vicarii generales Cardinalis de Rets, poteſtate ſua ſæpius abuſi, approbaverant. Miſſis etiam ad Papam litteris ſynodus rogavit, ut ſua authoritate prohibitionem confirmaret. In his dicebat, nihil eſſe melius, nihil utilius, quam Verbum DEI; at vero nihil pejus & perniciofius ejus abuſu: aliis vitam, aliis mortem tribui; nec convenire, ut libri Miſſales, in linguam vernaculam verſi indifferenter in manus imperitæ plebis conjiciantur: ſacra myſteria hac veluti profanatione vileſcere. Non omnibus a DEO conceſſum ingredi in ſancta ſanctorum.

Pontifex ultro in vota ſynodi conceſſit, vetuitque eam Miſſalis evulgationem, ceu legi & praxi eccleſiæ contrariam. Cum autem vicarii Pariſienſes & novatores Janſenizantes nihilo ſecius ſe opponerent, acceſſit decretum regium, quo editio ſuppreſſa eſt.

Janſeniſtis (uti aliis hæreticis) ſolenne erat, divinas ſcripturas in linguam vulgarem, mala non raro fide, traducere, ut ſuos errores immiſcendo, apud vulgus, fœminas præſertim, ſe inſinuarent; prout Calvinus fecit, & jam olim S. Hieronymus reprehendit in Pelagianis, fœminas ad ſpargendam hæreſin circumducentibus.

Hæc tamen prohibitio non deterruit Janſeniſtas, quo minus *Horas Breviarii* in linguam Gallicam per Lavalium verterent, & quidem peſſima fide, hæreſin Janſenianam malitioſe inſpergentes; ut proin merito Sorbona hoc Lavalii opus cenſura notaverit.

## ARTICULUS IV.

*Gallorum ſeditio. Rex Lutetia excedit, eamque obſidet. Principes in carcere. Bellum civile. Mazarinus fugitivus. Gondius exul. Condæus ad Hiſpanos. Mors Sirmondi & Petavii. Contius ducit Martinoſiam. Regis unctio & coronatio. Fœdus cum Cromvello. Condæus in Gallos. Gallorum clades, & victoriæ.*

40 POſtquam Cardinalis Mazarinus & comes *Servientus*, regis, tunc decennis, legatus, pacem Monaſterienſem, quam Philippus Brietius, ſcriptor Gallus, Germaniæ & eccleſiæ probroſam dicit, concluſerat, inteſtinæ mox turbæ bellumque civile in Galliam redierunt.

Cauſſa refundebatur in Mazarinum, qui mortuo Henrico Condæo impotentius viſus eſt dominari, quam principes & ſenatus Pariſinus ferre poſſent. Maxime vero tumultum auxit *Bruſelli* ſenatoris in carcerem abductio, quod homo popularis vehementius exactionibus aulæ obſiſteret. Tum enim vero ipſa aula velut in carcerem fuit converſa, civibus armatis vias obſidentibus, ne quid alimentorum ad illam deferretur. Redditus itaque Bruſellus populo non attulit quietem, ſed omnem prope Galliam in ſeditionem commovit. (*anno* 1649.)

Regina tutrix, ſe Pariſiis vix tutam ſatis rata, cum filio pupillo clam urbe exceſſit, eamque, a qua velut captiva fuerat detenta,

tenta, circumfusis decem armatorum millibus ita inclusit, ut omnem commeatum arceret, captis etiam suburbanis locis, & populatis rebellium rusticorum agris. Principum plures fovebant turbas. Deventum ad manus: cæsi utrinque non pauci, ipsique partium duces. Accitus insuper Hispanus hostis. Sed cum is non procul Lutetia abesset, pax coaluit, maluitque rex subditos minus domitos, quam Hispanos. (*anno* 1650)

Sed brevi flamma vehementius erupit; dum Mazarini aut mandato aut consilio capti atque in vincula dati sunt principes, Ludovicus Condæus, qui Germaniam Belgiumque tot signaverat victoriis; Armandus Contius ejusdem frater, Henricus dux Longavillæus, ex ipsa pariter stirpe regia, quamvis oblique, descendens, qui Condæi sororem habebat conjugem, & variis amplis legationibus perfunctus, ad utilem Gallis pacificationem Monasteriensem multum industriæ contulerat.

Conjux Condæi (Cardinalis Richelii agnata) exhibito filiolo, duce Engviennæ, genti Aquitanæ, cujus Condæus erat prorex, ita populum commovit, ut illius partes amplecteretur. Rex duodennis ad eas turbas placandas expeditionem ipse suscepit, sed Burdigala venienti portas occlusit: neque spes erat propinqua illam expugnandi, quanquam adhibitus esset *Melleræus*, ille Poliorcetes, cui machinatorem similem Gallia vix habuit. Igitur pax inita, qua consultum quidem Aquitaniæ, & Condæi conjugi: sed non principibus captivis; qui in arctiorem carcerem sunt abducti.

Turrenius, a bello Germanico redux, armata manu liberari principes postulabat. Sed a Mazarino prælio victus, de propria libertate sollicitus esse cogebatur, ad Leopoldum archiducem cum parte copiarum in Belgium transgressus. (*anno* 1650.)

Cum tamen Mazarinus cerneret, senatum & potiorem Galliam liberationem principum, qui multis clientelis & favore populi erant subnixi, votis omnibus exoptari, nec posse his amplius resisti, ad principes captivos accurrit, & libertatem, gratiam captaturus, denuntiavit. At illi e carcere recta Lutetiam properantes, liberatori suo portas occludunt. Quare Mazarinus, securitati suæ consulturus, ocius Sedanum fugit, arrepturus inde iter Coloniam. Principes vero universa civitas effusa venientes excepit; eorum præsentia adversus aulam ferocior.

Rege inter hæc 14 ætatis anno sui juris solenniter declarato, Condæus & Contius fratres de industria ab hoc actu absentes, in

provincias sibi commissas discesserant, bellum aut propulsaturi, aut etiam illaturi, si faveret occasio.

Bellum civile.

Hanc obtulerunt Aquitania & Marsinus, Cataloniæ prorex, ad Condæum deficientes. Contra hos missi cum lecto exercitu duo magni duces, Hodancurtius & Harcurius. Et hic quidem Condæum, cedere alias nescium, in fugam compulit: cum illo vero, graviter saucio, & *Barcino* cecidit, in manus Hispanorum relapsa. (*anno* 1651.)

Mazarinus interea, ut flammam compesceret, revocatus est in aulam, quam absens quoque consiliis rexerat, rescissis a rege omnibus in eum factis a Parlamento decretis. Sed tantum aberat, ut restingueretur incendium, ut etiam auctum fuerit, deficientibus a rege ad Condæum Gastone Aurelianensi duce, regis patruo, Nemorosio principe, aliisque ex primoribus.

Pugnatum sæpius, etiam ad ipsa Lutetiæ suburbia: victi principes. Aurelianensis cum Brusello & parte senatus pulsus Parisiis: rex receptus; Gondius, postea archiepiscopus Parisiensis, a Mazarino missus in carcerem, Cardinalis a Cardinale, æmulus ab æmulo: sed Gondius e custodia elapsus mutato habitu in Hispaniam, atque inde in Italiam ac Romam evasit, quod ante diximus: Contio interim in Aquitania turbarum reliquias prosequente; Condæo vero ad Hispanos in Belgium cum non paucis Gallis abeunte.

Condæus ad Hisp.

Quadrienne hoc bellum civile Gallicum nemini profuit, nisi Hispanis, qui per illud receperunt, præter multas minores urbes, Dunkerkam & Gravelingam in Flandria, Casalim & Portum Longum in Italia, Barcinonem in Catalonia, & super omnia Condæum, pluribus urbibus parem, ex hoste acerrimo amicum, ex Gallo Hispanum. (*anno* 1652.)

Obierunt sub hoc tempus duo prima scientiarum lumina, Jacobus *Sirmondus*, & Dionysius *Petavius*. Uterque hodiedum orbem eruditum illustrat. Ille, Ludovici XIII confessarius, totam vetustatem excussit, & doctissimis lucubrationibus in lucem eruit: de conciliis præsertim Galliæ optime meritus. Petavius in omni litteratura eminebat, summus theologus, polemicus, historicus, philosophus, mathematicus, orator, poeta. Certe posteriores critici multa huic fonti debent. Uterque, (quod unum mortales facit beatos) insignem vitæ sanctimoniam cum excellenti doctrina conjunxit.

Contius, Aquitanici belli pertæsus, ut in regis gratiam redire posset facilius, Martinoziam Mazarini neptem duxit; cum frater Con-

Condæus Richelii cognatam haberet conjugem, magna Cardinalis utriusque gloria; sanguinem suum regio fuisse innexum. Sensit mox Contius influxum purpurei syderis, receptus in gratiam, & belli in Catalonia gerendi imperator salutatus. Attributa illi postea Occitaniæ præfectura, cum centum librarum millibus ex bonis Condæi fratris in annos singulos. Condæus vero in Belgio obstitit, ne Galli ad Attrebatum plena potirentur victoria. (*anno* 1654)

Eodem anno rex Ludovicus Remis magna celebritate fuit inunctus. Præsentes erant, præter reginam matrem, & Philippum ducem Andegavensem (postea, mortuo Gastone, Aurelianensem) regis fratrem, Henrica Caroli I Angliæ regis, capite plexi, vidua, Ludovici XIII soror, cum duobus filiis Carolo & Jacobo, Angliæ postea regibus, duodecim Paribus Franciæ, Mazarino, magnaque prælatorum & procerum frequentia.

In templum introductus rex consuetum juramentum præstitit, de Romanæ ecclesiæ & fidei Catholicæ protectione, hæreticis e regno exigendis, privilegiis cleri defendendis, & justitia subditis ex æquo & bono administranda. Juramento hoc edito in manus archiepiscopi Remensis, rex ocreatus ab eodem nudatum ensem accipit, quo primogenitus ecclesiæ religionem defendat. Rex ensem Comestabili tradit, sibi præferendum. Inseritur digito annulus, ad suas cum regno nuptias indicandas. Laudunensis episcopus sacram affert ampullam, atque cælesti oleo rex inungitur a Remensi præsule. Vocati a cancellario Pares Franciæ simul omnes coronam imponunt. Collocatur in throno. Emittuntur ex aviario volucres, Christianæ libertatis symbolum. Inchoat Remensis solenne Missæ officium: sub cujus finem rex in genua prostratus accipit sub utraque specie DEum Evcharisticum. Denique adscriptus ordini S. Spiritus, ejusdem privilegia confirmat, arque ad S. Marculfi, circumstantibus plus viginti episcopis, morbo laborantes (strumam appellant) injecta in caput manu attingit. Erant eorum ad tria millia. *Hæc & alia prolixe describit Christianus Adolfus Tuldenius, Adolphi Brachelii continuator in hist. hujus sæc. universali ad ann.* 1654.

Regis inunctio & coronatio.

Peracta inunctionis & coronationis solennitate rex, tunc 18 ætatis annum agens, Stenæam contendit, illaque expugnata, *Attrebatum* obsidione Condæi & Hispanorum, commisso felici prælio, liberavit. Paulo post Carlomontium se dedidit *Henrico Turenio*, Franciæ marescallo; qui hoc jam bello inclaruit, sectæ Calvinianæ adhucdum deditus.

Cum Mazarinus fœdus cum Anglis quæreret, Henricam regis ami-

amitam cum filiis, omnibusque, qui iis adhærebant, in Belgium dimiſit, ſecuriorem ſtationem apud Hiſpanos, quam in natali ſolo apud ſuos habituram. Adeo ratio nulla proprii etiam ſanguinis, ubi ratio ſtatus habetur in conſilio.

Alexander VII Gondii & pacis tandem conficiendæ cauſſam, poſtquam tantum Catholici ſanguinis fuſum eſſet, iterum iterumque, & per nuntios ſuos & per ſe ipſum ſuſcepit; ſed exorare non potuit pater filium, ſummus Pontifex Cardinalem. Voluntatem, credo, parendi eripuit felix armorum in Belgio progreſſus, & majoris ſpes; nam Condatum aliasque urbes Hiſpanis per *Turenium* ademit, & Franciſco Lotharingiæ duce, Caroli III ab Hiſpanis capti fratre, cum copiis ſuis ad Gallos transeunte auctus eſt. (*anno* 1655.)

Quin imo fœdus cum Cromvello Anglisque percuſſit, eccleſiæ Cardinale non ſatis dignum; quippe (ſi Tuldenio *ad annum* 1656 fides) cum eo pactus, ut maritimæ civitates, Dunkerka, Neoportus, Oſtenda, apprimis Catholicæ, Anglorum eſſent, ſi communibus armis expugnarentur: Gallis terra, Anglis mari bellum gerentibus. Adjunxit fœdus cum Luſitania, quæ ab Hiſpanis receſſerat.

Sed tantæ ſubſtructiones impedire non poterant, quo minus *Joannes Auſtriacus* (qui Leopoldo archiduci in Belgii gubernatione ſucceſſerat) & Condæus, a *Valencenæ* obſidione, ingenti illata clade, Gallos depellerent, Condatum reciperent, Cameracum liberarent, & in Catalonia quoque Hiſpani Gallos prælio vincerent. (*anno* 1656 & 57.)

Tanta autem erat Condæi, principis Galli, in Hiſpanos fides, ut non modo belli peritia & fortitudine incredibili populares ſuos gravibus cladibus afficeret, ab obſidionibus depelleret, urbes eis extorqueret, ſed etiam, ubi ubi ſe dabat occaſio, in partes regis Catholici pertraheret. Documento eſt Hesdini præfectus Gallus, cui perſuaſit, ut validiſſimum munimentum ſibi traderet. Mareſchallum quoque Hoquincurtium cum copiis, eidem ſubjectis, ad Hiſpanos traduxit: agnoſcente ſatis Gallia, quantum in uno Condæo amiſerit. (*anno* 1658.)

Dolus Oſtendanus.

Oſtendæ tunc Galli Anglique inhiabant nullo ferme milite inſtructæ; ſed dolo agendum rati, hominem Belgam conducunt, ut cives permoveret ad concedendum ingreſſum. *Spinteletus* (id nomen ſimulato locatori operæ) rem detegit Joanni Auſtriaco; qui eum ad perſonam ſuam in hac fabula callide agendam animat.

Com-

Communicatur arcanum Oſtendanis. Spinteletus abit Lutetiam, ac Oſtendanos, dominationis Hiſpanicæ pertæſos, portum portasque aperturos, Mazarino nuntiat. Mittuntur cum Spinteleto Oſtendam exploratores; Oſtendani ex compoſito contra Hiſpanos conqueruntur, ſimulantque, ſe urbem prodituros. Pauci, ut rem ſerio agi exploratores crederent, in ſpeciem ſe opponunt; tandem autem ab aliis perſuaſi adquieſcunt. Poſtquam autem exploratores diſceſſerant, Hiſpani clam numeroſo milite, tormentis, & apparatu bellico, urbem ſtrenue firmant, machinasque ad ſubeuntem hoſtem excipiendum diſponunt. Accedunt terra Galli, mari Angli, in portum recepti; en! ſubito, cum antea quieta eſſent omnia, diſploduntur in ſubeuntes tormenta, quæ magnam ſtragem edunt. Naves aliæ rumpuntur, aliæ capiuntur: qui poterant, fugiunt. Atque ſic dolus dolo eluſus, magno Gallorum Anglorumque damno.

Sed vindicabant illatam ſibi, ut interpretabantur, injuriam; nam non tantum Momedium, Fanum S. Venantii, Vinocum, Gravelingam, Ipras, Aldenardam, aliaque oppida, ſed ipſam etiam Dunkerkam in poteſtatem redegerunt, ſauciato captoque Hoquincurtio transfuga, qui paulo poſt ex vulnere obiit. Dunkerka ex fœdere a Gallis conceſſa fuit Anglis, iis tamen conditionibus, quibus ab Hiſpanis fuerat poſſeſſa. Sed Angli contra pacta eccleſias & Catholicos, præſertim Jeſuitas, crudeliter & indigne prorſus habuerunt.

Incidit hoc tempore rex Ludovicus in acutam febrim, præſensque vitæ diſcrimen. Pœnam contracti fœderis Anglicani in aures inſuſurrabant plebeiæ quædam voces. Sed ſi pœna fuiſſet debita, alteri fuiſſet, auctori nempe fœderis.

## ARTICULUS V.

*Pax Pyrenæa. Nuptiæ Ludovici XIV cum Infante Hiſpana. Congreſſus regum. Gallus de Sueco ſollicitus. Obitus Gaſtonis ducis Aurelianenſis, Vincentii a S. Paulo, atque Cardinalis Mazarini. Hujus elogium.*

TAndem anno 1659, poſtquam per 24 annos terram preſſerat bel- 41
lum Hiſpano-Gallicum, alma pax de cælo rediit. Confecta illa eſt ad Pyrenæos montes in Phaſiana inſula a duobus primis utriusque aulæ miniſtris, Julio *Mazarino* Cardinale, & Ludovico

Mendosio comite de *Haro*, quorum uterque magno cum comitatu aderat. Quia autem tractatus potissimum versabatur circa ditiones regis Catholici, pleniorem ejus narrationem dabimus, ubi de statu Hispaniæ differemus, hic autem obiter tantum per brevissimum compendium aliqua referemus.

1. Itaque statuitur pax perpetua cum plena amnestia.

2. Lusitania non includitur, nisi ad regem Hispaniæ redeat.

Pax Pyrenæa.

3. Contrahuntur sponsalia inter Ludovicum XIV Galliæ regem & Mariam Theresiam Infantem Hispaniæ per ducem Grandimontanum, procuratorem Ludovici, Madritum missum.

4. Regi Galliæ in Belgio cedunt Hispani Attrebatum, Hesdinum, Teruanam, Theonvillam, Mommedium, Landresium, Querectum, Rocrojum, aliasque minoris momenti urbes & oppida: insuper ex altera parte comitatum Rossilionensem cum Perpiniano, clave Hispaniæ. Et postquam rex Catholicus a *Franckenthalio* in Palatinatu jam abduxerat sua præsidia, cedit jure suo eventuali in utramque Alsatiam, Suntgoviam, Ferretum, Brisacum; contra quorum alienationem in pace Westphalica fuerat protestatus.

5. Contra vero Gallus Hispano restituit Ipras, Aldenardam, Duxmudam, Furnam, Meminam, & quidquid in Burgundia, Catalonia, & Italia occupaverat.

6. Carolus III Lotharingiæ dux restituitur, relictis tamen Gallo ducatu Claromontano & Barrensi, Stenæa, Marvilla, Mojenvico.

7. Restituitur & reconciliatur regi princeps Condæus. Hispanus vero Juliacum restituit duci Neoburgico.

8. Sabaudiæ duci Carolo Emmanueli II; qui in hoc bello Ludovici amitini sui partes fuerat secutus, ab Hispano restituitur Cencium cum Vercellis: Mutinæ duci Corregium.

9. Inter Helvetos concordia restituatur, uti etiam inter Grisones & Valtelinos.

10. Captivi, & ad triremes damnati intuitu hujus belli, dimittantur liberi.

11. Nominantur, quos pars utraque in communionem pacis admittit. Imo tota Europa in consortium pacis fuit vocata.

Atque hæc est celebris illa *pax Pyrenæa*, qua bellum gravissimum, ante 24 annos a Richelio inchoatum, a Mazarino continuatum, tandem finitum fuit.

Nuptiæ Ludov.

Vinculum pacis, simulque novi deinceps belli seminarium fuit matrimonium, anno 1660 inter Ludovicum XIV & Mariam There-

Thereſiam contractum. Erant eadem omnino ætate, anno 1638 geniti. Acceſſit a ſummo pontifice diſpenſatio in impedimento conſanguinitatis in ſecundo gradu. Mater quippe ſponſi erat ſoror Philippi IV patris ſponſæ. Pacta dotalia, quibus renuntiatio Hiſpanica continetur, a Mazarino & Haroſio in inſula Phaſiana fuerunt erecta, in qua pacem conceperant.

Ludovicus nuptias per procuratorem iniit Fontarabiæ, in finibus Hiſpaniæ urbe celebri, quo Philippus pater ſponſam adduxerat.

Ludovicus, quamvis magna ſponſam protinus videndi cupiditate teneretur, noluit tamen Hiſpanum territorium ingredi; unde per Mazarinum obtinuit, ut Philippus cum filia ad inſulam Phaſianam, quæ neutrius erat, & incolis vacua, ſe conferret.

Convenerunt ergo ibidem duo potentiſſimi reges, ſocer & gener, avunculus & nepos, pacemque ac fidam rurſus jurarunt amicitiam. Aderat *Anna*, regis alterius mater, alterius ſoror, cum filio altero, Andium duce, magnoque comitatu principum, ducum, procerum. Inter quos cum rex Philippus mareſcallum Henricum Turenium conſpexiſſet, dixiſſe fertur: *tu non unius noctis quietem mihi rupiſti*: non ad exprobrationem, ſed ad herois magnitudinem prædicandam.

Ceterum duo reges ita in hoc congreſſu ſunt verſati, ut diligenter caverent, ne quis alterum præcedere videretur. Denique poſt mutua oſcula diſceſſerunt, alter in Hiſpaniam, alter cum ſponſa in Galliam. Bajone coram epiſcopo inter Miſſarum ſolennia contractu conjugali renovato, Lutetiam abierunt, per omnes urbes & oppida incredibili cum apparatu pompa & plauſu accepti.

Erat *Maria Thereſia* præſtanti forma, ut omnem pellicem procul habitura crederetur. Sed cupiditati, inter aulæ præſertim illecebras, nihil ſufficit, niſi ſeveræ virtutis fræno coerceatur.

Confecta porro pace Pyrenæa, Septentrio adhuc armis perſonuit, Sueco in Polonum & Danum armato. In has etiam oras reductæ pacis gloriam Mazarinus prenſabat. Miſſus proin legatus ad Batavos, qui Danum juvabant, ut Suecum perſequi deſinant, eamque ſibi rationem ineundam exiſtiment, ut ad pacem collaborent. Additæ minæ, id ni facerent.

Scriptæ eodem argumento litteræ ad conventum *Deputatorum*, qui Francofordiæ erant congregati. In his rex memorat, graves ad ſe per legatum Sueciæ querelas fuiſſe delatas contra Cæſarem, quod Pomeraniam Suecicam invaſiſſet. Contraire id paci Weſtphalicæ, cujus non minus Imperii principes quam Galli ſint ſponſores.

 ſores.

ſores. Darent proin operam, ut Imperator cœptis deſiſtat. Sibi certum eſſe, regem, jam longo, & nuper primum renovato, pro pace Weſtph. defendenda, fœdere ſibi junctum, non deſerere. Intereſſe omnium providere, ne in Germania nova belli flamma erumpat, & antiqua calamitatum tempora redeant.

Nec effectu caruere officia Franciæ interpoſita; nam eodem adhuc anno (1660) *pax Olivenſis* cum Polonis & *Hafnienſis* cum Danis fuit compoſita. Unde tandem Europa omnis tranquilla pace conquievit.

Mors Gaſtonis, Obiit hoc anno (1660) Blæſis, quo dudum ab aula ſeceſſerat, Joannes Baptiſta *Gaſto*, dux Aurelianenſis, Ludovici XIV patruus, princeps ad omnem probitatem formatus. In juventute quidem illum tum inquieta quorundam conſilia cum fratre Ludovico XIII colliſerant, tum fata & calamitates matris Mariæ Medicææ involverunt, jactaruntque, ſæpius exulem. At vero, prout fieri, præſertim apud Gallos, conſuevit, ubi juveniles æſtus deferbuerant, procul ab aulæ tumultu vitam probam & tranquillam fine beato clauſit, anno ætatis 52. Cor ſuum, patris Henrici IV exemplo, in templo Societatis JEſu recondi voluit.

Reliquit ex Maria Borbonia, lectiſſima conjuge, Henrici ducis Montpenſieri filia & hærede, Annam Montpenſieri hæredem, ex altera vero conjuge, Caroli III Lotharingiæ ducis ſorore, Margaretham, Cosmo III Hetruriæ duci: Iſabellam duci Guiſio nuptam: & Franciſcam Carolo Emmanueli Sabaudiæ duci collocatam.

Cum autem nullum maſculum hæredem relinqueret, qui Aurelianenſis ducis titulum & dignitatem gereret, tranſiit ad ejus nepotem ex fratre *Philippum*, regis Ludovici XIV fratrem. Qui, dum Gaſto viveret, *dux Andegavenſis* dictus, novam fundavit Aurelianenſem familiam, in hanc usque diem, faventibus ſuperis, feliciſſime propagatam.

Obiit eodem tempore *Vincentius a S. Paulo*, Miſſionariorum multorum parens: coram DEo & hominibus magnus, quia humilis erat, ſibique parvus.

Et Mazarini. Anno ſequenti (1661) ex mundi hujus theatro, in quo magnum actorem egerat, abſceſſit *Julius Mazarinus*, S. R. E. Cardinalis & epiſcopus Metenſis, primus ſtatus miniſter in Gallia. Natus Piſcinæ in Aprutio anno 1602. Poſtquam in Italia humaniori litteraturæ operam navaverat, Alcalæ in Hiſpania jurisprudentiam didicit, atque inde redux in Italiam J. U. Doctor eſt renuntiatus. In bello Mantuano nuntio Apoſtolico additus ad pacem *Chieraſcen-*

*ſem*,

*sem*, quo bellum illud, exercitibus in acie jam ſtantibus, finitum fuit, multum contulit. Unde ab Urbano VIII nuntius extra ordinem in Galliam miſſus, ut cauſſam capti Trevirenſis & expulſi Lotharingi ageret; ubi ſe penitus in amicitiam Cardinalis Richelii & gratiam Ludovici XIII inſinuavit; cujus etiam commendatione purpuram obtinuit.

Admiſſus porro a Richelio in arcanorum conſcientiam, rationemque ſtatus Galliæ probe edoctus, in locum illius ſupremus miniſter fuit ſuffectus, atque in pupillari regis ætate, matrem regentem, regem, regnum gubernavit; & quidem feliciter initio, dum bellum ad Gallorum vota adminiſtrabatur. At vero confecta pace, dum populus levamen exſpectaret, omnia in eum conſpirare ſunt viſa, adeo quidem, ut principes, ſenatus, plebs, indignantes, omnia per exterum hominem geri, bellum civile moverent; quod vehementius exarſit, ubi in vincula conjecti ſunt principes.

Ceſſit tunc quidem ille incumbenti procellæ, & Coloniam abiit; nihilominus tamen per litterarum cum regina matre communicationem Galliam gubernavit. Interea autem variæ in eum ſatyræ ſunt editæ, & latæ a Parlamenti ſenatu ſententiæ, pretio etiam in caput ejus ſtatuto.

At vero rex pubertatem adeptus eum, honorifica miſſa legatione, atque numeroſo equitum comitatu, ceu fida corporis cuſtodia, revocavit, atque extra urbem obviam progreſſus, venientem, frendente invidia, amplexus, & in rhedam ſuam receptum, triumphantis in morem in urbem & aulam reduxit.

Superatam igitur a ſe Galliam rurſus gubernavit, atque bellum contra Hiſpaniam ſtrenue eſt proſecutus, tracto etiam artibus ſuis in partem Cromvello Protectore, donec tandem pacem Pyrenæam confecit, & matrimonii cum Hiſpana regi auctor fuit.

Obiit in Vincennenſi caſtro anno ætatis 59, curis & laboribus improbis attritus; quos, ſi propter DEum ſuſcepit, magnus eſt ſanctus. Certe magnus fuit politicus, ſummo ingenio, calliditate, regnandique artibus ſuppar Richelio; & quamvis natione fuerit exterus, ita tamen Galliam imbibit, ut ei ſoli natus videretur, totum mundum, ſi poſſet, regi aſſerturus.

Quos pax Pyrenæa, & nuptiale fœdus inter Galliam & Hiſpaniam junxit, neque mors ſeparavit; nam eodem anno curas humanas & volubiles rerum mundanarum vices pariter reliquit comes *Harous*: felices ambo, ſi etiam in regno majori ſint primi miniſtri, aut eam ſaltem civitatem obtinuerunt, quæ eſt *beata pacis viſio*!

# ARTICULUS VI.

*Rex administrationem regni auspicatur. Militiam, ærarium, fabricas, Parlamentum ordinat. Nascitur Delphinus. Aurelianensis nuptiæ. Dunkercam emit. Legatorum violatio. Turbæ cum Pontifice. Obitus Petri a Marca, Fabertii, Longavillæi. Suppetiæ contra Turcam. Algeriani castigati. Canalis septimum Galliæ miraculum. Codex Ludovici. Jansseniana hæresis proscripta. Obitus reginæ matris.*

42 **Ministri regis.** MOrtuo Mazarino rex ipse clavo manum admovit, & quem tyronem crediderat, veteranum consummatum orbis miratus est; multum tamen, Mazarini commendatione, qui bonus erat spirituum discretor, in politicis usus est opera Hugonis *Lionæi*, marchionis Berniensis, ex Delphinatu oriundi; & in administrandis regni proventibus, atque aliis publicis regni negotiis, Joannis Baptistæ *Colberti*, qui ærario præfectus, vix non Richelii & Mazarini magnitudinem attigerat. Suscepta igitur ærarii & rei nummariæ reformatio. Fouquetus ærarii præfectus perpetuo carceri mancipatus: in jus quoque vocati publicani & quæstores: exactæ rationes: Parlamentum, quod nimiam sibi authoritatem arrogare videbatur, redactum in ordinem, jussumque parere regi in edictis sine contradictione actis inserendis. Cultæ dein artes; aucta commercia: totum regnum ita compositum, ut domi tranquilla pace floreret, foris vero esset formidandum.

**Natus Delphinus.** Cœlum etiam benedicere visum; nam vix regnum administrare ingenti Galliæ cœperat solatio, cum ipsius adeo Hispaniæ gratulatione, natus est ei Delphinus prima Novembris anno 1661, quem propterea ceu munus cœlitum *Ludovicum omnium sanctorum appellari voluit*: missoque Romam Crequio, Alexandro pontifici nuntiari.

Atque ut regia domus pluribus surculis effloresceret, magnisque affinitatibus succingeretur, genethliacis gaudiis miscuit epithalamica, inito nuptiali fœdere inter *Philippum*, ducem Aurelianensem, regis fratrem, & Henricam Stuartam sororem Caroli II Angliæ regis; a quo paulo post Ludovicus Dunkercam librarum quinque millionibus emit, nupero bello Hispanis ereptam, & Anglis relictam. Sanatumque sic vulnus religioni inflictum.

Non

Non tamen Phœbus semper adeo serenus arrisit, quin nubibus faciem aliquando contegeret. In legatis suis Ludovicus se læsum credidit; & primo quidem in Anglia, dum legatus Hispaniæ priorem locum arripuit. Armis vindicaturum illatam sibi, ut interpretabatur, injuriam, minitatur Gallus, nisi præstetur satisfactio, quæ illico secuta est; dum Philippus, revocato legato, prioritatem loci Gallo adjudicavit. Publice Parisiis coram legatis fieri id voluit Ludovicus. Quod non exspectasset socer a genero, avunculus a nepote. Sed dissimulandum fuit, & premendus dolor.

Altera offensio gravior erat. Pontifex Alexander 400 ex Corsica Romæ habebat milites; hos inter, & famulos marchionis Crequii Gallici legati, oritur rixa, in qua unus ex Corsis occiditur. Quare Corsi, in rabiem acti, palatium legati, & rhedam ejusdem conjugis, e templo redeuntis, displosis fistulis aggrediuntur, unumque ex ephebis occidunt. Legatus vero Florentiam discessit. Collisio cum Pontifice.

Gravissime, ut facile creditu, id accepit rex, jus gentium enormiter violatum questus. Quamvis autem nec Pontifex nec curia Romana partem ullam in hac rixa & Corsorum furore haberet, Corsos autem abdicaret, amandatus est nihilominus nuntius Apostolicus ex tota Gallia. Vindascinus seu Avenionensis comitatus ereptus Pontifici, (1662). Tractatur de pace, sed frustra; quia rex *Castrum* Parmensi restitui voluit. Unde utrinque paratur bellum. Rex terra marique in Italiam mittit copias. Pontificii in Germania & Helvetia delectum habent. Sed Veneti transitum negant (anno 1663).

Tandem pax anno 1664 Pisis coaluit, his pactis: Papa rei actæ excusationem per Cardinalem nepotem Parisios ad regem mittat: Corsos a sua militia in perpetuum edicto arceat: atque hoc edictum columnæ, ad Corsicanæ gentis dedecus, Romæ erectæ insculpatur. Rex vero Avenionem & Vindascinum agrum restituat. Atque hoc pacto restituta est primogeniti cum patre gratia.

Vidit hac ætate Gallia magna funera: atque imprimis *Petri a Marca*, qui anno 1594 ex familia nobili semperque Catholica, in Bearnia natus, atque in scholis Societatis JEsu humanioribus & philosophicis disciplinis probe imbutus, jurisprudentiæ se dedit, eo profectu, ut Pali in senatum assumeretur, in quo solus ipse fuit Catholicus; multumque contulit, ut Parlamento ibidem instituto, cujus præses erat, omnes sectarii excluderentur. Obitus Petri a Marca.

Mor-

Mortua anno 1632 conjuge, ex qua plures liberos susceperat, ut DEO serviret liberius, statum ecclesiasticum amplexus, anno 1639 consiliarius status, & triennio post episcopus Conserantinus apud Vascones fuit constitutus, postea anno 1655 archiepiscopus Tolosanus, denique, cum esset membrum sanctioris consilii, ut aulæ esset propior, archiepiscopus Parisiensis, quatuor mensibus ante mortem, quam oppetiit anno 1662 ætatis 68, vir excellentis ingenii, ac profundæ eruditionis, præstans theologus, jurisconsultus, historicus, criticus, politicus, ad multa gravia negotia a rege adhibitus.

Magnum hoc lumen ecclesiæ Gallicanæ, omnisque eruditionis, libris permultis editis gentium ubique inclaruit. Maxime vero litterato orbi hodiedum facit notissimum opus *de concordia sacerdotii & imperii*, quod tamen non in omnibus placuit Romæ, adeo, ut indici fuerit insertum, & auctorem Urbanus VIII nominatum a rege ad episcopatum Conseranum, confirmare noluerit, quia libertates ecclesiæ Gallicanæ nimium extulisse fuerat visus. Postquam tamen alio libro, *Barcinone* impresso, se melius explicuit, ab Innocentio X confirmationem obtinuit. Celebrem etiam fecit historia Bearniæ, tractatus de primatu Petri, plurimique alii, quos post mortem illius edidit Stephanus Baluzius, cum opere de concordia, notis suis illustrato, sæpiusque deinceps recuso.

Quamvis autem Marca natus fuerit in Gallia, oriundus tamen erat ex Hispania. Illud solum magno huic viro ab aliquibus vitio dabatur (quod forte de pluribus Galliæ scriptoribus dici posset) quod nimium memor fuerit loci, in quo scripsit, aliter in quibusdam scripturus, si scriberet alibi. Ctereum ipsius filius pariter fuit præses Parlamenti Bearniensis.

Marcam toga illustrem secutus est sago celebris Abrahamus *Fabertius*, qui 68 obsidionibus interfuisse scribitur. Certe ob præclara merita, primum campi marescallus (ut vocant) dein marescallus Franciæ (quæ multo sublimior est dignitas) a rege dictus, atque Sedani præfectura donatus.

Tertium Libitina funus addidit Henricum ducem *Longavillæum*, Normanniæ proregem; supremum Neocomi (*Neucbatel*) in Helvetia principem. Cujus frequentius facta est mentio. Toga sagoque meruit; primus Franciæ legatus ad pacem Monasteriensem: ea confecta cum Ludovico Condæo, (cujus sororem duxerat) & Contio in carcerem fuit conjectus: indeque liberatus obiit 1663.

Et Longavillæi.

Ejus

Ejus familia ex Carolo V Sapiente, Galliæ rege, descendit. Neocomum per nuptias Ludovici Longavillæi cum Joanna Neocomensi accessit. Henricus noster tres liberos reliquit: senior Societatem JEsu fuit ingressus; junior patri in Longavillano ducatu & Neocomensi principatu successit, eique, anno 1677 sine prole legitima defuncto, in principatu Neocomensi soror; ea anno 1707 sine prole mortua, tredecim erant competitores, qui de hoc principatu contendebat. Vicit rex Borussiæ, quia fortior.

Cum hoc tempore recruduisset bellum Turcicum, Ludovicus rex misit Cæsari, *Colignio* & *Fevillada* ductoribus, sex armatorum millia, non modicam partem Sant-Gothardianæ victoriæ. Cum etiam Algeriani pyratæ Mediterraneum & commercia turbarent, rex classem immisit, quæ multas barbarorum naves evertit. (1664.)

Ut autem commodior esset navigatio, ingens opus molitus est, *Canalem* videlicet, per mediam Franciam ductum, ut Mediterraneum cum Oceano committeret: inter septem Galliæ miracula numeratum; qualia sunt 1. Lupara, seu palatium, in quo priores reges habitare consueverant. 2. Palatium Fontis Bellaquei. 3. Palatium ad S. Germanum. 4. Palatium Parlamenti. 5. Munimentum Ludovici. 6. Versaliæ, a rege ædificatæ: quo aula Parisiis demigravit, tum auræ salubrioris gratia, tum, quia rex in juventute sua Lutetia excedere compulsus fuit. 7. Hic Canalis, pretiosior quam utilior. Canalis.

Addidit *codicem Ludovicianum*, ad amputandas pretiosas caussarum litiumque ambages. Per omnes Lutetiæ plateas *laternas* erigi, & noctu collucere voluit, ad splendorem urbis, & maxime ad securitatem. Additæ variæ ad artes in utilitatem regni exercendas fabricæ. Jansenii hæresin per totum regnum gravissime prohibuit, postquam a summo pontifice damnatam intellexit. (*anno* 1665.) Codex.

Sorbona detonuit in librum, qui de infallibili Pontificis auctoritate differebat; sed clerus Gallicanus inhibuit fulmen, quod erat vibratura: tacite saltem eandem authoritatem fassus, dum Pontificis decretum, quo Jansenii quinque propositiones profligavit, tanquam infallibilem fidei regulam acceptavit.

Anno 1666 obiit Anna regis mater. Quæ filii tutelam gerens, diuturnum cum fratre Philippo IV bellum prosecuta fuerat. Subduxit oculos, ne alterum videret, contra sexennem puerum gerendum, exerto gladio, quod hactenus ipsa in vagina continuerat.

## ARTICULUS VII.

*Ludovicus XIV jure devolutionis Belgium ſibi vindicat, bellumque infert, pace Aquisgranenſi finitum. Venetis in Candiam mittit ſubſidia. Fœdus triplex diſſolvit. Lotharingiam occupat. Bellum grave infert Batavis. Quod Germaniam quoque, Hiſpaniam, Angliamque involvit.*

43 Jus devolutionis. PAx Pyrenæa æternam viſa fuerat domum inter Auſtriacam & Borbonicam firmare amicitiam; ſed inde bellum, unde pacis vinculum, nempe a Maria *Thereſia*, regis Ludovici conjuge; quaſi Hiſpanæ mulieres ideo nuberent, ut bella parerent.

Nata illa fuerat ex *primo Philippi IV matrimonio*, Carolus II vero ex ſecundo. Unde Ludovicus per mortem Philippi regis Belgium ad cònjugem ſuam *devolutum* dicebat, illudque ſibi tradi poſtulavit. Negantibus Hiſpanis anno 1667 bellum intulit, unaque expeditione 60000 armatorum, quos ipſe duxit, exercitu, *Caroloregium*, *Montes*, *Furnam*, *Athum*, *Tornacum*, *Duacum*, *Cortracum*, *Aldenardam*, *Aloſtum*, *Inſulas* occupavit: altera vero anno 1668 *Veſuntionem*, *Dolam*, totumque *Burgundiæ* comitatum ſibi ſubjecit menſe Februario.

Menſe Majo ſecuta *pax Aquisgranenſis*. Reſtituit Gallus Hiſpanis Burgundiam, dirutis tamen Dolæ munimentis: urbes vero in Belgio occupatas retinuit. Clementis IX precibus ſe pacem dare Ludovicus videri voluit. (*Pacem Aquenſem vide in Belgicis.*)

Melius rex arma vertit in Turcas, *Candiam* ſeu Cretam aggreſſos. Miſſi in ſubſidium Venetis 7500 Galli, qui avidius quam prudentius in hoſtem irruentes magna cum *clade* rejecti ſunt, cæſo ipſo etiam duce *Belfortio*. Tandemque inſula, poſt triennem obſidionem, & 24 annorum cum Venetis bellum, Turcis eſt dedita (anno 1669), relictis tamen reipublicæ quibusdam in illa locis.

Nec aliis duabus rebuspublicis quies, *Genuenſi* & *Genevenſi*. Dux Sabaudiæ, inter utramque medius, & cum utraque (uti ſæpius alias) colliſus eſt bello; quod tamen brevi ſopitum.

Territi nupera invaſione Belgii fœderati ordines, cum Anglia *fœdus* pepigerunt, quod, accedente Suecia, *triplex* fuit appellatum, ad defendendam pacem Aquisgranenſem & communem quietem intentum. Nullum fœdus majori Europæ plauſu exceptum: nullum citius faciliusque ruptum.

Fœdus triplex.

Faci-

Facile advertit Francum, hanc fabam in ſe cuſam, figique ſibi limites; aperte tamen illi ſe opponere non poterat, cum non in alios, quam perturbatores pacis fuiſſet conceptum.

Occultas tamen vias facile invenerunt, quibus illud diſſuerent, verſutiſſimi illi Lutetianæ aulæ quatuorviri, *Colbertus*, *Lionæus*, *Tellerius*, & *Luiſius*. Nam eodem adhuc anno alio percuſſo fœdere, Carolum II Angliæ regem a Batavis ad ſe abſtraxerunt. Neque Suecus conſtantior, ex defenſore in hoſtem mutatus poſtea.

Victricia Ludovici in Belgio arma, ne otio torpeſcerent, anno 1669 in Lotharingiam converſa ſunt; quam, exacto Carolo duce, quod transactioni non ſtetiſſet, loca muniiſſet, plures juſto milites colligeret, triplex fœdus ambierit, & adverſa Galliæ conſilia coqueret, totam eidem eripuit. Verum de Lotharingia alibi amplior ſermo redibit. Lotharingia occupata.

Fuiſſet hic optima occaſio, qua fides triplicis fœderis ſe probaret. Sed funiculum illud triplex jam ruptum fuerat. Nemo ſe movit; niſi quod Cæſar legatum Pariſios miſerit, qui tamen præter verba nihil retulit.

Everſo triplici fœdere Ludovicus, *Batavis*, illius auctoribus, iratus, & aliunde ſe deſpectui, & infamibus picturis ac ſatyris ludibrio publice ab illis habitum, non ferens, bellum in eos decrevit; inito fœdere cum Carolo II rege Magnæ Britanniæ, Maximiliano Henrico *Electore Colonienſi*, & Chriſtophoro Bernardo epiſcopo *Monaſterienſi*, quibus gravis erat Batavorum affinitas, Rhenobergam inique detinentium, variasque alias injurias inferentium. Bellū cum Batavis.

Rex igitur, diviſo quadrifariam centum millium exercitu, cum Belgium Hiſpanicum nollet attingere, per Leodiorum & Ubiorum tractum facto tranſitu, expugnatisque, quæ Batavi ad Rhenum præſidiis ſuis inſidebant, urbibus & caſtellis, in Bataviam movit, atque adjutoribus Colonienſi & Monaſterienſi *Zutphaniam*, *Tranſiſalanam*, *Friſiam*, *Ultrajectum* ex integro, unius menſis ſpatio, occupavit, reliquas etiam provincias (Zelandia excepta) eadem celeritate percurrens; dum interim Angli navalibus præliis cum Batavis (quamvis non tanta felicitate) decertarant. (*anno* 1672.)

Attonitam habebant Europam tanti progreſſus regis, quem, alias formidandum, nolebant tantis acceſſionibus creſcere. Igitur *Cæſar*, *Hiſpanus*, *Batavi*, *Brandeburgus* fœdus conflant, cui *Danus* & alii quoque principes Imperii acceſſerunt poſtea.

Brandenburgus, quo in epiſcopos Weſtphaliæ flagrabat, odio, optatam occaſionem ſe nactum ratus, Colonienſis & Monaſterienſis

ſis provincias vaſtat. Quare illi in comitiis Ratisbonenſibus apud Imperii ordines auxilium implorare coacti ſunt. Exſtat ſcriptum, quod in hanc rem legatis porrexerunt. In eo queruntur, quod Brandenburgus longiori jam tempore dominatum in reliquos conſtatus ſibi arroget, & exercere præſumat, vi etiam hoſtili Imperii provincias aggreſſus; ni ordines remedium afferant, pacis Weſt. vades & ſponſores in defenſionem advocandos.

Querimonia iſta tam parum effecit, ut brevi poſt fœderatus exercitus Colonienſem agrum hoſtilem in morem adortus, Bonnam, Electoris ſedem, aliaque munimenta qua armis qua proditione expugnarit.

Cum igitur tot undique hoſtes adverſus Galliam præſulesque inſurgerent, iſti ex victoriis Batavicis ad propria tuenda ſunt avocati, atque ad Gallicum fœdus abdicandum compulſi. Ludovicus vero, ut Montecuculo, Cæſareorum & fœderatorum duci, ſe opponeret, relictis præter *Trajectum* & *Graviam* Batavicis urbibus, *Turenium* cum exercitu in Germaniam miſit, ut belli ſedem, quod aſſolet Gallia, in alieno ſolo figeret.

## ARTICULUS VIII.

### *Querelæ legati Gallici contra Brandeburgum.*

44 OBtulit Gravellus, Gallicus Ratisbonæ legatus comitiis libellum: in quo aſſeruit, quod regi Chriſtianiſſimo nihil magis cordi fuerit, quam ut pax Weſt. & tranquillitas inter ejusdem conſortes conſervaretur, in hoc præſertim cum Batavis bello, quod Imperium nullatenus contingat. At nihilominus Brandeburgo potiſſimum incentore, propter aliquas in Clivenſibus Batavis ereptas urbes, & poſt confectum bellum Electori, prout ei promiſſum, reſtituendas, motus in Germania excitari, copiasque adverſus Colonienſem & Monaſterienſem, quod fœdus cum rege Chriſtianiſſimo adverſus exteros, per pacem Weſt. & omnes Imperii conſtitutiones ſibi licitum, inierint, & adverſus ipſum etiam regem ſuum magno numero ad bellum educi.

Hinc a rege ſuo vice-comiti Turenio in mandatis datum, ut cum juſto & ſufficiente exercitu Rhenum trajiciat, non alium in finem, quam ad avertenda, adverſus Majeſtatem ſuam ejusque fœderatos ſuſcepta tentamina.

Quamprimum autem Brandeburgus ejusque confœderati copias

pias ſuas ex Weſtphalia eduxerint, regem quoque pari paſſu ſuas, (adverſus ſolos Hollandos adhibendas) trans Rhenum revocaturum.

Confidere inſuper regem, principes, quibus æquiſſimæ ejus intentiones ſint perſpectæ, pro ſua prudentia & æquitate non admiſſuros prætextum, quo forſan Elector ratione locorum ducatus Clivienſis conatus ſuos firmare vellet, poſt tot conteſtationes, declarationes, & promiſſa regis, non tantum de non retinendis, ex hoſtium poteſtate ereptis iisdem locis, ſed bello cum Hollandis finito, Imperio certo reſtituendis, cum nihil omnino ad illud pertinens, ſit retenturus, imo reſtitutionem tot locorum, a Batavis a ſæculo uſurpatorum, promoturus. Intentionem hanc regis Electorem non latere, cum per regios legatos toties ipſi fuerit manifeſtata, ſed omnes illius actiones demonſtrare, quod totus Hollandicam mentem induerit.

Neque eſſe, quod de damnis in ducatu Clivenſi illatis conqueratur; ſiquidem nullum eſſe, niſi quatenus ad copiarum tranſitum neceſſitate quadam inevitabili requiſitum; quod tamen reparari potuiſſet, tum locorum, a Batavis detentorum, reſtitutione, tum compenſatione, ab ipſis Hollandis, belli cauſſam præbentibus, facienda.

Quam ob rem regem ſe optimo jure fundatum cenſere, non tantum adverſæ partis conatibus ſe armis opponendi, ad ſui & confœderatorum defenſionem, ſed etiam a quibuscunque pacis Weſt. conſortibus, vi mutuæ ſponſionis exigendi, ut congrua quærant media, unde pax & tractatus Weſt. illæſi maneant, nec ex eorum everſione Imperium & ejus membra bello involvantur, omnibus & ſingulis periculoſiſſimo.

Hæc regis ſui mandata fuiſſe ſibi publice proponenda, ut, iis mature perpenſis, S. R. I. Electores, principes, & ſtatus conſilia & media, univerſæ Germaniæ & propriæ ſuæ conſervationi convenientia capeſſere, & ſuam deſuper ſententiam regi Chriſtianiſſimo aperire velint.

## ARTICULUS IX.

### *Reſponſum legati Brandeburgici.*

GRavellum, ait, regis ſui poſtquam is bellum in Germaniam 45
tranſtulerat, pacis tamen in Imperio conſervandæ ſtudia com-

mendare, Electori vero Brandeburgico, quod bellum in eo concitare nitatur, imputare.

Ductas a Galliarum rege maximas in Germaniam copias, & nihil non hostile actum: ab Electore, arcendæ injuriæ caussa, consilia & arma cum aliis juncta: incentorem ergo belli esse. Sævitum a Gallis in viscera Imperii. Ne jugulum petatur, occurrisse Electorem. Hanc justam esse belli adversus ipsum caussam. Laboratum ab Electore, ne omnes Imperii provinciæ illis involvantur malis, quibus Westphalia vix non perit: & hoc facinus esse, ab Imperii ordinibus vindicandum. Quos nimirum Galli per conscriptos in Gallia, Anglia, Scotia, Helvetia milites non possint opprimere, in eos status ipsos Imperii, membra videlicet in membra, concitari, ut per hos libertatis vindices utrisque servitus imponatur.

Pacem cum Hispania vix fuisse compositam, cum a rege contra Batavos, pacis promotores, bellum moliri cœptum. Venisse ad Electorem plures ministros Gallicos, quin & Germanicos, qui ampla spe & præda ostentata Electorem in belli societatem pertraherent. Sed potiorem ipsi, bellis Sarmaticis & Gothicis alias fesso, pacis curam fuisse, & ut illa conservetur in Belgio allaborasse, atque monstrasse, Belgium peti vix posse, quin & Imperii plures provinciæ, interque eas Clivia petatur, & sic rem non minus ad Imperium quam Hollandos, Electori jam dudum fœdere junctos, pertinere. At pacis mentionem a Gallis, regem injuriis affectum quiritantibus, ne quidem admissam.

Oblatam ab illis damnorum, si quæ illaturi essent, reparationem, restitutionem urbium, si quas caperent. Sed visum Electori satius esse, sua integra servare, quam vulneribus remedium quærere. Cum Batavis ratione urbium jam dudum stare pacta, quæ mutare Electori non sit integrum. Quamvis autem ab eo Hollandis ex fœdere mittantur suppetiæ, non tamen propterea cum Gallia pacem ruptum iri, cum gentium instituto inter illos duntaxat bellum geri censeatur, quos inter belli caussa esset.

Replicasse Gallos, non esse hunc casum fœderis, Electorem inter & Batavos vigentis: defensionis caussa id comparatum, Hollandos autem aggressores regis esse: qui pro hoste sit habiturus, quisquis Batavis auxilium tulerit.

Ductum interim, quantumvis Belgæ missis legatis satisfactionem, siqua læsio contigisset, offerrent, in Germaniam exercitum: interceptam *Vesaliam*, *Orsoiam*, *Resam*, Electoris urbes, eo prætextu,

textu, quod Hollandicum præsidium ipsis esset impositum. Verum nec hostem e loco pacato ejici posse, tralatitii juris esse; hinc Scipionem & Asdrubalem, acerrimos inter se hostes, in pacato Syphacis regno in eodem hospitali lecto sui securos occubuisse.

At Emmerici & Genepii nullum militem Batavum inventum, sed electoralem, qui nihilominus inde absque omni jure sit proturbatus: arces, turres, propugnacula, non a Belgis, sed a Cliviæ ducibus, avorum memoria, excitata, a Gallis subversa & solo fuisse æquata: usurpata omnia veri domini jura: nec sacris parcitum: erepta civibus templa: libros cantionum in foro combustos: subsellia, ne ligna deessent, e templis eruta: mortuis terram negatam: nihil non hostile actum, urbes populatas, agros ustos, pecora direpta, segetes conculcatas, tributa imperata, cives ad juramentum, Galliarum regi præstandum, adactos. An talia Galliæ vel alius quiscunque rex in suo regno esset passurus?

Consultum ab Electore Cæsarem, opemque ex antiquo jam fœdere imploratam, circumspectas fœderum societates, ad ordines quoque Imperii caussam delatam: juncto dein milite perrectum, quo salus reipublicæ, pietas in patriam, amorque erga commissum sibi a DEO populum vocassent. At objectos sua petenti hostiles exercitus, intentos in omnes casus, qui secundi ipsis evenire possent: in electorales immissas identidem turmas equitum: interdictum Cliviæ incolis omne obsequium, domino suo debitum, injunctumque, ut nullum nisi Galliæ regem agnoscerent dominum.

Satis hinc elucere, cui ex pacis instrumento debeantur auxilia, an principi, quo nemo meliori unquam in patriam fuisset animo, tam indigna passo, an regi, Imperii claustris inhærenti, & alienas terras sibi vindicanti.

Cautum equidem esse pace West. ne Imperium Romanum publico nomine accederet uni vel alteri regi, qui tum temporis, cum pax West. confieret, bella gerebant. An vero propterea ordinibus lex dicta, ne, si quis ex regibus istis fœdere sibi junctos invaderet, fœdus servaret? Ecqua lex fingi possit, quæ jura gentium, & ipsis Imperii constitutionibus consentanea fœdera tollat? Nunc vero cum Imperii munimentis utantur exteri, & sua Electori eripere satagant, an lege publica impediatur Imperium, Imperio & Imperii Electori sua vindicare? Quis legem sibi dixerit, se in Galliæ gratiam omnia necglecturum divina humanaque jura?

Promisisse quidem Gallum, se urbes in Imperio occupatas redditurum; sed cur occupasset? Suadente videlicet belli ratione. Sed

quæ illa ratio, quæ rationi repugnat? Quodnam jus vicino regi permiſerit unquam, ita ſuis proſpicere rebus, ut vicinum violet? Interituram hac belli ratione humani generis ſocietatem: actum fore de ſecuritate & tranquillitate populorum. Et quid, ſi eadem ratio occupatas urbes retinere ſuaderet?

Miſereri Gravellum Germaniæ, quod Cæſareus & electoralis miles in ea licentius agat. Si tecta ureret, ſi prædas ageret, ſi ſegetem vaſtaret, quod Galli in Clivia feciſſent, vitiis cum illis certaturum. Sed neminem iſta queri, aut ſi quis queratur, ſevere vindicari. Cæſarem & Electorem optimæ diſciplinæ rigidiſſimos eſſe exactores.

Quod rex ab Electore coactus fuerit ad arma Imperio immittenda, alienum eſſe a veritate, cum ille jam tribus ante menſibus Cliviam invaſerit, quam iſte Berolino moveret.

Ad ordines denique Imperii legati *Marenholzii* convertitur oratio, iisque judicandum relinquit, an is, qui ſe ac vitam ſuam ſaluti Imperii devovit, & arma induit, ut pro illo pugnet, qui ſua defendere, qui ab aris & focis ferrum flammamque depellere nititur: qui, cum alii vi & armis omnia agant, præſidio ſe munit, ut ſe & alios tueatur, an is demum de excitato in Germania bello, de ruptis pacis tabulis accuſari poſſit? ſi culpa foret, amare patriam, ſatis pœnarum pertuliſſe Electorem, tot contumeliis tot injuriis appetitum, pulſum nobiliſſimi ducatus parte præcipua. Nunc vero cum pro patria pro omnibus laboret, nuſquam nec ſibi nec ſumptibus parcat, judicarent ordines incliti, cuſtodes & ſubſidia patriæ, quid fides iſta, quid ipſius tam ſanctus patriæ amor mereatur, imo quid patria requirat a Germanis, ad gloriam, ad patriæ tutelam, ad decus & dignitatem Imperii natis.

Eſſe tamen inter iſtos, qui ſibi, non patriæ communi conſulendum putent: hos nec ſibi nec patriæ conſulere: hac ſalva omnes ſalvos, hac everſa neminem ſtare poſſe: dum ſinguli pugnant, omnes vinci. Quidni vincantur, ſi non pugnent quidem? incendium tantum qui ſuum cavet, communi tandem, cui non occurrit, periturum.

Eſſe, qui ſtudia pacis præſeferant, ſed ut in diffidentia ordines ſtudia & fœdera ſcindant, ſed ut arma, quæ patria poſtulat, e manibus excutiant, ut in partes Imperium dividant, ut a cordatis conſiliis ſejungant, ut injectis fœderum laqueis, ſanctiſſima illa vincula, quibus patriæ compages nectitur, diſſolvantur.

Non agi hic quidem Batavorum cauſſam, id tamen conſiderandum

randum relinqui, an non ea, quæ reges olim Galliæ, aliosque principes ſapientiſſimos moverunt, ut conſiliis, pecunia, armis fœderatas provincias contra Hiſpaniam tuerentur, Germaniæ quoque perſuadere debeant, ne a magno & potente hoſte oppugnatas negligat? ſi tantæ acceſſiones fiant ad tantam potentiam, quas non alias acceſſiones ſucceſſuras, quam commerciorum in Europa rationem, quam conditionem Germaniæ, quam poſterorum futuram?

Agerent igitur ſapientiſſimi ordines, ſpes reliqua patriæ, & Imperatorem ſuum Auguſtiſſimum ſequerentur, qui arreptis armis pro pace ſecura obtinenda tendit & excubat: comitem habituros Electorem fidiſſimum: ita ſtatuere prudentiæ, ita agere fortitudinis, ita & ſtatuere & agere Germanæ virtutis eſſe.

Libellum dein 4 Januarii 1673 idem legatus obtulit, in quo priora ferme repetuntur. Quærit, cum Gallia tantum pacis ſtudium præſeferat, quis ergo illam turbarit? apud quem opus fuerit hortatu & perſuaſione, cum omnes quieſcerent? Si vel membrum armis infeſtetur, an non hoc ipſo Rom. Imperium impetatur? Si ſola Hollandia fuit meta, cur ergo urbes Imperii primum impetum ſint paſſæ? Conſenſu domini, acquieſcente Imperio, partem Cliviæ a Batavis fuiſſe inſeſſam. Quid ad exteros, quid domi noſtræ agatur? Amicum prius eas urbes præſidio obtinuiſſe, ſalvo jure domini, nunc hoſtem. Reſtitueret illas, excederet Germania: damna penſet: & creditum iri, quod pacem amet, quam tam amplo ore profitetur. Demum rurſus ad ordines convertitur, eoſque monet, hortaturque, ut patriæ, Imperio, ſibi conſulant.

## ARTICULUS X.

### *Replica Gallorum.*

29 Martii ejuſdem anni 1673 Robertus *Gravellus* aliud ſcriptum comitiis obtulit, quo libellos Brandeburgicos confutavit, octo quæſtionibus negotium conficiendum ratus. 45

1. Licitumne fuerit regi Chriſtianiſſimo de injuriis ſibi illatis ab Hollandis vindictam ſumere, citra conſenſum Electoris Brandeburgici?

Reſpondetque, neque ex tabulis VVeſtphalicis, neque aliis pactis apparere, id regi publice læſo non eſſe integrum; cum penes regem, ſuperiorem in terris non recognoſcentem, ſtet belli paciſque arbitrium. Conſultum tamen Electorem, & vix non ro-

gatum ſæpius, ut extero huic bello ſe non immiſceat, neque illud in Germaniam attrahat.

2. An permiſſum regi fuerit apud principes, fœdere ſibi conjunctos, hunc in finem tranſitum petere?

*Reſp.* Hic regem petendo tranſitum, & illi concedendo, jure ſuo uſos; cum neutri id parti prohibitum inveniatur. Non poſſe Electorem id ire inficias, niſi ſe ipſum damnare velit, qui non modo in nuperis Cimbricis & Sarmaticis motibus eo humanæ ſocietatis jure ſit uſus, ſed Batavis quoque, genti exteræ, & vicinis Imperii principibus infeſtæ ac pernicioſæ, tranſeundi per aquas & terras Imperii copiam fecerit, quin & loca Cliviæ munitiora præſidiis occupandi. Hodiedum ingemiſcere plures Imperii ordines, qui noxios Brandeburgici militis tranſitus inviti ferre cogantur.

3. An regi jus fuerit impugnandi hoſtes in loco, ubi eos deprehendit, & unde damna ſibi inferre poterant?

*Reſp.* Veſaliam & alia Cliviæ munimenta, ab Hollandis inſeſſa, non fuiſſe habenda pro locis pacatis, cum hoſtis ea teneret, qui a tergo relictus certo certius graves moleſtias intuliſſet. Emmericum quoque & Genepium potuiſſe interim capi, poſtquam Elector nullis conditionibus, licet æquiſſimis, a Batavorum partibus ſe abſtrahi ſit paſſus, & his propugnaculis in regis perniciem fuiſſet abuſurus; prout eventus docuerit. Licet enim arma tunc necdum intulerit Brandeburgus, hoſtem tamen regis jam ante profeſſum, ſollicitata tota Germania in ejus exitium, arctiorique nexu cum Hollandis renovato; docente Grotio Batavo, hoſtem ubique poſſe impeti, & quidem jure gentium: *ubicunque prenſum jura lædi ſinunt.* Si munimenta illa damni quidpiam ſint paſſa, id hoſtium Batavorum pervicaciæ deberi.

4. An rex principibus, fœdere ſibi junctis, quorum ditiones & ſubditi tanto jam tempore continuis Batavorum injuriis & inſolentiis erant expoſiti, potuerit venire auxilio; cum nec harum reparationem, nec locorum, a Batavis iniqua uſurpatione detentorum, reſtitutionem obtinere unquam potuerint, eluſis, & incaſſum euntibus adhibitis fruſtra omnibus interpellationibus?

*Reſp.* Omnium jurium ſuffragio hoc regem potuiſſe facere; namque communi politicorum ore ſtare ſententiam, non pro ſe tantum, ſi injuriam acceperit, aut pro ſociis, ſed & pro amicis, damnis gravibus & injuriis, quarum reparatio fruſtra petitur, laceſſitis, recte bellum geri. Triſte ſane & acerbum Colonienſi & Monaſterienſi aliiſque principibus fuiſſe, toties a Batavis & Bran-

 Vill. deburg-

deburgicis inimice infeſtari, atque libera ſuorum poſſeſſione uſuque a ſæculo ferme deſtitutos videre, ſine ulla ope, niſi chartacea: pace in Germania Belgioque confecta, ceſſante dudum omni violentæ detentionis prætextu.

5. An Elector Brandeburgicus, poſt tot ſibi oblatas æquiſſimas conditiones potuerit debueritque Hollandis ſe ſociare, & contra regem arma arripere?

*Reſp.* Hoc Electorem facere non potuiſſe ſine infractione aperta pacis Monaſterienſis, qua *Art. II* cautum, ne alterutra pars hoſtes alterius, præſentes aut futuros juvet, quocunque titulo aut prætextu. Contra pragmaticam hanc ſanctionem nulla potuiſſe iniri cum Batavis fœdera. Hinc otioſas eſſe illas exclamationes de ſanctitate fœderum. Videret Elector, qua ſecuritate poſſideret tot provincias, per pacem Weſt. adquiſitas, ſi hæc porta ſemel aperiatur, & id genus prætextibus locus relinquatur.

6. An fœdera cum Batavis ab Electore inita derogare valeant arctiſſimo vinculo, quo regi ceterisque compaciſcentibus adſtrictus eſt per tractatus VVeſtphalicos?

*Reſp.* Non valere. Per pacta Weſt. publice renuntiatum fuiſſe omnibus fœderibus prioribus, in quantum huic paci ſunt contraria, aut conventioni de mutuis hoſtibus non juvandis. Poſteriora vero fœdera de iis, contra aliquem ex compaciſcentibus juvandis, eſſe omnino irrita; quippe, ſi valerent, obligarent ad frangendam, publice ac ſolenniter datam, fidem juratam. Hoc autem fieri non poſſe; quia daretur obligatio ad perjurium & frangendam fidem legitime datam.

7. An Elector, accepta a Batavis ingenti pecuniarum ſumma pro conſcribendis & alendis copiis, potuerit eas in perniciem ſtatuum Imperii per eorum terras ducere, hoſpitationes imperare, cum eſſent inviti, & de tantis moleſtiis & oppreſſionibus graviter queſti?

*Reſponſum fuit*, ſtante pace Weſt. hæc fieri non potuiſſe, utpote qua, uti & aliis Imperii conſtitutionibus, ejusmodi invaſiones, uſurpationes, & oppreſſiones conſtatuum innocentum, ſeveriſſime ſint vetitæ.

8. An liberum ſit Galliæ regi, ſecuritati ordinum Imperii, confœderatorum & amicorum ſuorum proſpicere, quando ſe contra pacem VVeſt. læſos exiſtimant?

*Reſpondit* Gravellus, non tantum liberum id, ſed etiam ne-

ceſſarium eſſe, cum rex ſit conſors, & ſponſor illius pacis, qua læſis auxilium promittitur.

Addit, neminem latere, duces belli adverſarum partium in loco intermedio aliquando convenire, ibique tranquille agere, exemplo Scipionis & Asdrubalis: ſed hoc inauditum hactenus, captas ab hoſte urbes, vel facile capiendas, illi relinquendi neceſſitatem velle imponere.

Sed neque pacatas fuiſſe illas urbes Cliviæ; præterquam enim, quod manifeſte jam conſtaret, Brandeburgum Batavos adjuturum; ex ipſis illis potiſſimum urbibus primam in archidiœceſin Colonienſem hoſtilem irruptionem ab Hollandis eſſe factam; quamvis neutrarum partium ſe tunc Elector profiteretur. Mirum ſane videri, Electorem, qui tantum jactet in patriam & univerſos ejus ordines amorem, curam, ſollicitudinem, non interpoſuiſſe ſuam, qua maxima apud Hollandos valet, authoritatem, ut vicinos Imperii principes lædere, accidere, infeſtare deſinant, inique detenta reſtituant, & Imperii locis tandem decedant, atque hac ratione iteratis toties juſtiſſimis vicinorum principum querelis cauſſam tollant.

Verum non modo ejusmodi interpoſitionis nihil eſſe ſuſceptum, ſed ipſum etiam Electorem, vaſtato crudeliter Hildeſienſi epiſcopatu, armato cum exercitu iter acceleraſſe ad invadendas Colonienſes & Monaſterienſes provincias. Ad cujus rei famam juſſum Turenium, trajecto Rheno, principibus fœderatis ſuccurrere, ſi quid exceſſum, id militis eſſe vitium, non ducis, minus regis; quamvis enim ſevera imponantur diſciplinæ præcepta, non tamen omnem licentiam in tanto numero poſſe compeſci. Hoc autem ab Electore nullatenus poſſe objici, cujus milites majori graſſentur licentia, prout, epiſcopatuum præſertim, in quos huic hominum generi ad exitium magis dentes pruriunt, tot querelæ ſatis conteſtentur. Vanam proin eſſe illam ſeveræ diſciplinæ jactantiam. Diœceſis Hildeſienſis ruinas & vaſtitatem nimium aperte loqui.

Ceterum regem militem ſuum quantocius ex Germania revocaturum, quamprimum unitorum ſibi principum terris ſatis fuerit cautum, & Elector exercitum reduxerit.

ARTI-

# ARTICULUS XI.

## *Fœdus ſecretum Gallo-Suecicum anno 1672.*

I. SI Imperator, vel aliquis ſtatus Imperii alterutri regi bellum inferret, aut alterutrius hoſtes in vel extra Imperium quocunque titulo aut prætextu quacunque ratione juvaret, mutuam ſibi operam præſtanto, & violatorem pacis VVeſt. aggrediuntor, ſi amica dehortatio fuerit ſpreta. 64

II. Quamvis igitur rex Galliæ perſuaſum habeat, nec Imperatorem nec ullum Imperii ſtatum bello Hollandico, ad Imperium nihil pertinenti, contra pacis Inſtrumentum ſe immixturum; ſi tamen ſecus eveniret, Sueciæ rex amica primum via, tum vero, ſi hæc irrita fuerit, vi & armis ſe opponet.

III. Ad eum finem, ut pax in Imperio conſervetur.

IV. Suecus in hunc caſum decem millia peditum, & 6000 equitum adverſus Imperatorem & alios, qui Batavis auxilia mitterent, educat, bellumque faciat.

V. Si vires Sueciæ non ſufficerent, Ludovicus exercitum in Germaniam mittet, manente tamen exercitu Suecico ſub mandato ſummi ducis Gallici.

VI. Nec deſiſtent ab armis, donec pax in Germaniam fuerit reducta.

VII. Si regi Galliæ non præſtetur idonea cautio, ex locis, quæ ab Hollandis in Imperio præſidio tenentur, nihil hoſtile inferendum, ac proin neceſſe ſit, ea aggredi, id rex Sueciæ neutiquam pro fractione pacis in Imperio habebit.

VIII. Spondent, ſe nullam cum Imperatore ejusque ſociis, ſi pacem Imperii turbarent, pacem aut inducias inituros, niſi mutuo amborum conſenſu.

IX. Si rex Catholicus contra pacem Pyrenæam ſe Hollandis adjungeret, & Imperator aliive principes eidem contra pacis VVeſt. genuinum tenorem auxilia ſubminiſtrarent, rex Sueciæ illos dehortabitur, &, ſi id fruſtra fuerit, aget, prout volet.

X. Pro ſumptibus per modum ſubſidii rex Ludovicus Sueciæ regi numerabit in annos ſingulos ſexcenta thalerorum Imp. millia. Initium autem hujus penſionis fiet a die, qua rex Galliæ requiſierit, ut exercitus apparetur, & in hoſtem ducatur.

XI. Promittuntur a rege Chriſtianiſſimo alia adhuc ſubſidia 400000 thalerorum, continuanda poſt reductam pacem, quamdiu hic tractatus durabit.

 XII. Spon-

XII. Spondet rex Christianiss. iterum se pacis Hafniensis, cum rege Daniæ anno 1660 initæ, fidejussorem & vindicem fore.

XIII. Si Imperator aliique principes Hollandis opitulari tentaverint, deliberabit uterque rex, an Danus ad belli societatem sit invitandus.

XIV. Si autem Danus adversus regem regnumque Sueciæ aliquid attentaret, rex Galliæ omnibus viribus regi Sueciæ assistet.

XV. Hæc pacta ad solam quietem in Imperio conservandam, non vero ad nocendum Batavis pertineant, ut adeo rex Sueciæ suam cum illis amicitiam nullatenus violatam velit. Si tamen Batavi propter hoc fœdus lædere vellent regem Sueciæ, rex Christianiss. eidem assistet, nec pacem cum illis inibit, donec illi fuerit satisfactum.

XVI. Durabit hoc fœdus per triennium, quantum respicit motus avertendos, si occasione belli Hollandici in Imperio excitarentur.

XVII. Acta hæc secretiora eandem vim habeant, acsi fœderi publico inserta essent, & ab utroque rege intra tres menses a die subscriptionis per ratificationem confirmabuntur.

*Holmiæ* 14 *April.* 1672.

## *Fœdus publicum Gallo-Suecicum 1672.*

47 EOdem anno & die conclusum Holmiæ fuit aliud fœdus, idque publicum, quod a priore secreto quoad substantiam non dissentit, tectioribus tamen & generalibus magis verbis est conceptum.

Confirmatur fœdus, anno 1661 Fontis-Bellaquei percussum, de perpetua amicitia & commerciis mutuis conservandis augendisque: de navibus & apparatu bellico in alterius terris comparandis: & præsertim de pace VVest. defendenda, atque pace in Imperio conservanda: de mutuis præstandis auxiliis, si rex alteruter propterea bello peteretur.

In hoc vero statuitur, ut, quemadmodum inter utramque coronam sincera semper veraque culta est amicitia, cum singulari utriusque commodo, eaque per temporum intervalla novis arctioribusque fœderum vinculis consolidata, ita nunc quoque, exigentibus rerum circumstantiis, ut robur & vires semper majores capiat, renovetur & confirmetur, ut alter alterius commoda promoveat, & incommoda non aliter ac propria amoveat.

Sit igitur fœdus mutuum defenſivum: ſcopus autem præcipuus conſervatio pacis VVeſt. adverſus omnes quietis in Imperio turbatores; in quem finem Imperatorem quoque & Imperii ſtatus, alioquin ad pacem obligatos, ad hujus fœderis ſocietatem invitandos.

Ad comitia remiſſa omnium ordinum conſenſu decidantur. Necdum reſtituti gaudeant aſſiſtentia, uti etiam, qui contra tenorem pacis gravantur, ut lædens læſo ſatisfaciat.

Pro pace Olivenſi & Hafnienſi rex Galliæ iterum cavet: prout etiam, ut dux Slesvici & Holſatiæ, lineæ Gottorpienſis, iisdem fruatur. Ducibus Megapolitanis, Suerinenſi & Guſtrovienſi, marchionibus Badenſibus, aliisque in P. W. comprehenſis aſſiſtatur. Provideatur, ne externi belli incendia, quæ imminere videntur, in Imperii viſcera graſſentur, quod ſane futurum eſſet, ſi quis alienis negotiis, ad Imperium non pertinentibus, ſe immiſceret. In quem caſum Suecus paratum habeat exercitum, ut Germaniæ quieti conſulatur: atque rex Galliæ annua ſubſidia tribuet, Hamburgi in Banco ſolvenda.

Gallus promittit, ſe regi Catholico Aquisgranenſem pacem curate ſervaturum; & Suecus pro ea cavet.

Liceat Sueciæ ad hoſtes Galliæ merces deferre, modo non ſint vetitæ, uti ſunt arma, & quæ ad bellum pertinent: non vero rudes & informes merces, ad belli uſum necdum fabricatæ, e. g. ferrum, chalybs, cuprum, pix, frumentum, ſal, vinum, oleum, aut aliud ad nutrimentum vitæ inſerviens: quæ ad hoſtes etiam deferre fas eſt, exceptis locis, quæ actu obſidentur. Ad exteras vero nationes omnis generis merces utriusque regni ſubditis deferre liceat, absque viſitatione, modo ſalvus conductus exhibeatur, ſi per alterius ditiones tranſeant.

Ex his fœderibus, adeo roboratis, eluceſcit, regem Galliæ tunc id ferme unice ſpectaſſe, ut Cæſar & Imperium quieſcat, ſi Hollandos, prout conſtituerat, aggrediatur.

## ARTICULUS XII.

### *Memorialia Gallica ad S. R. I. ſtatus, Ratisbonæ publice dictata, aliaque monumenta ex actis publicis.*

POſtquam rex Galliæ fœdus cum regibus Sueciæ & Angliæ, atque cum præſulibus Colonienſi & Monaſterienſi iniit, Batavos aggreſſus eſt, atque poſt multos conatus, ut Cæſarem atque Im- 48

perii status a ferendo illis auxilio averteret, adhibitos, impedire tamen non potuit, quo minus Imperator & Brandeburgus exercitum ad Rhenum ducerent: quibus tamen obviam misit Turenium in Germaniam.

Unde per Roberbum Gravellum suum Ratisbonæ legatum memoriale ad dictaturam tradidit; in quo memorat, sibi nihil magis cordi fuisse & etiamnum esse, quam observationem pacis VVest. & quietem Imperii. Quapropter paratum se esse, copias suas cis Rhenum revocare, quamprimum Brandeburgicus, ejusque fœderati in bello, adversus Hollandos suscepto, ab horum societate destiterint, suasque copias, in ditiones, quas trans Visurgim possident, reduxerint. Molestissimum sane fore sibi, si cogeretur suis suorumque confœderatorum armis illos, qui tam salubri consilio obsisterent, ubicunque locorum obvios aggredi, & uti eadem libertate, quam confœderatorum exercitus (transitus & stativa in principum Germaniæ ditionibus capiendo) sibi arrogarunt.

Cum vero ejusmodi bellum in Imperio non nisi invitus, & necessitate inevitabili compulsus susceperit, nihil se optare impensius, quam ut principes, quorum interest, de mediis eidem finiendo convenientibus, serio cogitent, eaque efficaciter adhibeant, atque calamitates, ab utriusque partis exercitu inferendas, avertere satagant.

Quapropter exoptare se & sperare, S. R. I. Electores ditionum suarum aditu prædictas confœderatorum copias prohibituros, ut provincias suas ab utroque milite servent immunes; omne se auxilium in hanc rem collaturum.

*Datum Ratisbonæ 1 Maji 1673.*

Cum dein Galli Alsatiæ liberas civitates & Trevirensem provinciam invasissent, nec satis modeste se gessissent, querelas suas Elector proposuit, magnamque ordinum indignationem concitavit. Quapropter Gravellus ad illam leniendam alterum scriptum obtulit, in quo, repetitis contestationibus, quam sincera sit fueritque regis sui intentio pacem in Germania conservandi, quot assecurationes in hanc rem factæ, quot media adhibita, asserit, Imperatorem tamen contra pacem VVest. hostibus Galliæ submisisse exercitum, nec desinere, omni contentione totum Imperium adversus eandem concitare.

Coactum proin fuisse regem armis arma opponere, & copias aliquas in Trevirensem agrum immittere, ut Cæsaris, Hispani, & Trevirensis Electoris moliminibus præveniret, & transitum in Bel-

gium

gium Cæſareis præcluderet, in quorum manus Elector Confluentias & arcem Ehrenbreitſteiniam fuiſſet traditurus. Oblatam illi regis amicitiam & aſſecurationem provinciæ, at diverſam omnino rationem ab eo initam. Inevitabili igitur neceſſitate proſpiciendum & prævertendum fuiſſe omni via, quam ratio belli dictat.

Certiorem etiam factum regem, ab Hiſpanis legiones aliquot in ducatum Luxemburgenſem miſſas, ut Trevirim occupent, & communicationem cum Cæſareis & Batavis aperiant, Gallis vero tranſitum & conjunctionem intercludant.

Hæc autem omnia confecta pace, quam inire rex ſit paratus, Electori fideliter reſtitutum iri, prout Electori Brandeburgico nupera pacificatione reſtituta ſint munimenta, in Clivia occupata.

Exceſſus, ab Electore Gallo militi imputatos, multumque exaggeratos, a rege non fuiſſe probatos, ſed ſevere prohibitos, quin belli quosdam præfectos officiis propterea motos gravem indignationem incurriſſe. Neque ſevera etiam diſciplina usque adeo coerceri poſſe milites, quin terræ, per quas tranſeunt, aut in quibus ſubſiſtunt, incommoda, moleſtias & damna patiantur: ab amico etiam milite talia ſufferenda.

Verum qualiacunque hæc ſint, non illa regi, qui omnia media adhibuiſſet, ut Germania quieta pace frueretur, ſed iis, qui propter Hollandos pacem rupiſſent, eſſe imputanda.

Quod ad civitates Alſatiæ (quæ altera eſt pars querelarum) ſpectat, Sleſtadii & Colmariæ disjecta fuiſſe propugnacula, ne hoſtis iis in perniciem Gallorum uteretur; quam etiam ob cauſſam pontem Argentinenſem a præſidiariis Briſacenſibus fuiſſe incenſum.

*Datum Ratisbonæ* 16 *Sept.* 1673.

Cæſar, auditis graviſſimis, ter repetitis, Trevirenſis adverſus atroces Gallorum inſolentias querelis, eas comitiis propoſuit, hortatusque eſt vehementer, ut omnes ejus exemplum ſequantur, ac bellum decernerent. At Reinholdus *Bluhmius* Sueciæ legatus, nomine regis ſui, qua Bremæ & Pomeraniæ ducis, ſcripto reſpondit; duas a commiſſario principali Cæſaris nomine belli gerendi cauſſas fuiſſe propoſitas, primam, ut Galli ex Germania ejiciantur: alteram, ne fœderati Belgii reſpublica evertatur: utramque intentionem eſſe ſane optimam: ſed lenioribus mediis, quam per arma, & humani ſanguinis profuſionem, quo alias nimium decolorata ſit Europa, obtineri poſſe.

Exteros per Germaniam armatos vagari, nunquam regi ſuo fuiſſe probatum. At vero poſtquam rex Galliæ toties promiſerit, ſe

ſe militem ſuum extra fines Imperii moturum, modo S. C. majeſtas copias intra hæreditarias provincias contineat, quis non videat, quanto minore diſpendio ad finem intentum poſſit perveniri?

Fœderati autem Belgii conſervationem nemini magis cordi eſſe, quam regi ſuo, qui publice ſit profeſſus, ſe conſilia ſua cum illis collaturum, qui internecionem illius reipublicæ avertere ſint parati; tantumque apud Chriſtianiſſimum regem fuiſſe effectum, ut copias ſuas ex Batavia retraxerit, in inducias conſenſerit, & pacificationis locum *Coloniam*; ut adeo nullum amplius evertendæ fœderatæ reipublicæ periculum appareat.

*Datum Ratisbonæ* 5 *Sept.* 1673.

Eadem pacis conſilia Imperatoris ſuggeſſit Suecicus apud aulam Cæſaream legatus Iſaias *Puffendorffius*. Reſponſum nomine Cæſaris: pergratam eſſe regis Sueciæ pro reducenda pace curam & ſollicitudinem: Imperatorem in inducias ultro conſenſiſſe, ſed tantum abfuiſſe, ut rex Galliæ hoc conſilium acceptaret, ut potius bellum acrius ſit proſecutus, in Imperio cum copiis ſuis perſtiterit, loca per vim occupata non reſtituerit, Imperii provincias, maxime Trevirenſem devaſtaverit, omneque hoſtilitatis genus exercuerit, cum aperta pacis Weſt. violatione. Nec minus in Burgundicum circulum deſæviri contra pacem Aquisgranenſem, cum rege Catholico initam.

Paratum nihilominus eſſe Cæſarem, non modo inducias ſed etiam pacem, firmam tamen & univerſalem, inire, dummodo Galli Imperii ſolo decedant. Ut autem Imperator inermis cum hoſte armato paciſcatur, regem Sueciæ non petiturum.

## ARTICULUS XIII.

*Concilium cleri Gallicani condemnat aliquas propoſitiones Religioſorum Mendicantium Andegavenſium. Criſis de theſi Jeſuitæ theologi circa infallibilitatem in quæſt. facti. Regis fervor, Parlamenti frigus.*

49 EPiſcopus Andegavenſis anno 1654 interdixit regularibus uſu plurium ſuorum privilegiorum. Hi obtenderunt decreta ſummorum pontificum, conciliorum, & poſſeſſionem plurium ſæculorum. Cardinalis Barberinus anno 1655 & 56 volebat controverſiam componere; at epiſcopus illam ad *comitium cleri* detulit, qui ſex Mendicantium propoſitiones ſequentes examinavit.

1. Con-

1. Concilium Tridentinum non obligavit regulares mendicantes in Gallia ad obtinendam approbationem pro administrando sæcularibus pœnitentiæ sacramento. Illius auctoritas non potest opponi ad restringenda eorum privilegia. Non est receptum in Gallia, nisi quoad decisiones fidei. Neque Bulla Pii IV, qua concilium confirmavit, aliam vim habet in Gallia.

2. In locis, ubi Tridentinum est receptum, non possunt episcopi regularibus approbationem limitare, nec datam revocare. Et, si petita sit, sed negata, perinde est, ac, si esset concessa.

3. Mendicantes approbati ab episcopo pro una diœcesi, approbati sunt pro omnibus. Possunt etiam absolvere a reservatis episcopo, sine hujus facultate.

4. Nulla est obligatio adeundi ecclesiam parochialem ad recipienda annua sacramenta & audiendam missam, vel concionem.

5. Neque episcopi neque concilia, nationalia vel provincialia possunt hanc obligationem imponere, aut censuras vel alias pœnas statuere in eos, qui non observant.

Hæ propositiones a cleri comitio censura notatæ sunt, quod sint respective *temerariæ, scandalosæ, erroneæ, inducentes ad hæresin aut schisma: contrariæ ecclesiæ, conciliis, ac præsertim Tridentino, atque hierarchiæ ecclesiasticæ.*

Episcopus Andegavensis, hac censura adversus regulares munitus, eos ad suum tribunal citavit, jussitque, ut *condemnationi* propositionum subscriberent; at illi contra eandem, tanquam abusum, appellarunt. Cumque in Gallia componi caussa non posset, delata est Romam ad Alexandrum VII, qui tres primas anno 1659 damnavit: quartam & quintam publice prædicari vetuit.

Anno 1661 cleri Gallicani *synodus* damnatam ab Innocentio X, & Alexandro VII doctrinam Jansenii, damnari ab omnibus novo decreto præcepit, concepta in hanc rem, cui omnes subscriberent formula, prout infra magis declarabitur.

Eodem anno Jacobus *Coret* S. J. theologiæ studiosus Parisiis in collegio Clarimontano thesin posuit, quod Christus S. Petro ejusque successoribus, quoties loquuntur ex Cathedra, *eandem* infallibilitatem tribuerit, quam ipse habet, consequenter in ecclesia Romana existere judicem infallibilem controversiarum, etiam extra concilium generale, tam in quæstionibus facti, quam juris: atque post constitutiones Innocentii X, & Alexandri VII credi posse fide divina, *quod liber Jansenii sit hæreticus, & quod quinque propositiones sint extractæ e libro Jansenii, & condemnatæ in sensu Jansenii.*

Lites libellaticæ.

Hæc thesis, quamvis bene intellecta nihil contineat aut fidei dogmatis aut communi theologorum sententiæ contrarium, magnum nihilominus strepitum excitavit. *Arnaldus* illam denuntiavit corpori episcoporum per scriptum, hoc titulo insignitum: *Novella hæresis Jesuitarum &c.*: vocatque hæresin generalem, quæ totam religionem evertat: radicem errorum, horrendam impietatem, & speciem idololatriæ.

Coretus edidit quamprimum expositionem thesis, se per *eandem infallibilitatem* aliud non intellexisse, ac, quod Christus in definitionibus fidei ita assistat Pontifici, ut falli non possit. In quantum autem extenderit eandem infallibilitatem etiam ad quæstiones facti, intentionem suam fuisse directam ad quæstiones facti dogmatici, quæ sunt connexæ cum quæstione juris, ad fidem pertinente, quale est factum Jansenii.

Secundum hanc doctrinam processisse ipsum clerum Gallicanum adversus eundem Prælatum, omnesque Catholicos doctores, qui in caussa Janseniana scripsissent. Multos ex theologis docere, fide divina credi posse facta ejusmodi particularia, e. g. Tridentinum concilium esse legitimum concilium, Franciscum Salesium esse sanctum, Alexandrum VII esse legitimum Christi vicarium.

Quamvis autem hæc expositio satis sit clara, & absonum nihil contineat, Jansenistæ tamen non desierunt thesin novis libellis impugnare: quorum uni titulus: *illusiones Jesuitarum in sua expositione.* Cur autem suas pennas non acuerunt adversus baccalaureum collegii de Navarra, qui paulo ante thesin eandem proposuerat? cur tunc siluerunt? ille nempe non fuit Jesuita. Docent Jansenistæ, doctrinam S. Augustini de gratia adeo esse doctrinam ecclesiæ, ut sine hæresi negari non possit; cur non idem sentiunt de definitionibus immediatis ecclesiæ?

Sed ubi revelatio divina de facto particulari, quærunt, quod non est comprehensum in sacra scriptura, e. g. quod 5 propositiones extent in libro Jansenii, quod Jansenius sensum ab ecclesia damnatum intenderit? Quæram & ego, ubi exstet revelatio divina, quod hæc vel illa doctrina exstet in S. Augustino, quod S. Augustinus eum, quem ipsi volunt, sensum intenderit? ubi revelatio, quod Arius, Nestorius, Eutyches, Lutherus, Calvinus &c. hanc vel illam doctrinam tenuerint, quod sensum hæreticum intenderint, quod sint hæretici? ubi revelatio, quod Scriptura vulgatæ editionis non recesserit ab originali, quod sit verbum DEi, quod concilium aliquod generale fuerit legitime congregatum, quod fuerit

rit

rit organum Spiritus ſancti, quod ejus definitiones ſint de fide? & tamen hæc credunt Janſeniſtæ. Dicere ſane debent, eccleſiam eſſe infallibilem in definiendis quæſtionibus facti dogmaticis.

Certe, prout eccleſiaſtica nos docet hiſtoria, Euſebius Nicomedienſis & Theognis Nicænus compulſi ſunt a concilio Nicæno ad ſubſcribendum condemnationi Arii, ejusque errorum in ſenſu hujus hæreſiarchæ, quamvis prætenderent, illum male fuiſſe intellectum. Concilium Epheſinum condemnavit litteras Neſtorii, ut contrarias Nicænæ fidei, & Joannes Antiochenus cum aliis epiſcopis Orientalibus, qui ſenſum Neſtorii orthodoxum exiſtimabant, non fuerunt a S. Cyrillo Alexandrino in communionem recepti, niſi poſtquam ſubſcripſerunt damnationi ejus doctrinæ. Sic etiam Theodoretus Cyrenſis, & Ibas Edeſſenus epiſcopus non fuerunt ante recepti a Chalcedonenſi concilio, donec eidem Neſtorio dixiſſent anathema.

Propoſitiones in ſenſu auctorum damnatæ.

Neque Joannes Conſtantinopolitanus patriarcha in communionem ſedis apoſtolicæ ab Hormisda fuit receptus, donec Aeacio prædeceſſori ſuo aliisque ſchismaticis & hæreticis dixiſſet anathema. Quinta ſynodus œcumenica damnavit ſcripta Theodoreti & Ibæ, Theodori vero Mopsveſteni perſonam & ſcripta, & excommunicavit illos, qui his ſcriptis, & Theodori etiam perſonæ non dicerent anathema; licet epiſcopi iſti jam eſſent mortui, & priores duo, damnato Neſtorio, a concilio Chalcedonenſi in communionem recepti.

Concilium Romanum ſub Martino I condemnavit omnes, qui non rejicerent corde & ore hæreticos & eorum ſcripta. Et Bulla Martini V facta cum conſenſu concilii Conſtantienſis, atque ad omnes epiſcopos data, mandat, ut tanquam hæretici tractentur, qui defenderent libros aut perſonas VViclefi, Huſſi, aut Hieronymi Pragenſis.

Hæc aliaque, quæ ex hiſtoria eccleſiaſtica afferri poſſent, exempla demonſtrant, quod eccleſia ſæpe damnaverit errores, non ſolummodo in ſenſu vago & abſtracto, ſed determinate in ſenſu ſcriptorum, in quo erant contenti. Conſequenter Janſeniſtæ vehementer fallunt falluntorque, quando dicunt, eccleſiam non poſſe impedire, ne factum a jure ſeparetur.

Anno 1662 rex Chriſtianiſſimus per decretum ſui conſilii hortatus eſt omnes regni ſui epiſcopos, ut curent formulam, contra Janſenismum conceptam, ſubſcribi absque omni exceptione, declaratione aut explicatione.

 Hoc

Hoc decretum rex specialiter misit ad Choartum episcopum *Bellovacensem*, Arnaldum *Andegavensem*, & Godelium *Vincinensem*, qui magis subscriptioni reluctabantur. Primus hac in re se opponebat suo capitulo; regique respondit, eam subscriptionem non esse præceptam ab ecclesia, neque per concilium, sed solum a conventu, qui non possit hoc mandatum imponere ecclesiis. Et hinc postea ad Papam recursum est, ut ipse formulam subscribendam mittat.

Andegavensis ex mente fratris sui Antonii Arnaldi, famosi doctoris, Jansenistici ordinis abbatis, regi significavit, quod hoc super negotio scripserit Pontifici, quidquid sentiatur de facto Jansenii, id non impedire, quo minus quis possit esse bonus Catholicus: subscriptionem non esse, nisi illusionem, & persecutionem teneræ conscientiæ. Qui adigerentur ad subscriptionem, non mutaturos propterea sua sensa; ad nihil igitur profuturam, nisi ut conscientiæ lædantur. (*Sed ex hoc sequeretur, pessime actum a Patribus in conciliis, dum subscriptiones urgerent; imo omnem hæresin esse tolerandam.*)

*Vincinensis* opposuit, prohibitionem, ne distinguatur inter jus & factum, non esse aptum medium sedandi turbas. Neque ecclesiam posse distinctionem illam prohibere, cum longe diversa juris & facti sit ratio. (*Verum Prælatus iste ex historia ecclesiastica discere poterat, ecclesiam non tantum erroribus, sed etiam libris, in quibus continebantur, & ipsis etiam librorum auctoribus, ut paulo ante exemplis demonstratum, tanquam hæreticis, dixisse anathema, ac proin plenam quoad decisionem juris & facti subjectionem indistincte exegisse*).

De infallibilitate.

Anno 1663 Drouetus Sorbonæ baccalaureus hanc thesin proposuerat, *quod Christus S. Petro, ejusque successoribus dederit supremam auctoritatem super ecclesiam: privilegia certis ecclesiis a pontificibus fuisse concessa, uti Gallicanæ. Concilia generalia esse valde utilia, non tamen absolute necessaria ad extirpandas hæreses & schismata, aut alias inordinationes tollendas.*

Propositiones istæ a Parlamento fuerunt prohibitæ, ceu nimiam tribuentes Papæ potestatem, antiquæ doctrinæ, in regno receptæ, & ecclesiæ Gallicanæ libertati contrariæ; utque in posterum talis doctrina proscriberetur, additum mandatum, ut hoc decretum in proximo theologicæ facultatis conventu prælegeretur, præsentibus duobus consiliariis curiæ, atque ad omnes regni Universitates mittatur, in acta publica referendum.

Facultas

Facultas declarationem edidit, sex capita complexam. Prima tria concernebant potestatem Papæ in res temporales regum: quartum authoritatem regis. In quinto & sexto dicebat, *non esse facultatis doctrinam, quod Papa sit supra concilium generale, neque, quod sit infallibilis, quando non intervenit consensus ecclesiæ.*

Displicuit Parlamento hæc declaratio, vehementerque in senatu fuit invectus in illam *Talonus* advocatus generalis, id maxime reprehendens, quod facultas permisisset eas theses in scholis suis dictari, atque disputationi publicæ præparari, nunc vero negative tantum illam doctrinam attingat, *non esse illam facultatis*; cum affirmative, positive & absolute deberet eam rejicere, tanquam novam & erroneam, authoritati regiæ, juribus coronæ, libertati ecclesiæ Gallicanæ, Gersoni & antiquæ sententiæ oppositam.

Mirum est sane, virum laicum, qui theologiæ nunquam studuit, tam alto tono loqui de hac materia. Fortassis ex Dupino didicit, qui in *hist. eccles. sæc. XVI part.* 3 asseruit, superioritatem concilii supra pontificem esse fundamentum libertatis Gallicanæ. Quid, quæso! hæc quæstio cum libertate Gallica habet commune? Num propterea, quod pontifex esset supra concilium, dimitterent Galli suas libertates? Concilium est supra pontificem, ut Talonus cum Dupino declamavit, an propterea in iis, quæ ad disciplinam spectant, obsequuntur concilio? Exemplo sit concilium Tridentinum: an illud communi decreto recipiunt? an dimittunt suas consuetudines concilio contrarias? an non inhærent nihilominus solenni suo principio, non esse recipiendum decretum, si libertatibus Gallicanis aut coronæ prærogativis sit contrarium.

Audiamus hac de re testem exceptione majorem Petrum a Marca, *de concord. sacerd. & Imp. l.* 3 *c.* 7 ita disserentem: solet a plerisque pragmaticis, inquit, hoc fere præcipuum constitui libertatis Gallicanæ theorema, concilium œcumenicum superius esse summo pontifice - - - attamen, si id, quod sentio, libere profiteri liceat, existimo libertates ecclesiæ Gallicanæ hoc axiomate non omnino niti. - - - Etsi enim hæc sententia in schola Parisiensi, & ceteris hujus regni academiis certissima habeatur, in foro apud nos non disceptatur, qui libertates perinde tuemur, si concilii generalis novis decretis statuatur aliquid contrarium, acsi de Romani pontificis constitutionibus agatur. - - - Fruatur summus pontifex aut æquo jure cum conciliisgeneralibus, aut superiori: illud unum in foro expendetur, an nova constitutio vel novum rescriptum consulat rebus Gallicanis aut noceat. Si receptos canones vel re-

ceptos mores infringat, ejus ratio non habebitur, nisi consensu publico accedente.

Ita magnus ille & eruditus scriptor, qui in utraque republica magistratum gessit, primum Parlamenti præses Pali, dein episcopus; neque alias Papæ nimium dare assuetus. Eadem fuit sententia Maimburgi; quamvis nec ipse pontifici nimis addictus fuerit.

Maxime vero stupendum, quod homo laicus ausus fuerit censuram ferre, erroneamque dicere sententiam, ab omnibus ferme extra Galliam receptam theologis, gravissimisque rationibus nixam, quam nullus unquam theologus, etiam Gallus, quantumcunque zelosus pro suis libertatibus, præsumpsit erroneam aut censura dignam dicere. Credo ego, nisi thesis baccalaurei Sorbonici incidisset in tempora, quibus Gallia adversus Romam, propter Crequium legatum a præsidiariis Corsis offensum, fuisset concitata, nec Talonum contra eam ita fuisse declamaturum, nec Parlamentum quæstioni ecclesiasticæ se immisturum.

## ARTICULUS XIV.

*S. Amorii diarium exustum. Censura Papæ in censuram Sorbonæ. Reformatio Mendicantium. Crisis de dote religiosa. Versio Novi Testamenti interdicta. Crisis de illa. Pax a Jansenistis ob- & subreptitie obtenta.*

50 ANno 1664 publice per carnificem, decreto consilii status, combustum fuit *diarium S. Amorii* (*Saint Amour*) complexum, ut præfertur, quæ in caussa Jansenismi Romæ & Parisiis gesta sunt ab anno 1646 usque ad 1654, tanquam aperte renovans hæresin Jansenianam, totique ordini ecclesiastico summopere injurium. Idem diarium Romæ quoque damnatum fuit.

Eodem anno rex ipse ingressus est Parlamentum, ut curaret *registro* inferri declarationem regiam, qua omnibus personis ecclesiasticis præcipiebatur, ut formulæ, adversus Jansenismum conceptæ, subscriberent. Idem mandavit *Perefixus*, qui Cardinali de Retz in archiepiscopatu Parisiensi successerat.

Censura Sorbonæ censurata.

Sorbona damnavit plures propositiones, extractas e libro *Vernanti* Carmelitæ, quibus Papam, Cardinales, episcopos, & religiosos mendicantes defendit. At anno sequenti pontifex censuram censura elisit, edita in hanc rem Bulla. Sed contra hanc acriter

insur-

inſurrexerunt anno 1665 Parlamentum, & Arnaldus, pro fallibilitate Pontificis multa declamantes, exprobrantesque, quod Papa in Facultatem, totius orbis primam, auſus eſſet cenſuram ferre. Quamvis enim Arnaldus odiſſet Sorbonam, ex qua fuerat ejectus, magis tamen oderat Alexandrum VII, factioni Janſenianæ adverſantem.

Ipſa etiam Facultas latam in ſe cenſuram graviſſime tulit. Quare doctores quidam, ut vindicarent, quam corpori tam illuſtri illatam putabant, injuriam, libellos, maligne in Pontificem ſcriptos, collegerunt, vulgaruntque. Sed hæc collectio ipſi adeo Parlamento tam virulenta eſt viſa, ut ad ignes eam damnaret.

Anno 1666, cum in dies augerentur religioſorum domicilia, renovavit rex edictum, ne plura conſtruerentur, ſine ſuo, epiſcopi & civitatis conſenſu. Et ſicut annis ſuperioribus in reformationem antiquiorum ordinum cura intendebatur, ita iſto in recentiorum, quatuor maxime mendicantium, qui, ut res humanæ, viciſſitudini ſubjectæ, ferunt, a primo fervore deſciviſſe viſi ſunt, prout Talonus in Parlamento acerbe fuit conqueſtus.

Multiplicari gentem, inquiebat, ſed diſſolvi diſciplinam, inducique libertatem & vagabundam vitæ licentiam, a fundatorum mente degenerem. Recipi penſiones ab ingredientibus vitalitias, & a monialibus argentum in dotem exigi contra canones, non ſine avaritiæ & ſimoniæ labe. Poſci malo, ne ultra graſſetur, remedium: conſtituendos vel invitis reformatores, adimendamque novitios ſuſcipiendi poteſtatem, donec reformatio finem intentum ſit aſſecuta. Si monaſteria ſint ditia, nihil ab ingredientibus petendum, ſi egena, ad eum reducenda perſonarum numerum, quem nutrire poſſint.

Reſponſum fuit ab aliis, dotem ab ingredientibus religionem afferri ſolitam, nihil commune habere cum ſimonia; non enim illam exigi aut dari pro ipſa ſuſceptione aut votis religioſis, ſed pro ſuſtentatione neceſſaria, aut per modum donationis, gratitudinis, vel eleemoſinæ, ut plures DEi ſervi ali poſſint, aut tanquam legitimam vel dotem, liberis ſecundum leges debitam: ſicut dos non numeratur marito pro ſacramento matrimonii, ſed alio titulo, nempe pro alendis liberis & ceteris matrimonii oneribus ſuſtentandis: & ſtipendium ſacerdoti non datur pro miſſa ſed pro ſuſtentatione. Conſequenter non exigi aut dari temporale pro ſpirituali, aut ſpirituale pro temporali tanquam illius pretium, in quo labes ſimoniæ conſiſtit, jure divino & humano ſemper gra- Dos religioſorum.

viter prohibitæ. Ipſum S. Carolum Borromæum id genus filiarum dotes approbaſſe.

Monaſteria non eſſe ſolummodo aſylum virtutis, ſed etiam levamen familiæ, quæ prole numeroſa gravata modico ſumptu ingentes impenſas poteſt redimere. Non eſſe proin, quod ſæculares conquerantur. In ſacris cœnobiis non alios, quam eorum liberos enutriri. Abbatias mundanas ſuperbis ædificiis & omni opulentia ſplendere: cur ſacratis DEo locis mediocris penus invideretur?

Per hoc tamen nullatenus probari, ſi opulenta monialium cœnobia divites duntaxat virgines admittant, illas vero rejiciant, quæ aureas dotes afferre nequeunt; cur enim non etiam pauperes admitti poſſent ad votum paupertatis?

Rex a Papa petiit, ut deſignet commiſſarios, *qui monaſteria reforment.* Miſit ex Italia quatuor religioſos, qui in conſortium viſitationis admittere detrectarunt ſocios, quos adjungere illis Parlamentum conabatur. P. Pulo, delegato P. Generalis Dominicanorum, poteſtate & auxilio regis opus erat, ut religioſi conventus, in platea S. Jacobi ſiti, eidem parerent. Nec magis *Obſervantes* prompti erant. Moniales aliquæ obſtinatione viros ſuperabant. Parlamentum, reformationis peractæ rationem videbatur exigere; ſed commiſſarii officio ſuo functi in Italiam redierunt, rationem reddituri, cui debebant.

Scriptor quidam Gallus ait, commiſſarios eum fructum ex hac viſitatione retuliſſe, ut Galliam viderent, moribus, quos invenerant, relictis in Gallia: ſuſceptos nihilominus novitios, quamvis edictum vetaret. Faſtidii autem plus allatum monialibus, quibus ſub pœna *dupli* a Parlamento prohibitum fuerat dotem recipere: aliquas pecuniam accepiſſe ſimulato titulo mutui, quod nunquam eſſent reſtituturæ. Alias ab hac praxi deterritas metu, ne juramentum exigatur, ſecreto penſionem accepiſſe.

Conventus generalis cleri Gallicani anno 1675 ſupplicavit regi, ut decretum de dote revocet. Sed nihil obtentum. Feliciores fuerunt ejusdem preces anno 1693, quo declaratum, cum conſuetudo dotem, quamvis canonibus non admodum conformem, licitam faciat, atque a ſummis Pontificibus approbata dicatur, regis voluntatem eo interpretandam, ut abuſus ſublatos cupiat, non autem dotem moderatam, quæ ad alendam in paupere monaſterio perſonam ſuſceptam ſufficiat; ſi autem domus religioſa ſufficienter ſit fundata, deſignationem bonorum epiſcopo loci exhiben-

hibendam, qui dein ad regem referat, ut, quid conveniat, poſſit decernere; ne opulenta aſceteria, theſauris non mundanis deſtinata, magis diteſcant, tenuia vero cum egeſtate luctari debeant.

Anno 1667 *Perefixus* archiepiſcopus Pariſienſis & conſilium ſtatus, ut vocant, ſuppreſſerunt *traductionem novi teſtamenti in linguam Gallicam*, a Portu-Regienſibus novatoribus adornatam; qui tamen lucem, propter multiplex crimen falſi, fugientes, nomen ſuum, contra ac honeſtos viros deceret, non addiderunt. Dicitur hæc verſio *Montenſis*, quia in titulo fingitur, impreſſam fuiſſe Montibus Hannoniæ in Belgio Catholico, cum in Hollandia fuerit edita. Verſio Montenſis vernacula,

Sacris ſcripturis nihil ſanctius: ſed corruptio optimi peſſima, abuſuque illius nihil fidelibus pernicioſius. Nulla unquam hæreſis infeſtavit eccleſiam, quæ erroribus ſuis patrocinium ex Scriptura, aut corrupta, aut perperam intellecta, non accerſeret. Inde Arius, Neſtorius, Eutyches, Waldenſes, Beguardi & Beguinæ, Lutherus, Zwinglius, Calvinus, & quidquid unquam hæreſiarcharum orcus protruſit, ut incautis illuderent, doctrinæ ſuæ originem mentiebantur; fœminis non minus ex libro vitæ ſibi mortem legentibus, dum illud ad genium ſuum verſatilem rudemque interpretabantur.

Quapropter omni ætate ſancta eccleſia verſiones Bibliorum in linguas vernaculas improbavit, ne vulgus imperitum introduceretur in ſanctuarium DEi, cujus ingreſſus ſacerdotibus eſt reſervatus. Mali utique non ſunt incorrupti Scripturæ libri, dicebat jam olim S. Baſilius; ſed debilior eſt plebis ſtomachus, quam ut eosdem poſſit digerere. Utilius & ſecurius ei ſacerdotes hunc panem frangunt, ſicut ſacramenta illi miniſtrant. Noxia.

Inde tot conciliorum, Pontificum, epiſcoporum decreta ac cenſuræ, tot regum & academiarum placita, utraque poteſtate ad obviandum enaſcentibus tot morbis concurrente. At incaſſum omnia. Quilibet novator contumax perrexit, cerebri ſui commenta erronea interpretatione Bibliorum in ſuam aliorumque perniciem fucare, & velut divini verbi oracula plauſibilia reddere, ut credulas & in novitates prurientes animos in caſſes trahat.

Collaborarunt ad hunc finem improbo ſtudio *Portu-Regienſes* ſocii, verſionemque vulgarunt, detorto ſenſu Calvinianam Janſenianamque peſtem incautis lectoribus inſtillaturi. Non Pontifici, non regi, non epiſcopis parſum. Decreta, edicta, ordinationes, ſparſis pro more libellis lacerabantur.

Opposuerunt se equidem Maimburgus perorans ex cathedra, Arnatus confessarius regis, Malletus doctor Sorbonicus scriptis libris. Sed calumnias, exprobrationes, despectus, ab gente his armis dudum assueta, retulerunt. At calumniæ, convitia, diffamationes, detractiones famæ, Jansenistis sanctæ sunt, ex radice charitatis progenitæ, ad aperiendos oculos cæcorum, ad salubrem instructionem, ad cautelam fidelium, ne seducantur, atque ne adversariis redeat animus invadendi innocentes, & oppugnandi veritatem. Hinc oportet, mendacium appellare mendacium, calumniam, imposturam, extravagantem & impertinentem garrulitatem, quod talis est. Ita Arnaldus, modestia, charitate, discretione plenus: qui peculiarem dissertationem secundum proportionem, ut profitetur, geometricam edidit, qua docet, ad redarguendos adversarios adhibendos terminos, quos mundus duros æstimat; ut perfringant durum lectoris cerebrum, quod nuda & macilenta veritas non penetrat.

Tandem, postquam versio illa a rege & episcopis fuit prohibita damnataque, Roma quoque eandem proscripsit. *Eundem librum versionis Gallicæ novi testamenti*, inquit Clemens IX, *tanquam temerarium, damnosum, a vulgata editione difformem, & offendicula simplicium continentem, authoritate apostolica tenore præsentium damnamus & prohibemus.* Quam censuram anno 1679 innovavit Innocentius XI.

Verum Jansenistis hæc damnatio erat effectus conspirationis artisque Jesuiticæ, tantoque magis librum divulgabant, adeo quidem, ut, si Bayleo (*diction. hist. & crit.*) fides, trigesies sit recusus. Nempe, nitimur in vetitum.

Postquam quatuor Galliæ episcopi recusarant formulæ, qua Jansenismus damnabatur, ab Alexandro VII dictatæ, subscribere pure & simpliciter absque distinctione inter jus & factum, & 19 alii episcopi caussam eorum, apud commissarios agitatam, coram sede apostolica agere cœpissent, tandem anno 1668 renitentes illi quatuor episcopi, datis ad Clementem IX litteris, contestati sunt, subscriptum a se suisque diœcesanis secundum intentionem ecclesiæ. Idem alii de illis testati sunt. Quapropter Papa iis in gratiam receptis, finitam caussam, pacemque ecclesiæ Gallicanæ reductam credebat.

Fraus Jansenist.

Arnaldus, qui subscriptionem fingebat, ad regis præsentiam admissus, non tamen in collegium Sorbonicum. Monialibus Portus Regii concessus iterum usus sacramentorum. Verum non optima

fide

fide actum ab iſtis eſſe, haud diu poſt apparuit: quippe Portu-Regienſes aliique Janſeniſtæ, de pace illa conceſſa velut triumphum ducentes, frivolum dilemma vulgarunt, infallibilitatem Pontificum explodentes, quod vel Clemens IX errarit, dum quæſtionem facti a juris deciſione ſeparari paſſus eſſet, aut ejus anteceſſores Innocentius X & Alexander VII, dum quæſtiones eas ſeparari poſſe negaſſent, & utriusque fidem exegiſſent.

At alienum prorſus a veritate eſt, quod Clemens a Prædeceſſorum veſtigiis receſſerit. Promiſſa fuit illi plena ſubjectio & obedientia, Pontificum illorum conſtitutioni præſtanda, atque puram & abſolutam formulæ ſubſcriptionem jam factam plures idonei teſtes depoſuerant; nec alia conditione renitentes epiſcopos recepit; nulla proin ratione quæſtiones illas ſeparari eſt paſſus, ſed conſtanter inſtitit, ut 5 propoſitiones non ſolum ſecundum ſe & in abſtracto ſpectatas damnarent, ſed prout extant in libro Janſenii, & in ſenſu a Janſenio intento. Si quod vitium irrepſit, in Janſeniſtarum mendacio id conſiſtebat.

Umbratilis igitur pax iſta ob Janſeniſtarum prævaricationem non diu tenuit, ſed recruduit bellum acrius, parte utraque ſcriptis libellis flammam nutriente. Verum hæc veluti tranſeundo ordinis ſervandi gratia hic dicta ſunto, ſequetur enim uberior ob rei magnitudinem de Janſeniſmo tractatio libro ſequenti.

## ARTICULUS XV.

*Edictum regis contra Calviniſtas. Liber* **moralis Jeſuitarum** *exuſtus. Criſis de famoſis libellis. Lis de Auctore libelli de imitatione Chriſti. Nova contra Calviniſtas mandata. Theſes odioſæ de Papa & epiſcopis.*

Latente aliquantiſper ſub doloſo cinere pacis & concordiæ flamma Janſeniſtica, anno 1669 adverſus Calviniſtas zelus regis ſe explicuit. Mandatum propterea publicavit, 49 articulis comprehenſum. 51

Prohibitum illis prædicare extra loca illis permiſſa: loqui contra religionem Catholicam: miniſtri non aſſumant nomen paſtoris eccleſiæ. Talarem togam ne geſtent extra ſuum templum. Ne aſſiſtant matrimonio Catholicæ perſonæ cum Calviniana. Cum exteris provinciis in religionis negotio commercium ne nutriant.

Synodum ne habeant absque permissu regis, & præsentia commissarii, a rege deputati. De valore matrimonii ne judicent. Ne puniant eos, qui liberos ad Catholicas scholas mittunt. Ne sepeliantur in cœmeteriis Catholicis. Ne exponant cadavera ante fores suæ domus. Nullus ex illis in dicasteriis regiis sit præses. In civitatibus mixtis consul sit Catholicus, & senatores ad minimum numero æquales.

Quando SS. Sacramentum portatur prope templum Calvinisticum, cessetur a cantu psalmorum, donec processio transierit. Si obvium fiat Venerabile, aut secedant, aut reverentiam exhibeant. Ministri conversi immunes sint a tributis. Infantes, quorum patres fuerunt, sunt, aut erunt Catholici, catholice educentur, licet mater sit Calviniana. Observent festa Catholicæ ecclesiæ. Officinæ aut tabernæ illis diebus ne sint apertæ.

Hujusmodi decreta plura fuerunt condita, Parlamento Rothomagensi strenue intentionem regis prosequente; Parisiense vero frigore aliquo torpebat, ut quatuor mensibus cunctaretur edictum regis in *registrum* referre. At rex in caussa religionis nec latum unguem cedendum ratus, atque destinato animi consilio insistens, revocando edicto Nannetico sensim præludebat.

Anno 1670 editus est liber hoc titulo: *Moralis Jesuitarum, fideliter extracta ex eorum libris per unum D. de S. Lazaro.* Per manum carnificis publice fuit flammis traditus. Archiepiscopus Parisiensis illum examini commiserat quorundam doctorum Sorbonæ: qui declararunt, quod sit plenus injuriis, imposturis, calumniis, falsificationibus, crassis ignorantiis, propositionibus falsis, scandalosis, hæreticis.

Auctor creditus est doctor *Perraltius*, provincialium Pascalis encomiastes & imitator. Intentio calumniandi ac denigrandi Societatem, quæ, posthabitis privatis incommodis, novatorum conatibus totis viribus se opponens, linguam & calamum religioni immolabat. Utrique calumniatori erat mens eadem, sed effectus diversus. Ignes fortassis, censuræ, Annatus, Pinterellus, Moinius potentes apologistæ, obstabant, ne Perraltii satyra scopum assequeretur.

Habet hoc omnis hæresis, visu fœda turpisque, denigrando alienos vultus vult splendescere. Sectarii sæculi XVI declamare passim auditi sunt contra mores Romanæ ecclesiæ, teterrima Pontificum, ac curiæ objecta effigie, eorum maxime, qui ipsos damnaverant. Novatores sæculi XVII, qui nomine Catholico sibi

blan-

blandiebantur, cum argumenta adversariorum, quibus hæreseos eos convincebant, solvere non possent, mutata scena, casistas in theatrum producebant, ut privata membri unius macula totum corpus nigredine inficiant, illudque oculis mundi odiosum reddant: satis opimum operæ pretium se nactos rati, si æstimationem & amorem adimant.

Quot virulenta scripta, quot libelli famosi, quot satyræ, non dicam charitatis & pietatis, sed humanitatis omnis expertes, adversus summos sacrorum antistites, episcopos, doctores sæculares & regulares, Jesuitas comprimis, quos injuriæ magis obnoxios, impune lacerari posse existimant, in omnem prope terrarum orbem protruserunt! Crisis de famosis libellis.

Exhibent viros, sua ætate, probitate, integritate, virtute, prudentia, doctrina excellentes, tanquam homines sceleratos, qui data velut opera concertarint, ut moralem JEsu Christi doctrinam pessundent, atque evertant. Missionarios, pro salute animarum & domo DEi zelantes, faciunt idololatras, & mercatores, qui relicta domo paterna, amicis, patria, tranarint oceanum, adierint gentes barbaras, sanitatem mille inter ærumnas, vitamque adeo ipsam profuderint, ut terrenis opibus ditescant, & mysterium crucis evacuent.

Et utinam non etiam hodiedum ex Catholicis quidam, quos, sub eodem Christi vexillo militantes, charitate præcipua conjunctos esse oporteret, calumnias, ex Jansenistarum famosis libellis descriptas, recoquerent, & velut dapsiles escas, hæreticis, ingluvie cupida hiantibus, gestientes ovantesque apponerent. Hos tu viros religiosos dixeris? ego ne Christianos quidem.

At mittamus istos, alio lixivio dignos; de Jansenistis mihi sermo; quorum satyræ, devictorum arma, spiritu vindictæ effusæ, certe parum Christianæ, ut mentes depressas, simplices, & infirmas movere forsan possint, non tamen æquos rerum arbitros, sui constantes. Sed demus, moveri. An propterea Jansenistas ab hæresi puros arbitrabimur? audiamus S. Hieronymum in simili casu contra Origenistas calumniatores (*epist.* 68) perorantem. Quid opus est, inquit, percurrere regiones, lacerare Pontificem Christi, ejusque discipulos? cui bono accumulare tot mendacia, totque injurias? declamare tanta atrocitate contra mores eorum, quorum argumentis non potestis resistere? an vos minus estis hæretici, quando vobis aliqui credunt, nosque sceleratos existimant? an lingua vestra minus est impia, si ostenderitis, nos aliquibus

nævis

nævis laborare. Verum ſatis dictum de iſtis hæreticis, quorum injuſtum odium, quod in omnibus occaſionibus adverſum nos produnt, detegit ſecretum cordis, & venenum, quo turgent. Ita magnus ille & ſanctus eccleſiæ doctor contra diſcipulos Origenis, demonſtrans, tametſi omnia ea, quæ ſunt calumniæ, eſſent vera, nihilo tamen eorum cauſſam fore meliorem.

Applicemus verba S. Doctoris. Quamvis moralis Jeſuitarum doctrina, omniumque, qui Janſeniſtas oppugnant, eſſet corrupta, prout Portu-Regienſes ſodales perſuadere conantur, an propterea Portus Regius magis eſſet Catholicus? bellus enimvero ſplendor, qui a ſordibus alienis accerſitur! dicamus, quod res eſt. Odium, invidia, animi averſio hoc plauſtrum trahunt. Nemo vir prudens ab alterius morbo ſanitatem quærit.

Lis de libello de imitatione Chriſti.

Anno 1671 fervebat Pariſiis controverſia, quis eſſet auctor libelli aurei de *imitatione Chriſti.* Multi certabant non minus ac olim Græci de Homeri patria: ſub medium adhuc ſæculi XVI non pauci eum attribuebant Joanni *Gerſoni*, celebri illi academiæ Pariſienſis cancellario. Verum & ſtylus diſſentit, & multa in libro illo dicuntur, quæ Gerſoni non competunt. Dicit auctor, tum alias, tum lib. 3 c. 10 ſe religioſum eſſe: Gerſon autem nunquam fuit. Quare hæc ſententia penitus ferme evanuit.

At major Benedictinos inter & Canonicos Regulares exarſit contentio. Illi Joannem *Gerſen* Benedictinum Vercellis abbatem auctorem fecerunt, iſti *Thomam a Kempis* Canonicum regularem S. Auguſtini. Illi illius ſub nomine libellum edebant, iſti ſub iſtius. Recurſum ad Harlæum Pariſienſem archiepiſcopum & ipſum etiam Parlamentum. Producta utrinque vetera manuſcripta: conſtituti judices; ſed tandem res indeciſa relicta. Quamvis autem Benedictini Patres perſuadere niterentur, erratum fuiſſe in nomine, & loco *Gerſenii Gerſonem* fuiſſe ſcriptum, communis tamen perſuaſio invaluit, Thomam a Kempis (urbe Colonienſis agri) Canonicum regularem, verum eſſe auctorem.

Quidam mirari ſe dicebat, cur hac de re litigarent religioſi: ſufficere utique, ſi dicatur, religioſum eſſe auctorem: inde enim omnes laudis partem nacturos propter communicationem privilegiorum. Typographia regia Pariſiis anno 1736 libellum iſtum magnis characteribus in forma quarta edidit, omiſſo nomine auctoris; fortaſſis, ne cui ex competitoribus præjudicium inferatur.

Anno 1673 rex jus *regaliorum*, ut vocant, in omnes diœceſes extendit, iis ſolis exceptis eccleſiis, quæ titulo oneroſo eſſent exem-

exemptæ. Huic edicto se opposuerunt episcopi Aletensis & Apamiensis, magno suo incommodo. Quæ res postea magnas turbas excitavit, colliso regno cum sacerdotio.

Anno 1680 plura edicta contra Calvinistas rex publicavit, quibus severe prohibuit, ne Catholicus quispiam ad Calvinismum transiret; ne ministri eos ad suos conventus admittant, aut professionem recipiant; simulque everti jussit templa, quæ Hugonoti contra tenorem edicti Nannetensis magno numero erexerant. Fulgur hoc erat, secuturi fulminis nuntium.

Ominari id facile poterant Calvinistæ, zeli regii pro religione, plus quam vellent, gnari. Igitur fugam circumspiciebant, quam primi arripuerunt, quibus nihil domi relinquendum erat, ut opportuniora in finibus regni apud Protestantes loca præoccuparent. Ne autem locupletiores bona sua divenderent, & ingentem pecuniæ vim regno exportarent, sub pœna confiscationis omnium bonorum id genus venditio & egressio e regno fuit prohibita: qua pœna emptorum avaritia fuit cohibita. Interea autem regis voluntate instructionibus clerus institit, ut errantes in viam salutis reducerentur.

*Larreyus* in historia sua Anglicana narrat, deliberatum fuisse in consilio regio, an non omnes Hugonoti una internecione essent delendi, sed horrore lanienæ Bartholomææ moderatiores fuisse absterritos. Si quæras, quo id teste probet? respondet more suo: *dicitur*; nempe in Calvinistarum triviis, & popinis.

Circa hoc tempus *Gerbæus*, doctor Sorbonicus, edidit *dissertationem de caussis majoribus*, docuitque, quod episcopis jus competat decidendi materias fidei & disciplinæ, & opponendi authoritatem, immediate a Christo ipsis concessam, novitatibus, quæ in ipsorum diœcesi forte orirentur, aut eorum provincia: quodque, secundum disciplinam concilii Sardicensis, episcopi in prima instantia sint judicandi ab episcopis comprovincialibus.

Plura alia magis invisa auctor in decursu libelli inseruit. Unde Innocentius XI eum damnavit, ceu continentem doctrinam *schismaticam*, *suspectam de hæresi*, *& injuriosam S. Ecclesiæ*: injungens inquisitoribus, ut eundem in ignes conjiciant.

Graviter ferentes hanc censuram Galliæ episcopi sex commissariis librum examinandum tradiderunt, qui referebant, librum plenum esse bona doctrina, multaque eruditione; temperandas tamen in sequenti editione duriores quasdam expressiones, quæ censuræ caussam dederint.

Non adeo benevole ſuſceptus ab iis fuit liber *de judicio canonico epiſcoporum*, qui ſtatuebat 1 etiam in prima inſtantia cauſſas epiſcoporum deferri poſſe ad S. Sedem. 2 Papam cauſſas epiſcoporum judicare poſſe per ſe ipſum, aut ad provinciam remittere. 3 Concilia nihil poſſe, neque circa fidem, neque diſciplinam ſine Papa. 4 S. Eccleſiam eſſe originem ſacerdotii. 5 Papam eſſe infallibilem in decidendo facto.

Auctor conventus a commiſſariis cleri ſuarum propoſitionum declarationem obtulit, reſponditque ad 1, ſe locutum de caſu appellationis. Ad 2, ſe præciſe narraſſe uſum & prætenſionem Pontificum, abſtrahendo a quæſtione juris, & recentiori conſuetudine Gallicana. Ad 3, ſenſum eſſe, quod conciliorum particularium decreta non conſtituant legem pro tota eccleſia ſine interventione Papæ, qui confirmare illa poteſt, vel abrogare. De cetero ſe nunquam negaſſe, quod epiſcopi in conciliis vere ſint judices. Ad 4, nunquam ſe dubitaſſe, quin epiſcopatus ſint juris divini. Suam propoſitionem eſſe hanc, ex S. Cypriano deſumptam: origo *unitatis* ſacerdotalis eſt a S. Petri cathedra. Errorem in omittenda voce *unitatis* eſſe librarii. Ad 5, ſe locutum non de facto nudo & ſimplici, ſed dogmatico. *Quæ interpretatio non eſt abſimilis retractationi.*

## ARTICULUS XVI.

*Obitus Turenii, ejusque elogium. Verſio fortunæ. Unionum ſyſtema. Argentina capta. Genua, Tripolis, Tunetum, Algerium, ignibus infeſtatæ. Induciæ vicennales. Mors Lud. Condæi. Fœdus Auguſtanum. Bellum ob Palatinatum &c.*

52 BEllum Gallico-Batavicum, quod Germaniam dein etiam, omnemque propemodum Europam involverat, primo tractatus iſtius libro, quo de Germaniæ rebus actum, ſatis pro inſtituto prolixe retulimus. Pauca hic addenda, quæ Galliam maxime ſpectant.

Turenii mors.

Anno 1675 (non vero anno 1672, ut in genealogicis ſuis tabellis errat Hübnerus) Henricus vicecomes *Turrenius*, dum Montecuculi motus exploratum iiſſet, globo æneo, tormento bellico emiſſo, ex equo præcipitatus, repente extinctus eſt; heros, cui fortitudine, belliqueque artibus Francia vix parem habuit.

Expugnavit anno 1653 Rethelium in Picardia, & Mozomium in Campania, 1654 Quercetum, Landracium, 1655 Condæum, Fanum S. Gisleni, Capellam, 1656 protexit obſidionem Monmedienſem, 1657 cepit Fanum S. Venantii, Mardicum; ſolvit obſidionem Ardenſem; retulit victoriam ad Dunas, 1658 occupavit Ipras, Aldenardam, Furnas. Anno 1667 ſupremus belli præfectus, expeditionem ſuſcepit 1672 in Hollandiam, ſignans ubique iter lauris & palmis, 1673 cum exercitu in Germaniam movit, & Brandenburgum ad alia conſilia permovit, 1674 ad Sinzhemium, ad Mühlhuſium, ad Türckhemium victoriam reportavit, 1675 ſubito expeditionem in alterum orbem ſuſcepit. Quid proſunt reliquæ, ſi hæc fuit infelix?

Rex Ludovicus graviſſime ejus mortem accepit, exercitum malens perdere, quam talem tantumque ducem. Utque palam oſtenderet, quanti eum habuiſſet, ſingulari exemplo corpus ejus ſepulcro regio ad S. Dionyſii Pariſiis inferri voluit.

Hoc Turrenius peculiare habuiſſe dicitur, & a more aliorum ducum alienum, quod illi plerumque juniori ætate ſint audaciores, minusque circumſpecti, generoſo ſanguine in venis bulliente, atque ad gloriam ſibi comparandam ſpiritus æſtuantes accendente; ætate vero maturiore deferbeſcant, atque plus prudentiæ, & vigilanti circumſpectioni in omnes caſus, qui evenire facile poſſent, tribuendum ſibi eſſe exiſtiment: at vero Turrenium contrariam iniiſſe rationem, dum vernantibus annis timidior & tardior, prælia & incertos eventus evitandos ſibi putarit, ultimo vero decennio, rerum militarium experientia jam ſubactus, toties certamen inierit, quoties occaſio ſe ſe, tempus & locus obtuliſſet: dictus propterea, ex Fabio in Alexandrum mutatus.

Natus fuit hic ducum dux anno 1611, obiit anno ætatis 64, a Calvinismo ad Catholicam fidem tranſiit anno 1668, profeſſione coram archiepiſcopo Pariſienſi emiſſa. Grave vulnus hæc converſio inflixit Calviniſtis; cui cum nullum aptum inveniſſent emplaſtrum, finxerunt, id factum ſpe coronæ Polonicæ. Sed a prudentibus merito riſu fuerunt exploſi. Habent hoc nempe iſti homines; quoties aliquis errores eorum deſerit, humanis id rationibus attribuunt; at vero, cum quis ad eorum ſectam tranſit, lumine Evangelii illuſtratum dicunt.

Poſt mortem Turrenii mox apparuit, quantum in uno viro ſitum eſſet: erecti Germanorum, dejecti Gallorum animi: illi imminebant, ſpebus pleni, iſti fugiebant, & ultra Rhenum ſe receperunt.

perunt. Carolus autem III Lotharingiæ dux in ducatum ſuum irruptionem tentabat, valido inſtructus exercitu, vexillis impreſſo lemmate: *aut nunc, aut nunquam.* At conatui ſuo fuit immortuus. Reliqua hujus belli, & pacem Neomagenſem libro ſecundo perſecuti ſumus.

Unum hic alterumve, quod Galliam peculiariter ſpectat, addidiſſe ſufficiat. Anno 1675, cum de pacis congreſſu tractaretur, rex ſecuritatis litteras, ſeu ſalvum, ut vocamus, conductum, etiam Lotharingiæ duci conceſſerat, ſed negato *ducis* titulo, *conſanguineum* ſuum & *principem* duntaxat appellavit; quo ſignificare voluit, ducatum Lotharingicum ad eum non pertinere: id quod dux regi Angliæ, mediatori, queſtus eſt. Reſpondit Gallus, id Lotharingo nulli futurum præjudicio.

Eodem anno Ludovicus novos creavit Franciæ mareſchallos, Eſtradam, Schombergium, Duraſſum, Fevilladam, Montmorancium, Luxemburgum, Rochefortum.

1676 Quenius vicit in mari Siculo bis Ruyterum, archithalaſſum Hollandiæ, qui in altero prælio navali ipſus occumbit. Vivonus 12 Batavorum naves bellicas ad Panormum comburit aut mergit, Eſtræus 10.

1677 Galli reportant victoriam Mont-Caſſelanam, & Cameracum cum Audomaro expugnant,

1678 Gandavum, & Ipras; Siciliam vero deſerunt, ſequentibus Hiſpanorum metu 150 familiis.

1679 concluſa eſt *pax Neomagenſis.* Ludovico titulus *magni* datus, quod unus Europæ ferme omni par fuiſſet.

Anno 1680 paulo poſt pacem Neomagenſem juriſconſulti Galliæ *unionum* & *reunionum* ſyſtema procuderunt, ex lege, ut dicebant, *Salica*, cujus ea ſit ſententia, ut, quidquid unquam in jus dominiumque Franciæ quovis pacto accreviſſet, id inſolubili vinculo coronæ ita agglutinetur, ut nullo unquam ævo avelli, contra vero a quovis, alienæ velut rei poſſeſſore, vindicari poſſit: & veluti res DEo devotæ fiunt ſanctæ, atque extra commercium poſitæ, ita, quod olim Galliæ fuerit, etſi bello eripiatur, ematur, donetur, permutetur, cum omnis alienationis contractus ſit irritus, in dominio ejus permaneat; hac quippe in re nihil populum, nihil Parlamenta, nihil ſanctius conſilium, regem ipſum, quamvis ſumma cum poteſtate regat, ceu uſufructuarium nihil poſſe. Hanc novam jurisprudentiam ſcriptores Galli etiam commentariis vulga-

Unionum ſyſtema.

*Wagn.*

vulgarunt, addideruntque, hanc legem Franciæ eſſe fundamentalem, ſacroſanctam, æternam, immutabilem.

Atque ex hoc ſyſtemate invecta ſunt ad res novas deſignandas peregrina illa vocabula: *uniones*, *reuniones*, *dependentiæ*, *dependentiarum dependentiæ*, *jus æquivocationis*, *æquivalentiæ*. Utque hæc jura efficacius vindicarentur, erecta ſunt nova quatuor tribunalia, *Metis* videlicet in Lotharingia, *Briſaci* in Germania, *Veſuntione* in Burgundia, & *Tornaci* in Belgio, cum mandato, operam darent, ne quid de his juribus imminueretur. Citabantur nobiliſſimi rei, rex Hiſpaniæ, & Sueciæ, Elector Palatinus, dux Wirtembergicus, multique alii per Sueviam, Franconiam, Weſtphaliam, & tractum Rheni principes & comites.

Confutabatur hic novus adquirendi modus, quo plures plurium ſæculorum poſſeſſiones agebantur, his ferme rationibus. 1. Si Gallis liceat id genus legem ferre, idem jus alios quoque populos genteſque poſſe ſtatuere, hoc vero pacto res humanas confuſum iri. Inutiles prorſus imo ridiculos fore pacis tractatus, vana & vacua principum juramenta, pacta & contractus.

2. Legem omnem humanam & a legislatore, & diuturnis temporum ſpatiis uſuque contrario abrogari poſſe: ipſas divinas leges, ceremoniales & judiciales per legem Evangelii fuiſſe abolitas. Regna modo populari, modo ariſtocratico, modo monarchico uſa regimine, modo jure hæreditario, modo per electionem obtigiſſe. Regnum Galliæ Merovingicos pulſis Romanis erexiſſe, illudque deinceps tum electione tum hæreditate adeptos; inſuperhabita lege Salica in Pipinum coronam translatam, Merovingica ſtirpe in Childerico III adhuc virente. Capetingos reges naſci. Olim pro filiorum numero diviſa imperia, nunc uni obtingere.

3. Juris gentium eſſe præſcriptionum jura, illaque multo antiquiſſima. Jephteum jam Iſraelitarum ducem contra Ammonitas iisdem uſum. Hæc niſi obſerventur, omnia per orbem fluctuare imperia, omnia incerta fore rerum dominia. Perpetuas lites, bella, & populorum colliſiones turbaturas humanum genus: nec ullum fore pacis reparandæ remedium, ſi Gallorum quorundam principiis eſſet inſiſtendum. Apparuit hoc anno cometa raræ magnitudinis, cujus occaſione Caſinus propoſuit ſuum de periodico cometarum recurſu ſyſtema, qui prædici poſſit, ſicut eclypſes ſolis & lunæ.

Secuta eſt anno 1681 occupatio *Argentinæ*, quod bello nupero Cæſareos admiſiſſet, ingredientes in Alſatiam, iisque aſylum tutum Argentina.

tutum præbuisset, ut scribit Avrigny *en memoire chronol.* sed quid aliud faceret civitas Imperialis, juramento fidelitatis adstricta Cæsari & Imperio? Hoc tamen emolumenti urbs est consecuta, ut, cathedrali ecclesia sibi restituta, munimentis & valido castello augeretur; religio vero, senatu dimidia ex parte constituto Catholico, introductisque viris religiosis, quantum per pacta licuit, restitueretur. Quenius Tripolin tormentis quatit, multosque injicit globos ignivomos. Irritatus Sultanus, quo minus legatum omnesque Gallos in carcerem conjiceret, metus Ludovici inhibuit.

Anno 1682 Ludovicus academiam erexit militarem & nauticam pro nobilibus instituendis. Quenius iterum Algerium ignibus infestat. Cum Hispanos inter & Gallos de finibus in Belgio, & locorum, per pacem Neomagensem cessorum *dependentiis* conveniri non posset, Galli Luxemburgum obsederunt. Marchio Grana vero gubernator Belgii Gallum hostem Bruxellis declaravit.

Anno 1683 Ludovicus rex castigatis Algerianis pyratis, titulo reunionum, per Humierum Cortracum & Düxmudam cepit, Luxemburgum vero tormentis infestavit; sequenti autem anno per Seignelæum classe, pyrobolis, globis igniariis, varioque ad nocendum apparatu bellico instructa *Genuam* vastavit, quod Hispanis videretur addictior, minus honorifice de rege fuisset locuta, Gallisque negasset transitum per Savonam. Tandem conventum, ut quatuor senatores, inter quos dux ipse, Versaliam irent, veniamque a rege precarentur. Quod Algeriani quoque facere coacti sunt.

Genua.

Induciæ.

Anno 1684 factæ sunt Ratisbonæ *vicennales induciæ* Gallos inter & Hispanos, conventumque, ut interea Gallia retineret Luxemburgum, Bellomontum, Bovinas, & Chimæum. Aliquot post diebus induciæ cum Imperio signatæ sunt. Sub id tempus venit legatus ex Indiis a rege Siami, fœdus initurus cum Ludovico, qui pariter legatum cum Jesuitis Missionariis misit.

Anno 1685 mareschallus Estræus magna pyrobolorum vi injecta Tripolim coegit grandem auri summam pendere, & captos Gallos sine lytro restituere. Tunetum quoque coactum pacem ab eodem petere, quam sexaginta scutorum millibus impetravit.

Mors Lud. Condæi.

Anno 1686 obiit Ludovicus, princeps Condæus, 68 ætatis anno, de quo frequens hactenus facta est mentio, ingenio, animi robore, arte & virtute militari summus, litterarum quoque disciplinis praeclare ornatus, maxime polemicis. Legit quippe libros sectariorum, Atheistarum, Deistarum, Lutheranorum, Calvinista-

viniſtarum, & cum præcipuis eorum frequenter conferebat, diſcuſſisque omnibus auditus eſt crebrius dicere, ſolam Catholicam, Apoſtolicam, Romanam eſſe veram religionem, reliquas eſſe inventionem viſionariorum & impoſtorum. Quamvis autem in juventute non ſemper ita vixerit, ut vivendum credidit, & Mazarinis illis fluctibus altius ſe abripi ſit paſſus, quam fides in regem poſceret; poſt Pyrenæam tamen pacem, qua reconciliatum diximus, minoris ætatis nævos correxit, & ultimis præſertim decem annis pientiſſime vixit.

Anno 1687 d'Avrigny refert fœdus Auguſtanum, inter Imperatorem, Hiſpanum, Batavos, Brandeburgum, Saxonem, Palatinum, initum; eoque offenſum Ludovicum, accedente cauſſa Palatina, & electionis Colonienſis, anno ſequenti Heidelbergam, Moguntiam, Philippoburgum, Manhemium, Spiram, Wormatiam, Oppenhemium, Franckenthalium, Treviros, per Delphinum occupaſſe, ſimulque Hollandis bellum denuntiaſſe. Crequius, injectis plus mille ollis igniariis, ingentia Algerio damna infert. Fœdus Aug.

Anno 1689 comitia Ratisbonenſia regem Franciæ & Cardinalem Fürſtenbergium declararunt hoſtes Imperii; quod ille contra pacem Monaſterienſem & Neomagenſem occupaſſet plures Imperii urbes, munimenta ad Rhenum excitaſſet. Wilhelmus etiam, Angliæ uſurpator, Ludovico bellum indixit, hic vero Angliæ & Hiſpaniæ.

Anno 1690, poſtquam dux Sabaudiæ fœdus cum Hiſpanis & Imperatore iciſſet, Ludovicus Catinatum in ejus ditionem cum exercitu immiſit. Commiſſo ad Caroloregium prælio mareſchallus Luxemburgus principem VValdeccium, Hollandorum ducem, vicit, cæſis 6000, captis 7000, inter quos 900 officiales. (*D'Avrigny ad hunc annum*). Claſſis Anglo-Hollandica cæſa a comite Tourvillio, pluresque bellicæ naves aut crematæ, aut ſubmerſæ, aut captæ. Catenatus Sabaudos ad Salutias vincit.

## ARTICULUS XVII.

*Belli proſecutio. Urbium expugnationes. Igniariæ infeſtationes. Pax Sabaudica, Riſvicenſis. Partitionis tractatus.*

ANno 1691 Catenatus in Pedemontio proſequitur victoriam, Suſa, 53
Villafranca & Nicea captis, uti etiam Monmeliano in Sabaudia. Rex vero, comitantibus principibus regii ſanguinis, expeditionem

ditionem in Belgium ſuſcepit, ibique Montes Hannoniæ expugnavit. Eſtræo Catalonia demandata provincia.

Bellum. 1692 comes Tourvillius, 44 navium claſſe inſtructus, invaſit Ruſſelum architalaſſum, qui 93 bellicas Anglicas & Hollandicas ducebat. Nox prælium diremit. 13 naves Gallicæ, cum portum ob aquæ defectum attingere non poſſent, combuſtæ ſunt. Hæc clades ſpes Jacobi II Angliæ regis eliſit. Pugna Stenkercenſis multo utrinque ſanguine ſtetit, peditatu Auriaci propemodum deleto. Rex Namurcum expugnavit.

1693, cum Delphinus cum Lorgio haud procul Hailbrunna Germanorum ſitum exploratum iret, a milite gregario globo fuiſſet trajectus, niſi ducum Germanorum quidam, qui Delphinum agnoverat, ſclopum militi excuſſiſſet. Dicitur Ludovicus Badenſis hoc factum ducis laudaſſe. Tourvillius 75 mercatorias, quas Roockius protegebat, cepit, combuſſit, aut perforavit. Prælio Landenſi a Luxemburgo mareſchallo cæſi Anglo-Batavi. A Bouflerio Furnæ expugnatæ, a Villaregio Carolo-Regium & Hujum. Rex Majo abiit in Flandriam, Junio rediit Verſaliam, inſtituitque ordinem militarem S. Ludovici. Catenatus haud procul Pinerolio ducem Sabaudiæ prælio vicit, cæſis octo millibus, tormentis omnibus, & 106 vexillis exutum. Creati hoc anno mareſchalli Franciæ Choiſeulius, Villaregius, Jojoſa, Bouflerius, Tourvillius, Noallius, Catinatus. (*D'Avrigny*).

1694 Anglo-Batavi magna claſſe Galliæ littora circumerrant, pluresque portus & loca maritima pertentant, uti Portum Gratiæ, Dunkercam, Diepam, quam prope omnem in cineres redigunt. Galli vero, duce Noallio cum terreſtri exercitu, Tourvillio cum navali incumbente, Hiſpaniam infeſtant. Auriacus autem Hujam recipit.

1695 *Caſalis* duci Sabaudiæ, illam obſidenti, tradita, ſed Caſalis. cum pacto, ut munimentis exuatur, & Mantuæ duci cedatur. Claſſis Anglo-Batava 1500 pyrobolis injectis Fanum S. Maclovii devaſtat. Id genus expeditiones Anglicanæ hodiedum Galliæ infeſtant littora; ſed parum ad rei ſummam faciunt, dum plerumque plus clamoris & exſpectationis, quam fructus habent. Quin imo ingentibus expenſis modicum hoſtis damnum emitur.

Elector Bavariæ & princeps Auriacus Namurcum expugnarunt. Sanguinolenta fuit obſidio, cæſis Gallorum decem, fœderatorum viginti millibus. Cecidit cum aliis Luxemburgus Franciæ mareſchallus, miles intrepidus, cui in imperio ſucceſſit Villaregius,

qui

qui Bruxellas tormentis & ollis igniariis tantopere infestavit, ut tria domorum millia, cum majori monasteriorum & publicorum ædificiorum parte cremarentur. Vices fœderatis redditas Galli dicebant. Verum

Anno sequenti 1696 classis fœderata ulta est Bruxellas, dum Caletum, & insulas Rheam atque Oleronam incendiaria peste fulminarunt. Barth, homo fortunæ, duodecim bellicas Hollandorum aggressus est, & quinque ex illis cepit, cum quinquaginta onerariis, mercibus onustis, quæ ex Balthico redierant. Rex Galliæ nobilitate illum insignivit.

Quamvis Gallia sola cum Cæsare, Imperio, Hispania, Anglia, Hollandia, Sabaudia, Dania, Borussia, bellum in Germania, Belgio, Italia, Hispania feliciter gereret, quia tamen arduum erat, contra totam propemodum Europam in longum illud extrahere, & præcipue, cum Caroli II Hispaniarum regis mortem imminentem prospiceret, grande illud hostium suorum fœdus dissolvendum putavit.

Primum abstraxit ducem Sabaudiæ, Victorem Amedæum, jam alias ob inflictas sibi a Catenato plagas nutantem, propositis conditionibus, quibus pinguiores sperare non poterat. Conventum siquidem *Taurini* in hos articulos. Pax Sab.

1. Rex duci restituet Montmelianum, Nizzam, Villafrancam, Susam, cum munimentis, prout sunt in statu præsenti.

2. Insuper illi restituet Pignerolium, munimentum S. Brigittæ, Perusam, aliaque inde dependentia, dirutis tamen munimentis.

3. Spondet rex, se cum Imperatore & Hispano non initurum pacem, nisi cui dux expresse includatur.

4. Ducem Burgundiæ ducturum, quamprimum per ætatem possit, Adelhaidem, primogenitam Sabaudi filiam.

5. Regem legato Sabaudico eundem, quem legatis regum, honorem exhibiturum.

6. Contra vero dux renuntiat omnibus tractatibus, quos cum Imperatore aliisque confœderatis iniisset, omnique cura in id incumbet, ut obtineatur quies Italiæ usque ad generalem tractatum pacis.

7. Dux severe interdicet subditis suis Valdensibus omne commercium religionis cum Gallis.

8. Dux non habebit sub signis ultra novem millia usque ad pacem universalem.

Cum ægerrime privata hæc pax haberet fœderatos, nollent-

que Italiam neutram esse, dux cum Catinato se accinxit ad obsidendam Valenciam, quod cum impedire non possent fœderati, metuerentque Mediolano, copias suas ex Italia reduxerunt; sicque quies eidem parta. Catenatus cum copiis in Belgium translatus Athum expugnavit.

Anno 1697 cum discessu Sabaudi fœdus magnum jam hiaret, studiis partium in pacem versis, quilibet fœderatorum, ut meliores pro se conditiones reportaret, priorem sibi locum prensare videbatur, solo ferme Cæsare reluctante.

Primi Risvici Hollandi, dein Angli pacem subscripserunt, conditionibus mercaturæ suæ opportunis illecti: secuti sunt Hispani, qui post captam a Vindecino duce Barcinonem, totamque Cataloniam amissam, in intima regni viscera januam apertam conspicati, in pacem faciles concesserunt.

Restituit Gallia Gironam, Rosam, Belverum, Montes Hannoniæ, Caroloregium, Cortracum, & omnia loca titulo Reunionum post pacem Neomagensem ablata, exceptis 24 locis, quæ rex Christianissimus sibi vindicat, tanquam annexa Carolomontio, Malbodio, aliisque, per præcedentes tractatus Galliæ cessis; restituit insuper cum Barcellona totam Catalauniam. Imperatori & Imperio statuitur terminus duorum mensium pro acceptanda pace. Si non sit acceptanda, hunc nihilominus tractatum rex uterque salvum volunt.

Tractatus cum Hollandis comitem Arverniæ mittit in possessionem marchionatus Bergensis ad Zomam, & annexorum, quæ hoc bello a Batavis fisco fuerant addicta. Hollandi Gallicanæ societati Indiæ orientalis restituent Ponticherium. Tractatus inter regem Ludovicum & Electorem Brandeburgicum anno 1679 ad S. Germanum conclusus ratihabetur.

Cum Anglia conventum, quod Francia non sit turbatura Wilhelmum regem magnæ Britaniæ in possessione regnorum & ditionum, neque hostibus ejus astitura. Loca utrinque ablata jubentur restitui. Jacobus II rex Angliæ, qui fuit sacrificium Anglicanæ pacis, publice fuit protestatus.

Mirati sunt multi, cur Ludovicus post tam felicem armorum progressum, præsertim post subactam Barcinonem & Athum, talem pacem, quæ probrosa videri poterat, inierit, tam multas urbes restituerit, caussam Jacobi regis abdicarit. At in futura ille prospexit: ante mortem Caroli II, quem conciliare sibi satagebat, rumpen-

pendum erat magnum Europæ fœdus, paranda ad Hispanam monarchiam via. (*Bussier hist. chron. ult. sæculi*)

Anno 1698 signatus Hagæ Comitum *partitionis tractatus,* Gallos inter, Anglos, & Hollandos initus de futura in Hispania successione. Ludovico & Delphino designata Neapolis & Sicilia, cum portubus Præsidii, & Guipiscoa. Reliqua monarchia principi electorali Bavariæ attributa, excepto ducatu Mediolanensi, Carolo archiduci destinato, ea quidem lege, ut, qui partitione ista stare nollet, totum amitteret. Ægerrime habuit Hispaniam, vivente adhuc rege suo de artubus suis distrahendis statui, & quidem ab exteris.

Anno 1699 obitus electoralis Bavariæ principis, designati Hispaniæ regis, Europæ consilia disturbavit. Hinc 13 Martii anni sequentis 1700 Londini prodiit alter partitionis tractatus, quo Delphino, præter Siciliam, Neapolin, Guipiscoam, etiam Lotharingia fuit tributa, reliqua monarchia archiduci Carolo.

Hæc, quæ ad historiam profanam spectant, brevi compendio ad finem usque sæculi hic conjungenda duxi. Sequuntur reliqua, quæ historiam ecclesiasticam contingunt.

## ARTICULUS XVIII.

### *Controversia de jure regaliæ inter Innocentium XI, & Ludovicum XIV.*

AB anno 1680 *regalia* gravissimas lites inter Innocentium XI & Ludovicum XIV concitarunt. Quippe reges a longo jam tempore consueverant, beneficia ecclesiastica etiam inferiora *vacantia* conferre, & fructus beneficiales, donec provisum esset, percipere. Verum sitæ ad Pyrenæos montes provinciæ ab hoc regalium jure erant exemptæ Cum igitur rex etiam ad illas jus suum vellet extendere, acriter se opposuerunt episcopi *Aletensis* & *Apamiensis*; qui a sententia archiepiscopi sui, ad regalia permittenda eos condemnantis, ad Sedem Apostolicam appellarunt, prout ad annum 1673 meminimus.

54 Lis de regalibus.

Aletensis brevi fuit mortuus; at capitulum perrexit, regalibus se opponere: & Apamiensis neminem a rege provisum admisit, quin imo excommunicationis fulmine perculit omnes, qui per hanc portam intrare tentabant, aut proventus ecclesiasticos adimere. At Parlamentum eum citavit *ad videndum, acta sua cassari*; ille scri-

ptum misit de injustitia regalium, atque rursus excommunicatos declaravit omnes, qui hoc titulo in sua diœcesi obtinerent quodcunque beneficium.

Immortuo his turbis etiam Apamiensi præsule, capitulum vetus omnes rejecit, quibus rex canonicatum, aut aliud beneficium contulit, prout etiam vicarios, a metropolitano Tolosano missos.

Innocentii severitas

Innocentius XI, ad quem appellatum fuerat, tria brevia ad regem & totidem ad archiepiscopum Tolosanum, & capitulum Apamiense misit: in illis loquitur de regalium extensione, ceu novitate religioni summopere perniciosa, quam ecclesia dissimulare non possit. In istis hortatur Ecclesiasticos ad immunitates suas defendendas, simulque ordinationes contrarias Tolosani irritas declaravit, eosque fidelium communione privavit, qui in hac parte eidem adhærerent, aut vicario generali, ab eodem pro diœcesi Apamiensi constituto obedirent.

Synodus cleri Gallicani.

Haud difficile est cogitatu, quibus oculis aula has Papæ constitutiones aspexerit. Convocatus extra ordinem cleri conventus Lutetiam, in quo 40 tum archiepiscopi, tum episcopi comparuerunt. Allatæ querelæ, ea, quæ a curia Romana acta essent, repugnare sacris canonibus, libertati ecclesiæ Gallicanæ, & legibus regni.

In prima sessione querimoniæ istæ sunt lectæ, designatique ab Harlæo archiepiscopo Parisiensi, qui præsidebat, commissarii, Rhemensis, Ebredunensis, Albigensis, archiepiscopi; Augustadunensis, Rupellensis, Trecensis, episcopi, ut querelas examinarent.

Commissarii isti in secunda sessione, 1 Maji 1681 habita, per *Rhemensem* retulerunt, falsum esse, quod rex velit imminuere privilegia ecclesiæ, aut servitutem ei imponere intolerabilem, prout seditiosus defuncti episcopi Apamiensis Romæ procurator Pontifici persuasisset; qui falsa hac accusatione deceptus miserit quædam brevia ad regem, quæ plus monitionis canonicæ quam paterni amoris habere videantur.

Jus *regaliæ* approbatum fuisse ab Alexandro III, Innocentio III, Clemente VI, Gregorio X, Gregorio XI, concilio Lugdunensi II, atque a tempore Philippi Pulcri semper fuisse habitum pro *jure regio*, quod nunquam a regibus Franciæ submissum fuerit ulli tribunali ecclesiastico, nec agnita obligatio, in hac parte se conformandi disciplinæ ecclesiæ. Declaratum id jam fuisse anno 1463 a Ludovico XI, a Parlamento anno 1598 in Britanniam minorem introductum usum *regaliarum*, quin tunc Clemens VIII, aut antea Pius II se opponeret: postea vero anno 1608 ab eodem Parlamen-

to

co fuiſſe declaratum, regi competere jus regalium in omnibus regni eccleſiis, tanquam jus coronæ innexum, quod abdicari non poſſit, & contra quod nulla præſcriptio locum habeat.

Quod Remenſis præſul concilium Lugdunenſe II in patrocinium regalium advocarit, mirum quibusdam viſum; cum canone 12 excommunicet laicos, qui bona aut jura eccleſiaſtica uſurpant, aut *regalia de novo occupant.* Addit quidem, hoc decreto non comprehendi eos, *qui vel ex fundatione vel antiqua conſuetudine jura hujusmodi ſibi vindicant.* Sed hæc limitatio regalibus, de quibus eſt quæſtio, non favet; nam in Apamienſi & Aletenſi diœceſi regalia non competebant regi ex fundatione vel antiqua conſuetudine, ſed primum introducebantur. Deinde ſubjungit canon, prohibetque, ne quis hujusmodi antiquis uſibus abutatur, quod fieret, ſi eos conaretur extendere ad loca, in quibus non viguerunt. (*Canonem hunc concilii Lugdunenſis II legere etiam eſt in 6 decretal. cap.* 13 *de elect.*)

Allegavit etiam Alexandrum III, qui tamen non invenitur aliquam de regalibus diſpoſitionem feciſſe. Fortaſſis Rhemenſis eos nominavit ceu patronos ſuæ ſententiæ, qui illis poſitive ſe non oppoſuerunt; prout hodiedum eccleſia plura tolerat, metu majoris mali.

Concluſit denique orator, ſcribendum Papæ, eique repræſentandum, cauſſam regalium non eſſe tanti, ut eam ſua ſanctitas tanto ardore impugnet. Timendum, ne pernicioſa diviſio acceſſatur: turbatum ab Apamienſibus ordinem jurisdictionis, violatum jus metropolitani: potuiſſe Pontificem decipi falſa relatione, & brevia ob- & ſubreptitie obtineri. Non eſſe rem eo provehendam, ut neceſſe ſit concilium nationale, aut ſaltem conventum convocare totius cleri, prout factum tempore Philippi I, Philippi Pulcri, Caroli VII, Ludovici XII.

Altera die hoc conſilium commiſſariorum a conventu fuit comprobatum, & ut executioni detur, præſidi & commiſſariis demandatum. Cum igitur nec pater vellet cedere nec filius, decretus eſt conventus generalis cleri totius Franciæ.

Ad hunc ſermonem ſolennem habuit celebris ille *Boſſvetus*, Boſſveti oratio ad clerum. epiſcopus Meldenſis, de unitate eccleſiæ in capite & membris. Primatum fuiſſe conceſſum S. Petro, non obſtantibus defectibus, qui doceant ejus ſucceſſores, monitiones cum ea humilitate recipere, qua Petrus, dum erraret, a Paulo recepit.

Pergit dein panegyrin texere ecclesiæ Gallicanæ & Franciæ regibus, quantum præstiterint sanctæ ecclesiæ, diserte enumerat: studium *conservandi in suo statu jus commune; potestatemque ordinariorum secundum concilia generalia & instituta SS. Patrum*, extollit. Hanc esse pragmaticam S. Ludovici, in qua collectum sit omne, quod hodie appellatur *libertas ecclesiæ Gallicanæ*, quæ consistat observatione canonum & antiquæ disciplinæ.

Denique subjungit, opportunum ad hunc finem medium esse congressum episcoporum, quo ecclesia Gallicana semper defenderit suam libertatem, si quid extra ordinem eidem imponi contigisset, cum debita tamen veneratione erga S. ecclesiam Romanam, matrem, nutricem, & magistram omnium ecclesiarum.

Interea, dum hæc fervide agitantur in Gallia, non minori ardore Innocentius papa iter suum cœptum est prosecutus. Misso in Galliam *brevi* sub pœna excommunicationis prohibuit, ne quis in Apamiensi diœcesi fungeretur officio ecclesiastico, qui per viam regalium fuisset ingressus; confessiones & matrimonia coram iis, ut qui non essent legitimi pastores, irrita declaravit.

Jesuitis promulgatio imponitur.

Vix hoc breve in Galliam pervenerat, cum Parlamentum illud suppressit, de quo certior factus Papa, P. Generali Societatis JEsu mandavit, ut *breve* mittat ad provinciales insulæ Franciæ & Tolosanum, cum præcepto illud publicandi, tum vero rei gestæ rationem inquisitioni reddant.

Fecit imperata P. Noyelle Generalis. Patres Galli interrogati a *Noviono* Parlamenti primo præside, & *Talono* advocato generali, quænam mandata Roma accepissent, illa exposuerunt. Subintulit Talonus, novum, legibus status contrarium, malique in posterum exempli esse hunc modum in Gallia promulgandi decreta Romana invito rege. Obstruendum proin hunc canalem, & observandam consuetudinem antiquam & ordinationem, non publicandi in regno breve aut bullam Romanam absque regis consensu. Simulque graviter prohibitum fuit Jesuitis omnibusque aliis religiosis, ne quam ordinationem Romanam, quæ propriam domum non concernit, publicare aut exequi præsumant.

Visus tamen rex ipse est agnoscere, Parlamentum regalia plus justo extendere; nam reges Franciæ a longo tempore conferebant dignitates & beneficia ecclesiastica, quin provisi ullam acciperent institutionem canonicam, aut missionem a prælatis. (*Morenas ad ann.* 1682.)

Vehe-

Vehementer hoc displicuit, ut par erat, summo pontifici & episcopis, quorum jurisdictio spiritualis graviter lædebatur, simulque jus canonicum, quod vel prima regula juris in 6 ait: *beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.*

Igitur episcopi, ea turbarum occasione utendum rati, regi supplicarunt, ut huic inconvenientiæ remedium afferretur, modumque regalium temperaret. Rex, ut episcopos adversus curiam Romanam sibi unitos haberet, de usu regalium, hactenus vigente, non parum remittendum putavit, modo illorum extensio locum haberet, a qua jam cœpta, & vehementer oppugnata, sine auctoritatis & existimationis suæ jactura, absistere se non posse putabat.

Temperatio regaliæ.

Edicto igitur sancivit, 1 ut nulla dignitas, nullum beneficium, animarum curam habens annexam, sive in cathedralibus & collegiatis ecclesiis, sive extra illas, ulli conferatur, qui non requisitam ætatem, gradum, & alias a jure canonico præscriptas qualitates possideret. 2. Ut ii, qui beneficiis providentur, se sistant suo episcopo, aut sede vacante vicario capituli, pro obtinenda approbatione & institutione canonica, antequam ullam functionem suscipiant. 3. Si provisus a rege rejiceretur, episcopus aut vicarius caussam rejectionis ad regem perscribant, ut possit alium præsentare, aut per aliam viam in regno usitatam providere.

Decretum hoc prælatis, qui illud cum rege confecerant, magnopere placuit; novum hunc esse effectum regiæ clementiæ dicebant, liberalitatis & protectionis erga ecclesiam, cui hoc pacto plus datum sit, quam anno 1673 per extensionem regalium ad certa loca ademptum.

Omnes igitur, in conventu præsentes, in extensionem prædictam consenserunt, addentes, id a se fieri, spe fretis, quod pariter Papa sit approbaturus magnum ecclesiarum bonum, hoc pacto comparandum, & paci sic ineundæ paterna manu benedicturus.

Scripserunt proin ad Papam epistolam, in qua illi repræsentant, potius esse aliquid juris immolare, quam pacem ecclesiæ turbare, maxime, cum simplici commutatione, non ad fidem sed disciplinam duntaxat, variationi subjectam, pertinente, possit redimi. Obstitisse quidem anno 1608 extensioni regalium antecessores suos, se vero mutatis temporum rationibus aliis motivis teneri; ne scilicet regnum collidatur cum ecclesia, sua sanctitas cum rege, & rege tam magno, tam potente, tam clemente,

Litteræ cleri ad Papam.

te, qui epiſcopis reddidiſſet poteſtatem & jurisdictionem, a ſuperioribus regibus ablatam: qui tantas plagas inferret hæreſi, cujus multa templa evertiſſet, cuique in dies multas animas eriperet: qui, tametſi eccleſiis aliquid eriperet, variis illud viis abunde reſarciret, ut nullum detrimentum patiantur, uti per ultimum edictum circa uſum regalium fuiſſet factum.

Verum his litteris Innocentius XI tam parum ab arrepto conſilio dimovebatur, ut offenſum ſe ab illis crederet, omniaque, quæ in conventu cleri circa regalia acta fuerant, irrita & invalida declararet, miſſo ad omnes Galliæ epiſcopos *brevi*, quo degeneres a majoribus ſuis arguit, Ivonis præſertim Carnotenſis conſtantia. Si vel modicam, inquiebat, prælati oppoſuiſſent firmitatem, regem haud dubie in petita eorum fuiſſe conceſſurum; nec unum fuiſſe, qui ſe murum oppoſuiſſet pro defenſione domus Iſräel: ſperare ſe epiſcopos ſatisfacturos ſuo honori & conſcientiæ per promptam eorum, quæ conſentiendo in extenſionem regalium egiſſent, retractationem.

## ARTICULUS XXIX.

### *De quatuor famoſis articulis cleri Gallicani hiſtoria & criſis. Ubi etiam de infallibilitate Pontificis, & pace tandem inita.*

55 CUm Pontifici certum eſſet, de juribus eccleſiarum nihil remittere, ſed epiſcopis Galliæ atque regi contra regalium extenſionem conſtanter reſiſtere; deputati conventus cleri Gallicani, in Pontificem Innocentium XI non admodum propenſi, maxime vero, ut regi ſuo placerent, declarationem famoſam anno 1682 ediderunt, *quatuor articulis* comprehenſam. In proemio memorant, non alium ſibi præfixum eſſe ſcopum, quam defendere libertates Gallicanas, fundatas ſupra ſacros canones, traditionem patrum, conſervare unitatem eccleſiæ Catholicæ, & adimere Hugonotis prætextum reddendi odioſam poteſtatem Papæ. Subjungunt dein quatuor ſuos articulos.

4 articuli. In 1 dicunt, Chriſtum dediſſe S. Petro ejusque ſucceſſoribus poteſtatem ſpiritualem in ordine ad ſalutem æternam, nullam autem, ſive directe ſive indirecte, in res temporales. Conſequenter reges non poſſe deponi, neque eorum ſubditos ſolvi juramen-

ramento fidelitatis. Hanc sententiam, ad conservandam tranquillitatem publicam, & sacerdotio non minus, quam imperio salutarem, esse tenendam tanquam conformem verbo DEI, traditioni patrum, & exemplis sanctorum.

In 2, plenitudinem potestatis, Sedi Apostolicæ concessam, aut successoribus S. Petri, in res spirituales, non derogare iis, quæ concilium Constantiense, per Pontifices, ecclesiam universalem, & Gallicanam particularem confirmatum, pronuntiasset de auctoritate concilii generalis sessione 4 & 5. Ab ecclesia Gallicana non approbari, quod a quibusdam auctoritas horum decretorum vocetur in dubium, aut eludantur dicendo, quod patres Constantienses non sint locuti, nisi de tempore schismatis.

In 3, usum potestatis apostolicæ debere esse regulatum per canones, a Spiritu divino dictatos, & ubique receptos. Regulas, usus, & praxes regni & ecclesiæ Gallicanæ, debere suum robur habere: & esse e dignitate Sedis apostolicæ, ut ordinationes, a magna illa ecclesia approbatæ, atque ab ecclesiis particularibus, permaneant immobiles.

In 4, pertinere principaliter ad Papam decidere materias fidei, ejusque decretis omnes ecclesias obligari. Illius tamen decisiones non esse absolute securas, nisi postquam ecclesiæ illas acceptassent.

Quamprimum deputati quatuor istos articulos confecerant, rogarunt regem, ut eos per regnum promulgaret. Mandatum igitur, ut in omnibus Parlamentis, Universitatibus, Facultatibus, theologiæ & juris canonici, *registrentur*, seu commentariis & actis inserantur; simulque edicto vetitum, ne quis, secularis aut regularis, quidquam doceret aut scriberet, doctrinæ hujus declarationis contrarium. Statutum denique, ut eidem subscriberent omnes professores, qui theologiæ docendæ admoventur, unusque ex illis quot annis eandem expresse tradat, dictetque discipulis, atque singuli, ad gradus aspirantes, in una ex suis thesibus eandem declarationem ponat.

Quia autem Sorbonæ doctoribus liberum hactenus fuerat, de superioritate & infallibilitate Pontificis tradere, quam vellent, sententiam, primus præses curiæ cum sex consiliariis & procuratore generali Universitatem accessit, ut declarationem cleri tanquam doctrinam suam reciperet, quin amplius liberum esset contrariam docere.

Invehebantur in Bellarminum Cardinalem, quod potestatem Papæ nimium exaltasset, immemor, quod Christus pro parte sua so- Sorbona incitatur.

solum cælum retinuerit, principibus autem terræ reliquerit, quæ ante illius adventum possederant: non alios per declarationem cleri poni terminos potentiæ papali, quam quos Christus ipse fixisset in Evangelio. Non posse ecclesiam decutere coronam, quam DEus regum capitibus imposuisset.

Perperam fundari oppositam sententiam in facto Gregorii VII, aut in clavibus Petro datis ad claudendum & aperiendum cælum; in actibus supposititiis sub nomine Clementis; in pœnitentia Theodosii, quam ex pietate tanquam privatus ab Ambrosio receperit; in prætensa excommunicatione Arcadii, de qua historia vitæ S. Chrysostomi nihil meminisset; in Zachariæ papæ declaratione de inhabilitate Childerici regis, a rebellibus subditis impetrata. A Bonifacio VIII male assertam potestatem Papæ in temporalia principum. Canonem tertium concilii Lateranensis IV non loqui de regibus. Taceo alia hujusmodi plura, a laicis istis hominibus allata: uti, ecclesiam super omnes Apostolos esse fundatam: soli ecclesiæ divinam assistentiam esse promissam. Datum primatum Petro, ut unitas conservetur. Ab ipsis summis Pontificibus agnitam irrefragabilem auctoritatem conciliorum generalium; cum autem congregari illa difficulter possint, per acceptationem episcoporum illa suppleri, ut definitio capitis fiat infallibilis.

Plura ex his ipsi adeo Sorbonæ vehementer displicebant. Unde cunctabatur illa, donec omnes convocati doctores caussam examinassent, & sensa sua significassent, respondere. Plures ex illis questi sunt, contineri aliqua in edicto, quæ valde essent ardua, requirique sine ulla utilitate; hæc inter esse, quod exigatur, ut professores, quæ in scholis dictarent, procuratori generali, homini laico, velut pro censura exhibere juberentur. Relinqueretur sacræ facultati sua libertas; curaturam fore, ut regis intentioni & cleri declarationi satisfiat.

Ab eo tempore quatuor articuli frequenter defendebantur in Gallia, primis præsertim annis, donec æstus ille contentionis cum curia Romana deferbuit, quod primum decennio post, anno videlicet 1693, quatuor post mortem Innocentii XI annis sub Innocentio XII contigit.

Fortassis Ludovicus XIV princeps sanctæ religioni addictissimus, dum difficultates tantas expertus est, sæpius optavit, ut *regaliam* caussam suscitantibus aures non dedisset, aut illam via, qua Papa minus irritaretur, tractasset: quod ipsum quoque edictum, quo de usu regalium, dudum consueto, multum ultro remisit, indica-

dicare videtur. Ut autem controversam extensionem regalium, a se nuper primum introductam, retractaret, videbatur ipsi cum regia existimatione pugnare.

Exposui hactenus per relationem mere historicam, quæ circa regalia & quatuor propositiones deputatorum conventus cleri acta sunt; quibus brevem observationem adjungere liceat.

Declaratio deputatorum ad duo capita reduci potest, primum respicit independentiam regum, qui non sunt vasalli Sedis Apostolicæ: alterum infallibilitatem & authoritatem summi pontificis in judicandis materiis fidei. Quoad primum, deputati pronuntiarunt, quod reges suam dignitatem & potestatem a solo DEO obtinuerint, neminemque in terra posse illam adimere. Circa hanc thesin, verane sit, an falsa, ad me non pertinet definire. Illud solum adverto, argumentum, quo cleri deputati usi sunt, non videri bonum; nam licet potestas principum esset a solo DEO, non tamen sequeretur, eam ab omni humana potestate esse independentem; sicut, tametsi omnis homo sit a DEO tanquam ejus creatura, non tamen sequitur, quod nulli humanæ potestati sit subjectus. Sed utamur similitudine magis propria: quamvis plurium, & ipsorum maxime Gallorum sit opinio, episcoporum potestatem esse a DEO, & quidem immediate, nemo tamen ex illis est, cui incidat dicere, eos esse independentes a summo pontifice, eorumque potestatem non posse illis adimi.

Quantum spectat ad secundum caput, nemini declaratio deputatorum gratior esse potest, quam hæreticis, quorum errores Crisis de 4
sic ferme impune vagari possunt, & radices agere, non amplius art.
evellendas, cum generale concilium difficillime congregetur.

Et, si etiam dicas, non requiri determinate, ut convocetur concilium generale, sed ad hoc, ut decisio Papæ in materia fidei & morum sit infallibilis, sufficere, si *corpus pastorum* consentiat, quanta in hoc ipso difficultas! quanta in episcopis opinionum diversitas! An omnes per orbem episcopi interrogandi? Vel quot vota requirerentur, ut infallibilitas haberi queat? Quid? Si plurimi errarent, prout factum in concilio frequentissimo Sirmiensi & Ephesino II?

Melius profecto Christus suæ, quam supra *Petram* seu *Petrum* fundavit, providit ecclesiæ, dum oravit pro Petro, ne fides ejus deficeret: dum jussit confirmare *fratres suos*: dum *agnos & oves* Infallibili-
*suas* pascendas eidem commisit: *pasce oves meas*, *pasce agnos meos.* tas Papæ.
Dum *claves* regni cælorum eidem tradidit, cum plena potestate

 *sol-*

*ſolvendi & ligandi*; prout ipſum Evangelium hæc omnia nobis demonſtrat: dum *caput eccleſiæ, rectorem univerſalem, ſuumque in terris vicarium* conſtituit, prout œcumenica etiam concilia, a Spiritu ſancto edocta, nos erudiunt. Num oves paſtorem paſcant? diſcipuli magiſtrum inſtruant? caput a membris regatur? ſupra Petrum fundata eſt eccleſia, non Petrus ſupra eccleſiam. Infallibilis eſt eccleſia, quia ſupra Petrum fundata eſt, Petrus ſupra Chriſtum: *ſuper hanc Petram ædificabo eccleſiam meam &c.* Chriſtus Petro, ne in doctrina fidei & morum erret, aſſiſtit (*ut non deficiat fides tua*) per Petrum ceu caput ſalubrem doctrinæ ſuccum in membra deſtillat (*confirma fratres tuos*).

Atque hinc extra Galliam communis Catholicorum doctorum ſententia docet, Romanum pontificem eſſe ſupra concilium, & extra concilium, & independenter ab epiſcoporum acceptatione infallibilem in doctrina fidei & morum, quando loquitur ex Cathedra, hoc eſt, quando eccleſiam alloquitur, eique doctrinam aliquam fide divina credendam proponit; tunc enim Spiritum ſanctum eidem, ne erret, aſſiſtere, ne alias, cum obediri eidem debeat, tota in errorem inducatur eccleſia.

Ita ſentiunt infiniti doctores, doctiſſimi librorum ſcriptores, academiæ & univerſitates, eaſque inter Duacenſis quoque, ut patet ex ejus reſponſo, cum urgeretur, ut quatuor articulos adoptaret, ad regem dato; & quidem plures hanc ſententiam cum Bellarmino fidei proximam judicant.

Unum adjicere juvat S. Thomam, doctorem Angelicum, 2 2 *q.* 3 *art.* 10 ſcribentem, ad Papam ſpectare conficere ſymbolum, & determinare, quid ſit de fide, ut infallibili fide credatur. Propterea ad eum maximas & difficillimas quæſtiones, quæ in eccleſia naſcuntur, deferri.

In ipſa Gallia hæc ſententia propugnata eſt a præclaris doctoribus & profeſſoribus Sorbonæ, ab eruditiſſimis patribus Oratorii, a religioſis ordinibus. Quin imo plerique Galliæ epiſcopi anno 1651, 1653, 1656, 1661, in ſuis ad Innocentium X & Alexandrum VII litteris ita mentem expreſſerunt, ut divinam aſſiſtentiam, & ortam inde infallibilitatem Pontificis, profiteri aperte viderentur. Jam conteſtantur, quod *fides Petri nunquam deficiat*: jam, quod *judicium ſummi pontificis, pro regula fidei promulgatum* (*ſive epiſcopi mentem ſuam explicent, ſive non explicent*) *ſit fundatum ſuper auctoritate divina & ſuprema, ita quidem, ut omnes Chriſtiani ſint obligati ad ſpiritum ſuum & judicium eidem ſubmittendum.*

Eeee

Ecce nubem testium pro infallibilitate Vicarii Christi & superioritate respectu cujuscunque concilii! quamvis enim episcopi in eo sint judices, non tamen desinunt esse oves Christi, quæ a summo pastore dependeant atque pascantur.

Quantum autem ad deputatos cleri, eorumque quatuor articulos spectat, eos humani aliquid passos facile dispiciet, qui temporis illius circumstantias penitius considerare voluerit. Ex una parte severior Innocentii indoles, acriores litteræ, censurarum comminatio, circumscriptus Tolosanus archiepiscopus, alienior, ut ipsis videbatur, a natione Gallica & rege affectus: ex altera vero parte regis sui magni gratia, innata erga eundem affectio, collatæ prælaturæ favor, temperati regalium usus recens beneficium, exaltata per illud episcoporum auctoritas, propriæ familiæ ratio, Parlamenti denique, consilii regii, totiusque aulæ impulsus, hanc fortassis machinam volvebant, ut in odium Pontificis, Gersonis, Almaini, aliorumque plurium Gallorum opinio reduceretur, & a cleri nomine auctoritatem acciperet.

Sed neque totius cleri Gallicani aut omnium episcoporum hæc erat declaratio; multi quippe erant absentes, qui ne quidem per deputatum comparebant. 40 episcopi in Gallia sunt pars minor. Imo ad paucos, etiam præsentium, deputatos nimirum negotium devolvebatur. Limitatio articulorum.

Neque isti declarationem suam pro fidei veritate venditabant, á qua non liceat recedere; imo ne quidem ut certam statuebant; uti patet ex eorum epistola, anno 1682 ad universos ecclesiæ Gallicanæ præsules data; in qua simpliciter dicunt, se eam secutos sententiam, quæ vera ipsis sit visa: *ea ratio nos impulit, ut eam aperiremus, quam veram esse arbitramur Catholicorum sententiam.* Quæ sane verba plus non indicant, quam opinionem suam probabiliorem sibi fuisse visam.

Et in litteris 1 Julii ad omnes suos confratres eodem anno scriptis in eundem se sensum explicant. Calvinistas, inquiunt, ex hac contentione Catholicorum nihil lucri reportare; neque enim *istud cum Romana curia certamen ullo modo spectare ad dogma aliquod fidei, neque ad doctrinam Christianam morum, quæ duo eadem sint in Gallia, quæ Romæ, sed totam differentiam esse in quibusdam punctis disciplinæ, quæ, ut totus mundus novit, diversam potest induere faciem.* Unde falsissime scripsit auctor libelli, cui titulus: *status præsens facultatis Lovaniensis*, qui Quesnello tri-

tribuitur, dum ait: *ubi est Jansenismus? Dicam tibi: est in nostris quatuor articulis. Est Jansenismus cleri Franciæ & Sorbonæ.*

Jansenistæ (quod mirum videri posset) sparsis pluribus, pro more suo, libellis, in quatuor articulos, & deputatos conventus, qui eos conceperant, invecti sunt, quod rationes suas humanas sub specioso prætextu defendendi jura coronæ & episcopatus contexerint. Venerari videbantur Innocentium XI, quia ad eorum instantiam multas propositiones, nimium laxas, condemnavit, contra Jansenistas vero nullum decretum edidit. Adhæc episcopi Alethensis & Epamiensis erant ex illis quatuor, qui pro *obsequioso silentio* (quantum ad factum Jansenii spectat) pertinaciter decertabant, Innocentius autem in caussa regalium illos defendebat.

Calumnia pariter, eaque maxima erat, quam *Testamento politico*, gallice scripto, insperserant; siquidem in eo maligne dicitur, quod archiepiscopus Parisiensis & Rhemensis, qui conventui cleri præsidebant, non magnum habuerint religionis sensum, & ceteros episcopos ejusdem ferme fuisse conditionis, & sic devotos regi, ut, si voluisset Alcoranum substituere Evangelio, ocius manus fuissent daturi. Convitium hoc est, haud dubie a Jansenistis profectum.

Ceterum Innocentius XI persuasus, quod per extensionem regalium violentur jura sacra multarum ecclesiarum, quæ nullum nisi ad vicarium Christi haberent recursum, irritatus insuper quatuor cleri articulis, nullas deinceps iis, qui beneficio providebantur, bullas confirmationis concessit, ut adeo anno 1689, quo obiit, plures quam 30 ecclesiæ essent destitutæ pastoribus.

Sed neque post mortem Innocentii XI turbæ istæ conquierunt, sed magis inflammari videbantur, dum Alexander VIII anno 1690 bulla edita, omnia, quæ contra auctoritatem summi Pontificis in conventibus cleri Gallicani anno 1681, & 1682 acta fuissent, irritavit.

Tandem anno 1693 inter sanctissimum patrem Innocentium XII & primogenitum inter reges ecclesiæ filium Ludovicum XIV pax alma coaluit. Comissum negotium Cardinalibus Estræo & Jansono, qui cum Pontifice convenerunt ea conditione, ut nominati ad episcopatus post lites exortas, missa ad Papam epistola submissionem, atque dolorem de iis, quæ acta fuerant, profiterentur, quo facto bullas a Papa recepturos.

Epi-

Epistola autem, quam singuli mittebant, hoc tenore erat concepta: " ad pedes beatitudinis vestræ provoluti profitemur, Retractatio cleri.
„ & declaramus, nos vehementer quidem, & supra omne id,
„ quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in comitiis
„ prædictis, quæ sanctitati vestræ & ejusdem prædecessoribus sum-
„ mopere displicuerunt, ac proinde, quidquid in iisdem comitiis
„ contra ecclesiasticam potestatem, pontificiam auctoritatem de-
„ cretum censeri potuit, pro non decreto habemus, & haben-
„ dum esse declaramus. Præterea pro non deliberato habemus
„ illud, quod in præjudicium jurium ecclesiarum deliberatum
„ censeri potuit.

De hac formula retractationis disceptatum dein fuit, quo sensu sit accipienda, quid videlicet sit retractatum, & quomodo? Quod primum spectat, haud dubie retractatio principaliter afficit quatuor articulos De secundo major erat contentio, an nempe revocatio articulorum sit absoluta, an vero conditionata solummodo, sub ea nimirum conditione: *si aliquid in præjudicium potestatis pontificiæ & jurium ecclesiasticorum actum fuerit*?

Absolutam esse censebant exteri, videturque consentire verborum tenor: conditionate accipiendum multi ex Gallis cum Dupino *hist. eccles. ad sæc. XVII* contendebant: idque ex eo probare conantur, quod etiam postea quatuor articuli variis occasionibus sint propugnati, tam in libris editis, quam thesibus impressis, nominatim in libris, Bossveto episcopo Meldensi, & Ludovico Maimburgo attributis. Parlamentum vero in ea sit persuasione, illos pertinere ad substantiam libertatis Gallicanæ. Hoc certum, litteras illas non fuisse scriptas a corpore cleri Gallicani, sed ab iis duntaxat, qui ad episcopatus a rege fuerant nominati, & bullas institutionis canonicæ a Papa necdum acceperant, quæ tamen secundum concordatum, inter Leonem X & Franciscum I anno 1515 Bononiæ erectum, ipsis erat necessaria.

Contra quatuor famosas illas propositiones multi scripserunt, uti Cardinalis Sfondrati in *Gallia vindicata*, Thyrsus Gonzalez de *infallibilitate Pontificis*, Constantinus Roncaglia, Gallus Cartier, Cardinalis Orsi &c.

ARTI-

# ARTICULUS XXX.

*Caussa Charonensis electionis. Bubii Carmelitæ doctrina exagitata. Admonitio pastoralis cleri Gallicani ad Calvinistas. Malagola, Strigoniensis, aliique scribunt contra 4 articulos: Sorbonæ & Parlamenti propterea motus.*

56 TEmpore, quo caussa regalium, & quatuor articulorum conflictus Romam Galliamque collidebant, plura alia evenerunt, quæ ignem vehementius accenderunt.

Rex commendatione archiepiscopi Parisiensis ad *monasterium Charonense* nominaverat superiorem sororem Angelicam ex alio monasterio, quæ disciplinam erigeret. Moniales nolebant eam recipere, prætexentes, jus sibi competere ex propria domo matrem eligendi, cujus gubernatio sit triennalis. Archiepiscopus aliquas earum altius clamantes, in Lotharingiam, patriam suam remisit. Reliquæ ad Papam Innoc. XI appellarunt; qui mandavit, ut ad liberam electionem procedant, exulesque revocent. Factum utrumque anno 1680. Papa electionem confirmavit: Parlamentum irritam declaravit. Papa decretum Parlamenti, Parlamentum *breve* Pontificis suppressit.

Nova collisio.

Prælati congregati declararunt, acta Romana esse contraria juri canonico, libertati ecclesiæ Gallicanæ, & legibus regni, regique jure regalium competere potestatem nominandi superiorem. Papam non debuisse ad simplicem relationem aliquot fœminarum, in propria earum caussa, quin altera pars audita sit, sine judiciali cognitione, cassare illa, quæ auctoritate archiepiscopi & regis acta fuissent. Hunc modum procedendi contra canones, contra jura ordinariorum pugnare, & metropolitarum; everti ordinem jurisdictionis: infirmari unionem, quam ecclesiæ Gallicanæ habere debent cum Sede Apostolica.

Verum Rhemensis, cujus potissimum hic sermo erat, videtur non satis considerasse, summo Pontifici per certas relationes totam jam caussam Charonensem plenissime fuisse perspectam, & in notoriis non requiri caussæ cognitionem, præsertim cum videret, caussam illam non aliis, quam extensæ *regaliæ*, principiis niti. Unde supremi muneris sui esse putavit, sicut Apamiensi ecclesiæ, sic monasterio succurrere, & nequaquam permittere, ut libertas ecclesiastica violetur.

Cauſ-

Caussa dein ista pari passu cum caussa regalium ambulavit, atque prælati, ut vidimus, eo processerunt, unde oriri potuisset schisma, si hæ turbæ incidissent in tempora principis minus religiosi, quam erat Ludovicus XIV, uti Europæ terror, ita fidei Catholicæ amator, propugnator, & propagator.

Ligna quoque ad augendum incendium comportare visus est *Bubyus* Carmelita, qui has theses publice proposuit: legibus ecclesiasticis Papam esse subjectum: eum non semper dispensare posse in canonibus: non posse ab eo deponi reges: neque imponi tributum clero Gallicano: episcopos suam jurisdictionem habere a DEo: Facultatem theologicam Parisiensem parum æstimare, utrum Papa sit infallibilis, aut supra concilium: jus *regalium* non esse usurpationem.

Buhyus contra Papam.

Multum clamoris concitarunt propositiones istæ tùm Romæ, tùm Parisiis. Auctor a Papa fuit interdicto subjectus, & P. Generalis commissarius eum jussit comprehendi. Rex prohibuit hæc exequi (anno 1682). Discessit Buhyus Lugdunum, ibique ex cathedra ad populum dixit, non obstante interdicto. Superiores graviter improbarunt hanc inobedientiam sui religiosi, eumque voce activa & passiva privatum omnis officii ecclesiastici incapacem denuntiarunt.

Parlamentum, rogante decretum primo præside *Achille Harlæo*, injuste condemnatum declaravit: nihil defensum ab eo alienum ab usu regni, Evangelio, conciliis, antiquis Pontificum & patrum decisionibus conformi. Condemnationem istam speciem præbere inquisitionis, in regnum introducendæ: religiosum istum, regis subditum, non posse judicari, nisi coram suis superioribus in Francia, saltem in prima instantia: censuram thesium pertinere ad Facultatem theologicam & archiepiscopum Parisiensem, si fides lædatur; ad curiam vero, si jura regis, politia, aut regni leges violentur. Pontifices nunquam eam sibi spartam vindicasse. Quasi vero nesciretur, propositiones varias thesesque a pluribus Pontificibus, pro supremi pastoris officio fuisse damnatas, ut noxium ovibus Christi pabulum subtrahatur.

Citati sunt reprehensique patres, quod regis voluntati se opposuerint, ac *breve* Pontificium in conventu suo promulgarint, illudque exequi fuissent ausi, cum scire debuissent, nullum decretum exterum publicandum esse in Francia, nisi prius a Parlamento fuerit recognitum, an nihil contra regem, regnum, aut ecclesiæ Gallicanæ libertates contineat.

P. Buhy vero jussus est ad cathedram theologicam, ac penitus in integrum restitui, sub pœna amittendi bona temporalia & privilegia, a rege concessa, si secus fecerint illius superiores: simulque, non modo Carmelitis, sed omnibus etiam aliis religiosis fuit prohibitum, ne ullum decretum aut mandatum suorum generalium, qui extra Galliam degunt (si non concernat ordinariam domus disciplinam) exequantur, sine regis patentibus litteris. Credo, supremos regni magistratus non eo se demissuros fuisse, ut thesibus ejusmodi scholasticis aut punitioni privati religiosi intercessissent, nisi turbata illa fuissent tempora, quibus omnis occasio prensabatur, curiæ Romanæ obloquendi.

Ceterum Galli haud dubie omnes istas contentiones unice ad ecclesiæ disciplinam, nullatenus vero ad fidei dogmata pertinere existimabant, atque eo ipso tempore zelum sanctæ religionis adversus Calvinistas magno fervore explicabant. Quippe anno 1682 in mediis istis motibus *Admonitionem Pastoralem* ad Hugonotos idem ipse conventus cleri, qui quatuor articulos conceperat, pro eorum conversione distribuit.

Contestati in illa sunt prælati summum dolorem, quod fratres suos intueri debeant, errore abreptos & separatos ab ecclesia. Prætextum eorum, quod secesserint a Catholicis, ad reformandos depravatos mores, diluebant exemplo Moisis, Samuelis & ipsius Christi, qui nullum schisma excitarunt, licet vita Judæorum & maxime Pharisæorum erat perversa.

Nullum fuisse unquam tempus ad ovium reductionem opportunius, ac dum ovili Christi præsidet Innocentius XI, cujus vita & mores formati essent ad regulas severas disciplinæ Christianæ, exhibentes toti mundo ideam perfectissimam consummatæ sanctitatis.

Conatus convertendi Calvinistas.

Tale elogium conventus scripsit Pontifici, cujus authoritatem paulo ante quatuor suis articulis nitebatur restringere. Quod eo haud dubie factum consilio, ut cernerent Calvinistæ, controversias aliquas, ad disciplinam spectantes, nequaquam scindere unionem, nec adimere æstimationem & subjectionem, quam visibili ecclesiæ capiti Christique in terris vicario deberent.

Eodem die conventus ad omnes Franciæ episcopos scripsit, eosque ad jungendam in hæreticis convertendis operam invitavit, simulque methodum in hanc rem publicavit, ex Bellarmino, Perronio, Richelio, Bossueto, Gretsero, Verronio, Maimburgo potissimum desumptam. Vocati quoque in subsidium provinciarum guber-

gubernatores. Expediti missionarii, qui instructione, mansuetudine, suavitate, bonis exemplis, errantes reducerent.

Et sane his armis multi, ex ministris adeo, fuerunt expugnati: pluresque absque dubio se dedidissent veritati, nisi alii ministri, qua clamoribus, qua sparsis in omnes partes libellis, concitatis seditionibus, errorem fovissent, atque pertinaces ad arma concitassent. Ad annum 1685 referemus absolutionem hujus operis.

Interea vero non cessarunt Catholicorum litigia. Venit tum in conspectum thesis, quatuor conventus articulis contraria. Proposuit illam P. *Malagola*, ex illustrissimo Prædicatorum ordine, Sorbonæ baccalaureus. Librum ille dedicavit S. Petro cum hac inscriptione: *omnia liganti & solventi super terram & in cælis, id est, tenenti apicem utriusque potestatis.* Malagolæ liber.

Delatus propterea ad Sorbonam constanter defendit, potestatem spiritualem & temporalem Petro fuisse concessam. Senatus curiæ, qui tantum ardorem ostendit in damnandis libris Bellarmini, Suarezii, Becani, Santarelli, eandem doctrinam continentibus, hic frigebat, sive, quod auctor sperneretur, sive majori valeret gratia. Non ita connivebat Sorbona, dum nomen Malagolæ e catalogo baccalaureorum erasit.

Exarsit rursus anno sequenti (1683) curiæ fervor, & continuatum Sorbonæ studium, dum archiepiscopus Strigoniensis condemnavit declarationem cleri Gallicani, & aliud opus prodiit, in quo auctor inter alia asseruit, *judicium de materiis fidei pertinere ad solam sanctam sedem.*

Curia, ne videretur, quæ frequentior erat querela, se immiscere materiis pure ecclesiasticis, judicium sacræ Facultatis exquisivit. Illa per duos menses & dimidium 45 deliberationes per deputatos habuit. Tandem autem pronuntiavit, propositionem illam, in quantum adimit episcopis & conciliis generalibus potestatem, quam immediate a DEo receperunt, judicandi de controversiis fidei, esse *falsam, temerariam, erroneam, oppositam praxi ecclesiæ, contrariam verbo DEi, renovantem doctrinam, jam alias a facultate reprobatam.*

Credo ego, auctorem propositionis non negasse conciliis generalibus potestatem judicandi de controversiis fidei, neque episcopis, quando de veritate revelationis jam aliunde constat; tunc enim concilium etiam particulare, & quilibet episcopus potest declarare, hoc vel illud esse articulum fidei, & veritatem illam proterve negantem, condemnare tanquam hæreticum; prout fecit

concilium particulare Antiochenum, dum condemnavit Paulum Samosatenum, divinitatem Christi negantem: & Alexander, episcopus Alexandrinus, qui jam ante concilium Nicænum Arium damnaverat.

Igitur auctor illud tantum videtur intendisse, non posse episcopum aut concilium particulare, imo nec concilium generale acephalum, *infallibiliter* judicare de veritate fidei, de qua necdum in ecclesia constat, an sit veritas fidei. Quo in sensu accepta propositio, non video, quomodo possit esse digna censura Sorbonica.

## ARTICULUS XXI.

*Calvinistæ Gallia expulsi. Crisis de jure principum in hæreticos. Valdensium expulsio.*

57 ANno 1685 cum ingenti gaudio spectavit orbis melior consummatum opus heroicum Ludovici XIV, quo vel solo *Magni* cognomen fuisset promeritus; dum posthabitis humanis rationibus, religionis zelo accensus, edictum Nannetense, Palladium illud Hugonotorum, ab avo erectum, sustulit, & ab hæresi Calviniana regnum purgavit: quæ ab altero sæculo sanguinis diluvio illud rebellis inundaverat.

In Delphinatum, Vivariensium & Cebennarum agrum, contra, ac edicto cautum, illa sese extenderat. Capiebat arma, seditione mota. Calumniis, libellis famosis religionem nostram proscidit. Ludovicus rebelles domuit, incentoribus, quos inter plures ministri, morte multatis; parcitum aliis, qui tamen aspicere debebant, templa sua aut eversa, aut in militum equorumque hospitia mutata.

Ministrorum insolentia.

Libellorum diluvium a sectariis in religionem nostram, regem, ejusque ministros, ac sacerdotes effusum. Quapropter cleri comitia apud regem questa sunt, infelicem populum hac effræni ministrorum licentia deceptum, a religione Romana averti, suamque admonitionem pastoralem, triennio abhinc distributam, frustrari. Doctrinam Catholicam de S. Scriptura, traditionibus, sacramentis, justificatione, merito bonorum operum, missa, adoratione Christi in Eucharistia, satisfactione, purgatorio, indulgentiis, invocatione sanctorum, aliisque fidei articulis, tam atris coloribus, mendaciis, calumniis, corruptionibus, imposturis, depingi deformarique,

rique, ut edictum Nannetense enormiter violetur, ipsaque criminis magnitudo exigat, ut rex Christianissimus pro regno suo ecclesiæ primogenito promptum & efficax remedium tanto malo afferat, priorumque pariter temporum injurias vindicet.

Regi Ludovico acceptissima erat cleri oratio; jamque dudum statuerat, quod ille rogabat. Ab externis igitur hoc tempore bellis vacuus, in grande hoc negotium omnes cogitationes suas convertit. Et primo quidem sub gravi pœna prohibuit ministellis, ne quidquam loquantur aut scribant contra fidem Catholicam: ne imputent nobis dogmata, quæ non habemus, ac demum, ne quidquam, directe aut indirecte, loquantur aut scribant de religione Catholica. Sed quis scorpioni, basilisco, & draconi venenum eripiat?

Fontem obstruere erat necesse. Revocatum edictum Nannetense; quod probi omnes dudum optaverant. *Registro* Parlamenti insertum salubre decretum.

Edictum Nannetense, continens 102 articulos generales, & 56 particulares, publicatum fuerat anno 1598 ab Henrico IV, qui dandum aliquid putabat necessitati temporum, & Hugonotorum in se officiis. Post mortem magni hujus principis regina, mater & tutrix Ludovici XIII, ad avertendas turbas illud renovavit. Ad singulos deinceps motus Hugonotorum iterata est extorta hæc renovatio, propter illorum in regno multitudinem & potentiam, cum aliter quies publica a gentis efferæ furore obtineri non posset.

Revocatio edicti Nannetensis.

Ludovicus XIII cum iterata seditione tumultuarentur, vires eorum non parum fregit. Richelius non paucas urbes munimentis nudavit, relictis tamen templis & exercitio sectæ, ad plura etiam, quam edictum Nannetense concesserat, extenso.

Hercule opus erat, qui hydram uno ictu conficeret. Ludovicus XIV per partes illam primo aggressus; jam ab officio judicum sectarios excluserat, jam templa plura ademit, jam ministris silentium indixit; jam infantes catholice educari jussit: spes & timor, controversiæ per omnes provincias institutæ, missionariorum zelus, magnum numerum ab errore retraxit.

At per partes resecta capita renasci quodammodo videbantur (prout priorum regum temporibus factum meminimus) alios punctum honoris, alios pertinacia, alios impressa monstrosa idea retinuit. Coacti erant parentes liberos suos ad Catholicam catechesin mittere; ibi audire erat vix tripalmares trossulos, quacunque occasione mentionis de Papa & ecclesia, sine hæsitatione strophu-

las suas recitare: *Papa est Antichristus: ecclesia Romana est idololatra, mater abominationis, Babylonica meretrix &c.* Ex quo sane apparuit, quid potissimum primæ jam pueritiæ ab impiis istis calumniatoribus, ut horrorem a Catholica religione conciperent, fuerit cum materno jam lacte instillatum.

Ministelli expulsi.

Rex excetram virulentam exitialemque, rictus suos identidem exerentem, penitus excindendam ratus, copias militares per provincias distribuit, decretumque jussit promulgari, quo *Edictum Nannetense*, & omnia, quæ in favorem Hugonotorum unquam concessa aut tolerata fuerant, revocavit: residua eorum templa demoliri, formulæ Catholicæ fidei subscribi, omnes conventus, publicos & privatos, severe interdici mandavit: omnes denique ministros, qui converti nollent, 15 intra dies e regno facessere. Plures sexcentis, relictis suis ovibus, pastores excesserunt. Amor major cuticulæ mercenarios in fugam compulit. Tutius erat, eminus libellis dimicare.

Reliquis sub pœna triremium & confiscationis bonorum vetitum erat, regno excedere, aut bona sua mobilia exportare. Rei quoque maritimæ præfectis imperatum, ne quem ex illis in naves recipiant, aut elabi patiantur. Spes enim affulgebat, fore, ut populus, desertus a suis declamatoribus, sapiat. Plura nihilominus hominum millia, custodiis pecunia corruptis, evaserunt, alii in Angliam, in Hollandiam, Daniam, Borussiam alii, non modico militiæ, mercaturæ, lanificii, aliarumque artium, & proventuum in Gallia detrimento. Sed maluit rex religiosissimus tot millia subditorum amittere, quam hostes S. ecclesiæ in sinu fovere, merito comparatus propterea Constantino Magno.

Nec tamen defuere, ex Catholicis adeo, qui pulcerrimum hoc opus non gloriæ, non virtuti, sed vitio verterent. Duo autem potissimum arguebant, alterum, quod Hugonotis fides data non sit servata: alterum, quod religionem non ea ratione violenta propagare oporteat.

Defenditur abrogatio edicti.

Quantum ad primum, novi equidem, fidem datam etiam hæreticis, etiam gentilibus esse servandam. At de fide *valide* data id haud dubie intelligendum venit. Valide autem data esse non potest, cum aut in promittente deest disponendi capacitas, aut in objecto seu materia ipsa turpitudo inveniatur. Nequit enim ad illicitum dari obligatio.

At vero, hæresin esse rem de se turpissimam, DEo exosam, reipublicæ contagium, malumque multo maximum, neminem esse arbi-

arbitror, qui non probe intelligat. Quamvis ergo, urgente neceſſitate, atque ad cavenda majora mala tolerari ad tempus poſſit a principe, prout tolerari, cogente neceſſitate, debuit a Carolo IX, Henrico III, Henrico IV, Ludovico XIII, non tamen lege ſtabili & immutabili civitate donari, aut omnino approbari.

Sunt quippe terræ principes rebus humanis a DEo præpoſiti, ut ſubjectum ſibi populum ad cultum ſummi illius ſanctiſſimique dominantium domini efforment. Hunc etenim finem, prout omni creaturæ rationali, ſic orbis hujus moderatoribus præfixum novimus. Unde facili illatione conſequitur, nullam iis a DEo conceſſam poteſtatem, pacto abſoluto & ſtabili promittendi aſylum hæreſi, pro iis etiam temporum circumſtantiis, quibus ceſſat tolerandi neceſſitas, nec timenda mala alia.

Edictum igitur Nannetenſe, & frequentior illius renovatio, ex natura ſua reſtrictum fuit ad illa neceſſitatis tempora, habuitque conditionem imbibitam: *ſi præſens neceſſitas ſit duratura.* Aliter enim data fides invalide fuiſſet data, tum ex defectu poteſtatis in agente, tum honeſtatis in materia. Si impetrans ſic non obtineat ſuæ petitionis intentum effectum, ſibi imputet, quod malum male petat.

Quando Henricus IV edictum illud edidit, Gallia diuturnis erat bellis attrita, provinciæ exhauſtæ Hiſpanico & civili bello, tota compages vulneribus diſciſſa hiabat, populi ſub immani onere fatiſcebant, Hugonotorum ingens erat numerus, formidanda potentia: ſeditionem novaque bella minabantur. Igitur feſſis rebus quietem dandam rex cenſebat. Eadem ferme, imo periculo magis obnoxia ſub minori Ludovici XIII ætate erat rerum conditio. Ludovicus filius veluti in caſtris natus, primis regni annis perpetuis bellis impediebatur; quæ an omnia fuerint neceſſaria, DEus novit. Quietem dein natus, & vires negotio conficiendo pares, nulla amplius ratione ſe privilegio, ſubditis ſuis ad tempus indulto, obligatum credidit, edictumque ſuum temporale, & implicite conditionatum jure ſuo revocavit, toties ab ipſis violatum.

Quantum ad alterum objectamentum ſpectat, quod ſcilicet non ſit propaganda fides per violenta media, ſed per viam inſtructionis & prædicationis Evangelicæ, facile reſpondetur, regem per plures annos hanc viam iniiſſe, neminemque ad fidem Catholicam coegiſſe; quod enim aliqui capitali pœna fuerint affecti, id in meritam armatæ rebellionis pœnam contigiſſe. Miſera profecto

Hæretici poſſunt cogi.

foret

foret imperantium conditio, ſi in ſeditioſos & adverſum ſe armatos cives ſubditosque non poſſent animadvertere.

Sed miniſtros in exilium ejecit, inquiunt. Jure ſuo egit. Non enim tenebatur, populi ſui ſeductores, & ſeditionum toties auctores, in regno ſuo diutius tolerare. Conſulere oportet principem & ſecuritati propriæ, & tranquillitati publicæ, atque ſubditos ſuos a ſummo malo, quod eſt hæreſis, tutos præſtare. Reſecandum eſt carcinoma & membrum putridum, ne reliquum corpus inficiat.

At prohibitum fuit ceteris, ne regno exirent: fiſco addicta ſunt fugientium bona. Et hoc jure actum. Non tenebatur rex regnum ſuum tantopere diminuere, tot ſubditis ſpoliare, aut pati, ut opes, in Gallia a ſubditis partæ, cum tanto ſuo & regni detrimento in alienas provincias exportentur, maxime a criminoſis & majori pœna dignis hominibus. Sperabat aula Catholica, diſperſis lupis, oves ad ovile Chriſti facilius reductum iri. Hinc exeundi interdictum, in temporale & æternum ſubditorum bonum intentum.

Demus autem, Hugonotos ad religionem Catholicam fuiſſe compulſos. Quid tum? felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit! Num fruſtra reges gladium portant? Datus in manum a ſupremo domino ad vindictam ſcelerum, ad deterrendos mortales protervos a via iniquitatis, ad reducendos in viam virtutis & ſalutis, ad avertendas cœleſtes iras. Ad cultum DEi comparatum eſt humanum genus, non arbitrarium, ſed qualem mens illa æterna ſibi placitum gratumque depoſcit. Executores conſtituti ſunt per orbem reges, divinæ voluntatis adminiſtri; compellendi intrare refractarii ad cœnam magnam: & pauperes, & cæci, & debiles, & claudi introducendi, ut impleatur domus cœleſtis Patrisfamilias. Si reluctentur, *compelle intrare.* Ab homicidiis, adulteriis, furtis, etiam vi admota, coercere rex ſubditos non tantum poteſt, ſed etiam debet. Quid ni ab hæreſi, majori his omnibus malo, & offenſa Numinis?

Neque hic aliquis ex inſtitutionibus Calvini didaſculus argutari velit, ſe non eſſe hæreticos, &, quantumvis eſſent, non eſſe vi adigendos, prout infideles adigi non debent. At primum non pertinet ad Hugonotos judicare, ſed ad eccleſiam, quæ dudum Calviniſtas declaravit hæreticos. Potuit ergo & debuit rex eos tanquam hæreticos tractare.

Alterum

Alterum inepte omnino hic adduci videtur. Magna siquidem hæreticos inter, & infideles, qui non sunt baptizati, est disparitas. Hæretici, quales sunt Calvinistæ, per baptismum ingressi sunt ecclesiam, & sic facti sunt subditi ecclesiæ Catholicæ: atque in hac ecclesia permanserunt, donec per hæresin *formalem* ex ea sunt egressi.

Si ergo sunt hæretici tantum *materiales*, quales non paucos esse existimo, plebeios præsertim & rudes, quibus a prima ætate horrenda imago de Pontifice & ecclesia Romana objicitur, & nigerrima idea de doctrina nostra imprimitur, ac propterea ab audienda illa velut ab horrido spectro avertuntur, aut occasionem eam percipiendi non habent, neque ullum probabile dubium de veritate religionis illis occurrit, vel si occurrat, tanquam diaboli suggestionem, ex instructione suorum ministrorum aut parentum, rejicere se obligatos existimant: hi, inquam, sunt *materiales*, manentque membra ecclesiæ Catholicæ, quam per baptismum fuerant ingressi, salvanturque, si nullum peccatum grave committant, aut perfectam de eo contritionem eliciant. Non autem salvantur vi sectæ Calvinisticæ, sed vi religionis Catholicæ. Materiales,

Hi ergo, cum sint ecclesiæ subditi, multum ab infidelibus distant, possuntque ac debent compelli, ut instructionem audiant, atque errores suos materiales deponant. Si autem sint hæretici *formales*, tractandi sunt tanquam rebelles subditi, atque, ut ad ecclesiam redeant, possunt debentque compelli, sicut terrenus princeps rebelles subditos potest compellere, ut ad obedientiam redeant. Absonum certe ridiculumque foret, si quis dicere vellet, per rebellionem acquiri libertatem, subditumque rebellem, solutum esse legum vinculis, nec posse ad officium obsequiumque cogi. Et formales.

Cum ergo hæretici legibus ecclesiæ, regique maneant subjecti, potest is tanquam advocatus & protector ecclesiæ, & etiam qua princeps eos, ut subditos suos adigere, ut juratam, per se vel per alios, in baptismo fidem, DEo & ecclesiæ, servent; quia obligatio amplectendi religionem Catholicam est juris divini.

De infidelibus, qui nunquam sunt baptizati, alia est ratio. Nam, cum illi nunquam ingressi fuerint ecclesiam, nullam in eos habet jurisdictionem *directe*; ergo eos ad baptismum suscipiendum cogere non potest. Accedit, quod ad valorem sacramenti in adulto requiratur aliqua intentio & voluntas, saltem habitualis. Si ergo positive invitus baptizaretur, invalide baptizaretur. Hinc Clemens III *cap. 9 de Judæis &c.* ait: *statuimus, ut nullus invi-* Aliud circa infideles.

*tos vel nolentes Judæos ad baptismum venire compellat.* Idem dicitur *diſt.* 45 *can.* 3 *&* 5. Dixi autem *directe*, nam indirecte etiam gentiles poſſunt compelli, negando eis jus civitatis aut domicilii, graviora tributa imponendo, aut, ſi converti nolint, eos e regno pellendo, prout, præter alios plures principes fecerunt Ferdinandus & Iſabella in Hiſpania. Item ſi infideles prædicationi Evangelii reſiſtant, aut miſſionarios injuria afficiant, poſſunt illam Chriſtiani principes vindicare, & etiam armis compellere, ne reſiſtant; cum Chriſtus juſſerit Evangelium prædicare per totum mundum.

Contra vero in hæreticos, utpote baptizatos, eccleſia habet jurisdictionem, poteſtque per reges & principes eos compellere ad converſionem. Quam in rem præclara extant exempla Conſtantini, Joviani, Valentiniani, Gratiani, Theodoſii, Martiani. Certe nulla apparet ratio, cur princeps, etiam ſæcularis, ſicut alia crimina, ſic crimen hæreſis *manifeſtæ*, non poſſit punire: prout in ipſa Gallia laudatiſſime punierunt Franciſcus I, & Henricus II; quamvis enim crimen hæreſis, quoad cognitionem & ſententiam declaratoriam privative pertineat ad forum eccleſiaſticum, poſſunt tamen reges hæreticos, ab eccleſia damnatos, aut declaratos, punire, prout multi imperatores regesque magna cum nominis ſui gloria fecerunt. Pertinet enim ad omnes principes, curare, ut ſubditi ad DEum ejusque cultum bene ſint comparati; cum hic denique ultimus ſit finis omnis jurisdictionis & humanæ per orbem poteſtatis.

Quamvis ergo non poſſit eccleſia vel princeps gentiles *directe* cogere ad ſuſcipiendam Chriſtianam fidem, poteſt tamen cogere hæreticos, ut redeant ad eccleſiam, quam perfide deſeruerunt, ſicut dux militem deſertorem, prælatus religioſum fugitivum, paſtor ovem ſuam exerrantem; quamvis alienam ovem non poſſit ad ovile ſuum adducere. *Quid mihi, de iis, qui foris ſunt, judicare? nonne de iis, qui intus ſunt, vos judicatis? nam eos, qui foris ſunt, DEus judicabit; auferte malum ex vobis ipſis.* 1 *Cor.* 5. ubi S. Paulus diſparitatem dat inter gentiles, *qui foris ſunt*, hoc eſt, nunquam eccleſiam per baptismum ingreſſi; & baptizatos, *qui intus ſunt*, ſeu eccleſiam aliquando ingreſſi, & per baptismum eidem auctorati, in quos habetur poteſtas jurisdictionis, etiam deſertores, fugitivos, exerrantos, rebelles, refractarios.

Jus Cæſareum contra hæreticos.

Centum conſtitutiones imperatorum in codice Theodoſiano, & Juſtinianæo extant, ſeveritatis in hæreticos refractarios exercitæ

 teſtes,

teſtes, ut vel primum titulum de *SS. Trinitate & fide Catholica*, titulum quintum *de hæreticis*, ſeptimum *de apoſtatis*, legenti patet, ubi perpetua infamia, confiſcatio bonorum, exilium, & etiam mortis ſupplicium in hæreticos decernitur. *Manichæo, in loco Romano degere deprehenſo, caput amputator.* l. 11 cod. de hæret. item l. Manichæi 12 eod. & aliis legibus paſſim. *Authent. Friderici imper. eod.* gravis pœna in dominos etiam ſtatuitur, qui terram ſuam ab hæretica pravitate purgare neglexerint.

Et quod leges decreverant, a religioſiſſimis Chriſtianis imperatoribus opere ipſo dabatur executioni: nam præter infamiam & bonorum confiſcationem, adimebantur hæreticis templa, nihil emere, vendere, donare, accipere permittebantur, active & paſſive erant inteſtabiles, nec ab inteſtato ſuccedere poterat filius patri: ejiciebantur in exilium, damnabantur ad rogum, comburebantur cum ſuis libris: &, qui convictus fuerat, eos poſt prohibitionem detinere, morte plectebatur; ut, quos ratio non flexerat, ad aliorum terrorem pœna caſtiget.

Mitius proceſſit rex Ludovicus; & tamen quot libellis ceu immanis tyrannus fuit proſciſſus! modo homines iſti propriam do- Retorſio. mum excuterent. Eliſabetha Angliæ regina cum ſuo Parlamento, & Joanna Albretana, Navarræ regina in ipſis Galliæ viſceribus, ſupra Nerones & Domitianos ſæviebant in Catholicos. Vix pugillum terræ eſt reperire in magna Britannia, quod conſperſum non fuerit orthodoxo ſanguine. Tonabant edicta feralia, ſtridebant cataſtæ, acuebantur ſecures; rotæ, furcæ, patibula, multitudine horrida ſpatium negabant. Quid in Hollandia, Hungaria, Tranſylvania, Suecia, Dania, Pruſſia, actum ſit, & in ipſa etiam Gallia ab Hugonotis, hiſtoria loquitur. A Ludovico neque de furcis neque de ignibus fiebat mentio. Soli rebelles, & qui arma ſumpſerant, pœna capitali fuerant affecti. Reliqui non niſi privatione quorundam privilegiorum & hoſpitatione militum fuerunt puniti. Sed quis exceſſus licentiæ militaris omnes impediat? & quid hæc ſint ad ea, quæ Catholicis a Proteſtantibus fuerunt inflicta? Fruſtra igitur nobis oggerunt monitum S. Auguſtini (malitioſe allegatum) ne conſcientiis vis inferatur. Ipſi contra ſe ex S. Doctore ſententiam pronuntiant.

Si ſolus gladius verbi divini debet converſionem operari, cur Calvinus tanta vehementia incubuit, ut Servetus Genevæ cremaretur? cur Calvini progenies tot ignes accendit? tot cædes patravit? cur poſt ſynodum Dordracenſem Armeniani tam crudeliter

 ſunt

ſunt habiti in Hollandia? cur alibi torrentes Catholici ſanguinis fuderunt?

Dixi, allegatum *malitioſe* fuiſſe Auguſtinum; nam licet initio videatur fuiſſe in ea ſententia, poſtquam tamen experientia didicit, Donatiſtas ea eſſe pertinacia, ut nullis cedant rationibus, neque manſuetudine aut ſuavitate ſermonis flectantur, mentem mutavit, prout conſtat ex epiſtola ad Vincentium, quæ eſt 93, ubi dicit, timore frangi pertinaciam, impellente illo aperiri oculos veritati, & rejici errorem, quo prius mens fuerat præoccupata: multos nunc grates DEo rependere, quod ſalutari ad eccleſiam tracti ſint violentia, & medicina, quam horruiſſent, ſint ſanati, amarentque, quod prius odio habuiſſent.

Mens S. Aug.

Neque obſtat, quod per metum aliqui fiant hypocritæ; nam licet medicina non omnes ſanet, tamen adhibenda eſt: & contingere poteſt, ut, qui hypocrita fuerat, per inſtructionem verus & ſincerus confeſſor evadat.

Anno ſequenti (1686) *Victor Amadeus* dux Sabaudiæ, Ludovici regis tractus exemplo, hæreticos ex Lucernenſi aliisque vallibus Pedemontanis, Calvini aliisque erroribus pertinaciter inhærentes juſſit excedere; at illi, ut ſectam, quibus nata eſt, mediis defenderent, arma oppoſuerunt. Fidebant ſuis montibus, ſed a ducis & regis Ludovici auxiliaribus copiis, ruptis, quæ oppoſuerant, clauſtris, undique circumſepti, ad tria millia cæſi, & plus decem millibus variis locis intercepti, atque interceſſione cantonum Proteſtantium Genevam & in Helvetiam abire permiſſi ſunt.

Waldenſes.

At prævaluit Auriaci gratia, cujus commendatione veniam reditus ad ſuos montes valleſque obtinuerunt, utilem adverſus inimicam ſibi Galliam, cum qua dux fuerat colliſus, præſtituri operam, ſibi ad vindictam haud ingratam. Homines iſti dici ſolent *Valdenſes*; quia creduntur Valdenſium reliquiæ, in has oras e Gallia profugæ.

## ARTICULUS XXII.

### *Diſſertatio de confeſſione annua: an in parochiali eccleſia ſit peragenda; & litibus, in hac cauſſa motis.*

58 ANno 1687 recruduit contentio de confeſſione annua, quam concilium Lateranenſe IV proprio ſacerdoti fieri mandavit, aut de illius licentia alteri ſacerdoti. Ambianenſes autem curiones

nes docebant populum, quod fideles sint obligati vi canonis *omnis utriusque sexus* tempore paschali confiteri, & quidem proprio pastori, aut saltem non alteri nisi de illius licentia. Ita enim cautum esse per Rituale provinciæ Rhemensis, & synodum diœcesanam Ambianensem anno 1661.

Concionator S. J. Ambiani, authoritatem summi pontificis, episcopi, & privilegia regularium lædi ratus, ad populum dixit, *communionem quidem paschalem peragendam in parochia, confessionem vero esse liberam.* Caussa ad episcopum delata, responsum ab illo, ordinationem Ritualis & synodi pertinere ad disciplinam; confessionem tamen, alteri sacerdoti, ab episcopo approbato, factam non esse invalidam. Impositumque fuit silentium utrique parti.

Parochi ad Tellierum archiepiscopum Rhemensem ab hac episcopi sui sententia appellarunt. Pronuntiavit ille, quod episcopus Ambianensis male judicarit: obligationem confitendi proprio parocho, aut alteri sacerdoti approbato de ejus licentia referri maxime ad confessionem *paschalem*; sacerdotem proin sæcularem, indefinite approbatum, non posse intra 15 dies, nimirum a dominica Palmarum usque ad dominicam *in Albis* inclusive absolvere pœnitentes.

Hæc quæstio magnas non raro lites excitavit inter parochos & regulares, præsertim in Gallia & Belgio. Illi sententiam suam fundarunt, quod memini, in celebri canone *omnis utriusque*, quo jubetur confessio fieri *saltem semel in anno proprio sacerdoti: si autem quis voluerit justa de caussa confiteri alieno sacerdoti, licentiam prius a proprio sacerdote postulandam.*

Regulares respondent 1, a concilio Lateranensi IV hoc canone obligationem saltem *semel* confitendi non fuisse affixam tempori paschali. Si ergo quis alio anni tempore semel confessus sit proprio sacerdoti, obligationi jam fuisse satisfactum, ac proin tempore paschali posse confessionem fieri cuicunque alteri sacerdoti, ab episcopo approbato, & jurisdictionem habenti. Communionem paschali tempori fuisse affixam, non autem confessionem; quia autem probare homo se ipsum debeat, ut sic de pane illo digne edat, ex consuetudine respectu illorum, qui jam sunt in gratia, præmittendam confessionem.

Argumenta regularium.

2. Per *proprium sacerdotem* non intelligi solummodo parochum; alias neque summo pontifici neque episcopo suo confiteri quis posset: quod, licet quidam asseruerint, ex terminis tamen ineptum &

& absurdum esse. Per proprium igitur sacerdotem intelligi Papam, ejus legatum, nuntium, episcopum, ejus vicarium generalem, pœnitentiarium, parochum, & quicunque ab istis delegatam habet potestatem. Imo temporibus concilii Lateranensis IV, teste S. Bonaventura, Gabriele, Paludano &c. quemcunque sacerdotem approbatum nomine proprii sacerdotis fuisse intellectum. Hinc non *parochi* sed *sacerdotis* nomen fuisse adhibitum.

Nihil enim certius esse, quam duplicem existere potestatem jurisdictionis, *ordinariam* & *delegatam*: illam ex officio e. g. episcopi, vicarii, parochi profluere, hanc vero per commissionem habentis ordinariam jurisdictionem obtineri.

Jam vero, licet religiosi non habeant jurisdictionem ordinariam, ex officio competentem, habere tamen, si ad confessiones audiendas approbati sint, delegatam a summo pontifice, conciliis, episcopis, plurium sæculorum consuetudine firmatam.

Et quidem a summo pontifice, qui est in terris summus sacerdos & ordinarius ordinariorum, non uno duntaxat haberi illam potestatem, sed a multis, qui privilegium illud delegatæ potestatis regularibus concessissent, uti ex bullis Pontificiis, & concessis per illas privilegiis luculente pateat. Quanta, ut taceam antiquiores ordines, vel soli societati JEsu in hac re concesserunt Paulus III bulla *Cum inter*, omnes ad se accedentes a quibuscunque peccatis absolvendi, Julius III, Paulus IV, Gregorius XIII & XIV.

Clemens X 23 Maji 1670 edidit bullam, in qua ait, fideles satisfacere, sive sint sani sive infirmi, si religiosis approbatis etiam in paschate confiteantur.

Eadem jurisdictio contributa est illis a conciliis. Memorabile est effatum concilii Claremontani, anno 1263, ac proin non multo post Lateranense IV, celebrati. *Proprium autem*, inquit, *sacerdotem dicimus duobus modis, ex officio, ut papam, episcopum, curatum; vel ex commissione, sicut fratres Prædicatores & Minores, quibus commiserit episcopus vices suas.*

Particulare hoc fuit concilium, audiamus generale Lateranense V, non minoris auctoritatis ac quartum, quod sess. 11 ait: *sacro approbante concilio statuimus & ordinamus, ut regularium sacerdotes - - - quoscunque - - - sibi confiteri volentes, libere liciteque audire & absolvere valeant, talibusque confitentes constitutioni, quæ incipit*: omnis utriusque sexus, *quoad confessionem satisfecisse videantur.* Quæ sane concilii generalis, præsente & approbante

Leone

Leone X decisio hanc litem penitus finit: sive jus novum, sive antiquum explicatum appelles.

Ecclesia nempe, cum onus confessionis alias multis gravissimum videatur, non vult illud ultra Christi institutionem difficile reddere, sed relinquit fidelibus animæ medicum, quem sanitati reducendæ magis idoneum existimant, & in quo plus fiduciæ filialis collocant. Ipsi etiam episcopi indefinite propterea religiosos approbare solent, & per hanc approbationem ad confessiones audiendas delegata potestate deputare. Unde episcoporum etiam auctoritas exigit, ut a parochis non impediantur.

Cum autem summorum pontificum & conciliorum hanc in rem habeatur auctoritas, otiosum videtur Ritualis alicujus aut episcopi particularis singularem ordinationem opponere. Videamus tamen, quid ipsius Galliæ episcopi ea de re sentiant.

Cardinalis Barberinus archiepiscopus Rhemensis Rituale illud suæ provinciæ non tanti esse putavit, ut regulam aut legem, necessario observandam præscribat. In synodo anni 1669 is ita loquitur: *sacri canones condemnarunt opinionem illorum, qui asserunt, confessionem, factam sacerdoti sæculari aut regulari approbato, esse invalidam, consequenter non possunt parochi sic confessis etiam ægrotis negare viaticum. Idem dicimus de confessione paschali; quia nobis non convenit abrogare, quod tot Pontifices approbarunt, & quod in ecclesia tanto jam tempore pacifice exercetur.*

Idem sensus fuit Francisco Harlæo, archiepiscopo Parisiensi, qui anno 1683 in comitiis cleri Gallicani hac de quæstione dicebat; quamvis a tempore Gregorii IX, usque ad Leonem X, religiosi mendicantes multa acceperint privilegia, prædicandi & absolvendi, mansisse tamen adhuc dubium de confessione pascali, illis facta. At vero per concilium Lateranense V quæstionem esse finitam; cum illud aperte pronunciarit, per confessionem religioso approbato factam satisfieri canoni *omnis utriusque.* Propositionem contrariam anno 1655 a synodo cleri habitam fuisse erroneam.

En verba hujus conventus: parochi, inquit, sunt *proprii sacerdotes, sed non soli. Fideles, qui pro communione paschali confitentur, non solum episcopis, eorum vicariis generalibus; aut pænitentiariis, sed etiam sacerdotibus sæcularibus, aut regularibus, ab episcopo ad hoc approbatis, satisfaciunt mandato concilii.*

Si charitatis, gloriæ DEi & salutis animarum studium animos occuparet, cessaret ambitio, livor, invidia; curati gratularentur sibi, magni se operis adjutores nactos. Quo plus illi laborant, tanto

tanto perſpicacius cernunt, quantum ſuperſit laboris in vinea domini, exoptantque auxiliares operas. Recta intentio gaudet, animas cœlo inſeri, per quemcunque inſerantur. Se ipſum quærit, qui alios reſpuit, metu, ne ſylveſcentem agrum videant.

Quæſtio altera magis eſt diſputata, an epiſcopus poſſit regularibus poteſtatem abſolvendi in paſchate adimere aut ſuſpendere, ſub finem maxime ſæculi XVI, in epiſcopatibus Atrebatenſi & Cameracenſi. Quidam enim parochi ex cathedra pronuntiaverant, fideles in quadrageſima & præſertim in paſchate confiteri non debere religioſis, neque diebus feſtis audire miſſam alibi quam in parochia, comminantes excommunicationem ſecus facturis.

Cum autem Dominicani & Jeſuitæ ſe opponerent, parochis adjutores imo duces acceſſerunt eorum epiſcopi, Atrebatenſis nimirum & Cameracenſis, qui nullum ex religioſis ordinabant ſacerdotem, neque approbabant, qui non promiſiſſet, ſe nullam in paſchate confeſſionem auditurum.

Atrebatenſis cauſſam detulit (ut zelum videas) ad conſilium laicum Arteſiæ: ſed hoc non acceptavit, nolens manum mittere in alienam meſſem. Indicta ſynodus Duacum: ſed nemo voluit comparere. Duo autem argumenta objiciebat: canonem *omnis utriusque*, & antiquam conſuetudinem Belgii. Primum confutabatur argumentis, quæ attulimus: alterum teſtimonio plurium prælatorum & univerſitatis Lovanienſis de uſu contrario. Quo viſo, Octavius Frangipanius, nuntius ſuæ ſanctitatis vetuit, ne Atrebatenſis aut parochi fideles impedirent quocunque prætextu, a confeſſione apud regulares, vel audienda miſſa, donec ea ſuper re Clemens VIII pronuntiaſſet.

Atrebatenſis conatus.

Pronuntiavit anno 1592, in favorem regularium. Atrebatenſis, ut rurſus documentum daret, quo fervore immunitatem eccleſiaſticam, & ſedis apoſtolicæ decreta veneraretur atque defenderet, querelam Bruxellas ad regium conſilium detulit: ſed nihil obtinuit. *Jueninus*, oratorii Berulliani presbyter, cauſſæ profligatæ defenſor, bullam Clementis ſubreptitiam dixit, eo quod non videatur probabile, voluiſſe Papam contradicere ſacratiſſimo canoni & longo uſui. Sed dixit tantum, non probavit, pro more hominum, qui conſtitutionibus apoſtolicis ſe nolunt ſubjicere. Contrarium conſtabat.

Zanneti.

Alterum argumentum ſuppeditat cauſſa *Calvimontana*. Zannetus, epiſcopus Lingonum prohibuerat incolis Calvimonti, ne alibi, quam in eccleſia parochiali & collegiata tempore paſchali confiterentur.

Patres

Patres S. I. caussam detulerunt ad S. congregationem Cardinalium, concilii Tridentini interpretum. Hæc declaravit, Jesuitas, semel approbatos, omnium fidelium confessiones audire posse, sive sani sint sive ægroti, & quidem omni tempore, sine ulla exceptione, sine licentia parochorum, modo intra 15 dies paschales semel in ecclesia parochiali sacram synaxin recipiant.

Episcopus, qui præcise ob importunitatem Canonicorum Calvimontensium mandatum conceperat, neque jus, neque usum, neque libertatem ecclesiæ Gallicanæ (Gallorum frequentem panacen) objecit, sed declarationem cum veneratione suscepit, atque anno 1624 publicavit.

Plus clamoris motusque excitavit mandatum archiepiscopi Burdigalensis, anno 1644 datum, simile illi, quod Zannetus emiserat. PP. Dominicani, Augustiniani, Franciscani, Carmelitæ, Jesuitæ, Romæ questi sunt. Congregatio Cardinalium rursus declaravit, quod archiepiscopus religiosos, munitos privilegio apostolico, non potuerit impedire ab administratione sacramenti pœnitentiæ intra dominicam Palmarum & octavam Paschæ. Consilium quoque regium pronuntiavit, religiosis relinquenda sua privilegia intacta, donec a Sede Apost. aliter statutum fuerit. Burdigalensis.

Innocentius X *breve* dein apostolicum archiepiscopo misit, quo cassavit ejus mandatum; rex quoque *patentibus*, ut mos fert, litteris *breve* executioni dari jussit, nihil in eo libertatibus Gallicanis contrarium reperiri asserens.

At vero præsules Parisiis congregati, iis, quæ Romæ & in Gallia acta sunt, graviter jura & authoritatem suam læsa fuisse conquesti, supplicarunt Cardinali Bichio, nuntio Pontificis, ut obtineret revocationem brevis, aut benignam saltem ejusdem interpretationem: simulque omnibus fidelibus præceperunt, ut confessionem paschalem in templo parochiali peragerent, regularibus autem interdixerunt, ne quem eo tempore ad sacramenta confessionis & communionis admitterent, saltem sine facultate episcopi, vicarii aut curionis: atque per archiepiscopum Tolosanum petierunt a Papa, ut decretum hoc ratum habeat. Litteras Tolosani Armandus Richelius, archiepiscopus Lugdunensis & supremus aulæ moderator, subscriptione sua firmavit.

Mens plurium in Gallia episcoporum perspici ex istis facile potest. Contendebant illi, episcopum posse approbationem suam in ordine ad audiendas confessiones, licet absolute & indefinite datam, limitare, atque ad certa tempora & loca etiam postmodum

reſtringere, ſicut illam ab initio dare potuit illimitate vel reſtricte: regulares contra putabant, ſe vi ſuorum privilegiorum, ſi ſemel approbati ſint, omnium fidelium, quocunque tempore ad ſe accedentium confeſſiones audire poſſe, aſſiſtente ſibi Roma, quando hæc poteſtas reſtringitur, aut in controverſiam adducitur.

Optimum foret, ſi religioſi epiſcopo ſuo omnem reverentiam dependerent, epiſcopus religioſos tanquam utiles adjutores reſpiceret, & privilegiis, a Sede Apoſtolica conceſſis, pacifice frui ſineret. Ubi charitas & diſcretio zelum animat, facile concordia jungit animos, ut communi opera ad divinam gloriam & animarum ſalutem collaboretur.

## ARTICULUS XXIII.

### *Controverſia de aſylo palatiorum: & electione Colonienſi. Mors Innocentii XI.*

59 ANno 1687 diſſidia Innocentium inter XI & Ludovicum XIV ſupremum gradum attigiſſe viſa ſunt. Occaſionem dabat *jus aſyli*, ſeu privilegium libertatis, & ſecuritatis, quo inſtar eccleſiarum uſa ſunt *palatia legatorum*, ita, ut in iis aut eorum circuitu nemo comprehendi poſſet, aut lædi.

Graviſſima incommoda malaque prætenſum hoc jus Romæ attulit: ſicarii aliique ſcelerati homines fugientes in hæc palatia ſubtrahebantur pœnæ, ut adeo impune ferme graſſarentur flagitia. Pluribus a longiori jam tempore Pontificibus intolerabilis hic abuſus fuit viſus, ut adeo jam Pius IV, Gregorius XIII, Sixtus V eundem tollere ſint conati, juſſeruntque criminoſos homines quacunque ex domo abſtrahi.

Legatorum veneratio obſtitit, quo minus ſalubre decretum executioni daretur. At Innocentius XI efficacius negotium aggreſſus, nullum oratorem voluit admittere, qui prætenſo juri aſyli non renuntiaret. Ceſſerunt reges alii. Solus Ludovicus, Innocentio alioquin propter cauſſam regalium exoſus, obſtitit, juri, quod putabat, ſuo præfracte inhærens, juſſitque marchionem *Lavardinum*, quem duci *Eſtræo* mortuo legatum ſuffecerat, illud tueri.

Lavardinus. Lavardinus igitur, ſtipatus armatis copiis, quæ ſpeciem quandam parvi exercitus referebant, iter Romanum ingreditur. Bono-

niæ

n!æ a legato aliiſque locis frigide exceptus, comitantibus 800 armatis Romam ſubiit, iiſque palatium ſuum circumdedit, ne quis ad illud confugiens ab apparitoribus abſtrahi poſſet.

Emiſerat paulo ante Pontifex bullam, qua excommunicationem ſtatuit in eos, qui jus aſyli prætenderent. Contigit autem, ut Lavardinus nocte Nativitatis Chriſti in *templo S. Ludovici* ſacris intereſſet myſteriis. Die altera affixum viſebatur programma, quo templum hoc interdicto ſubjectum legebatur, quod ſacerdotes ad ſacrorum communionem admiſiſſent Henricum marchionem Lavardinum, notorie *excommunicatum*. Marchio proteſtationem affigi curavit, ingreſſusque eſt pro lubitu eccleſias. Palatium ejus armatum caſtellum repræſentabat: frequentes circumſtabant excubiæ, noctu more militari pulſabantur tympana, aliaque fiebant ad creandum Pontifici faſtidium.

In Galliam ubi hoc nuntium fuerat perlatum, vehementer auctum eſt incendium, quod alias jam flagrabat, præſertim in Parlamento, ubi Harlæus, cum Talono procuratore generali, velut de abuſu appellans peroravit. Grandia regum Franciæ in Sedem Apoſtolicam merita & liberalitatem commemorabat: cum Pontifices in Italia non fuiſſent ſecuri, brachia in amplexum explicuiſſe Galliam, obtuliſſe aſylum, protectione tutos præſtitiſſe.

excitat flammam.

Repræſentabat grande beneficium, a Ludovico rege recens exhibitum eccleſiæ, dum ingenti in politicis regni diſpendio Galliam a Calviniana hæreſi purgavit. Regem ſiluiſſe ad omnes injurias. At cum modo legatus regius fuerit excommunicatus, non eſſe amplius tempus tacendi: excommunicationem adeo per ſe nullam eſſe, ut nullo opus ſit proceſſu ad eam irritandam. Securitatem palatiorum dependere a ſolo DEO.

Audacius adhuc locutus eſt *Talonus*, qui a jure regalium, & declaratione cleri exorſus, querulabatur, quod Innocentius negarit bullas inſtitutionis omnibus, qui conventui anni 1682 intererant, ut proin 35 eccleſiæ cathedrales paſtoribus ſint deſtitutæ. Ante concordatum electionem fuiſſe primum penes clerum & populum, tum vero a capitulo peractam, præſente regis commiſſario, a metropolitano autem & principe fuiſſe confirmatam. Ad hanc normam electiones reduci poſſe, nominatione tamen regis ſupplente electionem cleri & populi. Si Papa non ſtet concordato, recuſando bullam nominatis a rege, neque regi eo ſtandum: inſtitutionem canonicam perfici poſſe, quin argentum Romam portetur.

Taloni acerbitas.

Ad aſyli cauſſam dein reverſus addebat, regem Galliæ ejusque officiales nulli cenſuræ eſſe obnoxios. Adhæc cauſſam aſyli mere eſſe profanam; arma autem ſpiritualia non eſſe adhibenda a Pontifice, niſi in iis, quæ ſalutem animarum concernunt. Licentiam, quam ſibi Papa dediſſet, per concilium coercendam eſſe; quamvis jura ſuæ majeſtatis nunquam poſſint eſſe ſubjecta tribunali aut jurisdictioni eccleſiaſticæ.

In perſonam etiam Innocentii XI invectus eſt, qui per imprudentiam affectionibus ſe abripi pateretur, non conſiderans ſequelas, eccleſiæ pernicioſas: foveri ab eo commercium cum Janſeniſtis, eos laudari, protegi, gratiis affici. Propterea illos, qui a 40 annis nihil magis in votis habuiſſent, quam omnem poteſtatem, eccleſiaſticam & politicam deprimere, jam aram Papæ, ſibi faventi, erigere. Malignam quoque ſectam Quietiſtarum non ea, quam ſummum officium exigeret, cura extirpari. Horum loco regem & inſontes exagitari.

Inſolens erat oratio filiorum in patrem ſanctiſſimum, qui non niſi ab iratis & odio turgentibus proficiſci poterat. Quare non paucis ex ipſis ſenatoribus diſplicuit. Jura Papæ etiam eſſe attendenda, cenſebant, quatenus eſt ſummus ſacrorum antiſtes atque eccleſiæ caput, & quatenus & ipſe eſt princeps, ſuprema & independente authoritate temporali in urbem Romanam præditus.

Appellatio ad concilium.

Nihilominus tamen appellatum eſt, non ad Papam melius informandum, ſed ad *primum concilium generale*, quod eſſet habendum, tanquam ad ſupremum, ut ajebant, & infallibile eccleſiæ tribunal, cui caput ejus viſibile eſſet ſubjectum, ſicut alia membra: interim vero rogandum regem, ut concilia provincialia congregari curet, vel etiam, ſi opus videatur, nationale, vel ſaltem ex notabili regni parte, ut auditis ſententiis, media convenientia eligi poſſint, ad avertenda incommoda, quæ ex vacantibus tamdiu epiſcopatibus oriuntur: utque interim prohibeatur ſubditis omne cum Roma commercium, nec ulla mittatur eo pecunia. Parlamentum inde decretum confecit, quod omnibus locis publicis fuit affixum.

Facile eſt cogitatu, quantos animorum motus talis proceſſus, a ſenatu ſæculari inſtitutus, in orbe Chriſtiano concitarit. Scriptor quidam, & quidem natione Gallus, *juſtificationem bullæ* edidit, in qua ait, appellationem a bulla ad futurum concilium, eſſe rebellionem contra ſupremam authoritatem ſanctæ eccleſiæ, & il-

luſionem manifeſtam ad imitationem refractarii Lutheri, & aliorum hæreticorum.

Cautior erat, & religioſior rex Ludovicus, licet iratus Pontifici, quam ut tam violenda media ſibi uſurpanda putaret, ex quibus facile perniciofiſſimum religioni ſchiſma eſſet oriturum: prudentiorque, quam ut concordato, ſibi tam glorioſo, utilique renuntiaret. Tametſi igitur Innocentius nec litteras regis vellet accipere, nec arbitros, a rege miſſos, audire, & Lavardini legati ſui excommunicatio graviter cor regis vulneraret, nunquam tamen ad extrema veniendum duxit, quæ aliqui de curia, & fortaſſis etiam aulici ſuadebant. Nam licet Innocentius feriret, pater tamen erat, qui feriebat. Regis moderatio.

Neque ab hac animi conſtantia dimoveri poterat, cum anno ſequenti (1688) novus, isque graviſſimus, dolor accederet ex rejecta poſtulatione Cardinalis *Fürſtenbergii* ad *archiepiſcopatum Colonienſem*; quam ego hiſtoriam ſupra de ſtatu Germaniæ retuli.

Duo erant potentes competitores, Joſephus Clemens dux Bavariæ, & Egon Cardinalis Fürſtenbergius, uterque poſtulandus, quia alterius jam eccleſiæ ſponſus: illi Leopoldus Cæſar, huic Ludovicus rex impenſe favebant. Illi, duplici licet impedimento canonico teneretur, & ligaminis ſpiritualis & ætatis, *eligibilitatis bulla*, ut vocant, conceſſa a Pontifice, huic negata. Ille votis novem electus, ab Innocentio confirmatus eſt: hic tredecim ſuffragiis munitus fuit victus. Colonienſis electio.

Rex in ſui odium deſpectumque id factum ratus, de injuria, quam interpretabatur, & ſtudio partium queſtus eſt, petiitque per Cardinalem Eſtræum, ut Pontifex *Caſtri* & *Roncilionis* poſſeſſionem duci Parmenſi fœderato ſuo ſecundum pacta, cum Alexandro VII Piſis inita, reſtitueret: de cetero ſe omnem Fürſtenbergii juri quæſito, & capitulo Colonienſi protectionem depenſurum. Atque ut Innocentius dolorem, quem intuliſſet, ipſemet ſentiret, *comitatum Avenionenſem* occupavit, procuratore generali renovante appellationem ad futurum generale concilium, quam Pariſienſis archiepiſcopus & Sorbona ratam habuerunt.

Conteſtabatur nihilominus rex publice, ſe per hæc nullatenus impugnare authoritatem ſpiritualem ſummi pontificis, nec ſubtracturum ſe venerationi & obedientiæ, eidem debitæ; fruſtra inimicos eccleſiæ ſperare ex hac diſſenſione ſchiſma, immobili cultu ſe regnumque ſuum adhæſurum Petri cathedræ, quamvis non paterne tractetur ab eo, qui illam occupat.

Vindictam quidem intendebat, ut sentiret Innocentius, regem non impune offendi, non tamen talem, quæ sibi regnoque suo, quam Innocentio, foret perniciosior. Noverat equidem, per appellationem ad concilium inane spectrum Papæ objici, passus nihilominus est objici, ut quoquo modo terreret, & iræ suæ obsequeretur. Summi nempe terrarum principes, licet velut numina rebus humanis præsidere videantur, homines tamen & ipsi sunt, quos mutuo iratos, aversa mentis affectio ultra moderamen inculpatæ tutelæ utrinque rapit.

Galli Innocentium per illam Coloniensem caussam multum ecclesiæ nocuisse dicebant. Si enim Fürstenbergius, regi apprime addictus, electoratum Coloniensem obtinuisset, principem Auriacum ejus metu ab expeditione Anglica fuisse absterrendum. Jacobum II maxime luisse aliena dissidia.

Eundem apparet fuisse Protestantium sensum: Certe Bayle Calvinista *dict. hist. V. Innoc. XI.* ait, *bonam Protestantium fortunam voluisse, ut anno* 1688 *Sedes Romana fuerit occupata a Pontifice, aut ignaro, quid e re foret ecclesiæ, aut nimium inflexibili, qui bonum publicum privatæ suæ affectioni immolaret.* Hæc ego non nisi historice refero; non enim meum est, facta magnorum principum arguere.

Mors Innoc. Innocentius XI anno 1689 obiit, Gallis non invitis, qui non multum laudis ei tribuunt, sed eum ceu virum minus doctum, elatum, judicii sui tenacem & inflexibilem depingunt. Germani vero, præsertim Austriaci, summis eum laudibus extollunt, tanquam Pontificem, nulli secundum, morum probitate, innocentia, fortitudine, rerum mundanarum contemptu, invicta constantia, mentis celsitudine, ecclesiasticæ disciplinæ zelo excellentem. Singulari cum imperatore Leopoldo amicitia est usus, eique largas opes, ad bella Turcica feliciter gerenda, contribuit.

## ARTICULUS XXIIII.

P. Honorati proscripta thesis de evidentia religionis. Crisis de illa. *Thesis de peccato philosophico.* Dupini bibliotheca *scriptorum censura notata. Contemplatio Guynoniæ ad examen vocata. Bailleti tractatus, B. V. Mariæ injurius, merito proscriptus.*

60 ANno 1693 P. *Honoratus* in Collegio Societatis JEsu Cadami in Normannia theologiæ professor in thesi proposita docuit, *non esse*

*esse evidens, quod in mundo detur vera religio; quod tamen religio Christiana inter omnes sit maxime verisimilis.*

Quamvis autem auctor locutus videatur de evidentia perfecta & stricte dicta, quæ nullam dissentiendi libertatem relinquat, sed intellectum ita ad assensum rapiat, ut neque dubium indeliberatum & imprudens relinquat: hoc vero sensu intellecta, quoad primum membrum, propositio nullam mereatur censuram; quia noluit DEus veritates fidei ita evidenter nobis proponere, ut libertatem credendi, omnemque obscuritatem tollant; sed voluit, ut intellectum libere inclinemus in obsequium fidei, & credamus libere ac meritorie.

Quia tamen auctor non satis distinxit inter hanc evidentiam summam, perfectam, & stricte acceptam; & inter moralem minus proprie sumptam, & in altero membro de majori duntaxat *verisimilitudine* fuit locutus, thesis ipsius rumorem & scandalum excitavit, cum homines, præsertim malevoli, proni sint, ad doctrinam in deteriorem sensum interpretandam; quapropter superiores Societatis illam examinandam tradiderunt professoribus suis theologis, qui thesin declararunt *temerariam*, *scandalosam*, *& etiam impiam*, *si termini in rigore accipiantur*, jussusque est P. Honoratus publice illam retractare: secundum formam, quæ ipsi Parisiis a superioribus Societatis fuit transmissa, & quamprimum contrariam proponere defendendam.

Verum P. Honoratus, de doctrinæ suæ veritate, si rite intelligatur, persuasus, ita illam retractavit, ut insultare potius censoribus videretur, porrecto scripto, cui titulum præfixit: *pharmacum scandali accepti, & non dati.* Superiores Societatis ea inobedientia læsi, cathedra illum moverunt; successor autem jussus est, saniorem doctrinam tradere, prioremque P. Honorati revocare.

Poterat utique hæc superiorum Societatis contra auctorem thesis procedendi ratio sufficere, nisi placuisset occasio doctrinam Societatis insectandi. At Sorbona censuram tulit, pagellis Hollandicis mox per totam Europam volantem: utique pennas accommodante charitate proximi. P. Honoratus Flexiam transportatus, dante intellectum vexatione, retractavit dein omnia, quæ displicere visa sunt, acquiescente Sorbona, & Societatis disciplinam dilaudante.

Tanto stetit huic professori incauta locutio. Nulla est regio, per quam cautius incedere oporteat, quam theologica, sive dogmati-

matica ſive moralis ; vel unus paſſus, extra viam tritam exerrans viatorem damnat, cogitque referre pedem.

De evidentia religionis.

Geminum errorem commiſit auctor theſis : primum, quem dixi, quod non diſtinxerit inter evidentias, neque inter religionem generice & determinate ſumptam. Evidens eſt, exiſtere aliquam veram religionem ; nam evidens eſt exiſtere DEum, eique a creaturis deberi cultum verum. Ergo evidens eſt exiſtere aliquam veram religionem ; quia verus cultus DEO debitus eſt vera religio. Hoc autem ita eſt certum & evidens, ut nemo de eo prudenter poſſit dubitare.

Alterum, in quo erravit, eſt, quod dixerit, Chriſtianam religionem inter omnes eſſe maxime *veriſimilem*. Non eſt veriſimilis tantummodo, ſed abſolute vera, *evidenter credibilis*, *evidenter credenda*, & *certo & infallibiliter vera*. Tanta enim & tam manifeſta religio Chriſtiana, imo Chriſtiano-Catholica, pro ſe habet ſigna credibilitatis, ac notas claras veræ religionis, ut nemo de ea prudenter dubitare poſſit ; adeoque eſt *certo vera*, & evidenter, *evidentia morali*, latius ſumpta, hoc eſt tali, quæ omne prudens dubium excludat, non vero evidentia ſtricte tali, quæ intellectum ad aſſenſum rapiat, & dubium etiam indeliberatum & imprudens excludat ; alias nulli darentur hæretici.

Diſtinguere bene oportet inter *certitudinem* & *evidentiam* ſtricte dictam. Certum prorſus eſt certitudine ſumma, exiſtere myſterium SS. Trinitatis, non tamen eſt ſtricte evidens. His terminis utuntur ſcholaſtici. Fatendum tamen, multum intereſſe, quomodo intelligantur. Hinc dixi, religionem noſtram adeo certo & infallibiliter eſſe veram, ut de veritate illius nemo prudenter dubitare poſſit, non vero ita, ut etiam imprudens dubium excludat.

De peccato philoſophico.

Jam anno 1686 P. Muſnierus S. I. profeſſor Divionenſis hanc theſin propoſuerat : *peccatum philoſophicum, commiſſum ſine omni cognitione DEI, aut ſine omni attentione ad illum, non eſt offenſa DEI, nec peccatum mortale.* Triennio poſt hanc theſin invaſit *Arnaldus*, Janſeniſtarum abbas, cum nemo quidquam de illa loqueretur, eamque denuntiavit Papæ, epiſcopis, principibus, magiſtratibus, ceu novam Jeſuitarum hæreſin.

Vix auctor hæc intellexerat, cum declarationem edidit, qua proteſtabatur, verba theſis non ſupponere, minus affirmare, quod detur peccatum philoſophicum, hoc eſt tale, quod præciſe ſit contra naturam rationalem, quin ſit offenſa DEI, ſed facere ſenſum con-

conditionatum: *si detur tale peccatum philosophicum, non esse offensam DEi:* nunquam a se dictum, quod DEum non offendat, qui agit aliquid contra rectam rationem, aut is, qui vincibiliter & culpabiliter non cognoscit DEum, aut nullam de eo attentionem habet, imo neque, quod possibile sit peccatum mere philosophicum; sed rejectam, tanquam errorem perniciosum, a se in ipsis scriptis dictatis existentiam & possibilitatem talis peccati, & propositionem suam in sensu conditionato fuisse prolatam, in quo passim doceatur in scholis. Positam a se definitionem peccati philosophici. Definitiones autem rerum in sensu conditionato esse accipiendas.

Ostendit insuper, a nullo unquam ex Societate traditam fuisse sententiam de possibilitate, nedum de existentia, peccati philosophici: sed omnes tanquam certum tenere, non posse hominem committere peccatum contra dictamen rectæ rationis, aut conscientiæ, quin hoc ipso sit theologicum & offensa DEi; nam hoc ipso, quod cognoscatur aliquid esse contra jus naturæ, aut contra rationem naturalem, hoc ipso implicite saltem & virtualiter cognosci DEum sub aliquo saltem prædicato, e. g. supremæ alicujus potestatis, actum prohibentis; cur enim, & a quo alias judicare posset esse prohibitum?

Verum Arnaldus cum sociis, odio in Jesuitas flagrantibus, his parum motus, non cessavit voce & scriptis, quæ etiam in versus & cantilenas compacta sunt, tonare. Cum autem videret, thesin in bono sensu accipi posse, mala fide eam corrupit, atque ad supremum tribunal detulit. Unde dein ab Alexandro VIII damnata fuit hæc propositio, sibi oblata. *Peccatum philosophicum seu morale est actus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: theologicum vero & mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui DEum vel ignorat, vel de DEo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa DEi, neque peccatum mortale, dissolvens amicitiam DEi, neque pœna æterna dignum.*

In propositione ista complexa non credo damnatum esse primum membrum, quia nihil aliud continet, ac definitionem peccati philosophici & theologici, in scholis communiter receptam. Damnatum igitur est alterum, tum quia non distinguit inter ignorantiam DEi, & attentionem ad illum, *vincibilem* & *invincibilem*: tum, quia videtur supponere, existere, aut saltem possibile esse tale peccatum. quod est falsissimum; nam, ut patet ex dictis,

hoc ipſo, quod cognoſcatur actus eſſe diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, ſub aliquo prædicato convertibili ſaltem implicite cognoſcitur DEus: ac propterea merito damnata eſt dicta propoſitio, Pontifici denuntiata, tanquam *ſcandaloſa*, *temeraria*, *piarum aurium offenſiva*, & *erronea*. Nam homines poſſent inde concludere, DEum non offendi, ſi æſtu paſſionis abrepti ruant in ſcelera, rationi naturali contraria, ac proinde non debere clavibus ſubjici, ac pœnitentia elui.

Ceterum idem pontifex Alexander VIII damnavit etiam hanc propoſitionem: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat a peccato formali.* Unde, ſi propoſitio prior, prout eam auctor intendit, ita fuiſſet concepta: *ſi daretur actus, de ſe diſconveniens naturæ rationali, poſitus tamen ex ignorantia invincibili DEi & juris naturæ, non eſſet peccatum formale*, nulla eſſet cenſura digna. Certe omnes diſtinguunt inter peccatum formale & materiale. Ceterum de impoſſibilitate peccati mere philoſophici plura dixi *Appar. part.* 2 *c.* 1 *num.* 18.

Quamvis Sorbona facile in cenſuras proruperit, non tamen ipſa fuit adeo impeccabilis, ut non plures illius doctores ceſpitarint ſæpius, aut omnino corruerint. Hos inter erat *Elias Dupinus*, famoſum inter ſcriptores nomen. Alia inter opera edidit *novam bibliothecam ſcriptorum eccleſiaſticorum*, cujus jam ſeptem volumina extabant, cum Harlæus, archiepiſcopus Pariſienſis, illam proſcripſit: & merito.

Dupini bibliotheca damnata.

Nam præter alia contra definitionem concilii Tridentini in ea docuit, dubium eſſe, an ſex ultima capita libri Eſther ſint canonica: Patres primorum ſæculorum non ita ac nos hodie ſenſiſſe de purgatorio: cultum imaginum introductum fuiſſe per ignorantiam & miracula conficta. Modis indignis traducit SS. Patres, Auguſtinum velut hypocritam, blandientem Romanæ eccleſiæ: S. Stephanum Papam ceu hominem ſuperbum & turbulentum: Gregorium Nazianzenum levem blateronem: S. Leonem ambitioſum: S. Epiphanio nulla eſt diſcretio & judicium: S. Thomas fundat ſuas opiniones ſuper auctoritatem Patrum ſine ſelectu & diſcerniculo. Maxime autem convitiatur S. Cyrillum Alexandrinum, velut hominem inquietum, arrogantem, turbulentum, cujus factione & malis artibus condemnatus Epheſi ſit Neſtorius.

Contra vero plures ex ſcriptoribus hæreticis mire dilaudat; ut proin mirum non ſit, Dupini opera illis tanto eſſe in pretio, ut

ejus historiam ecclesiasticam etiam in Germanicam linguam traducerent, atque *Clericus* in bibliotheca sua universali & historica cum Socinianis suis in Hollandia grande illi elogium scripserit.

Diversum multo Catholicorum fuit judicium, qui bibliothecam illius Lutetiæ damnarunt, ceu continentem propositiones *falsas, temerarias, scandalosas, contrarias sacræ traditioni, injuriosas conciliis, patribus, sedi apostolicæ, erroneas, inducentes hæresin.*

Pontifex ipse Clemens XI, *brevi* ad Ludov. XIV, anno 1701 misso, illum ceu hominem malæ doctrinæ, S. Sedi injuriosum describit, & bibliothecam ejusdem, uti etiam historiam concilii Tridentini, aliaque per S. Congregationem confixit. Dicitur tamen, quod bonarum mentium est, errores suos retractasse, & gratias egisse de emendatis suis operibus.

Plures etiam libellos precatorios P. Francisci *Combe* Barnabitæ Harlæus condemnavit; prout alios de contemplatione & vita exstatica, quam famosa *Guynonia* profitebatur, quietismi enthusiasmis, raptibus fanaticis & entheis spiritibus etiam in Galliam traductis.

Guynonia multa in eam rem scripsit, multa locuta est. Multorum admirationem & æstimationem, multorum dubitationem, multorum indignationem attraxit. Multi illusionem & quietismi fermentum interpretabantur. Statuebat autem summam animæ perfectionem in *plena quiete & indifferentia,* ita, ut mens absorpta in DEo, nihil appetat, nihil, neque infernum, timeat, nihil, neque cœlum, speret, nihil a DEo petat, de nulla re, neque de ipso peccato doleat, nulla re moveatur, sed in DEi contemplatione & amore puro penitus conquiescat, sine alia salutis cura.

De contemplatione.

Hæc fœmina, cum multis esset suspecta, aliis etiam scandalo, ad examen *Bossueti* episcopi Meldensis fuit remissa. Paruit illa, atque episcopo libros suos, quos ediderat, aliaque scripta, etiam vitæ suæ historiam in manus consignavit. Non dubitavit ille de illusione, præsertim cum diceret, se non posse aliquid petere a DEo.

Adjunctus Bossueto in caussa examinanda *Noallius*, tunc episcopus Catalaunensis, brevi post archiepiscopus Parisiensis & Cardinalis. Octo mensibus discussioni tenuit. Lecta omnia scripta, collataque cum iis, quæ Thaulerus, Rusbrockius, Blosius, Salesius, Balthasar Alvarez, Ludovicus de Ponte, aliique excellentes spiritus magistri de contemplatione, sublimi oratione, & amore DEi scripserunt.

Examinatores 34 articulos ad errores eximendos conceperunt, videlicet, omnes Christianos, in quocunque sint statu elevationis, aut vitæ contemplativæ, esse obligatos ad eliciendos positive actus virtutum theologicarum, fidei, spei, & charitatis; ad desiderandam & rogandam salutem æternam, eo quod DEus velit, ut hanc optemus, & rogemus pro ipsius gloria: docuisse nos Christum orare & rogare: *Pater noster &c.* rogandam remissionem peccatorum, & gratiam, illa non amplius committendi, perseverantiam in bono, augmentum virtutum, fortitudinem adversus tentationes. Nemini esse permissum, indifferentem esse circa salutem animæ, sed illius curam gerendam, & adhibenda media, a DEo præscripta. Actus & opera prædicta nullatenus derogare perfectioni, etiam summæ. Ad ista exercenda non opus esse, ut exspectetur inspiratio extraordinaria, sed sufficere fidem & gratiam DEi ordinariam.

Omnia ista memorata conjuncta esse posse cum perfecta hominis viatoris charitate, quæ omnes virtutes animat. Mortificationem convenire omni statui hominis, illamque sæpe esse necessariam. Orationem perpetuam non consistere in uno actu, perpetuo in se ipso durante, sed in dispositione & præparatione animi habituali, nihil faciendi, quod DEo displicet, & faciendi omnia, quæ DEo placent. Nullas traditiones habendas pro apostolicis, nisi quas pro talibus habet ecclesia: prout etiam, non aliam contemplationem adhibendam. Quamvis non omnis oratio extraordinaria, in speculativa contemplatione, abstracta & passiva, conquiescens, possit rejici, sine illa tamen ad magnam sanctitatem & vitæ perfectionem perveniri posse. Errorem noxium esse, excludere a contemplationis statu divina attributa, tres SS. Personas, aut mysterium filii DEi incarnati, crucifixi, & resurgentis. Donum prophetiæ & status apostolici non esse affigendum certo statui perfectionis aut orationis. Vias extraordinarias esse admodum raras, obnoxias illusionibus, ac proin subjectas esse oportere superiorum ecclesiasticorum examini.

Guynonia, quæ in cœnobio monialium Meldis interea custodiebatur, prompte his articulis subscripsit, uti etiam censuræ, quam examinatores præsules in ejus libros & scripta tulerant, contestata, intentionis suæ nunquam fuisse, scribere aut loqui aliquid contra doctrinam Ecclesiæ, cui ex integro semper velit esse subjecta.

Accusata dein, quod contra mandatum rursus docere cœperit, in carcerem data est. Sed renovata fidei & obedientiæ professione,

fessione, brevi rursus liberata pie vixit, & obiit, facto prius testamento vere Christiano, se in fide & ecclesia Romano-Catholica, cui semper tota mente adhæsisset, mori velle, contestata, seque nunquam in abominandis Molinæsii principiis partem habuisse. (1695.)

Sicut fœmina ista, indiscrete devota, per excessum in extrema abiit, sic *Bailetus* per defectum. Scripsit is tractatum de devotione erga sanctam virginem, quem nec Calvinista, nec alius Mariani cultus hostis respuat. Prosterni in genua cultum esse, dicebat, soli DEo debitum. Quasi vero nesciret homo, Catholicum professus, qua intentione fideles ante sanctorum imagines se prosternant. Bailetus in B. V. impius.

Inutilem & ingratum esse B. Virgini cultum asserit; cum ipsi nil prosit. Ergo nec DEum Bailetus colat necesse est; quia servum inutilem se debet dicere. An gloria extrinseca nihil est. Sed Maria horret peccatores, inquit, nec pro eis orat. Ego vero cum ecclesia *refugium peccatorum* devote compellabo: & orabo, ut pro me oret: *ora pro nobis peccatoribus.* Scio, quid mihi prosit. Docent me sancti Patres, docent exempla, docent beneficia, docet dignitas & ratio Matris DEi, sancta docet Ecclesia.

Post impugnatum cultum invadit titulos, laudes, prærogativas, quæ ab Ecclesia eidem tribuuntur. Dici non debet *Mater misericordiæ*, inquit convitiator, quia peccatoris non misereretur. Nominamus *dominam nostram*, ait, sicut aliam personam alicujus dignitatis appellamus dominam: *Reginam Angelorum*, sicut solem regem astrorum, aut rosam reginam florum. Et, quasi timeret, ne nimium tribuisset, addit, id genus elogia & honorum titulos esse novos, plenosque hyperbolis. Ego vero dico, Bailetum esse convitiatorem improbum, qui cum hæreticis os suum illotum in cœlum ponere audeat, contra doctrinam & praxin sanctæ ecclesiæ, cui Maria Mater DEi, & virgo sanctissima est electa ut sol, pulcra ut luna, quam canes frustra allatrent.

De conceptione loquitur, velut homo, qui nesciat academiarum, ipsius etiam Sorbonæ, & doctorum pene omnium certam sententiam, decreta & censuras summorum pontificum, aut eis temerarie contradicat. Non decuit Matrem DEi mancipium fuisse diaboli. *Potuit* DEus eximere, quam Matrem DEi elegit, a communi lege aut pacto: *decuit*: oratio olim erat Scoti in Sorbona. Ego vero cum devoto illo Mariæ servo, Adamo Parisiensi, toto corde & ore altum cantabo:

*Salve Virgo, Verbi Parens,*
*Inter ſpinas ſpina carens*
*Flos ſpineti gloria!*
*Nos ſpinetum, nos peccati*
*Spina ſumus cruentati;*
*Sed Tu ſpinæ neſcia.*

De aſſumptione garrit, ſuſpicatos fuiſſe quosdam, B. V. Mariam cum corpore & anima in cœlos fuiſſe aſſumptam; ad fundandam autem hanc conjecturam ventum fuiſſe ad revelationes: & Eccleſiam permittere, ut novæ opiniones introducantur, modo ſint piæ, & ad ædificationem faciant. Avis dignoſcitur ex cantu, campana ex ſono, homo Calvinizans ex loquela. Modo novator iſte nihil diceret de novellis opinionibus: nam quæ ipſe dicit, ſunt in eccleſia DEi nova noviſſima, & falſa falſiſſima.

Audiat theotoco-maſtyx, quid hac de re dicat Joannes Vergerius, abbas Sancyranus, novatorum oraculum *tom.* 2 *edit.* 2 *in* 4 *p.* 176 in ſuo *Petro Aurelio.* *Quod S. Virgo*, inquit, *ſit aſſumpta in cœlum cum corpore & anima, eſt doctrina, quæ indubitato auctoritatem habet a conſenſu eccleſiæ. Hæc tamen doctrina non eſt penitus veritas fidei Catholicæ, ita, ut, ſi quis eam negaret, eſſet hæreticus; eſſet tamen reus culpabilis erroris.* Ita ille.

Pontifex proin merito librum Baileti in Indicem referri juſſit; uti etiam *annum Chriſtianum*, in 12 tomos diſtributum, quibus *Breviarium* potiſſimum & *Miſſale*, in Gallicum idioma verſum, continebatur: indignantibus Janſeniſtis, & maxime fœminis, tam ſanctos libros devotioni ſuæ (curioſitati, levitati, & imprudentiæ) ſubtrahi. Dicuntur enim Gallicæ mulieres non ſolum philoſophiæ, præſertim Carteſianæ, magiſterium appetere, ſed etiam theologiæ & ſacrarum ſcripturarum interpretationem; & in criſibus ferendis eſſe liberrimas. Sutor ne ultra crepidam, fœmina ne ultra ſpeculum, colum, & acum Phrygiam.

## ARTICULUS XXV.

*Rothomagenſis ordinatio circa libros legendos. Buffieri punitio. Remenſis ordinatio circa approbationem regularium. Idem damnat duas theſes de ſcientia media & prædeſtinatione. Criſis de illis.*

61 ANno 1697 archiepiſcopus Rothomagenſis Colbertus, (miniſtri illius magni, & ærarii præfecti filius) aut potius ejus vicarius gene-

generalis, curionibus maxime commendavit libros pro consuetis suis collationibus, *Rituale Aletense*, *moralem Gratianopolitanam*, *resolutiones Sanbovii*, *theologiam dogmaticam P. Natalis Alexandri*, *Dominicani*.

Apparuit mox libellus sub titulo: *difficultates propositæ archiepiscopo Rothomagensi circa libros, quorum lectionem parochis suis commendavit*. In hoc auctor ostendit, istos non esse securos viæ duces. Præcipue vero confutabatur P. Alexander.

Suspicabatur archiepiscopus, auctorem libelli esse Jesuitam, ac propterea amorem in Societatem, hæreditario velut jure a patre acceptum, convertit in odium, effecitque, ut *P. Buffier*, in quem suspicio cadebat, quemque *rebellem* appellabat, in exilium mitteretur. Nec hoc contentus, litteras pastorales emisit, in quibus vetera de probabilismo, amore DEi, præsertim ad sacramentum pœnitentiæ, necessario, de peccato philosophico, in sensu maligno a nemine defenso, lamenta instaurabantur. Buffier exul.

P. Alexandri vindicta Buffieri exilio pastoralibus istis, & prohibitione libelli necdum satiata, & quasi Buffierum dedignaretur habere adversarium, libellum P. Danieli, cujus vires alias jam per epistolas expertus fuerat, attribuit, bellumque litterarium cum eo fuit prosecutus, assumpto in adjutorem *Hyacintho Serry*, suo quondam discipulo. De æquivocationibus, restrictionibus mentalibus, gratia, & doctrina morali pugnam licet jam saucius, instauravit.

Ostendit P. Daniel, si circa probabilitatem & doctrinam moralem Jesuitæ aliqui exerrarint, id factum, quia turbam Thomistarum præeuntem essent secuti. Quinque deinde epistolas ad Alexandrum scripsit de gratia, eruditis notissimas, duxitque parallelam inter scientiam mediam & præmotionem physicam, stylo facili, nervoso tamen.

Intercessit, clypeumque obtendere magistro suo connisus est, quem dixi, Pater Serry, scripta historia prætensa *congregationum de auxiliis*; in cujus præfatione dicebat, Jesuitas, cum vidissent, prophetam suum (Danielem) Achilli Dominicanorum non esse parem, effecisse, ut rex utrique parti imponeret silentium. Contra vero in præfatione ad epistolas Danielis legitur, Dominicanos, Achillis sui cladem miseratos, per aulæ cancellarium id procurasse. Rarus nempe inter doctos ea est modestia, ut victum se fateri velit.

Cum Jesuitis erat Rothomagensis conflictus, Rhemensis eodem anno 1697 cum omnibus religiosis. *Tellierus* quippe archiepiscopus

pus illis, post rigidum examen, approbationem dedit ad certum solummodo tempus, ut sæpius pro illa proroganda recurrere necessarium esset. Prohibuit insuper, ne quis ex regularibus diœcesi egrediatur, nisi testimonialibus litteris ab episcopo instructus; (prout de sæcularibus clericis canonibus est cautum) nullusque ad diœcesin veniat sine ejusmodi *formatis*, saltem a provinciali scriptis, de vita & moribus.

Facile subire poterat præsuli, hanc ordinationem, quæ ad plenam religiosorum ordinum subjectionem tendebat, ab iisdem, tot privilegiis apostolicis munitis, difficulter receptum iri. Et sane primi se opponebant, in quibus vitæ morumque disciplina pulcrius florebat.

Quare archiepiscopus anno 1700 negotium ad comitia cleri, quibus præsidebat, detulit, eorum auctoritate firmandum. Et habuit assentientes, Rothomagensem, Noviodunensem, Atrebatensem, Ambianensem, antistites, qui simile mandatum in diœcesibus suis vulgaverant.

Pluribus ultro citroque dictis conclusit conventus, ordinationem ad omnes superiores regularium esse mittendam, quæ sequentia puncta complectitur.

1. Singuli religiosi, quos superiores sui immediati præsentaverint episcopo, vel vicario ejus generali (quem *magnum vicarium* appellant Galli) ad recipiendam approbationem pro prædicatione verbi divini, & audiendis confessionibus, a provinciali suo testimonium vitæ & morum habeant.

2. Quando superior mediatus subditum suum propter delictum ad aliam diœcesin vult mittere, significet superior immediatus episcopo, ad quam domum sit mittendus, petatque, ut episcopus termini ad quem ea de re informetur.

Verum hæc ordinatio effectu ferme caruit; multi præsules eam censebant utrinque molestam, nimiisque religiosorum approbationem limitibus restringere; amplam esse messem, multis operariis sufficturam, nec adimendum fidelibus solatium ac libertatem eligendi confessarium, in quo suam collocant fiduciam. Sufficere religiosis ad approbationem examen episcopi & testimonium sui superioris, cujus in hac re oneranda sit conscientia.

Tellier configit duas theses Jesuitarum.

Idem archiepiscopus *Rhemensis* eodem anno 1697 spiculo suo auctoritatis confixit duas theses, quæ Rhemis in collegio societatis JEsu fuerant defensæ. Prima asserebat, *scientiam mediam vehementer accusatam, sed puram & absolutam egressam fuisse ex judicio;*

*judicio : tamque parum eam esse Pelagianam, quam Calvinisticam.* Alteram hanc : *secundum doctrinam S. Augustini prædestinationem prorsus esse gratuitam.*

Sed quare duæ istæ theses fuerunt damnatæ, quæ tamen quotidie docentur in academiis aliisque scholis? ecce caussam! quia prima, ut ait præsul, elevat doctrinam Molinæ de gratia supra S. Augustinum. Altera, quia non dicit satis : addere enim debuisset, sententiam de prædestinatione gratuita esse dogma fidei. Hanc damnationem rationemque damnandi ad omnes episcopos, ad Sorbonam, ad omnes urbes regni, in Flandriam, Romamque misit, caussæ bonitate confisus.

Apparuit brevi *remonstratio*, ad ipsum archiepiscopum directa (cujus auctor postea detectus est P. Daniel) plena vigore & eruditione. In ea propugnat auctor utramque thesin, ostenditque, in prima laudari quidem scientiam mediam, sed sine comparatione cum alia doctrina, falsum ergo esse, quod supra doctrinam S. Augustini extollatur : imo ipsissimam esse doctrinam S. Augustini auctorem sentire : nec verbum extare in thesi, de quo accusetur.

Quod scientia media a potentibus adversariis fuerit invasa, summa exactitudine coram Romanis Pontificibus examinata, probata sicut aurum in fornace, atque pura inventa sit, res est tam certa, ut loquitur doctissimus abbas *Maurolicus*, ut urbi & orbi sit notissima, nec negari possit, nisi quis omnem frontem exuerit. Nullo igitur modo damnari potest tanquam favens Pelagianis erroribus. Imo Pontifex ipse prohibuit, ulla eandem censura notare.

Ejusdem omnino quoad hoc conditionis est, ac prædeterminatio physica : sive approbationem, sive tolerantiam simplicem appelles, sunt æquales. Roma eodem modo pronuntiavit de una & de altera : ut adeo plurimæ per orbem academiæ, plurimique ex omni genere doctores, ex ipsa etiam Sorbona, doctrinam scientiæ conditionalis, quam Molina docuit, defendendam assumpserint.

Ostendit dein auctor *remonstrationis*, prædestinationem gratuitam, seu factam ante omnem prævisionem meritorum, ac pro in fine respectu ad illa, adeo non esse dogma fidei, ut plurimi doctores, & academiæ Catholicæ contrariam sententiam teneant, doceantque prædestinationem consequentem seu posteriorem prævisione meritorum, ut adeo censura exigat, a professore thesis novum condi articulum fidei, toti theologiæ inauditum. De prædestinatione gratuita.

Plures in hac re sunt sententiæ, quarum nulla censuram meretur. 1. Prædestinationem ad gratiam & gloriam esse gratuitam,

seu *antecedentem*, & priorem visione meritorum docet. 2. Prædestinationem ad gratiam esse gratuitam seu priorem, prædestinationem vero ad gloriam onerosam seu posteriorem prævisione meritorum. 3. Prædestinationem ad gratiam efficacem esse gratuitam & priorem meritis absolute prævisis per scientiam visionis, posteriorem vero meritis conditionate per scientiam mediam prævisis: prædestinationem vero ad gloriam ut coronam esse posteriorem meritis etiam absolute prævisis. 4. Prædestinationem utramque subjective esse gratuitam, objective vero onerosam. Quia DEUS liberaliter homini dat gratiam, ut merita ponat & dependenter ab iis gloriam consequatur. 5. Proprie loquendo prædestinationem fieri nec ante nec post prævisa merita, sed simul, cum DEUS omnia uno actu videat & decernat: ratione tamen nostra prædestinationem ad gratiam & gloriam esse posteriorem meritis conditionate prævisis, priorem vero absolute prævisis, quia datur gratia, ut ponantur merita, & per ista obtineatur gloria. Quamvis deinde in executione primo detur gratia, secundo ponantur merita, tertio conferatur gloria, ut merces & corona meritorum. Et sic DEUS est caussa gratiæ, gratia est principium & caussa meritorum, merita sunt caussa moralis gloriæ, gloria vero est caussa finalis & gratiæ & meritorum, ut adeo omnis prioritas & posterioritas, caussa & caussalitas sit ex parte rerum creatarum, nullatenus vero ex parte DEI ejusque actuum, secundum effatum S. Thomæ: *DEUS non vult unum propter alterum, sed vult unum esse propter alterum.*

Rhemensis vidit nervos remonstrationis, sed ad authoritatem suam pertinere putabat, ut illam refutet; at amici prudentius facturum existimabant, si id, quod conceperat, in lucem publicam non emittat. Quare doctoribus quibusdam Sorbonicis negotium dedit, ut vices suas subirent, & apologiam confutarent. At illi adeo lente & morose laborem illum ingratum susceperunt, ut præsul aliam viam sibi tentandam crederet.

Cum enim contra doctrinam thesium nihil posset opponere, contra modum & ordinem procedendi Jesuitas deliquisse dicebat: ineundas fuisse vias canonicas, & ad se querelam deferendam, atque justitiam repetendam, antequam adversus archiepiscopum per *remonstrationem*, editum velut æris campani sonum, ad publicum provocaretur. Cum hac sua querimonia regem accessit, qui caussam primum quatuor prælatis, dein Parlamento commisit,

sit. Non enim agebatur de examinanda doctrina, sed tantum de *formalitate processus*, a præsule accusata.

Optabant Jesuitæ, ut eum placarent quoad *formalia*, ut practici appellant, *materialibus*, seu thesium doctrina in tuto posita. Unde se offerebant, quod velint archiepiscopum accedere, & contestari dolorem, quod ejusmodi remonstratio prodierit. Non acceptavit ille conditionem: sed voluit, ut ordinatio sua & damnatio thesium recipiatur. Unde rex per Harlæum patribus significavit, irent ad præsulem, & peterent, ut sua eos amicitia honoraret, dicerentque, ingratum sibi esse, quod libellus iste sine nomine & permissione prodiisset, & propterea gratia excidissent, curam habitum iri, ut imposterum *formalitates* debitæ observentur.

Hoc erat totum, quod Jesuitæ jam ante obtulerant. Præsul, audita regis voluntate, patres venientes summa benevolentiæ significatione excepit.

Doluit, credo, antistiti maxime, quod occasione hujus & aliarum ordinationum malignæ satyræ, auctoribus omnino incognitis, Lutetiam pervolitarint. Earum una parallelam ridiculam inter Tellierum præsulem & abbatem *Maurolicum* virum notæ probitatis & doctrinæ, duxit. Maurolicus, inquiebat, erat tantum abbas, sed vir sapiens, & summe æstimatus: at archiepiscopus Rhemensis est primus ex Paribus Franciæ & terribilis in sua diœcesi. Maurolicus erat vir magnæ probitatis vitæque integerrimæ: at præsul Rhemensis est commendator Ordinis S. Spiritus, & magister capellæ regiæ. Maurolicus erat ex pervetusta nobili prosapia: at Rhemensis est provisor Sorbonæ. Non addo alia otiosæ loquacitatis & infrunitæ pennæ nugamenta. Tanti characteris præsuli debetur honor & reverentia.

## ARTICULUS XXVI.

*Novum edictum contra Calvinistas. Controversia inter Bossuetum & Fenelonium de vita contemplativa. Crisis de illa. Editio librorum S. Augustini.*

Cum de pace Risvicensi anno 1697 tractaretur, quidam Prote- 62
stantium principum legati postulabant, ut profugi ex Gallia Calvinistæ instrumento pacis includerentur, atque ut eis in patriam redire, fruique conscientiæ libertate permitteretur. At pax

conclusa nullam eorum mentionem fecit. Sufficiebat Wilhelmo, se regem Angliæ agnosci, & principatum Arausicanum sibi restitui. Cum autem multi Calvinistæ exules eo vellent migrare, sub pœna capitali id rex Ludovicus prohibuit.

Anno sequenti renovavit edictum, quo revocaverat Nannetense. Non sine gravi doloris sensu se percepisse ajebat, quod belli tempore quidam ministri aliique de suis subditis, erroribus indurati, aut clam in regnum penetrarint, aut conversos pervertere iterum sint conati, vanis spebus eos lactantes. Quapropter vetari iterum omne exercitium prætensæ religionis reformatæ, omne commercium cum ministris, omnem congressum quocunque prætextu. Simulque injunxit episcopis instructionem conversorum, & exhortationem, ut rebus divinis diligenter intersint, mandata ecclesiæ observent, sacerdotes honorent, in contrahendis matrimoniis solemnitates, a Canonibus, & ultimo concilio præscriptas observent, infantes suos in templo parochiali intra 24 horas baptizari curent, nisi expressam ab episcopo licentiam obtinuerint differendi baptismum. Addebantur plures saluberrimi articuli de instructione & Christiana educatione juventutis.

Gravissima his annis discordia duos inter præsules doctissimos, Franciscum *Fenelon*, archiepiscopum Cameracensem, & Benignum *Bossvet*, episcopum Meldensem exarsit, quæ omnem prope Galliam aut in partes, aut exspectationem eventus traxit.

Fenelonus abbas, propter eruditionem & morum integritatem a Ludovico rege instruendis nepotibus, regiæ domus principibus, datus instructor (pro quibus & *Telemachum* scripserat) promotus dein fuit ad archiepiscopatum Cameracensem.

At vix hunc dignitatis gradum ascenderat, cum gravissima eum tempestas excepit, & quidem propter devotionem nimiam. Imbutus siquidem *Guyoniæ*, de qua supra, principiis, de altissimo contemplationis spiritu librum edidit sub titulo, *regulæ sanctorum de vita interiore*, qui omnium ejus calamitatum origo fuit.

De vita contemplativa.

Docuit in hoc opere suo, quod DEUS, infinite in se amabilis, possit etiam hic in terris, ab homine viatore *continuo* amari unice propter se, sine ullo intuitu commodi, & incommodi, spei aut timoris. Cumque hanc doctrinam aliis quoque persuadere conaretur, factus est victima sui amoris puri. Centum guttura clamabant, excitari denuo damnatum Molinosii Quietismum, & abiona Guyoniæ delirantis phantasmata. Beatorum in cœlis tam sublimem puri amoris statum continuum esse proprium, prægravan-

vanti mortalium his in terris massæ nequaquam communem: amorem continuum sine desiderio sine spe esse supra conditionem depressam viatoris, magis persuasi, quantum sua intersit cœlum, quam ut illud pro se non appetat, non speret, non desideret. Comprehensoris hoc esse, visione DEI beata fruentis, non viatoris in hac tenebrarum & lacrymarum valle.

Maxime autem huic Fenelonii doctrinæ se opposuit Bossvetus Meldensis episcopus, offensum a Cameracensi se existimans, quod suam ordinationem pastoralem, in qua Guyoniæ contemplationem rejecerat, approbare noluisset.

Meldensis igitur, cum bellum adversus Cameracensem constituisset, ad aulam eum detulit, ceu damnati Quietismi reum. Exhorruit rex, doluitque, se principes nepotes & ecclesiam Cameracensem confidisse alteri Molinos, qualem nempe inimici descripserant.

Difficile est, spiritus asperos, inter se commissos, intra justæ moderationis limites continere, dum hic dignitatis suæ esse existimat, cœptam accusationem prosequi, alter, eandem retundere. Rege volente ad summum Pontificem Innocentium XII caussa fuit delata. Meldensis Bossvetum nepotem suum eo misit. Fenelonus per epistolam se purgavit.

In ea scripsisse se, ajebat, *tractatum de vita ascetica & amore contemplativo*: condemnatum a se amoris actum in se ipso continuo permanentem, qui nunquam sit iterandus: agnitam necessitatem, non solum amoris, sed aliarum quoque virtutum actus exercendi: rejectam contemplationem perpetuam, nunquam interruptam, excludentem omnem distractionem, etiam involuntariam: orationem quoque mere passivam, excludentem omnem cooperationem voluntatis ad exercendos actus salutares. Nullam admissam a se fuisse quietudinem, neque in oratione neque aliis virtutum exercitiis, præter illam pacem Spiritus sancti, cum qua animæ puræ actus suos exercent modo tam uniformi, ut ipsis appareant esse una simplex & permanens unio cum DEO. Conatum se fuisse ostendere, in quocunque gradu perfectionis sit quis constitutus, semper tamen oportere in corde conservare spem, per quam salvamur. Aliquot post diebus ipsum suum opus, in latinum versum, cum sententiis ascetarum de amore contemplativo, ad Papam misit, omnia illius judicio submittens.

Rex Cardinalem Bullionium urgere jussit, ut caussa ad pacandam Galliam brevi terminetur. Interea autem episcopus Carno-

tenſis monuit Boſſvetum, ut mitius agat, ne, dum ſpem vult erigere, charitatem nimium deprimat. Et ſane Meldenſis, qui initio diſputationis negare viſus erat, poſſibilem eſſe actum, quo ametur DEUS præciſe propter ſe ipſum, ſine reſpectu ad ullum proprium commodum, eo quod idem ſit motivum amoris & ſpei, & ſpes in amore includatur, cum videret, omnes ferme theologos & ſcholas huic ſuæ doctrinæ eſſe contrarios, multum de ſententia ſua remiſit in decurſu, adeo quidem, ut, qui contemplativos myſticos pro totidem *viſionariis*, quibus calor imaginationis caput turbaſſet, habere viſus erat, poſtea ita immutarit linguam, ut ab adverſario ſuo non multum quoad doctrinæ ſubſtantiam diſſideret. Et quantum ad actus charitatis ſpectat, quis neget, DEUM infinite amabilem propter ſe ipſum, amari cum ejus gratia poſſe propter ſe ipſum? Amari ſuper omnia poſſe, quia ſummum & infinitum bonum eſt? Cur impoſſibilis ſit actus amoris divini ſine reſpectu ad proprium amorem? Qui abſtrahat a ſpe mercedis? Quo DEUS unice propter ſe ipſum ametur? Profecto, ſi Moyſes & Paulus ea fuerunt in proximum charitate, ut optarint potius fieri anathema pro fratribus, & deleri de libro vitæ: quanto magis poſſibilis erit charitas in DEUM, ſummum & infinitum bonum, qui ſit purus ab amore proprio, & ab omni, etiam cæli, mercede abſtrahat? Talem certe ſæpe eliciunt amore DEI accenſæ piæ mentes. Talem vel ipſam rudem pueritiam docemus elicere. Si quæras, quid eſt perfecta charitas? Reſpondebit: eſt illa, *qua DEUM amamus ſuper omnia, non propter ſpem cæli, aut metum inferni, ſed propter DEI infinitam bonitatem, aut propter infinitas ejus perfectiones, quia DEUS eſt.* Quomodo exprimis contritionem perfectam? Reſpondebit: *doleo ex toto corde, quod DEUM infinitum bonum, quem amo ſuper omnia, offenderim.*

Duas aut tres ſpecies amoris DEI agnoſcunt theologi. 1. *Amorem concupiſcentiæ*: quo homo DEUM amat, ut homini bonum, ſeu in proprium amantis commodum, ut e. g. cælum, ſibi bonum, conſequatur. Et hic amor vel eſt ipſa ſpes, vel eam includit; neque juſtificat extra ſacramentum. 2. *Amorem benevolentiæ*, quo DEUS amatur propter ſe, ſeu propter infinitam bonitatem aut perfectionem (in genere vel ſpecie ſpectatam) deque ea gaudet, ut DEO bona, ſine reſpectu ad amantis commodum. 3. *Amor amicitiæ*, qui affectu proſecutivo fertur in DEUM ſummum bonum, cum deſiderio æternæ conjunctionis & unionis cum DEO amato, quatenus hæc unio DEO bona eſt,

eſt, & gloriam ejus extrinſecam auget. Et hic amor benevolentiæ & amicitiæ (ſive unus dicatur, ſive duplex) eſt perfecta charitas, juſtificans peccatorem etiam extra ſacramentum.

Jam vero non eſt credibile, Boſſvetum, virum doctiſſimum, aut ejus adhærentes, voluiſſe dicere, quod ab homine viatore hic actus perfectæ charitatis non poſſit elici, cum ſit præceptum a DEO, ut ſæpius in vita eliciatur, & multoties bonæ mentes eum cum tenerrimo affectu eliciant.

Igitur id tantummodo in Fenelonio arguiſſe cenſendus eſt, quod putaret ab eo aſſeri *ſtatum aliquem habitualem & continuo permanentem amoris puri, qui ſpem aliasque virtutes excludat.* Et ſic verum eſt, talem ſtatum non poſſe exiſtere, cum teneamur etiam actus fidei, ſpei, aliarumque virtutum elicere.

Neque verum eſt, idem eſſe motivum charitatis & ſpei (quod aſſerere viſus eſt Boſſvetus, ut poſſet dicere, omnem charitatem involvere ſpem) nam perfectæ charitatis motivum, ſeu *objectum formale*, ut theologi loquuntur, eſt DEUS, ut ſibi ipſi infinite bonus: ſpei vero ut nobis bonus, ſeu cujus poſſeſſionem, ut nobis bonam, cum fiducia in DEI promittentis & auxiliantis fidelitatem, cum deſiderio appetimus.

Porro Boſſvetus 12 propoſitiones ex libro Fenelonii extraxit, atque per plures Sorbonæ doctores perſtringi cenſura curavit. Sed alii modum, cenſuram iſtam obtinendi, perſtrinxerunt. Certe talis erat, ut Boſſvetus ipſe conſultum duceret, eam ſupprimere. Nihilominus Fenelonius tam acerbe ab aula, etiam in ſuis agnatis, habebatur, nomenque per Galliam ita lacerabatur, ut nemo illius amicum aut defenſorem profiteri ſe auderet, exemplo per ſæculum & ultra in archiepiſcopo non audito.

Tandem complementum acceſſit ex Romana cenſura, qua liber Fenelonii fuit proſcriptus, & propoſitiones aliquæ notatæ tanquam temerariæ, ſcandaloſæ, maleſonantes, piarum aurium offenſivæ, & in praxi pernicioſæ, & reſpective erroneæ. Conſtitutionem iſtam rex omnibus epiſcopis acceptandam miſit, & in diœceſibus promulgandam.

Hic enim vero virtus archiepiſcopi & in Sedem Apoſtolicam reverentia ſe probavit. Vix enim ſententiam audierat, cum ſimpliciter, abſolute, & ſine omni reſtrictione cum omni veneratione eandem recepit, exemplum daturus, ut publicis litteris teſtabatur, quomodo Sedi Apoſtolicæ ſit obediendum; utque id adhuc patentius demonſtraret, libellum ſupplicem regi obtulit, ut om-

Virtus Fenelonii.

omnia etiam in defensionem libri sui scripta supprimerentur. Quod etiam edicto executioni datum.

Hic completa erat episcopi adversus archiepiscopum victoria: sed major victi, quam victoris; non ille, exemplo Jansenistarum, distinxit inter jus & factum: non dixit, alium esse sensum libri sui: non dixit, 23 veritates esse uno ictu profligatas in suis 23 propositionibus: non dixit, proscriptam esse linguam, pietatem, & expressiones sanctorum: condemnationem esse factionem conspirationis, fructum sollicitationis importunæ, argumentum evidens ignorantiæ & prostitutionis examinatorum: constitutionem esse probrum curiæ Romanæ, & ruinam Gallicæ libertatis. Superbiæ, inobedientiæ, contumaciæ Jansenisticæ expressiones hæ sunt. Humilis tanti prælati modestia nihil videre, nihil audire, nihil sentire voluit, quam plenam submissionem. Atque hoc pacto calicem, quantumvis amarum, ad fundum usque exhausit.

Editio S. Augustini impugnata.

Anno 1699 prodierunt litteræ, ignoto auctore, quibus *nova editio S. Augustini*, a congregatione S. Mauri cum notis adornata, impugnabatur, ceu nimium favens Jansenio. Annotari diligenter, dicebat scriptor anonymus, ea loca in margine, quibus novatores ad errorem stabiliendum abutuntur, e. g. DEUM non velle serio salvos fieri, nisi prædestinatos: gratiam, quæ non fit efficax, non esse gratiam JEsu Christi. Contra vero eos textus, quibus S. Doctor gratiam sufficientem, libertatem *indifferentiæ activæ* asserit, sine nota præteriri; longe aliter, ac fecerint doctores Lovanienses, qui eundem S. Patrem ediderant.

Vitio etiam datum, quod tomo X textum, ex *cap. 7 libri de correptione & gratia* depromptum, non satis fideliter exposuissent. Interrogatum Augustinum, quare damnandi essent, qui non acceperant gratiam, cum qua sola perseveratur? Respondisse Augustinum: *perseverares, si velles*, quo gratia sufficiens ad volendum & perseverandum significetur. At vero editores hunc locum ita fuisse interpretatos: *perseverares, si semper eandem haberes voluntatem.* Hoc autem ridiculum facere textum; cum nihil aliud re ipsa esset, quam dicere: *perseverares, si perseverares.*

Taceo plura alia hujus anonymi objectamenta, quibus majorem editorum sinceritatem requirit, & illud præsertim arguit, quod analysin Arnaldinam libri *de correptione & gratia* imprimi atque eodem charactere editioni suæ inseri curarint, cum tamen ea analysis Jansenismum sapiat.

Re-

Reſponderunt ad has objectationes auctores editionis, eo effectu, ut litteræ anonymi Romæ in Indicem ſint relatæ. *P. Germon* poſtea *lib. de arte diſcernendi diplomata vera a falſis diſc. XI* coram rege & in ſynodo arguit, manuſcripta, præſertim Corbeyenſia, quibus uſi eſſent editores, non eſſe ſecura, id quod jam olim Hincmarus Remenſis archiepiſcopus demonſtraſſet adverſus Goteſchalcum, Auguſtino ex iisdem abutentem.

## ARTICULUS XXVII.

### *De charitate, & probabilitate. Criſis de abbate de la Trappe. Error Cailii de Euchariſtia.*

ANno 1700 conventus cleri ordinarius, Pariſiis celebratus, declaravit, charitatem perfectam, quæ juſtificat peccatorem etiam ante uſum ſacramenti, non eſſe eſſentialiter requiſitam ad ſuſcipiendum baptismum, & ſacramentum pœnitentiæ; non tamen debere pœnitentem ſe tutum credere, ſi præter actus fidei & ſpei *non incipiat amare DEum, tanquam fontem omnis juſtitiæ.* 63 Amor initialis.

*Not.* Videtur *initialis hic amor* includi in ſpe, quæ eſt amor concupiſcentiæ. Qui enim a DEo, omnis juſtitiæ fonte, ſperat juſtificationem, videtur ſuam propriam utilitatem reſpicere, & elicere amorem DEi initialem concupiſcentiæ. Niſi enim hoc dicatur, videtur explicatu difficile, quid ſit ille amor initialis, & quomodo ab amore perfecto, ad quem non requiritur certus gradus intenſionis, differat. Ac proin ne quidem a prælatis Galliæ videtur deciſum aliquid contra attritionis ſufficientiam ad baptismum & ſacramentum pœnitentiæ. Imo dicunt aperte, charitatem perfectam, quæ contritionem perfectam conſtituit, non eſſe abſolute ad ſacramentum neceſſariam. Ergo neque contritio perfecta ad illud eſt neceſſaria, ſufficitque attritio.

Altera conventus declaratio verſatur circa probabilitatem, jubetque in hac parte ſequi doctrinam patrum, & doctorum modernorum, ſecundum ordinationem concilii Viennenſis. Probabiliſtæ autem exiſtimant, ſequendo ſententiam, vere theologice, comparative & practice probabilem, ſe inſiſtere veſtigiis ſanctorum & doctorum modernorum etiam plurimorum. Sancti tutiſſimum putabant, jugum Chriſti ſuave & onus leve non nimium aggravare fidelibus; probabiliora & tutiora in praxin deducenda, aliis-

que ſuadenda, non imponendam obligationem: durum & rigidum ſibi, facilem, quantum fieri poteſt, ſe exhibere erga alios oportere: ſi omnes præcepta, quæ ſunt certa, obſervarent, totum mundum ſanctum fore.

De la Trappe. Mortuus eſt eodem anno Armandus Joannes *Bouthillierus de Rance abbas de la Trape*, qui ſicut dum eſſet adhuc juvenis, mundum amavit, ita perpenſa dein ejus vanitate, relictis nobilis & opulentæ domus fortunis, ſpebusque blandientibus, vocantem Dominum ſecutus eſt per viam omnino extraordinariam; nam in abbatiam, in qua diſciplinam collapſam invenerat, anno 1662 introduxit obſervantiam Ciſtercienſem ſeveriſſimam, cum ſilentio perpetuo & auſteritate, cujus in hiſtoria vix invenitur exemplum.

Sed qui, attractis multis, quos mundus deluſerat, tam bene proſpexerat, ſibi ipſi minus caute conſuluiſſe viſus eſt; dum in ſumma ſolitudine & quiete vitam inquietam duxit, variisque implicatam litigiis.

In monachos. Et primo quidem cum aliis religioſis, patribus præſertim Benedictinis, edito tractatu *de ſanctitate vitæ monaſticæ*, in quo liberius quam cautius loquebatur de monachis, iis maxime, qui litterarum ſtudiis dant operam; in congregationibus etiam iis, quæ de exacta reformatione ſibi blandirentur, vix ullum ferme reperiri veſtigium antiquæ pietatis aſſerens: hujusque mali fontem in ſtudia potiſſimum referebat.

Durior & a veritate alienior hæc erat exprobratio, quam ut diſſimulari poſſet. Igitur *Mabillonius*, doctrina & eruditione multo clariſſimus, arrepta penna, ſtudia monaſtica ab injuria vindicavit, ſcripta in eam rem apologia. Replicavit abbas, duplicavit Mabillonius. Accurrunt alii, & in partem duelli utrinque veniunt. Cadere denique abbas ſapientibus viſus eſt, cujus plures propoſitiones defendi nullatenus poterant. Mirum ſane, virum tam auſteræ diſciplinæ architectum, tanta virulentia, ne dicam, furore, in aliorum famam involare potuiſſe.

In caſiſtas. Altero jurgio, ſatis clamoſo, Joannes hic ſilentiarius commiſſus eſt cum caſiſtis, quos tamen nunquam legiſſe viſus eſt, ſed ex relatione Janſeniſtarum, cum quibus illi familiare commercium, omnem morum corruptionem ex eorum laxa doctrina morali deſcendere putabat; cumque plures profligatæ vitæ homines ad ejus abbatiam venirent, omnia eorum ſcelera ex caſiſtis profluxiſſe putabat, quaſi illi omnia hæc excuſarent ac licita declararent. Perſuaſum habeo, mille doctrinas bonas & optimas in laxo etiam caſiſta

sista inventum iri, donec aliqua occurrat, quæ exerret. Non lectio casistarum, sed mala voluntas malos facit. Per hæc tamen nullatenus excusatos velim laxos casistas aut theologos. Vitanda extrema; ut neque in laxitatem, neque nimium rigorismum deflectatur. Utrumque animarum saluti & ecclesiæ disciplinæ est noxium.

Sicut autem abominabile ipsi erat nomen casistarum, sic etiam *Molinistarum*; quamvis ii, qui propius eum inspexerant, existiment, eum ne quidem eorum doctrinam habuisse cognitam, nisi in quantum a Jansenistis depictam viderat: prout hodiedum invenire est homines, qui prompte respondeant, se non esse Molinistas; si autem interroges, quid sit Molinista, nihil habent, quod respondeant, aut definitionem dabunt, quæ nequaquam sit *oratio explicans naturam rei* Persuasionibus & præjudiciis aguntur rudes animi; & *sciolis* mundus scatet: vel sub cilicio affectus fremunt. In Molinistas.

Quamvis autem his contentionibus austerus hic Joannes in deserto quietem sibi turbare videretur, & silentium violare, contestabatur tamen ad solitariam se vitam vocatum, non ad disputandum, aut partium alicui adhærendum. Verum, sicut monachos, Molinistas, & casistas stylo satis forti persequebatur, ita Jansenistas æstimabat, amabatque; non quod errores eorum sequeretur; nam formulari pure subscripsit & simpliciter, omnique occasione oblata prædicabat, parendum absolute constitutionibus apostolicis in dubio, rebusque ad religionem pertinentibus. Sed rigida eorum doctrina & externo severitatis fuco deceptus delectabatur, quodque monachos, Molinistas, & probabilistas strenue insectarentur.

Sed tamen post mortem Arnaldi, quem velut oraculum audiverat, rupit amicitiam: quod factioni tantopere doluit, ut, qui Jansenistis paulo ante erat optimus, repente factus sit pessimus. Nihil erat laudis, quod ei non tribuerant: mox nihil vituperii, quod in eum non conjicerent. Sed abbas egregie se defendit; valuitque ad correctionem plurium exemplum viri, quem ceu sanctum, & antiquis illis anachoretis supparem Gallia fuit mirata.

Omnis equidem mundus in novitates prurientes nutrit spiritus, maxime tamen Gallia; quæ multa profert ingenia, uti acria & vivacia, ita volatilia, atque in novitates inveniendas prompta fœcundaque. Vix annus erit, quo talia non parturiat. Documento est, quem annus 1701 exhibet, *Caillyus*, Cadomensis curio, qui Caillii error.

qui librum edidit hoc titulo: *concordia theologiæ cum philoſophia quoad Tranſubſtantiationem Eucharistiæ.*

In hoc oſtendere conabatur, totum myſterium in eo conſiſtere, quod panis & vinum uniantur animæ & divinitati Chriſti, & per hoc fieri ejus corpus & ſanguinem: ſic nulla penetratione corporum, nullo accidente abſoluto, nullo alio miraculo opus eſſe.

Verum craſſior eſt hæc hæreſis, quam ut non a quolibet Chriſtiano palpari poſſit, cum manifeſte totam tranſubſtantiationem evertat, contra expreſſam definitionem concilii Tridentini, quod anathema dicit illi, *qui negaverit mirabilem illam converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius vini in ſanguinem Chriſti, manentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini.* Secundum hæreſin autem iſtam panis & vinum poſt conſecrationem manerent panis & vinum, unita animæ Chriſti. Et quomodo panis, manens panis, poſſet fieri corpus Chriſti? an corpus unitum animæ fit anima? Credo, ab hac ſententia non multum alienum fore Carteſium aut etiam impanatores Lutheranos.

Non eſt proin mirum, hunc Caillii librum ab epiſcopo Bayocenſi fuiſſe damnatum, & auctorem coactum, hæreſin ſuam revocare.

Criſis de accidentibus.

Videtur philoſophus iſte eo prolapſus, ne admittere debeat *accidentia abſoluta*, hoc eſt talia, quæ *ſupernaturaliter* exiſtere poſſunt ſine ſubjecto; qualia cum Ariſtotele agnovit tota ferme antiquitas. S. Thomas aperte illa defendit, dum *opuſc.* 57 ait: *accidentia autem in eo ſine ſubjecto ſubſiſtunt.* Et ſubjungit, ſenſus a deceptione reddi immunes, *qui de accidentibus judicant, ſibi notis*: prout in feſto corporis Chriſti ſacerdotes legimus. Idem exprimit in hymno *lauda Sion*, ubi canit: *ſub diverſis ſpeciebus, ſignis tantum & non rebus, latent res eximiæ.* Et: *nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura.* Ubi S. Doctor per res intelligit, ſubſtantiam panis & vini, per ſignum & ſpecies vero eorum accidentia. Et quid frangitur aliud, dum hoſtia frangitur?

Secuta ſunt hanc doctrinam concilia, Conſtantienſe, & Tridentinum, quod anathema dicit illis, qui negaverint, poſt converſionem panis & vini ſolas eorum ſpecies remanere. Quid autem ſunt hæ ſpecies, *niſi accidentia ſine ſubjecto*? quærit concilium Colonienſe. Quid aliud proprie manet? *manere* dicitur id, quod prius aderat; non vero id, quod de novo advenit. Sicut autem verba S. Scripturæ, ſic etiam definitiones conciliorum dogmaticæ in ſenſu proprio ſunt accipiendæ, quando poſſunt. Alias innumeri orirentur errores.

Hæc

Hæe eadem ſententia fuit theologorum & philoſophorum usque ad hæc ultima ferme tempora, quibus diſplicet veritas, quia antiqua eſt. Quin eo deventum, ut pleno ſplene exſibiletur, qui accidens abſolutum nominat, ceu ignorantiæ ſuæ aſylum in eo quæreret. Contra vero pro docto philoſopho habetur, qui ita ſibilare novit. Novitas videlicet, licet falſa, placet & amatur, quia juvenis eſt & fucata, veritas ceu edentula & rugoſa vetula deſpecta exploditur.

Secuta fuit mala deciſio famoſi *caſus conſcientiæ*, a 40 doctoribus Sorbonicis facta 1701 & 1702, ſuſpenſio *Coddæi archiepiſcopi Sebaſteni* & vicarii apoſtolici in Hollandia. Verum de his poſtea tum in diſſertationibus de Janſenismo uberior redibit tractatio, tum parte ſequenti.

*Simon*, famoſus in Gallia Rabinus, tacito licet ſuo nomine, *verſionem novi teſtamenti* anno 1702 edidit, adeo maligne ac perverſe, ut Cardinalis Noallius archiepiſcopus Pariſienſis eam condemnatione ſua dignam cenſeret, ſimulque ad cautelam diœceſanis ſuis idoneam inſtructionem præberet, quam orditur verbis *S. Petri* 2 *c.* 3 in ſacris ſcripturis eſſe quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant ad ſuam perditionem*, allegatque præſul querelam S. Hieronymi (*epiſt. ad Paulin.*) quod totus mundus ſe credat habilem ad intelligendam ſcripturam, & rudes etiam infimæ conditionis homines arrogent ſibi jus eandem interpretandi.

Verſorem novi teſtamenti prælatus arguit, quod authoritatem editionis vulgatæ nitatur deprimere: interpretem potius quam traductorem videatur agere, ſenſus ſuos privatos ſubrogando verbis & vero ſcripturæ intellectui; quod textus immutet, ubi ipſius ſenſui videbantur contrarii, aut eos, quibus adſtruitur peccatum originale, prædeſtinatio, neceſſitas gratiæ ad faciendum bonum, reſurrectio mortuorum, ſacramenta, & ipſa Chriſti divinitas.

Certe, niſi agnoſcatur eccleſia ſacrarum interpres ſcripturarum, nec utrum extet verbum DEi ſcriptum, nec in quibus libris contineatur, neque an & qualis editio ſit incorrupta, & omnium minime, quomodo controverſi ſcripturæ textus intelligendi veniant, certa & infallibilis regula haberi poteſt, prout alias in hoc opere eſt demonſtratum; quæ ſane cauſſa eſt, cur apud ſectarios, cum infallibili interprete & judice controverſiarum careant, incerta ſint omnia, imo falſiſſima, in quibus ab eccleſia receſſerunt. Sola Biblia non poſſunt eſſe judex, ſicut corpus juris non poteſt eſſe judex; ſed requiritur judex, qui ſecundum leges divinas & humanas pronuntiet.

# ARTICULUS XXVIII.

## *De conciliis Galliæ sæc. XVII.*

COmplura equidem concilia, conventus, & synodos ecclesiæ Gallicanæ per decursum attigimus, subjungenda sunt hic aliqua provincialia, de fide & disciplina tractantia.

## § I.

### *Concilium Narbonense provinciale celebratum anno 1609.*

IN concilio isto præside Ludovico Vervino archiepiscopo Narbonensi 48 editi sunt canones de fide & ecclesiæ disciplina, quos summatim hic referam.

#### Caput I.
*De fide Catholica.*

Præmittitur formula professionis fidei ordinaria, ex voluntate concilii Tridentini a Pio IV præscripta, eandemque emittere jubet synodus omnes, qui beneficium quodcunque consequuntur, promovendi item ad sacros ordines, atque ad gradus litterarios.

#### Caput II.
*De doctrina Christiana.*

Singulis diebus dominicis post prandium, dato campana signo, parochi patresfamilias cum pueris in ecclesia convocent, ubi eos rudimenta fidei edoceant, formam catechismi sequentes. Eandem doctrinam Christianam semel in hebdomade proponant scholarum magistri.

#### Caput III.
*De libris vetitis.*

Omnes libros a sede apost. vetitos, & ex professo de hæresi & rebus obscænis tractantes, sub pœna excommunicationis ipso

facto incurrendæ, legi, aut retineri prohibet ſynodus. Biblia, idiomate Gallico conſcripta, legere aut retinere nemini licet, niſi obtenta ab epiſcopo aut vicario generali in ſcriptis licentia; ne venenum, ab hæreticis in pluribus verſionibus ſparſum, imbibatur. Excommunicantur omnes magi, ſortilegi, venefici, aſtrologi judiciarii.

## Caput IV.

### *De divini verbi prædicatoribus.*

Epiſcopi ipſi verbum DEi prædicent, tanquam ſucceſſores Apoſtolorum. Et quia non poſſunt ſoli in tota diœceſi prædicare, concionatores idoneos conſtituant, qui diebus dominicis & feſtis prædicent. Extra eccleſiam ſui ordinis nemo prædicet, niſi de licentia epiſcopi, in ſcriptis obtenta. Tempore concionis miſſa non legatur, nec ſacramenta miniſtrentur. Præbenda theologalis in omnibus cathedralibus conſtituatur.

## Caput V.

### *De cuſtodia Euchariſtiæ.*

Aſſervetur in tabernaculo mundo, ornato, in quo nihil aliud reponatur. Ad ægrotos magna cum reverentia publica portetur, præcedente lumine, clerico tintinnabulum pulſante. Parochus, ſuperpelliceo & ſtola indutus, velo ſerico ab humeris pendente, quo vaſculum obtegatur, procedat ſub baldachino, ſi fieri poſſit. Duas hoſtias ſecum portet, quarum alteram infirmo præbeat, alteram ſecum a populo adorandam ad eccleſiam reportet.

## Caput VI.

### *De reliquiis & veneratione ſanctorum.*

Reliquiæ nullæ proponantur, niſi ab epiſcopo ſint approbatæ. Qui novas non proponat, niſi conſulto ſummo pontifice. Non niſi in capſis decore aſſerventur, & feſtis ſolennioribus populo monſtrentur a clerico, ſuperpelliceo induto, & face accenſa. Inventario ſint notatæ. Omnis abuſus tollatur.

Caput

## Caput VII.

### *De imaginibus.*

Imagines, quæ rudium libri sunt, prout semper moris fuit, in ecclesia asserventur, colanturque, eliminatis omnibus vanis profanisque picturis. Nec sacras, immodeste depictas, tolerare oportet. Nec novæ pingantur, nisi de episcopi consensu.

## Caput VIII.

### *De blasphemiis.*

Blasphemum DEus extra castra ejectum lapidari jussit. Hic statuitur, ut, si clericus sit, excommunicetur, & aliis pœnis pro arbitrio ordinarii plectatur. Laicus vero, monitus tribus vicibus, adhibitis duobus saltem testibus, e Catholicorum cœtu ejiciatur, & excommunicatus publice a parocho denuntietur.

## Caput IX.

### *De festorum cultu.*

Cum divino cultui dies festi sint dicati, divinis officiis, concionibus audiendis, & catechesi impendantur. Opus servile cesset, officinæ sint clausæ, strepitus forensis sileat. Nundinæ ne fiant, sed in antecedentem vel subsequentem diem rejiciantur. Comessationes, luxus, lascivia, choreæ, ludi publici, otiositas &c. severe prohibeantur: tempore rei sacræ ne sinatur turba per plateas, forum, tabernas vagari.

## Caput X.

### *De observatione jejuniorum.*

Cum quadragesimale jejunium a traditione apostolica habeatur, illud ab omnibus sancte observandum, prout etiam vigiliarum & 4 temporum. Cibi vetiti ne exponantur venales. Episcopi non dispensent, nisi vera sit necessitas, nec medici necessitatem prætendant, ubi non est.

## Caput XI.
### *De hæreticis.*

Fugienda hæreticorum familiaritas, & ab eccleſiis arceantur, excepto concionis tempore. Rudiores cum illis non diſputent, ſed pro eorum converſione DEUM orent.

## Caput XII.
### *De indulgentiis.*

Chriſtus abundantiſſime perſolvit pro noſtris peccatis, atque infinitum meritorum ſuorum theſaurum reliquit eccleſiæ ſuæ: inde *indulgentiæ*, prudenti Sedis Apoſtolicæ diſpenſationi commiſſæ. Eæ non publicentur, niſi ab epiſcopo recognitæ. Parochi & concionatores earum utilitatem uſumque populo explicent.

## Caput XIII.
### *De ſacramentis in genere.*

In iis adminiſtrandis non aliæ adhibeantur ceremoniæ, formulæ ac ritus, niſi ab eccleſia Romana præſcriptæ. Gratis omnino adminiſtrentur, a miniſtris puris ac mundis a ſordibus peccatorum, & externe ſuperpelliceo & decenti gravitate ornatis, ut appareat publice, nihil hic profanum, ſed rem ſacratiſſimam geri.

## Caput XIV.
### *De baptiſmo.*

Sine eo, in re aut voto ſuſcepto, non patet cælum. Quare parentes quam citiſſime curent infantes baptizari. Extra caſum neceſſitatis nemo extra eccleſiam baptizetur. Admoneat parochus patronos de cognatione ſpirituali cum baptizato ejusque patre & matre. Hanc autem incurri ſolum ab iis, qui in ſubſtantia baptiſmi tenent infantem, non autem, qui levant, dum ceremoniæ ſuppleantur. Baptizans non admittat patrinos de fide ſuſpectos, aut necdum confirmatos. Patrini nihil donent. Unus tantum ſit, vel ad ſummum unus & una. Nomina patrum veteris teſtamenti raro imponantur baptizatis, multo minus ethnicorum. Baptiſterium perpetuo ſit clauſum, & mundum.

## Caput XV.

### *De confirmatione.*

Epiſcopi diligenter hoc ſacramentum conferant baptizatis, non tamen facile ante ſeptimum ætatis annum: nec adultis non jejunis, aut rudimenta fidei neſcientibus. Doceatur populus de vi & dignitate hujus ſacramenti. Patrinus ſit diſtinctus a patrino baptiſmi, nihilque donet.

## Caput XVI.

### *De ſacramento pœnitentiæ.*

Nemo confeſſiones audiat, niſi ſacerdos approbatus ab epiſcopo, a quo in ſcriptis licentiam acceperit, excepto mortis periculo. Subjungitur hic formula abſolutionis conſueta. Hortatur ſynodus, ut omnes ſaltem quater in anno confiteantur. In paſchate chartam, confeſſionis teſtem, parocho deferant, qui omnes libro inſcribat. Confeſſiones non audiantur, niſi a ſedente, pœnitente genua flectente, & per craticulam diſtincte confitente.

## Caput XVII.

### *De caſibus reſervatis.*

Poteſt epiſcopus graviora quædam peccata abſolutioni ſuæ reſervare, eaque hoc pacto jurisdictioni inferioris ſacerdotis ſubtrahere; parce tamen hac poteſtate utatur, ne fideles a confeſſione abſterreantur, aut peccata reticeant. Aliquando ipſe confeſſarius adibit epiſcopum, ut facultatem a reſervato abſolvendi obtineat.

## Caput XVIII.

### *De Evchariſtia.*

Sacramentum excellentiſſimum, omnibus adultis aut re aut voto ad ſalutem neceſſarium; tempore paſchali, intra dominicam Palmarum, & dominicam in Albis incluſive digne ſumendum. Infantibus & indignis ne præbeatur. Ceterum modus communicandi, prout ex hoc capite patet, omnino idem eſt in Gallia ac Germania.

Ca-

## Caput XIX.

### *De Miſſæ ſacrificio.*

Explicat hic ſynodus ſacrificium Miſſæ ſecundum rubricas miſſalis Romani ; unde apparet circa ritus & ceremonias non aliam Galliæ eſſe diſciplinam, ac univerſalis eccleſiæ. Prohibentur Miſſæ in domibus privatis, etiam magnatum, niſi adſit ſacellum, ab epiſcopo aut de ejus mandato benedictum, & altari portatili conſecrato inſtructum. Miniſtrantes induantur toga talari. Hoc ſpeciale videtur, quod prohibeatur Miſſa pro defunctis, niſi præſente corpore. Videtur id intelligendum de feſto duplici.

## Caput XX.

### *De clericis peregrinis.*

Non permittant eccleſiarum rectores quemquam celebrare, niſi viſa licentia epiſcopi diœceſani. Regulares vero a ſuis ordinariis eandem exhibeant in obedientialibus litteris. Sine talibus tanquam apoſtatæ aut criminoſi aut incarcerentur, aut ad ſuos ſuperiores ordinarios remittantur. Idem, ſi religioſus extra monaſterium ſine regulari habitu deprehendatur.

## Caput XXI.

### *De ſacramento ordinis.*

Per ſe ipſos ordines conferant epiſcopi ſubditis ſuis examinatis & approbatis, inſtructis teſtimonio parochi, ſcholæ magiſtri, & ſenioribus loci, in quo reſidet ordinandus. Diſpoſitio Tridentini ſeſſ. 23 ſancte obſervetur. Titulo beneficii aut patrimonii, 30 aureorum annuos reditus æquantis, ſint inſtructi. Nullius, extra Galliam degentis, dimiſſoriæ recipiantur.

## Caput XXII.

### *De matrimonio.*

Significat unionem Chriſti cum eccleſia. Recitatur ordinatio Tridentini de matrimonio clandeſtino. Vagi non facile conjungantur a parochis. Non domi, ſed in eccleſia ſub Miſſa fiat be-

nedictio. Secundæ nuptiæ non benedicuntur. Non contrahant Catholici cum hæreticis. Impedimenta a Tridentino assignata recipiuntur. Denuntiationes prævias solus episcopus aut ejus vicarius potest remittere ex caussa justa. Caussas matrimoniales non cognoscant *officiales* foranei, seu decani rurales, sed eas ad consistorium episcopi remittant. Dum matrimonium in ecclesia contrahitur, vitentur risus, strepitus & alia indecentia, prout etiam in administratione aliorum sacramentorum; inobedientes excommunicentur.

## Caput XXIII.

### *De extrema unctione.*

Est institutum a Christo hoc Sacramentum pro infirmis in salutem corporis & animæ, attestante Jacobo Apostolo. Dedoceatur populus, quod mortem acceleret: moneaturque, ne in eo suscipiendo sit negligens, dum periculum mortis subest. Prius autem, si fieri possit, suscipiatur Evcharistiæ sacramentum.

## Caput XXIV.

### *De sepulturis.*

Hortentur parochi populum ad preces pro defunctis fundendas. Noctu non efferantur funera. Intra ecclesiam, maxime prope altare, non facile sepeliantur, nisi dignitate aut singulari virtute fulgeant. Nullæ inscriptiones apponantur, nisi approbante rectore ecclesiæ. Sordidæ exactiones prohibentur. Non sepeliantur ante 24 horas, nisi fuerint pueruli. Concio funebris haberi potest de morte, judicio &c., non vero de laudibus defuncti sine consensu episcopi. Si excommunicatus vi in loco sacro sepeliatur, inde rursus ejiciendum est cadaver. Cœmeteria sint clausa. Quæstio de loco sepulturæ pertinet ad ordinarium. Licet corpus alibi sepeliatur, matrici tamen ecclesiæ secundum consuetudinem solvendum.

## Caput XXV.

### *De testamentis.*

Prælati ecclesiæ cognoscant de piis legatis, eaque executioni mandari curent intra sex menses, & rationem administrationis petant. Tabulæ testamenti & legati pii in archivo episcopi deponantur.

## Caput XXVI.

### *De epiſcopis.*

Verbo & exemplo præluceant, familiam ſuam ad omnem probitatem & devotionem componant. Singulis diebus dominicis & feſtis in choro divinis officiis, ſaltem Miſſæ & Veſperis interſint. Officiariis probatæ vitæ & doctrinæ utantur. Faciles ſe adeuntibus præbeant, conſilium dent, & afflictos conſolentur. In domibus ſuis fœminas non admittant. Domeſticos ſuos ſingulis menſibus confiteri & Evchariſtiam ſumere, & menſam ſacra lectione condiri curent. Frugali menſa & mediocri ſupellectili ſint contenti. In publicum non prodeant ſine talari veſte & roqueto. Tonſuram gerant majorem quam reliqui ſacerdotes. Populo benedictionem impertiantur, dum per civitatem aut diœceſin incedunt. Nullas picturas profanas domi habeant. Opera miſericordiæ frequenter exerceant. Pro mortuo epiſcopo metropolitanus & omnes comprovinciales epiſcopi Miſſam ſolenni ceremonia celebrari procurent.

## Caput XXVII.

### *De viſitatione.*

Tertio ſaltem anno epiſcopi totam diœceſin viſitent, moderato comitatu. Inſpiciant eccleſias, clericos, apparatum ad officia divina, proventus clericorum. Abuſus tollant. Beneficia, quæ ſeorſim non ſufficiunt ad unius ſacerdotis ſuſtentationem, uniant; quantum tamen fieri poterit, ad fundatorum intentionem.

## Caput XXVIII.

### *De ſynodo diœceſana.*

Omnes compareant, qui non legitime excuſantur. Ferant ſecum nomina beneficiatorum non reſidentium, & eorum, qui beneficium curatum habent, nec tamen ordinem presbyteratus ſuſceperunt. Omnes jurent, ſe ſtatuta in hac ſynodo obſervaturos.

## Caput XXIX.

### *De ſynodo provinciali.*

Hoc tam utile ad tollendos abuſus, mores componendos, pacemque conſervandam medium, diu neglectum, diligentius dein-

ceps adhibendum est. Igitur tertio quoque anno synodus provincialis celebretur: cui interesse tenentur omnes episcopi suffraganei, vel eorum vicarii generales, abbates, omnes primæ post episcopum dignitates, cathedralium, & collegiatarum ecclesiarum capitula per deputatos, superiores claustrales: & hoc sub pœna excommunicationis; salvis tamen eorum immunitatibus. Primo autem tractabitur, utrum ea, quæ in præcedenti synodo tractata sunt, executioni sint mandata, an omnes resideant, an visitatio peracta. Controversiæ deiu inter coepiscopos, aut inter ecclesias, aut episcopi cum subditis cognoscantur, &, si fieri potest, absque strepitu judiciali componantur. Secundum pluralitatem votorum omnes subscribant, salva appellatione ad summum Pontificem, concilii provincialis judicem.

## Caput XXX.

### *De capitulo & canonicis.*

Capitula quæcunque, non obstantibus privilegiis, per ordinarios visitabuntur. Non habent vocem in capitulo, nec in subselliis superioribus, canonici, qui non sunt in sacris ordinibus constituti. Distributiones ii tantum percipiant, qui sunt præsentes: exceptis illis, quos infirmitas, ecclesiæ necessitas, vel utilitas, aut alia justa caussa excusat. Tertia pars proventuum in distributiones quotidianas seponatur. In choro omnes devote psallent. Nihil alienetur. In ecclesiis etiam collegiatis doctori theologo una ex præbendis canonicalibus conferatur, qui S. scripturam & casus conscientiæ publice doceat, & choro intersit: omnes vero supplicationibus publicis.

## Caput XXXI.

### *De beneficiis conferendis.*

Idoneis conferantur, qui jurent residentiam, bonorum conservationem, de quibus conficiant inventarium; manentque omnia illius bona pro iis obligata. Resignatio beneficii, ad cujus titulum quis est ordinatus, est omnino irrita.

## Caput XXXII.

### *De parochis & eorum residentia.*

Sacramenta diligenter ministrent, ægros visitent, salutem animæ procurent, olea sacra, quot annis renovata, munde custodiant.

diant. Habeant librum baptizatorum, nuptorum, mortuorum, bonorum &c. per ſe ipſos fungantur officio. Habeant biblia ſacra, librum caſuum conſcientiæ, ſtatuta ſynodalia. Servitio parochialis eccleſiæ intereſſe debent omnes clerici, qui in ea beneficium aut officium habent. Curati omnes reſidere debent. Diſcedendi facultatem ab ordinario petat, ſi juſta ſit cauſſa: qui illam non det ultra duos menſes, niſi cauſſa ſit graviſſima; interim vero de vicario temporali provideatur. Oblata in eccleſia pertinent ad parochum; qui domum ſuam reparare tenetur. Proviſus beneficio, ab alio poſſeſſo, nullum munus in eccleſia exerceat, donec per judicem competentem lis fuerit deciſa.

## Caput XXXIII.

### *De abbatibus & monialibus.*

Si abbates in diſciplina regulari fuerint negligentes, ordinarius ſupplebit. Extra monaſterium ne ſinatur religioſus degere aut vagari. Fœminis ſub excommunicatione prohibetur, ne clauſtra virorum ingrediantur. Religioſi moribus ſint compoſiti, regulas ſuas & ſacros Canones ſervent. Monialium clauſtra nemo ingrediatur. Ubi clauſura non eſt, introducatur.

## Caput XXXIV.

### *De confraternitatibus.*

Viſitet illas epiſcopus, atque ut leges ſuas ſervent, invigilet. Convivia nulla fiant. Non aſſervetur in illis Evchariſtia ſine expreſſo conſenſu epiſcopi.

## Caput XXXV.

### *De purgatoriariis.*

Ita appellantur in Gallia clerici, qui fundati ſunt, ut pro defunctis Miſſas celebrent, & divinis officiis interſint. Jubentur munere ſuo diligenter fungi, & proventuum curam gerere. &c.

## Caput XXXVI.

### *De capellanis.*

Jubentur titulos ſuæ capellaniæ epiſcopo exhibere: ſecus jure devoluto ad eum pertineat collatio. Miſſas celebrent, officia recitent,

tent, aliaque in fundatione requiſita impleant. Bonorum inventarium epiſcopo communicent.

## Caput XXXVII.

### *De fabricis.*

Quamvis bona, quæ fabricæ eccleſiarum poſſident, ſint ſpiritualia, nec in profanos uſus converti poſſint, laicis tamen eorum adminiſtratio eſt conceſſa. Inventarium conficiant. Rationes coram parocho deponant. Hic vero ad epiſcopum referat, ſi quæ fuerint alienata, vel alius abuſus irrepſerit. Qui in templis pecunias colligunt, id faciant ante conſecrationem.

## Caput XXXVIII.

### *De hoſpitalibus.*

Epiſcopi, patres pauperum, ſæpius ea viſitent. Qui reditus, qui adminiſtratores, quæ ratio vivendi, examinent. Adminiſtratio non ultra triennium duret.

## Caput XXXIX.

### *De eccleſiis & altaribus.*

De novo non conſtruantur in ædibus regularium aut ſæcularium ſine epiſcopi licentia, quam non dabit ſine ſufficienti dotatione, pro iisdem conſervandis, &, ſi deſtructa fuerint, reparandis. Eccleſias ruinoſas reſtaurent, qui decimas aut alios fructus ex iis percipiunt, concurrente populo. Si autem nemo poſſit reparare, diruto templo aut ſacello crux erigatur. Qui catapultas aut haſtas ſecum in eccleſiam ſæpius deferunt, excommunicentur, niſi ad tutelam principis id fiat. Nobiles & magiſtratus ſæculares in choro ſacerdotes. In eccleſia omnia fiant cum ſumma reverentia; & procul abſint omnia ludicra, atque ridicula. Qui utitur veſtibus ſacris aut religioſis ad ludicra aut larvas, excommunicatur. Amoveantur altaria, extra eccleſiam aut altari majori adverſa. In eccleſia omnia ſint munda.

## Caput XL.

### *De miſſali & officio divino.*

Quilibet epiſcopus in provincia Narbonenſi pro lubitu ſibi formaverat novum officium divinum; unde magna illa difformitas ut ad unitatem reducatur, omnes utantur miſſali & breviario Romano, a Pio V reformato, cujus bullam ſufficienter promulgatam declarat ſynodus, & ab omnibus recipi jubet.

## Caput XLI.

### *De vita & honeſt. cleric.*

Approbat ſynodus omnia & recipit, quæ ſacri canones & Tridentinum ſtatuerunt contra luxum, comeſſationes, choreas, aleas, ludos, ſæculares negotiationes, aliaque clericos dedecentia. Omnes in ſacris conſtituti, aut beneficium habentes quotidie breviarium recitent; ſecus fructibus privati declarantur, fabricæ aut pauperibus applicandis. Veſtitus omnium ſit niger. Spectacula ne accedant, nec tabernas; arma ne gerant: vilia & ſordida miniſteria, uti pincernarum, coquorum &c. ne obeant. Coram judice ſæculari ne agant advocatos, aut procuratores, exceptis cauſſis propriis, eccleſiæ, parentum, pauperum de licentia epiſcopi. Cum fœminis, quarum ætas, aut vita eſt ſuſpecta, ne converſentur. Annulos in digitis ne gerant, niſi dignitati a jure ſit conceſſum.

## Caput XLII.

### *De foro eccleſiaſtico.*

Vetuit DEus tangere unctos ſuos, qui in ſortem Domini ſunt vocati. Non igitur magiſtratus ſæculares ſe immiſceant rebus eccleſiaſticis, ſub pœna excommunicationis. Vocati ad judicium ſæculare clerici non compareant, ſi cauſſæ perſonales ſint, aut de rebus eccleſiaſticis, petantque, oppoſita exceptione fori declinatoria, ut cauſſa ad ſuperiorem eccleſiaſticum remittatur, atque ad eundem provocent, ſi ſæcularis nolit adquieſcere. Excommunicationem autem incurrunt clerici, ſi ut rei compareant coram judice ſæculari, aut quando eſt cauſſa eccleſiaſtica.

Caussæ graviores, uti matrimoniales, criminales &c. coram episcopo aut ejus officiali tractentur. In caussis criminalibus nullæ observentur feriæ. Possunt suffraganeorum subditi intra decem dies ad metropolitanum appellare, vel si extra dioecesin sint, intra 20 dies. Nulla recipiatur appellatio ab interlocutoria, nisi gravamen inferat, quod a definitiva reparari non possit.

## Caput XLIII.

### *De officialibus foraneis.*

Caussas minores cognoscant; excessus minores corrigant; majores deferant. Dispensare in denuntiationibus matrimonii aut aliis non possunt, nec approbare parochos, concionatores, confessarios; nec sacerdotibus dare litteras testimoniales, commendatitias, formatas. In illis tamen, quæ justitiam distributivam, aut morum correctionem concernunt, clerici illis pareant.

## Caput XLIV.

### *De monitoriis & excommunicationibus.*

Excommunicatio est malorum remedium ultimum, per se loquendo episcopis reservatum. Quando fertur ab homine, per se trina monitio debet præcedere. Pœna non mitiganda, nisi posita contumacia. S. Paulus corpus Corinthii Satanæ tradidit, ut spiritus salvus fieret. Vi autem extorta absolutio a censura irrita est.

## Caput XLV.

### *De simonia.*

Summa iniquitas est & abominatio sacra profanis æquiparare; quapropter simonia per bullas Pii IV & V sub excommunicatione prohibita est, a qua sola sedes apostolica possit absolvere.

## Caput XLVI.

### *De usurariis, concubinariis &c.*

Contra istos, præsertim consuetudinarios, gravissimis pœnis procedendum decernitur.

Caput

## Caput XLVII.

### *De decimis.*

Detentores ac fraudatores decimarum ipſo facto excommunicatos declarat ſynodus, a ſolo epiſcopo, præſtita integra ſatisfactione abſolvendos. Monendus populus, decimas deberi jure divino, & quidem ex omnibus fructibus. Nec valent pacta contraria. Vi aut metu extorquentes locationem decimarum, præſertim pro minori pretio, pariter excommunicantur.

## Caput XLVIII.

### *De pœnis.*

Facti ignorantia excuſat a pœna, non juris, ſi lex ſufficienter ſit promulgata. Epiſcopi autem decreta hujus ſynodi populis ſuis promulgent, ut nemo ignorantiam poſſit prætexere. Parochi vero ea ſæpius publice prælegant. Antiquiora etiam ſtatuta ſynodalia confirmantur, dummodo his non ſint contraria.

### *Concluſio.*

Conſtitutiones iſtæ ſynodales ſanctiſſimo domino noſtro Papæ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ, omnium eccleſiarum matri & magiſtræ ſubjiciuntur, ab ea perpetuo emendandæ & corrigendæ.

Subſcripſerunt Ludovicus de Vervins, archiepiſcopus & primas Narbonenſis, epiſcopi, Carcaſſonenſis, Agathenſis, S. Pontii Tomeriarum, Nemauſenſis, Uricenſis, Ellectenſis, Monſpelienſis, item Bitterrenſis & Lodovenſis commiſſarii, & Bertellier notarius publicus. Confirmata dein fuit hæc ſynodus a ſacra congregatione Cardinalium, concilii Tridentini interpretum.

## § II.

### *Concilium Senonenſe & Aquenſe.*

CElebratum eſt hoc concilium provinciale Pariſiis anno 1612 præſide Cardinale Perronio, archiepiſcopo Senonenſi, qui ſe Galliarum & Germaniæ primatem ſcripſit. Damnatus eſt in eo libellus, absque nomine auctoris & typographi *de eccleſiaſtica & politica poteſtate*, Pariſiis excuſus anno 1611. Damnatus autem eſt tan-

quam complectens multas propositiones, expositiones, allegationes & doctrinas falsas, scandalosas, schismaticas, hæreticas, impietatem, gravesque errores.

Prohibet proin synodus, hunc libellum legere aut retinere, aut vendere sub gravibus censuris. Salvis tamen juribus regis & ecclesiæ Gallicanæ.

Subscripserunt præter Cardinalem Perronium archiepiscopum Senonensem ejus suffraganei episcopi, Parisiensis (tunc necdum archiepiscopus) Antissiodorensis, Meldensis, Aurelianensis, Trecensis, Nivernensis, Carnutensis.

Eundem libellum eodem anno damnavit *concilium provinciale Aquense* in provincia sub pœna excommunicationis, in lectores, detentores, & venditores lata.

*Nota.* Auctor hujus libelli, utrique potestati summopere injuriosi, erat Edmundus Richerius, doctor Sorbonicus & sacræ Facultatis syndicus. Historia hujus rei supra prolixius fuit narrata.

## § III.

## *Concilium Burdigalense provinciale, anno 1624 celebratum.*

CONcilium hoc convocavit, eique præsedit Cardinalis Surdisius, archiepiscopus Burdigalensis, primas Aquitaniæ. Præmissa fuit congregatio privata, atque in ea, præsentibus solis episcopis, actum de creandis officialibus concilii, de ordine sedendi, de advocandis theologis & canonistis. Habitæ dein sunt 24 congregationes privatæ inter solos episcopos in palatio archiepiscopali, & 16 publicæ, quibus intersuerunt etiam procuratores ecclesiarum & doctores. In utrisque lites decisæ, materia præparata, & canones concepti. Episcopi secundum ordinem consecrationis sedere jussi, uti etiam ecclesiarum procuratores, qui mandatum exhibuerunt. Sessionibus autem tribus synodus constabat, quæ in ecclesia cathedrali Burdigalensi sunt habitæ.

*Prima sessio* habita 1 Octobris. Hora octava fiebat solennis processio ad templum cathedrale; procuratores collegiatarum, cathedralium, & metropolitanæ, cujus omnes canonici pluvialibus erant induti, incedebant primi; sequebantur episcopi in pontificalibus cum mitra & pedo, ultimus archiepiscopus; qui subin solenne officium habuit. Ubi ad communionem ventum, omnes

episcopi,

epiſcopi, omnesque reliqui ad ſacram ſynaxin acceſſere. Gratiis poſtea actis DEo, auditaque concione lectum eſt decretum de aperienda ſynodo: omnesque ac ſinguli ordine ſuo acceſſerunt ad altare majus, ibique profeſſionem fidei emiſerunt. Variæ dein congregationes publice privatimque habitæ.

*Secunda ſeſſio* celebrata 9 Oct. iterum in eccleſia cathedrali, in quam pulcro ordine rurſus e palatio archiepiſcopali fuit proceſſum, datumque ſolenni ſacro initium. Prælecta a ſecretario, quæ in præviis congregationibus fuerant concepta decreta, exquiſitaque ab epiſcopis ſuffragia: qui reſponderunt: *placet.* Archiepiſcopus dixit: placuerunt decreta: agendæ ſunt DEo gratiæ: patres reſponderunt: *DEo gratias.*

Finita ſeſſione promotores concilii accuſarunt epiſcopum Sarlatenſem, quod, cum debite fuerit monitus, ad concilium non acceſſerit, neque excuſationem miſerit; utque contra eum jure procederetur, inſtiterunt. Reſpondit Cardinalis: *procedatur.* Petierunt illi, ut tertia pars fructuum epiſcopatus Sarlatenſis ei ſubtrahatur, & fabricæ addicatur. Quod conceſſum eſt. Conſtitutus inſuper vicarius generalis qui deſolatæ eccleſiæ Sarlatenſi conſuleret.

Quidam canonicus contendebat, etiam procuratoribus capitulorum votum definitivum in concilio competere; ſed ea prætenſio, tanquam conſuetudini & juri contraria, ab epiſcopis rejecta fuit.

*Seſſio tertia* 18 Oct. eadem ſolennitate fuit celebrata; atque in ea varii adhuc canones publicati. Univerſim autem ſynodi canones 22 capitibus conſtabant, quorum hæc ſumma.

## Caput I.

### *De profeſſione fidei.*

Præmittitur profeſſio fidei juxta formulam, a Pio IV præſcriptam. Illam omnes emittant, qui beneficium obtinere volunt; uti etiam concionatores, typographi, præceptores publici, & privati, graduandi. Diſcipulis non niſi libri ab omni labe puri prælegantur. Parentes liberos in doctrina Chriſtiana inſtruant, & in eccleſiam ad catecheſin mittant. Inſtituantur piæ ſodalitates. Libri edendi omnes cenſuræ ſubjiciantur. Libri omnes in Indice concilii Tridentini prohibiti, ſub pœna excommunicationis legi vetantur.

## Caput II.

### *De fide propaganda.*

Laudatur zelus Papæ & regis. Epiſcopi inſignes concionatores conſtituant, ſive regulares, ſive alios, eisque competens ſalarium provideant. Id maxime commendatur pro locis, hæreſi infectis.

## Caput III.

### *De officiis divinis.*

Miſſale, Breviarium, Rituale Romanum, juſſu Pii V editum, ubique aſſumatur, ut ſit conformitas. Peregrini & ignoti ſacerdotes non admittantur ad ſacra, ſine litteris epiſcopi. Durante ſolenni parochiali officio nullum privatum ſacrum legatur. Nullus tribus continuis dominicis abſit a miſſa parochiali. Confeſſarii & concionatores de hoc fideles moneant: nec ullus aliter docere præſumat. In primitiis celebrandis non aſſumatur pater aut mater &c. abſint ab eccleſiis omnia profana, ac ludicra. Omnes devote & modeſte ſacris interſint. Sacræ reliquiæ, quas furor hæreticus reliquit, ab epiſcopis recognoſcantur, & in arculis clauſæ venerationi exponantur. Calices conſecrare ad epiſcopos pertinet.

## Caput IV.

### *De feſtis.*

Ludis profanis, choreis, compotationibus, mercatura, nundinationibus ne pr fanentur. Populo ex ſuggeſtu prælegatur vita ſancti, cujus feſtum celebratur. Piæ ſodalitates inſtituantur.

## Caput V.

### *De ſacramentis.*

Ritus ad Rituale Romanum componatur. Domi extra caſum neceſſitatis nemo baptizetur, exceptis regum & principum liberis. Obſtetrices a parocho inſtruantur. Sacramentum confirmationis a nemine negligatur. Ad Euchariſtiam fideles ſæpiſſime accedant: tempore paſchali in propria parochia. Moneantur fideles, ut comitentur, dum ad ægros defertur. Ad ſacramentum confeſſionis

ne

ne quidem nobiles aut milites admittantur, niſi depoſitis armis. In cathedralibus pœnitentiarius conſtituatur; qui, dum confeſſiones audit, ſi ſit canonicus, in choro cenſetur præſens. Confeſſionalia non in capellis & angulis collocentur: neque audiantur confeſſiones ſæcularium in ſacriſtia. Neque in noctem protrahantur, nec auroram præveniant. Extrema unctio opportuno tempore ægrotis conferatur.

## Caput VI.

### *De ordine.*

Rudes, criminoſi, infames, ad ratiocinia obligati, corpore vitiati, ſervi, illegitimi, ignoti, bigami, aliique irregulares, cenſura affecti, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni &c. ab omnibus ordinibus ſunt arcendi; ſalva epiſcoporum poteſtate diſpenſandi, in caſibus jure permiſſis. Ante 12 ætatis annos nullus *tonſuretur*. Nec niſi a parocho & præceptore teſtes litteras de moribus & fidei rudimentis, atque natalibus habeat. Ad *minores* præterea requiritur notitia linguæ latinæ. Ad *ſubdiaconatum* titulus menſæ 120 librarum, ſi ſit patrimonialis: puritas, probitas, notitia Evangelii. Fiant denuntiationes præviæ: indaget parochus & fideliter referat. Ordinati ſtatim alicui eccleſiæ addicantur, in qua ſingulis dominicis & feſtis communicent. Religioſi non vagentur, ſed intra monaſterium detineantur, puniantur & ſuſtententur. *Diaconi*, quo propius ad tremenda myſteria accedunt, eo magis vitæ puritate, probitate morum, doctrina fulgere debent. Præſertim examinandum, quomodo annum interſtitiorum in ſubdiaconatu exegerint, an parochum in habenda catecheſi adjuverint &c.

Ante *ſacerdotium* rurſus fiant publicæ denuntiationes ſuper vita, moribus &c. afferantur rurſus atteſtata. Ordinandi menſe integro ante tempora ordinationum in civitate compareant, confeſſionem generalem deponant, ſacra exercitia obeant, & vitæ atque doctrinæ ſpecimina præbeant. Ordinationi præſentes ſint canonici.

Litteræ dimiſſoriæ tantum ad unum ordinem dentur, cauſſa neceſſitatis expreſſa. Sine iis nemo ordinet alienum ſubditum. Neque ſede vacante capitulum intra annum illas det, niſi quis ſit

arctatus

arctatus beneficio, ſub pœna interdicti. Religioſi quoque ordinentur ab illo epiſcopo, in cujus diœceſi degunt.

## Caput VII.
### *De matrimonio.*

Synodus ſuſpenſos declarat clericos, qui perſonam Catholicam cum hæretica conjungunt; cum fides, uti in Hebræo olim populo, periclitari ſoleat. Unde Apoſtolus monet, non eſſe ducendum jugum cum infidelibus. Graviter conqueritur concilium, matrimonia adhuc clandeſtine contrahi, cum tamen prorſus ſint irrita. Quamvis autem matrimonia ab omni vi & metu debeant eſſe libera, prohibentur tamen parochi aſſiſtere, ſine parentum conſenſu. Abolenda ſuperſtitio, menſe Majo non eſſe nubendum. Sponſi in eccleſia conjungendi, nec niſi a proprio parocho, aut de ejus conſenſu ab alio ſacerdote. Concubinarii, ter moniti, excommunicatione percellendi.

## Caput VIII.
### *De epiſcopis.*

Non admittitur paſtoris excuſatio, ſi lupus oves comedit, & paſtor neſcit. In partem omnem exporrigant ſollicitudinem, forma gregis facti verbo & exemplo præluceant. Sint contenti modeſta ſupellectili & frugali menſa, cui ſæpe pauperes adhibeant, eamque ſacra lectione condiri curent. Reditus eccleſiæ, patrimonium Chriſti & pauperum, ne in uſus vanos aut conſanguineos profundant. Ita præſint ſubditis, ut eis non dominentur, ſed ut filios & fratres diligant, ſemperque ſeveritas paterno animo ſit temperata. Non raro ipſimet populo prædicent, & ſacramenta miniſtrent. Singulis ſaltem trienniis viſitationem diœceſis abſolvant, & ſacramentum confirmationis conferant. Rogandus rex, ut non niſi digniores, in paſtores eccleſiarum aſſumendos, ſanctiſſimo domino noſtro nominet atque præſentet.

## Caput IX.
### *De capitulis eccleſiarum.*

Canonici, quaſi apocalypſeos ſeniores coronas coram agno demittentes, laudes DEo decantent horis debitis in choro, non curſim,

curſim, ſed tractim. Sacrum celebretur ſecundum regulas ſeu rubricas miſſalium ab Urbano VIII editorum. Decanus aut cantor curent, ut omnia decore peragantur. Tertia proventuum pars in diſtributiones quotidianas convertatur. Canonici habitu chorali frequentes adſint ſacris concionibus. Tres menſes abſentiæ ita computandi, ut intelligantur omnes dies, continui aut diſcontinui, per annum numerandi. Cathedrales eccleſiæ canonicos ea probitate & ſcientia commendatos eligant, ut ex illis corpus capituli, & ſenatus epiſcopi poſſit conſurgere. Ad dignitates non promoveantur, niſi ſacerdotes, aut intra annum presbyteratu initiandi; ſecus dimidia diſtributionum parte multandi. Presbyter diaconum, hic ſubdiaconum præcedat, non habita ratione ſenioratus, donec presbyteratus aſſumatur. Canonicus theologalis inſtituatur, qui theologiam doceat. Pro ingreſſu, electione, confirmatione, præſentatione, inſtitutione ad beneficium quodcunque nihil pendatur.

## Caput X.

### *De parochis.*

Ubi parochianorum neceſſitas exigit, novæ inſtituantur parochiæ, etiam invitis rectoribus, ex fructibus matricis eccleſiæ, ſi ſint ſufficientes; alias populus contribuat, & decimatores, etiam cum dirutæ eccleſiæ ſunt reſtaurandæ. Si reditus parochialis eccleſiæ ſint nimis tenues, uniantur iis beneficia ſimplicia, intra parochiam exiſtentia. Si nulla ſint, fructus quarumcunque decimarum parochialium ſunt applicandi.

## Caput XI.

### *De paſtorum reſidentia.*

Omnes, qui fructus beneficii percipiunt, tenentur reſidere, etiamſi in petitorio ipſis lis moveatur. Raro ac difficulter ab epiſcopis diſpenſetur circa reſidentiam, nec, niſi aliunde populo provideatur. Nulli beneficium curatum conferatur, niſi juret reſidentiam.

## Caput XII.

### *De prædicatione verbi divini.*

Nullus ad munus concionatoris aſſumatur, niſi ſaltem ſit diaconus, virtute & doctrina præcellens, ac præſertim, cum tot hæ-

reſes graſſentur, in doctrina de canone Scripturæ, peccato originali, juſtificatione, ſacramentis, ſacrificio Miſſæ, purgatorio, invocatione ſanctorum, ſacris reliquiis, imaginibus ſanctorum, indulgentiis, Papæ auctoritate, jejuniis, dierum feſtorum ratione, bene verſatus. Atque præterea in ſacris bibliis, commentariis, traditionibus apoſtolicis, patribus, conciliis, jure pontificio, theologia myſtica; & ab epiſcopo approbatus: omnesque rejiciantur, qui colligendæ eleemoſynæ cauſſa certas indulgentias circumferunt.

Exponat concionator Evangelium, ſymbolum, orationem dominicam, ſalutationem angelicam, decem præcepta, ſacramenta, myſteria feſtorum, eorumque cultum, ceremonias eccleſiæ, jejunia, officia generalia Chriſtiani hominis, & particularia patris, filii, conjugum, domini, ſubditi, magiſtratus &c. Nihil afferat apocryphum, fabuloſum, ridiculum, dubium, obſcurum, aut ſupra plebis captum; nihil vanum, fucatum, inutile: ſed vitia reprehendat, & virtutes commendet: modumque oſtendat, illa vitandi, has implantandi. Obſervetur *introductio concionatorum*, a S. Carolo edita. In cathedralibus & parochialibus eccleſiis ſingulis dominicis & feſtis habeatur concio.

## Caput XIII.

### *De vita & honeſtate clericorum.*

Cum fœminis ne cohabitent. Parochus infantes e fonte Baptiſmi ne levet, ne familiaritatis nimiæ ſit ſuſpicio. Habitum & tonſuram geſtent: ſecus, (ſi beneficium non habeant) privilegio clericatus non gaudeant, & ad beneficia non promoveantur. Si vero habeant, creſcente contumacia, iis priventur. Rogandusque rex, ne tales præſentet. In itinere tamen liceat veſtibus brevioribus uti. Clerici ad forum ſæculare non confugiant, niſi in caſibus jure conceſſis. Ita denique ſe gerant, ut ubique ſint ædificationi.

## Caput XIV.

### *De promovendis ad beneficia.*

Non liceat inferioribus collatoribus, abbatibus ſcilicet & prioribus conventualibus beneficium conferre, niſi examinatis & approbatis ab epiſcopo. Officiales eccleſiaſtici nullas monitorias excommunicationis litteras propter exceſſus, ad forum eccleſiaſticum non dedu-

deductos, concedant, aut dispensationes in denuntiationibus matrimonii, & similibus. Sed hæc omnia ad episcopum aut ejus vicarium generalem pertineant.

## Caput XV.

### *De simonia.*

Qui fructus beneficiorum, ad plures annos locatos, in potentum domos transportari permiserunt; qui resignant beneficium cum pacto, ut post certum tempus recipiant, vel ut certæ personæ dein conferatur: qui sine intentione clericandi beneficium adeunt, ut in cognatos dein resignare possint, de simonia & confidentia valde suspecti habendi sunt. Promulgetur & servetur constitutio Sixti V de simonia confidentiali; atque gravissime puniantur transgressores.

Majores adhuc turbas agunt nobiles quidam, qui contra omnia jura, divina & humana, beneficia ecclesiastica retinent, ab iisque justos possessores vi & armis depellere contendunt. Unde ecclesiæ diruuntur, cessant divina officia, populus destituitur, hæresis dilatatur, ira DEI in gentes & regna effunditur. Rogandus proin rex, ut tantæ iniquitati obviam eat, eamque cum simonia confidentiæ exterminet, atque bullas Pii V & Sixti V promulgari & servari jubeat; contumaces vero pœnis coerceat. Pro singulis diœcesibus constituatur syndicus, qui caussas tenuiorum sacerdotum impensis communibus agat, donec in possessionem pacificam beneficiorum suorum fuerint introducti.

## Caput XVI.

### *De seminariis.*

Cum pauca sint beneficia simplicia, quæ seminariis possent annecti & uniri, quilibet episcopus comprovincialis unam ecclesiam parochialem ditiorem possit seminario incorporare; ut tam salubre opus possit perfici.

## Caput XVII.

### *De monasteriis.*

Etiam regulares, curam animarum habentes, resideant. Abbates & alii, usum mitræ & baculi habentes, iis non utantur ex-

tra monaſterium. Vagantes regulares ab epiſcopis puniantur, & ad ſuperiores remittantur. Eremitæ vero ſine illorum licentia, a cellulis ſuis non diſcedant. Deciſio litium de præcedentia in proceſſionibus publicis, ſi inter eccleſiaſticos oriantur, ad epiſcopum pertinet. Exempti quoque proceſſionibus interſint.

## Caput XVIII.

### *De capellis.*

Multa beneficia ſimplicia, quæ majorum pietas fundaverat, temporum vitio fuerunt profanata. Quare epiſcopi viſitent, eaque reſtaurare ſtudeant, ac debita reducere officia. Neque in hoc audiendi priores commendatarii reclamantes, ſed ad debita officia & onera reddenda, compellendi. Monaſteria reſtaurentur, uti etiam fundationes capellarum diſſipatæ. Si onera ſint nimia, ab epiſcopo temperentur, & Miſſæ ad minorem numerum redigantur. Publico edicto monendus populus, ut, quicunque de bonis capellarum aut reditibus aliquid detinet, ſub pœna excommunicationis reſtituat.

Cum etiam maxima pars hujusmodi capellaniarum a pueris clericis, habitum clericalem non geſtantibus, occupetur, edicto publico citentur, ut coram ordinario juramento edito dicant, quot & quales capellanias detineant, quæ bona, quos reditus, quæ inſtrumenta habeant, quas obligationes, quæ onera, ut ſtatus capellaniarum inde perſpici poſſit. Contumaces vero pœnis adigendi, ac tandem etiam beneficiis privandi. Duo inventaria facienda, quorum unum in capellania, alterum in archivio cathedralis eccleſiæ aſſervetur.

## Caput XIX.

### *De monialibus.*

Præcipitur clauſura. Solus epiſcopus poſſit dare ingrediendi aut exeundi licentiam. Excommunicantur, qui cogunt puellam ad profeſſionem, vel ad religionis habitum aſſumendum.

Ca-

## Caput XX.

### *De ſepulturis.*

Locus ſepulturæ ſit religioſus, benedictus, bene ſeptus: intra eccleſiam nemini deinceps concedatur jus ſepulturæ, ſine conſenſu epiſcopi, neque ſedilia certa ſibi uſurpare. Poſſunt tamen ſacerdotes & domini jurisdictionem temporalem obtinentes, item patroni & fundatores in eadem ſepeliri. Via publica per cæmeterium ne toleretur. Hæreticorum cadavera exhumanda: cæmeterium reconciliandum. Nullus Catholicus interſit funeribus, baptiſmo, matrimoniis aliisque id genus actionibus hæreticorum. Nullus regularis ſæculares inducat ad eligendam apud ſe ſepulturam. Funus extra ſepta monaſterii ne educat. Neque Evchariſtiam aut ſacrum oleum ad infirmos deferat, aut puerperas ad eccleſiam introducat. Hæc enim pertinent ad parochum.

## Caput XXI.

### *De viſitatione.*

Commendatur hoc capite tam epiſcopis, quam etiam archipresbyteris ſeu decanis, tam oppidanis quam ruralibus, diligens viſitatio, etiam monaſteriorum, quæ non ſunt congregationibus generalibus aut provincialibus aggregata, aut in quibus regula & inſtitutum nullo modo obſervatur. Archidiaconi & alii, ſi perſonaliter non viſitent, procurationes non poſſunt exigere. Officiales eccleſiarum tenentur ſuæ adminiſtrationis rationem viſitatoribus reddere.

## Caput XXII.

### *De concilio provinciali.*

Cum ſumma ſit conciliorum utilitas, elapſo triennio rurſus concilium provinciale in metropoli Burdigalenſi celebrandum indicitur, teneanturque omnes comprovinciales epiſcopi eidem intereſſe, ſub pœna a ſacris canonibus præſcripta. Et quia nihil prodeſt canones & decreta condere, niſi obſerventur, ſtatuuntur

tur transgressoribus pœnæ. Mulctæ autem in pios usus erogentur: pars tamen potest delatoribus attribui.

Si quæ dubia sint in his decretis, archiepiscopus declarabit. Instituantur synodi diœcesanæ, & canones isti in illis promulgentur. Obligatio autem incipiat post sex menses a facta promulgatione. Hæc autem omnia S. D. N. Christi in terris vicario, universalis ecclesiæ moderatori summo corrigenda, genibus in reverentiam flexis, patres concilii submittunt.

*Subscripserunt,*

Cardinalis Surdisius S. R. E. Cardinalis, archiepiscopus Burdigalensis, Aquitaniæ primas, concilii præses. Episcopi, Condomiensis, Engolismensis, P ctaviensis, Petracoricensis, Santonensis, Malleacensis, Lucionensis. Sarlatensis, cujus diœcesis erat valde corrupta, ut supra dictum, contumaciter absuit.



LIBER



# LIBER QUARTUS.

## *HISTORIA JANSENISMI.*

## CAPUT I.

### *Notitia aliqua de Janſenio ejusque libro, quem* AUGUSTINUM *inſcripſit.*

SÆculum XVII nihil habet famoſius, quam *bæreſin Janſenianam*; quam proin, nimium quantum invaleſcentem cum ingenti religionis detrimento, ut ſub unum velut aſpectum cadat, hoc libro quarto proponendam duxi; cum ejus hiſtoriam noſſe, vel maxime ad eruditionem eccleſiaſticam pertineat. I

Natus eſt Cornelius Janſenius anno 1585 Ackoviæ in Hollandia ex pauperibus parentibus. Studuit initio apud patres Societatis JEſu, quos deinceps gratitudinis ergo, ut non raro contingit, peſſime ſoderat. Theologiæ operam dedit Lovanii ſub Janſono. Sed cerebri ſui ad temeritatem amator, ſibique nimium fidens, in damnatos a duobus Pontificibus errores Baii prolapſus eſt, eaque re æſtimationem & amorem *Joannis Vergerii San-Cyrani* in Gallia *abbatis*, viri ejusdem ſecum indolis meruit, ut ab eo Pariſiis nobilis cujusdam viri filiis præceptor anno 1604 ſit datus: & anno 1630 profeſſor S. ſcripturæ academiæ Lovanienſi; ubi plura opuſcula ſcripſit periculoſa, accuſatus inter alia, quod Flandros ſollicitare conatus ſit, ut excuſſo jugo regio in eandem cum Batavis rempublicam coaleſcant, relicta cuivis provinciæ religionis libertate, ad normam cantonum Helvetiæ, ut adeo totum Belgium in unum corpus componeretur, in cantones Catholicos & Proteſtanticos diviſum. Vita.

At penna dein mutata Philippo IV blanditus fertur, ſcripto libro, cui titulus: *Mars Gallicus*, ſeu de juſtitia armorum & fœderum

derum regis Galliæ &c., quo reges Christianissimos velut eversores religionis insectatur, relato in præmium episcopatu Iprensi, si fides auctori libri, qui inscribitur: *memoires chronologiques ad an.* 1638.

Doctor iste Hollandicus majus dein opus molitus est, quo magnum sibi nomen comparavit, ut Herostratus, librum scilicet, cui titulum dedit: *Augustinus, seu doctrina S. Augustini, de humanæ naturæ sanitate, ægritudine, medicina, adversus Pelagianos & Massilienses.*

Error. In hoc profitetur evolvere totum mysterium divinæ gratiæ, a S. Augustino propositum. Cardinem autem, in quo mens humana circumagitur, ponit duplicem *delectationem*, *cælestem* & *terrestrem*: illa, quando adest, *indeclinabiliter* ad virtutem pertrahit, hæc ad vitium. *Neutra est in potestate hominis*, &, si adsit, humanum arbitrium *non potest resistere.*

Habent se autem duæ istæ delectationes sicut duæ lances in bilance, quarum altera ascendere non potest, nisi altera descendat: sic homo invincibiliter ad bonum assurgit, si *gratia victrix & prædominans* sursum trahat: ad malum vero descendit necessario & inevitabiliter, si cupiditas terrena prævaleat. Ex quibus infert, nullam in natura lapsa dari, *libertatem a necessitate*, hominemque *non agere sed agi* a delectatione victrice.

Porro Jansenius in materia de gratia solum audiendum esse contendit Augustinum, doctorem gratiæ. Ante illum autem, inquit, doctrinam de gratia spissis involutam fuisse tenebris, ac postea rursus in eam præcipitatam abyssum ignorantiæ, ut a quingentis annis ecclesia penitus ferme illam nesciverit; se autem eandem ad mentem S. doctoris, sibi intime perspectam, & 30 annorum studio penitus exhaustam, in claram rursus lucem pertrahere. Hem typhum & arrogantiam hominis!

Quis non videt, omnem hac machina everti libertatem humani arbitrii, omne meritum & demeritum, vitium & virtutem, studium & curam omnem salutis? hominemque inevitabili fato relinqui?

Sed neque capi potest temeritas viri, quod asserere audeat, hanc doctrinam a quinque sæculis fuisse incognitam, cum sit ipsissimus error Calvini, quem in suis *institutionibus* tam patenter obtrusit, & ipsius discipuli tot libris propugnarant. Eadem principia, eædem conclusiones, eadem argumenta, idem fons, iidem rivi, eædem verborum expressiones, idem systema: verbo: quantum

tum

tum ad prædestinationem, reprobationem, gratiam, libertatem, purus putus est Calvinismus, ac proin non novus est error Jansenii, sed jam vetus, sed pro merito anathemate profligatus, & a doctoribus Catholicis millies protritus.

In eam nihilominus fuit projectus audaciam, ut corruptum suum Augustinum Urbano VIII dedicandi cogitationem susciperet. In epistola dedicatoria miram præsefert in sedem apostolicam observantiam, librumque suum ex integro ejusdem judicio subjicit: si ego *me fallo*, inquit, *in mea conjectura*, (ecce! *conjecturam* ipse appellat) *hæc cathedra est, quæ errorem dedoceat. Quam consulemus, nisi illam, ad quam perfidia non habet accessum? ad quem judicem nos conferemus, si non ad vicarium illius, qui est via, veritas, & vita? DEus nunquam permittit, ut decipiatur, qui passibus insistit ejus in terris vicarii.* Subjectio.

*Igitur, quidquid cogitavi, quidquid dixi, aut scripsi in hoc labyrintho disputationum ad detegendos veros sensus profundi hujus magistri* (S. Augustini) *depono ad pedes suæ sanctitatis: approbet, improbet, instruat; faciam, quod mihi fuerit præscriptum.*

Hanc Jansenii epistolam debemus Ludovico Condæo principi, in cujus manus incidit post occupatas Ipras. Ad Pontificem non pervenit; quia Jansenius paulo, postquam scripta fuerat, peste fuit extinctus, discipuli autem ejus, pejores magistro, eandem suppresserunt.

In testamento suo subjectionem erga sedem apostolicam renovavit, Augustinum suum ejusdem judicio penitus submittens: *si sancta ecclesia*, inquiebat, *velit aliquid mutare, filius sum obedientiæ, & filius obediens Romanæ ecclesiæ, in qua vixi semper. Hæc est ultima mea voluntas.* Ita loquebatur hic prælatus accinctus ad comparendum coram DEo.

Frequenter legit opera S. Augustini, sed eo spiritu, quo Protestantes sacras scripturas, interpretantes eas secundum suam sentiendi licentiam, non vero secundum sensum ecclesiæ, & judicis, quem Christus constituit. Agnovit hunc Jansenius, ac scripta sua eidem submisit; sed, ut idem facerent, persuadere non potuit suis discipulis, adeo docilibus alioquin, imo adoratoribus doctrinæ magistri. Primi documentum dabant executores testamenti, qui Augustinum Jansenii prælo subjecerunt, sed non sedi apostolicæ.

Quantas deinceps turbas, motusque contra ecclesiam & statum etiam politicum Jansenistæ in Belgio & Gallia concitarint,

quamque pertinaces & refractarios ſe exhibuerint, prolixius aliquantum referemus. Neminem autem hæretici iſti magis oderunt, quam Jeſuitas. Nulla bulla pontificia prodiit, nulla cleri Gallicani ordinatio, nullum prælatorum aut principum mandatum, nulla Sorbonæ cenſura, nullum decretum regis, quod ipſis non imputaretur. Hinc illæ iræ: hinc tot virulenta ſcripta. Sed ab his vituperari eſt laudari. Obiit Janſenius anno 1638 ætatis 52, epiſcopatus 2.

# CAPUT II

## *Quinque famoſæ propoſitiones Janſenii.*

2 Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 6 condemnaverat diverſas propoſitiones Lutheranorum & Calviniſtarum de *gratia & libero arbitrio.* Nihilominus tamen mox nova de eadem materia orta eſt diſputatio in academia Lovanienſi.

Quippe Michael Bajus, doctor & profeſſor theologiæ atque cancellarius in illa univerſitate, plures propoſitiones novellas docuit, easque S. Auguſtino attribuit, indignantibus ſenioribus academiæ doctoribus. Conſulta facultas theologica Pariſienſis anno 1560 plures earum cenſura perſtrinxit.

Septem poſt annis Pius V magnum earum numerum confixit; eandemque condemnationem renovavit Gregorius XIII, anno 1579. Bajus autem, annitente Toleto ſocietatis JEſu theologo ac poſtea Cardinale, ſe ſubmittens, erroneam ſuam doctrinam retractavit anno 1580, merito eandem proſcriptam confeſſus ſeque propoſitiones ſuas reprobare etiam in eo ſenſu acceptas, quo ſunt reprobatæ.

Circa annum 1620 Cornelius Janſenius, Baji in cathedra ſucceſſor, factusque poſtea Iprenſis epiſcopus, eandem ſibi viam ineundam putavit per librum, quem *Auguſtinum* appellavit; qui tamen non niſi poſt Janſenii mortem anno 1640 fuit impreſſus.

Placuit hic liber nonnullis academiæ Pariſinæ doctoribus, qui breve intra tempus geminam illius editionem procurarunt, alteram Lutetiæ, Rothomagi alteram. Prodierunt mox ea ſuper re varia opuſcula. Qui pro Janſenio ſcribebant, *Janſeniſtæ*, qui contra illum, *Moliniſtæ* dicebantur, a Ludovico Molina, ſocietatis JEſu doctore, cujus liber de concordia liberi arbitrii cum prædeſtinatione & gratia maxime erat oppoſitus doctrinæ Janſenianæ.

*Urba-*

*Urbanus VIII* anno 1641 Augustinum Jansenii prohibuit, ceu resuscitantem plures propositiones damnatas Baji. Bulla Urbani non statim fuit publicata in Flandria. Rex vero Galliæ anno 1644 Sorbonæ præcepit, ut eam secundum mentem Papæ recipiat.

*Habertus*, doctor Sorbonicus, tribus sermonibus publice doctrinam Jansenii confutavit. Sed contra eum tres apologias scripsit *Antonius Arnaldus*, juvenis doctor Sorbonicus, conjunctus cum Joanne Vergerio abbate Sancyrano, intimo Jansenii amico. Tertiæ titulum præfixit: *apologia pro sanctis Patribus &c.* in qua monstrare conatus est, Jansenii doctrinam non esse aliam, quam S. Augustini & aliorum sanctorum Patrum.

Cum igitur liber Jansenii magnas in Gallia turbas excitaret, *Cornetus*, Facultatis theologicæ Parisiis syndicus, anno 1649 septem propositiones, ex Jansenii Augustino excerptas, exhibuit, hujus tenoris.

I.

*Aliqua DEi præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.*

II.

*Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

III.

*Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

IV.

*Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vel-*

*lent, eam gratiam talem esse, cui humana voluntas posset resistere, vel obtemperare.*

V.

*Semipelagianorum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

VI.

*Sensit olim ecclesia, privatam sacramentalem pœnitentiam pro peccatis occultis non sufficere.*

VII.

*Attritio naturalis sufficit ad sacramentalem pœnitentiam.*

## Caput III

### *Ab episcopis Galliæ ad sedem apost. delatæ. Acta Romæ.*

8 DE quinque prioribus duntaxat actum deinceps, & quidem primo in *Facultate theologica.* Sed cum multi Jansenistæ acriter se opponerent propositionum examini, facile videbatur, altius fixam esse spinam, quam ut hac manu evelli posset.

Actus paulo post fuit *conventus cleri Gallicani* (anno 1650) qui caussam arduam, quæ tot in Gallia & Belgio tumultus excitaverat, ad caput ecclesiæ summum pontificem Innocentium X remittendam existimabat.

Episcopi 88 in hac erant sententia: undecim, Jansenio faventes, reclamarunt. Pars utraque suas ad Papam per deputatos direxit litteras.

Cleri litteræ.

Major ac senior pars in suis memorabat, *fidem Petri nunquam posse deficere* (ecce sensum cleri Gallicani circa infallibilitatem pontificis in controversiis fidei) secutos se consuetudinem, receptam in ecclesia, majores caussas referendi ad sedem apostolicam. Ut legi tam æquæ obediant, negotium momenti maximi, utpote quod religionem concerneret, ad suam sanctitatem deferre.

A decem

A decem jam annis Galliam agitari motibus violentissimis occasione libri posthumi Jansenii episcopi Iprensis, & doctrinæ in eo contentæ. Motus istos debuisse esse compositos auctoritate concilii Tridentini, & bulla Urbani VIII, per quam pronuntiatum de dogmatis Jansenii, confirmataque decreta Pii V, & Greg. XIII, contra Bajum lata. Ab ipso Innoc. X stabilitam fuisse hanc bullam novo decreto. Verum cum non singulæ propositiones speciali censura fuerint notatæ, quosdam existimasse, superesse locum suis cavillationibus & effugiis. Sperari autem, hæc ipsis sublatum iri, si sanctitati suæ placuerit exaudire supplices preces, & clare atque distincte definire, quid sentiendum in hac materia de singulis propositionibus Jansenii, qui morti proximus opus suum submisit decisioni sedis apostolicæ.

Papa per has litteras informatus anno 1651 *peculiarem congregationem* pro hac caussa examinanda constituit, ex Cardinalibus & aliis undecim excellentibus theologis collectam.

Venerunt autem interea Romam partis etiam adversæ delegati, cum epistola undecim episcoporum, Jansenio faventium: inter quos erant Embrodunensis, Senonensis, Aurelianensis archiepiscopi, per id maxime moti, quod Jansenistæ sparsissent, invadi Romæ jura episcoporum. Isti intellexisse se, scribebant, quosdam e confratribus suis litteras direxisse ad sedem apostolicam circa negotium summe arduum, atque petiisse, ut clare decidantur quædam propositiones, quæ ultimis annis graves tumultus excitassent in Facultate theologica Parisiis. Jansen. tergiversatio.

Non posse se approbare confratrum suorum intentionem; nam præterquam, quod quæstiones de gratia & prædestinatione divina sint plenæ difficultatibus, & magno æstu animorum ac contentione disputari soleant, non videri nunc aptum esse tempus, illas definiendi, nisi sanctitas sua velit procedere secundum formam, apud SS. Patres usitatam, repetere negotium a prima origine, illudque penitus de novo examinare, vocando & audiendo partes; secus enim, quos condemnari contigerit, jure conquesturos, se non fuisse auditos, & per calumnias adversariorum circumventos: addituros fortasse, hanc caussam ad sedem apost. fuisse delatam, antequam judicata fuerit in concilio episcoporum, contra ac usus ferat ecclesiæ. Allaturos exemplum concilii Alexandrini in caussa Arii, Constantinopolitani contra Eutychem, Carthaginensis & Milevitani contra Pelagium, aliaque concilia, primum ab episcopis contra alios hæreticos celebrata.

 Si

Si examinandæ ac decidendæ ſint propoſitiones, ordinem legitimum judiciorum eccleſiæ univerſalis, & conſuetudinem eccleſiæ Gallicanæ exigere, ut graves controverſiæ prius examinentur in locis, ubi ſunt ortæ & agitatæ. Disquirendum lento ac maturo judicio, an non propoſitiones, ſanctitati ſuæ exhibitæ, ſint formatæ pro lubitu, ut certæ perſonæ reddantur odioſæ, & excitentur turbæ: probe examinandum, in quibus locis, per quos auctores, & in quo ſenſu prodierint. Inſpiciendum curate totum opus: diſtinguendos veros ſenſus a falſis & ambiguis: informandos populos de omnibus, quæ in hac re ab origine diſputationum acta ſunt.

Niſi enim hæc omnia prius in Gallia fiant, variis artibus veritatem poſſe opprimi, calumniis prælatos & doctores denigrari, fraudibus ſanctam ſedem circumveniri in grandi negotio fidei. Doctrinam ſuam eſſe doctrinam S. Auguſtini indubitatam, dudum a conciliis & Pontificibus approbatam; tanquam ſanctorum Patrum effatis conformem. Averteret igitur DEus, ne exiſtimatio ſanctæ ſedis apoſt. & eccleſiæ Romanæ exponatur hæreticorum deſpectui, qui omnes actiones illius obſervarent.

Has litteras, quibus Janſeniſtæ, male ſibi conſcii, cauſſam Roma avocare, & per concilia longasque diſputationes protelare nitebantur, ad Pontificem attulit Sanctamorius (*Saint Amour*) doctor Facultatis theologicæ Pariſinæ, factionis Janſenianæ famoſus ſectator.

Anno 1652 Romam venerunt etiam delegati cleri Gallicani (quem ob numerum, plus quam ſepties majorem, ita appellare fas eſt). Hi *memorialia* ſua, uti vocabantur, congregationi, pro hác cauſſa deputatæ, obtulerunt. Janſeniſtæ vero moras nectebant.

Congregatio. Prima deliberatio erat, an *quinque propoſitiones* examinandæ ſint cum reſpectu ad librum Janſenii, an vero abſolute & in ſe ipſis ſecundum ſenſum, quem verba præſeferunt. Prius illud concluſum, eo quod liber Janſenii eſſet cauſſa turbarum, ac proin iis ſedandis inefficax medium exiſtimatum eſt, ſi propoſitiones illæ famoſæ non examinarentur & deciderentur cum reſpectu ad librum & intentionem auctoris.

Ultra tres menſes ſingulæ propoſitiones per plures ſeſſiones fuerunt examinatæ a congregatione deputata. Janſeniſtæ autem continuo apud eandem, & ipſum etiam Papam inſtiterunt, ut cauſſa vel in Galliam remitteretur, vel ſaltem tractaretur ad modum controverſiæ *de auxiliis*, per communicationem ſcripturarum & diſputationes.

Pon-

Pontifex igitur, a Cardinale Spada, congregationis illius decano, informatus de omnibus, quæ acta fuerant, juſſit, primum Janſeniſtas admitti & audiri a congregatione. Verum, cum viderent, ſe non admittendos ad diſputandum coram ſuis adverſariis, reſponderunt, vi ſuæ commiſſionis non poſſe ſe loqui, niſi coram tali congregatione, qualem petiiſſent, prout olim Lutherani de concilio Tridentino dicebant.

Spada repoſuit, viam diſputationum minus eſſe idoneam huic negotio, nec alium allaturam fructum, niſi, ut materiæ magis intricentur, & cauſſa in longum protrahatur: attulitque exemplum congregationum de *auxiliis*, quæ propterea in quartum annum fuiſſent productæ. At Janſeniſtæ reſponſioni ſuæ pertinaciter inhæſerunt. Cleri vero legati comparuerunt, & auditi ſunt.

Collecta dein ſunt conſultorum ſuffragia, ſcripto data, quæ conſentiebant, exceptis quatuor, *generalis videlicet Auguſtinianorum*, *Magiſtri ſacri Palatii*, *& Commiſſarii de ſancto officio*, *ex PP. Prædicatorum pariter familia*; *& VVadingi ex ordine S. Franciſci*; qui, exiſtimantes ſcholarum ſuarum doctrinam de gratia intrinſece efficaci peti, nolebant propoſitiones cenſura notari cum reſpectu ad librum & intentionem Janſenii. 4 Diſſentiunt.

Papa lectis ſuffragiis ſpecialem congregationem indixit, cui ipſus interfuit, omniumque vota conſultiva denuo exquiſivit. Denique etiam Janſeniſtis, ut nihil eſſet, quod opponerent, plenam poteſtatem fecit, coram ſe & congregatione commiſſariorum ac conſultorum comparendi, & ſive voce ſive ſcripto, quæcunque vellent, proponendi. Quod conſilium tandem amplexi ſunt.

Cum igitur die conſtituta congregationem fuiſſent ingreſſi, *Lanius* longam orationem habuit, qua monſtrare intendit, quod tota controverſia de quinque propoſitionibus fuerit mota ad evertendam auctoritatem S. Auguſtini. Alterum ſermonem inſtituit *Deſmarius*, quo monſtrare conatus eſt, quod gratia *per ſe ipſam efficax*, quæ facit velle, & agere, ſit neceſſaria ad omne opus bonum: & quod *omnis alia gratia ſit Pelagiana.* Ex quo patet, nullam ab ipſis gratiam Chriſti *mere ſufficientem* fuiſſe agnitam.

Caput

# CAPUT IV

## *Damnatio 5 propoſitionum. Promulgatio in Gallia.*

4 AD noctem usque Janſeniſtæ orationes ſuas produxerant, Pontifice magna cum patientia & attentione eos audiente. Antequam autem recederent, quinque ſcripta Pontifici obtulerunt. Quibus per plures congregationes examinatis, indictisque publicis precibus ac ſupplicationibus, Papa Innocentius bullam edidit, per quam (anno 1653) quinque illas famoſas Janſenii propoſitiones ſolenniter condemnavit, poſtquam 50 congregationes tum coram eo tum coram Cardinalibus, ad id deputatis, fuerant celebratæ.

Papa bullam illico miſit ad Ferdinandum III imperatorem, reges Franciæ, Hiſpaniæ, Poloniæ, electorem Bavariæ, principes Rhenanos, tres electores eccleſiaſticos, Leopoldum archiducem Belgii gubernatorem, atque ad epiſcopos Galliæ in communi. Affigi quoque pro more illam juſſit ad valvas eccleſiæ S. Petri, & in campo Floræ, loco urbis frequentiſſimo.

In hac bulla memorat Pontifex, occaſione libri, cui titulus: *Auguſtinus*, Cornelii Janſenii ortam fuiſſe, præcipue in Gallia, de quinque propoſitionibus ejusdem auctoris litem. Plures epiſcopos illius regni apud ſedem Apoſtolicam inſtitiſſe, ut dictæ propoſitiones examinarentur, & quid de ſingulis tenendum pronuntiaretur.

Et primam quidem ex illis: *aliqua DEi præcepta hominibus* Censura. *juſtis, volentibus & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant:* Papa declarat *temerariam, impiam, blaſphemam, & hæreticam,* & ut talem condemnat, & anathemate ferit.

Secundam: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur:* tanquam hæreticam.

Tertiam: *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione:* pariter declarat, condemnatque *hæreticam.*

Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in*

*hoc*

*hoc erant haeretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare* : declarat & condemnat *falsam ac haereticam.*

Quintam denique : *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fundisse* : declarat *falsam, temerariam, scandalosam* : & si intelligatur in eo sensu, quod Christus pro solis praedestinatis sit motuus, illam declarat impiam, blasphemam, injuriosam bonitati DEI, atque haereticam.

Protestatur deinde Pontifex, se per hanc declarationem, definitionem & condemnationem memoratarum quinque propositionum nullatenus approbare alias, in eodem Jansenii libro contentas.

*Romae ad S. Mariam majorem* 31 *Maji* 1653.

Nuntius apostolicus in Gallia mox regem, reginam, & Cardinalem Mazarinum de omnibus edocuit, quae Romae in hac caussa gesta fuerant. Mazarinus episcopos convocavit, qui triginta numero Parisiis congregati, una voce magna cum veneratione bullam receperunt, atque missis ad Papam litteris, quibus gratias egerunt, aliisque ad omnes episcopos & praelatos, observationem illius promiserunt, caussam etiam feliciter finitam Pontifici gratulantes.

Postquam, accedente mandato regis, bulla per totum regnum promulgata, recepta atque in acta relata fuerat, facultati etiam theologicae Parisiensi, in qua plures Jansenistae erant, aut eis favebant, fuit proposita, atque ab ea recepta, & quidem ea adjecta lege, ut, si quis aliquam ex dictis propositionibus defendere praesumeret, a sacra facultate esset exclusus.

Nec minori consensu acceptata fuit constitutio ab omnibus communitatibus ordinum religiosorum, & universitatibus totius Acceptata.
regni : prout etiam in Belgio a consilio Brabantino, clero & academiis. Quod eo Catholicis erat jucundius, quod non deessent, qui per plures jam annos constitutioni Urbani VIII se opponerent, in qua tamen non nisi generica prohibitione & censura liber Jansenii fuerat perstrictus.

# CAPUT V.

## *Jansenistarum molimina. Wadingi, & Thomassini retractatio.*

JAnsenistae interea, cum tantum populorum consensum adversum se viderent, varias formas induerunt. Ex una parte 5
constitutioni Innocentii X se submittere visi sunt, propositiones damnatas censuris, quibus inustae sunt, dignas professi. Defen-

ſas illas a ſe fuiſſe hactenus ea opinione, quod ſint conformes cum ſententia de gratia per ſe ipſam intrinſece efficaci; ſed quoniam a ſummo Pontifice viva voce fuerit declaratum, ſententiam illam Thomiſtarum non fuiſſe damnatam, ſe non amplius propoſitiones illas, in malo & condemnato ſenſu acceptas, defenſuros, quantum ad quæſtionem juris ſpectat.

Ex altera vero parte non ceſſabant condemnationem illam traducere, tanquam informem, præcipitatam, & a Moliniſtis contra eccleſiæ regulas factam, cum ſibi non fuerit conceſſa congregatio, qualem petiiſſent. Sanctamorius anno 1662 diarium Janſeniſticum edidit, querelis contra ſummum Pontificem, & Cardinales plenum. Quaſi vero per tot congregationes, per tot theologos, viros doctiſſimos, per triennium continuatas, negotium non fuerit ſatis examinatum.

Præcipue vero duo carpebant, primum, quod omiſſa ſit diſtinctio ſenſus, in quo propoſitiones ſint condemnatæ. *Reſponſum* illis, propoſitiones damnatas fuiſſe in ſenſu proprio, claro, litterali, & ſecundum ordinariam verborum ſignificationem acceptas: Janſeniſtas vero ad implicandas res claras & totum negotium ſufflaminandum ad ſenſus improprios & tortos fuiſſe delapſos, ad quos, in *tribus columnis oblatos*, nulla adhibenda fuiſſet attentio.

Alterum, quod reprehendebant Janſeniſtæ, eſt, quod falſo aſſeratur, quinque propoſitiones illas *contineri in libro Janſenii*, eo præſertim *ſenſu hæretico*, in quo eſſent damnatæ. Janſenium nihil tradidiſſe, niſi puram doctrinam S. Auguſtini; atque ad hanc

Janſ. quæſt. facti exagitant.

*quæſtionem facti* Janſeniani deinceps contentiones ſuas potiſſimum devolverunt, pertinaciter aſſerentes, Papam & eccleſiam in quæſtione facti, quod non eſt revelatum, non eſſe infallibilem; quamvis demonſtratum ipſis fuerit, eandem non modo eſſe infallibilem in quæſtionibus dogmaticis juris, neque tantum in quæſtionibus facti dogmaticis, ſed etiam in iis, quæ cum his connexionem habent; qualis quæſtio vel maxime eſt, quis ſit ſenſus propoſitionum, in aliquo libro contentarum; alias nemo tanquam hæreticus poſſet damnari; quia ſemper dici poſſet, auctorem verba non ſumpſiſſe in ſenſu damnato; & ſic concilia generalia non fuiſſent infallibilia in dicendo anathema Ario, Macedonio, Neſtorio, Eutychi, Monothelitis, Iconoclaſtis, Luthero & Calvino. Quod a nemine Catholico dici poteſt. Imo videretur ſequi, eccleſiam ne quidem fore infallibilem in declarando ſenſu verborum S. ſcripturæ; quia videtur eſſe quæſtio facti, quem ſenſum DEus

inten-

intenderit per verba, imo etiam, an in his determinate libris contineatur verbum DEI.

Ceterum Jansenistæ fassi sunt, *primam propositionem de verbo ad verbum* in Jansenii libro contineri: de reliquis quatuor eorum adversarii asserebant, eas non quidem iisdem formalibus verbis fuisse expressa, *quoad substantiam* tamen & *quoad sensum* in eodem comprehendi.

Negabant hoc Jansenistæ, contendentes, considerato contextu & intentione auctoris, non aliud ab eo asseri, quam gratiam de se intrinsece efficacem, prout physicarum prædeterminationum patroni eandem defenderent contra gratiam sufficientem, a Molina assertam. Falsissime autem dicebant, hanc de gratia sufficiente doctrinam in congregationibus *de auxiliis* fuisse condemnatam.

Accusata illa fuerat a quibusdam sacræ prædicatorum familiæ doctoribus, primum in Hispania, deinde etiam apud sedem Apostolicam; per multas ibi congregationes examinata, ac denique, prout toti orbi notissimum, absoluta fuit, prohibita omni censura, qua adversarii condemnari eandem volebant.

Quidam Jansenistæ prompte damnationi quinque propositionum subscribebant, affirmantes, se eas defendisse cum Jansenio, quatenus cum sententia de gratia, per se ipsam efficaci, consentirent, nunquam vero in sensu, ab ecclesia damnato.

At falsum hoc erat. Nam propugnaverant illas, in sensu Jansenii litterali, naturali, ac proprio acceptas, in quo sensu tanquam hæreticæ deinde sunt damnatæ. Si enim nihil aliud tenuissent, quam doctrinam de gratia intrinsece efficaci, quam ecclesia non damnavit, quid opus erat adversus bullam Innocentii X, & Alexandri VII, adversus decreta & formulas subscriptionis, ab episcopis & clero Gallicano propositas, adversus censuras Sorbonæ, tot motus ciere? Quid opus tot libellis, protestationibus, tergiversationibus? Ad quid statim post editam bullam Innocentii X tanta Jansenistarum perturbatio, consternatio, inquietudo? Ad quid tot clamores & querelæ contra modum procedendi, in Romanis congregationibus observatum? cur ergo perrexerunt, ecclesiæ pacem turbare? nempe in Jansenii propositionibus damnatam sentiebant hæreticam suam doctrinam. Hoc dolebat, hoc urebat: inde clamor, inquies, querelæ.

In sensu Jansenii eas defenderant.

Plures post bullam Innocentii X retractarunt suam sententiam inter quos Wadingus, unus e quatuor consultoribus Romanis, qui Jansenistis favere videbantur, in obsequium fidei, uti dicebat,

 capti-

captivans intellectum. Sed quid opus retractatione, si non erra-runt? Quid opus nunc captivare intellectum, si propositiones non defenderant in sensu damnato?

Thomassini retractatio. Hos inter, qui doctrinam suam retractarunt, præter abbatem *Bourzeum*, fuit etiam Ludovicus *Thomassinus*, congregationis Oratorii presbyter, magnæ vir probitatis, vastæque eruditionis; quam in libris de *veteri & nova ecclesiæ disciplina* maxime demonstravit. Hic, dum juvenis S. Augustinum non legisset, nisi in libris Jansenii & ejus fautorum, raptus fuit in errorem. Verum postquam ipsum S. Augustinum in fonte illimi legerat, facile deprehendit, quam falso & imperite errores suos, & eorum, ex quibus illos hauserat, S. Augustino imposuisset, ac proin, qua erat modestia & veritatis sincere amans, publice eos retractavit, acerrimus deinceps Jansenistarum adversarius: palam contestatus, Calvinistarum hæresin incurrere, qui propositiones eas quinque damnatas defenderet.

Certe sicut veteres hæretici in defensionem erroris sui S. scripturam & patres allegarunt, sic isti S. Augustinum, non a S. Augustino decepti, sed a commentitio Augustino Jansenii. Imo ultra magistrum suum sunt progressi ejus discipuli; nam Jansenius tum in libro suo, tum etiam in fine vitæ suæ doctrinam suam subjecit judicio ecclesiæ, vetuitque, ne Augustinus suus edatur sine ejus approbatione (per quod in persona sua evitavit anathema) non autem veram S. Augustini doctrinam subjecit ecclesiæ, & in lucem edi prohibuit, utpote in materia de libertate & gratia ab ea jam receptam. Dubitavit igitur ipse de sua propria doctrina, an sit orthodoxa, & doctrina S. Augustini, & propterea illam *conjecturam* appellavit. At vero ejus discipuli, invito magistro, eandem tubas velut inter & tympana cum ingenti ecclesiæ Gallicanæ perturbatione ebuccinarunt, nulla ecclesiæ approbatione præmissa, post constitutionem Innocentianam in id intenti, ut pertinaciter negarent, doctrinam damnatam *contineri in Augustino Jansenii*, aut contineri *in sensu damnato*.

# CAPUT VI.

## *Altera Innocentii bulla. Censura facultatis in duas Arnaldi propositiones.*

Quare, ut eorum effugiis viam præcluderent, episcopi & clerus Gallicanus anno 1654 congregati declararunt, quinque pro-

propoſitiones damnatas fuiſſe, *prout ſunt Janſenii*, & in *ſenſu Janſenii*, idque ipſum per breve apoſtolicum confirmavit Innocentius X, id videlicet in condemnatione quinque propoſitionum intentionis ſuæ fuiſſe, ut condemnarentur, tanquam in libro Janſenii comprehenſæ, & in ſenſu ab eo intento.

Plura alia Janſeniſtarum ſcripta eadem conſtitutione Papa condemnavit, uti duas apologias pro Janſenio ab Arnaldo compoſitas: opus de gratia victrice, per *Lanam* Janſeniſtam editum: ſcriptum *trium columnarum*, quibus triplex ſenſus propoſitionum fuerat diſtinctus.

Receptum hoc breve apoſtolicum magna cum veneratione ab epiſcopis & clero Gallicano, anno 1655 Pariſiis congregato, communicatumqut omnibus prælatis, regularium communitatibus, animarum paſtoribus, ac beneficiariis, cum mandato, ut omnes & ſinguli eidem ſubſcribant. Acceptatum pariter eadem cum reverentia fuit a ſacra facultate theologica; quæ ſimul cenſuram tulit in *famoſam epiſtolam Arnaldi.* Quod negotium cum ad eruditionem & hiſtoriam eccleſiaſticam illius temporis ſpectet, operæ pretium fuerit, illud hic prolixius aliquantum exponere.

*Antonius Arnaldus*, doctor Sorbonicus, uti non vulgaris eruditionis & eloquentiæ, ita vehementis & turbulenti ſpiritus homo, velut caput Janſeniſtarum habebatur. Hic anno 1655, 40 tunc circiter annorum ætate, famoſam epiſtolam ſcripſit ad ducem quemdam & Parem Franciæ, cui parochus ſuus ob Janſeniſmi ſuſpicionem ſacramenta negaverat. Arnaldi epiſtola.

Plures theologi, cum viderent, in hac epiſtola defendi librum Janſenii renovarique primam illius propoſitionem, per ſyndicum ad examen facultatis theologicæ epiſtolam illam detulerunt.

Sanctamorius (*de Saint - Amour*) doctor pariter Sorbonicus interceſſit examini: epiſtolam Arnaldi Romam ad Pontificem miſſam referens, ejusque cenſuræ fuiſſe ſubjectam; ne igitur facultas judicium Sedis Apoſt. per examen ſuum præveniret.

Conventus ſuper propoſitione ſyndici & oppoſitione Sanctamorii deliberavit, & per majora ſuffragia concluſit, epiſtolam Arnaldi eſſe examinandam. Lecti mox octo commiſſarii, qui negotium ſuſciperent, atque ad conventum referrent.

Ultra 60 doctores, Sanctamorio juncti, una cum Arnaldo a facultatis decreto *tanquam abuſu* ad Parlamentum provocarunt, porrecto libello ſupplici, ut ad examen non procederetur. Syndicus nomine facultatis pariter libellum obtulit pro executione decreti:

creti: simulque rogavit, ut secundum ordinationes factas duo tantum doctores mendicantes ex qualibet domo religiosa ad conventum facultatis admitterentur.

Parlamentum examen epistolæ Arnaldinæ a lectis facultatis commissariis illico suscipiendum pronuntiavit. Mendicantibus vero Sorbonicis doctoribus & sacræ facultatis membris, possessionem allegantibus, permissum, ut, quotquot vellent, conventui interessent.

Igitur designati a facultate doctores per integrum mensem epistolam Arnaldi diligenter examinarunt, censuraque dignam pronuntiarunt. At vero Arnaldus ejusque asseclæ omnem moverunt lapidem, ne illa ferretur. Ad duo autem potissimum capita reduxerunt suas exceptiones, quorum alterum quæstionem *juris*, alterum *facti* contingebat.

Quantum ad istud, dicebat Arnaldus per litteras (nam in persona comparere, licet citatus, noluit) propositiones condemnatas fabricatas fuisse ab hostibus doctrinæ S. Augustini, falsoque affictas episcopo Catholico, in cujus libro non inveniantur; non posse igitur se contra conscientiam dicere, illas ibidem contineri.

Quæstio juris præcipue respiciebat hanc in epistola Arnaldi comprehensam propositionem: quod *gratia, sine qua nihil possumus, defuerit S. Petro, quando peccavit.* Qua ratione incidit in primam propositionem Jansenii, tanquam hæreticam a Papa & episcopis condemnatam.

Quæstio utraque, post factam a deputatis relationem, in pleno doctorum senatu diu fuit discussa; cum autem Arnaldistæ obstreperent, & clamoribus omnia turbarent, rex *Sequierum* aulæ cancellarium in conventum misit, qui regia auctoritate tranquillitatem, modestiam, & ordinem conservaret.

Postquam autem coram illo plures adhuc consessus fuerant celebrati, collecta fuerunt doctorum suffragia. Centum & triginta, quos inter septem erant episcopi, propositionem Arnaldi, quæstionem facti concernentem, damnarunt tanquam *temerariam, scandalosam, injuriosam Papæ & episcopis, quæque occasionem præbeat renovandi condemnatam doctrinam Jansenii*: 68 doctores vero, licet in diversas irent sententias, in eo tamen conveniebant, censuram hanc publicam nimis acerbam videri. At decanus facultatis secundum pluralitatem votorum conclusit.

Damnatur a Sorbona.

Resumpta dein fuit quæstio juris; & ne protrahatur nimis negotium, cuilibet doctori dimidia duntaxat hora ad disserendum fuit concessa. Displicuit id Arnaldistis, in omnem occasionem intentis, qua

qua caussam prolongarent. Igitur, libertatem loquendi restrictam sibi conquesti, nunquam deinceps in consessibus comparuerunt. Arnaldus vero coram notario declaravit, quod non possit conventum facultatis pro legitimo agnoscere, in quo adempta esset theologis potestas deducendi rationes suæ sententiæ, quique aliis laboraret defectibus insanabilibus: agenda deinceps irrita fore.

Protestationem hanc ad conventum misit. Verum is nullam illius rationem habendam duxit: sed continuatis congressibus propositionem, quæstionem juris continentem, per 130 suffragia condemnavit ceu *temerariam*, *impiam*, *blasphemam*, *anathemate percussam*, *atque hæreticam*: additumque, nisi Arnaldus quindecim intra dies censuræ huic se submiserit, eique subscripserit, eum de corpore facultatis abscissum, & e catalogo doctorum deletum fore: eodemque modo procedendum cum aliis doctoribus, qui dictas propositiones approbaverint, aut verbo vel scripto defendere præsumpserint.

*Actum ultima Januarii 1656.*

Mense Martio hæc censura facultatis recepta particulariter etiam fuit a conventu Sorbonico, & in ejus acta relata, conclusumque, ut; quisquis non subscripserit, omnibus juribus Societatis Sorbonicæ sit privatus. Eadem censura approbata fuit a clero Gallicano, hoc eodem anno Parisiis congregato. Neque ullus unquam postea in facultate theologica Parisiensi ad gradum doctoris aut baccalaurei fuit admissus, qui censuræ huic non subscripsisset. Archiepiscopus quoque Parisiensis ratam eandem habuit; Alexander VII vero, Innocentii X successor, Arnaldum *filium iniquitatis & perturbatorem quietis* appellare non dubitavit.

Ejus cavillationes.

Multas Arnaldus tum per se ipsum, tum per amicos suos, apologias edidit contra hanc censuram sacræ facultatis, eandem injustitiæ, & veritatis oppressæ accusans; prout solent, qui per justam sententiam sunt condemnati. Commissarios fuisse inimicos suos, querulabatur; mendicantium theologorum turbam inter judices sedisse, prout etiam doctores ex seminario S. Sulpicii, contra quorum parochum, sacramenta illustri personæ negantem, epistolam suam scripsisset: disputandi in conventu copiam sibi fuisse negatam, nec apologiam suam lectam: limitatum fuisse differendi tempus; cancellarium Franciæ interfuisse contra usum & consuetudinem. Condemnationis sententiam non fuisse per duas votorum tertias contra se latam, cum plures quam 71 pro se steterint; conclusionem a de-

a decano facultatis pronuntiatam per sola hæc verba: *ego concludo*, quin exprimeret, quid concludat.

At vero pars adversa prolixe ac erudite demonstravit, hæc omnia partim falso, partim frivole ab Arnaldo fuisse objecta ad eludendam condemnationem, ac propterea nullum ab eo inventum tribunal ecclesiasticum, nullam academiam Catholicam, quæ censuram improbaret. Et, licet ad sedem Apostolicam recurrisset, nihil tamen inde retulisse, nisi quod sit *filius iniquitatis & perturbator pacis in ecclesia.*

Et hinc dum postea Clemens IX, aut etiam Innocentius XI, Arnaldi non sine laude aliqua meminerunt, inde profluxit, quod mutatum crederent; varias enim formas, ad decipiendum compositas, induere noverat. Re ipsa autem errorem suum ac hæresin Jansenianam nunquam deposuit, sed eidem fuit immortuus.

# Caput VII.

## *Dissertatio de litteris provincialibus, a Jansenistis consarcinatis.*

7 CUm Arnaldus ac Jansenistæ reliqui cernerent, suam doctrinam a summis Pontificibus, episcopis & clero Gallicano, a Sorbona & aula regia damnari, ut populi sermonem a se averterent, belli theatrum in alieno solo figendum rati, Jesuitis, quos adversarios suæ doctrinæ noverant, & accusatores suos putaverant, atrox bellum indixerunt, *Pascalis* præsertim, Portu-Regiensis communitatis secretarius, qui sub nomine *Ludovici Montaltii* 18 epistolas scripsit, quæ *provinciales* appellabantur, mendaciis, calumniis, & contumeliis plenas. In primis Arnaldum & Jansenistas defendit, dein patres Dominicanos aggressus, inconstantiæ & contradictionis eos redarguit, quod gratiam de se intrinsece efficacem propugnarent, & tamen etiam gratiam inefficacem & mere sufficientem contra principia suæ scholæ nunc post propositiones damnatas admitterent; in quo doctrinæ consequentiam requirebat.

Pascalis.

Verum mox ab his digressus virus omne, bilem, & splenem, in patres Societatis JEsu, quam pessime oderat, ceu doctrinæ Jansenisticæ maxime adversam, effudit; *moralem* eorum *doctrinam*, tanquam laxam nimis morumque ac disciplinæ corruptelam horrendis calumniis insectatus. Mirum; si severiores eorum morum regu-

læ ipsis dictent, licitum sibi esse aliorum famam libellis famosis proscindere. Quam bene Christus Matth. 23 de scribis & Pharisæis: *dicunt, & non faciunt: alligant autem onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.*

Litteræ istæ provinciales (sic dictæ, quod primæ decem ad quendam provincialem, seu de provincia hominem fuissent directæ) mox typis impressæ, avide legebantur, prout solent acerbæ satyræ, ridiculi sales, & agyrtarum nugæ, in vulgus sparsæ; atque, ut latius disseminarentur, a *Nicoleo* seu *Nicolio*, Pascalis Portu-Regiensi socio, sub nomine *VVendrokii* latinitate donatæ, variisque episodiis & sutelis auctæ sunt.

Plures mox apologiæ pro Societate infami illi scripto fuerunt oppositæ, monstratumque, esse prorsus incredibile, tot tantosque ex omni ordine & natione doctores tradituros fuisse doctrinam de usu *sententiarum vere probabilium*, si illa esset corruptela morum, contra legem Evangelicam, & normam Patrum, atque ecclesiæ perniciosa.

*Bartholomæus Medina*, inquiunt, in expositionibus suis aureis cum approbatione sui Generalis, applaudente tota illustrissima Patrum Prædicatorum familia, antequam ullus Jesuita moralem hanc doctrinam calamo committeret, publice docuit, eam sibi stare sententiam, quando sententia aliqua est probabilis, permissum esse eandem sequi, quamvis opposita opinio sit probabilior. Idem sensit scripsitque Joannes *Niderus* in libro suo *de consolatione conscientiæ timoratæ:* idem Sylvester *Prieras*, Joannes Baptista *Haquet*, Ludovicus *Lopez*, Franciscus *Victoria*, Ildephonsus *Baptista*, Didacus *Alvarez*, *Mercadus*, omnes ex sacro S. Dominici ordine, antequam quisquam de Societate ea super re os aperiret, Probabilismi doctrinam zelose propugnarunt?

Doctores Probabilistæ.

An hi omnes viri, utique doctissimi & pientissimi, morum corruptores, & disciplinæ in ecclesia eversores fuerint? An ita cæci, ut eorum nullus pessimas doctrinæ suæ sequelas prævideret, aut ita impius, ut prævisas non caveret? *Malderus*, & *Bonacina* episcopi, *Isambertus*, *Duvalius*, *Gamachus* celebres professores Sorbonici, *Bailius* doctor Parisiensis, an omnes ad corrumpendam morum doctrinam & inducendam disciplinæ laxitatem conjurarunt?

*Salonius* ex ordine S. Augustini docebat, quod doctrina Probabilismi sit communissima & maxima auctoritate firmata: ean-

dem tenuit torrens doctorum ex omni genere & ſpecie, ſacerdotes ſæculares, religioſi, epiſcopi; an hi omnes, univerſitates omnes, religioſi ordines omnes ita cæci rudesque fuerunt, ut nihil viderent, aut ita mali, ut doctrina ſua monſtroſa & peſtilenti (prout eam Paſcalis Janſeniſta appellat) eccleſiæ diſciplinam perverterent?

A centum annis, poſtquam Janſeniſtæ, ſeveri (ut videri volunt) morum cenſores in Gallia invaluerunt, poſtquam Catholici etiam ſeveriorem ſententiam docuerunt, an melior facta propterea eſt Gallia? an non multos videre eſt verbis Curios & Catones, factis Apicios & Piſones? alios in theoria, alios in praxi; auſteros aliis, ſibi faciles? Si certa DEi præcepta legesque indubitatas ſervarent omnes, quam ſancti forent! videant, ne ſibi probabilius dicant, quod ne quidem eſt probabile. Caveatur, ne dicatur probabile, quod tale non eſt, & nullum erit laxitatis periculum.

Aut, ſi Probabiliſmus tantum eſt monſtrum, quale depingit litterarum provincialium fabricator, quare eccleſia illud non in primis jam cunis extinxit? cur accreſcere permiſit? quare etiamnum illud tolerat? Eccleſia ſancta DEi haud dubie non minus habet luminis nec minus zeli, quam iſti ardentes, ſi ſuperis placet, reformatores: cur ergo fulmina Vaticana, quæ tot alios errores profligarunt, Probabiliſmo, errorum, ſi Paſcalem ejusque complices audimus, & corruptionis fonti primæque ſcaturigini pepercerunt? Defertur, accuſatur, denigratur, vix non ignis de cælo provocatur. Et Roma ſilet. Imo locuta eſt, non ſemper oportere tutiorem ſequi; non ſemper requiri certitudinem circa licentiam actionum noſtrarum moralium; falſum eſſe, quod non liceat ſequi inter probabiles probabiliſſimam. At nunquam dixit, quod in concurſu duarum opinionum vere probabilium, quæ verſantur circa licentiam actionis, neceſſe ſit indagare, quænam ſit probabilior, (quod in praxi ſæpe eſt impoſſibile) aut probabiliorem eligere.

Novit ſiquidem ſedes apoſtolica, materiam de opinionibus probabilibus circa exiſtentiam vel non exiſtentiam legis, earumque uſum licitum a plurimis celeberrimis ex omni gente doctoribus nova diligentia ex inſtituto fuiſſe examinatam, nihilque deprehenſum, quod corruptionem diſciplinæ induceret: laxitatem doctrinæ non ex uſu opinionum vere probabilium promanare, ſed ex eo, quod aliqui nimis leviter hoc vel illud in particulari licitum, probabile vel probabilius eſſe aſſerant. Hinc ſedes apoſtolica non Probabiliſmum, juſtis circumſcriptum limitibus, condemnavit, ſed propoſitiones particulares, quæ nullatenus ex recto uſu Probabiliſ-

mi

mi profluunt; alias, quod ante observatum, ante omnia fons ipse debuisset obstrui, ut exarescant rivuli.

Quamvis igitur usus veri Probabilismi sit omnino innocens, & ab illis duntaxat tanquam corruptela morum reprehendatur, qui aut verum quæstionis statum ignorant, aut illum, ut omnia miscere & confundere possint, de industria pervertunt, aut certe argumenta gravissima, intrinseca & extrinseca, non penetrant. Demus tamen, per momentum, Probabilismum, seu benigniorem circa usum opinionum probabilium doctrinam, esse illam (ut loquuntur memorati apologetæ) Pandoræ pyxidem, ex qua omne malum in ecclesiam profluxerit; an Jesuitæ doctrinam hanc in mundum induxerunt? quin imo, quod dictum, antequam vel unus de hac materia scriberet, communis illa erat in scholis, atque ab omni hominum genere tradebatur. Quanta ergo est Pascalis, sub larva Montaltii latere volentis, ipsiusque assectarum iniquitas, quod solos Jesuitas in theatrum producant, iisque maligne imputent tanquam proprium, quod innumeris aliis doctoribus est commune!

Non fuit a Jesuitis inventa hæc doctrina, sed a Patribus Dominicanis aliisque accepta. Viam ab aliis jam tritam inierunt. Hodiedum plurimi ex diversis sacris ordinibus & sacerdotibus sæcularibus eandem tenent. Ut quid ergo solis Jesuitis Pascalis eandem imputat? nunquam societas illam tanquam suam adoptavit, sed liberum suis reliquit, quam probabiliorem censerent, eligerent, imo universim hortatur, mandatque, ut, in moralibus præsertim, sententias magis receptas, &, quoad fieri potest, magis securas sequantur. Hinc etiam non pauci, qua docendo in scholis, qua editis libris circa usum opinionum in utramque partem probabilium severiorem sententiam sunt amplexi: & illi quoque, qui benigniorem tradiderunt, eam arctioribus, quam alii, terminis circumscripserunt. Injuriam ergo Societati faciunt, qui Probabilismum ei tanquam proprium attribuunt, eamque corruptæ propterea morum disciplinæ per gravissimas calumnias ream agunt, prout impudenter fecit Pascalis.

Quapropter, tametsi ipsius litteræ provinciales multum rumoris, apud vulgus præsertim, fœminas, & curiones quosdam in Gallia excitarint, sonantemque a Jansenistis applausum tulerint, non tamen, quibuscunque artibus essent concinnatæ, sapientum oculos excæcarunt, quin malam earum fidem, calumnias, totum-

que odii & malignæ affectionis partum vivis coloribus depictum cernerent.

Literæ provinciales damnatæ.

Hinc Parlamentum Provinciæ Aquis Sextiis eas litteras ad flammas condemnatas publice comburi per carnificem curavit, tanquam *repletas calumniis, falsitatibus, diffamationibus & publicæ rei perniciosas.* Plures episcopi gravibus censuris easdem affecerunt; summus Pontifex vero publice illas damnavit 6 Sept. 1657, idemque anno 1660 factum auctoritate regia Parisiis; uti etiam a sancta Inquisitione Hispanica, quæ illas prohibuit tanquam continentes propositiones *hæreticas, erroneas, seditiosas, scandalosas,* atque in scholam Thomistarum & Societatem JEsu contumeliosas. Acta hæc sunt, postquam Nicoleus ex eodem Portu - Regiensi conventu doctor, sub nomine Guilielmi *VVendrokii* Pascalis litteras provinciales latine versas *notis*, textu pejoribus, infarsit, atque sub larva Pauli Irenei *disquisitiones*, non minus malignas, adjecit.

Hæc Nicolei opera una cum litteris provincialibus Pascalis 14 Sept. 1660 decreto sanctioris consilii Parisini a carnifice publice lacerata & concremata sunt. Sententia quoque episcoporum, doctorum & professorum sacræ facultatis Parisiensis tanquam *hæretica, maledica, petulantia, in summum pontificem, episcopos, regem, S Facultatem Parisiensem, religiosas familias*, ad rogum sunt damnata. Ecce! quam illustres libros & auctores postea Tubæ Magnæ ac Majoris consarcinatores, aliique libellorum famosorum fabri sibi imitandos & perscribendos censuerint!

At Jansenistæ, gens impudens, atque summis etiam potestatibus, ecclesiasticis & politicis, proterve refractaria, tot cauteriis & inustis stigmatibus parum mota, non desiit frontem contumacem opponere, atque judices suos, cumque iis Jesuitas Pelagianismi ac Semipelagianismi reos proclamare.

Ceterum quis fuerit Pascalis, statim in prima sua epistola provinciali prodidit, dum scripsit, Molinistarum doctrinam pugnare cum fide, Thomistarum cum ratione, Jansenistarum vero utramque optime conciliare. At nullatenus sibi constitit; nam licet epistola secunda Thomistarum gratiam sufficientem risu exploserit, in ultima tamen epistola dicere non fuit veritus, Jansenistas de gratia non aliter sentire ac Thomistas.

Ipsi ejus Portu-Regienses socii, quantumvis Jansenizantes, & Societatis JEsu osores acerbissimi, inconstantiam & levitatem in scribendo eidem exprobrarunt. *Non potest*, dicebant, *Pascalis testimonii*

*stimonii haberi ratio, sive respiciantur facta, quæ narrat; quia de illis parum erat instructus; sive considerentur consequentiæ, quas inde deducit, & intentiones, quas adversariis suis attribuit; quia super fundamenta falsa & incerta sua struit systemata, quæ non subsistunt, nisi in ejus spiritu.*

# CAPUT VIII.

## *Continuatio dissertationis de litteris provincialibus.*

PRæter alios multos litteras provinciales Montaltii & adjunctas notas ac disquisitiones Wendrokii docte ac solide confutavit *P. Daniel auctor dialogorum*, cum multis approbationibus editorum Augustæ Vindel. anno 1696. 8

Initio hujus editionis apponuntur varia decreta, quibus litteræ provinciales fuerunt condemnatæ: uti 1 decretum sanctioris consilii regis Christianissimi de litteris Montaltii hæreticis, & maledicis per manum carnificis lacerandis & comburendis.

*Parisiis 23 Sept. 1660, actum coram ipso rege.*

2. Judicium episcoporum, doctorum, & professorum S. Facultatis Parisiensis, quo testantur, in iis litteris *Jansenianas hæreses ab ecclesia damnatas propugnari*, prout etiam *in notis VVendrokii, & adjunctis disquisitionibus Pauli Irenæi.* Testantur insuper, *maledicentiam & petulantiam tribus illis authoribus adeo esse familiarem, ut nulli hominum conditioni parcant, (exceptis Jansenistis) non summo Pontifici, non episcopis, non regi, non præcipuis regni administris, non S. Facultati Parisiensi, non religiosis familiis; ideoque librum esse dignum pœna, libellis famosis & hæreticis a jure constituta.*

Actum Parisiis 7 Sept. 1660.

3. Exhibet decretum senatus Aquensis in Provincia, quo, auditis cognitoribus, qui eas litteras declararunt *famosas, calumniis plenas, & publicæ rei perniciosas*, mandavit eas a carnifice in flammas, ut comburantur, conjici, statuta gravi corporali pœna in typographos, aliosque, qui illas imprimere, retinere, vendere, aut distrahere præsumerent.

*Actum Aquis Sextiis in curia 9 Febr. 1657.*

Confutatæ a P. Daniele.

In 1 dein dialogo refert laudes, quas in litterarum provincialium librum conjecerunt *Perraltus* abbas aliique: in dialogi arte unum esse instar omnium illustrissimum Pascalem in 18 suis litteris provincialibus; millioni hominum, a quibus fuissent perlectæ, mirifice illas arrisisse. Etenim in illis, inquit Perraltus, ubique spirat integritas puri sermonis, elucet sublimis sententiarum dignitas, solida rationum vis, argutissimus in jocando lepos, ubique demum venustas quædam & gratia, quam alibi uspiam haud facile reperias. Nihil in hoc genere scribendi perfectius, nihil pulcrius: ubique amœnitates & veneres.

Fatetur auctor dialogorum hoc styli fuco in Gallia plures fuisse abreptos in Jansenismum, quam per Arnaldum aut ipsum Augustinum Jansenii. Quippe Jansenistæ, dum cernerent, ubique se esse profligatos, tragœdiam suam in comœdiam convertendam putabant, cum populi creduli applausu excipiendam. Severas & abstrusas Arnaldi de gratia & libero arbitrio disputationes, quippe jam damnatas ubique, ineptas censebant: theologiam moralem campum fore ad hoc magis idoneum. Imputandum Jesuitis, ceu disciplinæ corruptoribus, quidquid absurdum laxumque fingi posset. Adhibendam operam nobilium aliquot fœminarum maxime Plessææ Guenegaldæ, Portu-Regiensibus non incognitæ, quæ elegantiam & amœnos sales harum litterarum in nobili gynæceo laudibus extollerent; manuscriptæ jam epistolæ, antequam typis imprimerentur, in compitis lectæ, ut curiositatem & cupiditatem acuerent. Idque effectum, ut multi, qui Jansenistas ante aversabantur, jam iis applauderent, & qui eos tanquam fidei corruptores al quamdiu habuerant, demum assueverint paulatim, ut eosdem tanquam Evangelicæ morum doctrinæ defensores ac disciplinæ ecclesiasticæ instauratores intuerentur. Atque hæc dialogi primi est summa.

In 2 auctor dialogorum confutat Pascalem, quod dixerit, Jesuitis non esse integrum, quam veram aut probabiliorem censent, sententiam docere; sed alios a Societate compelli ad docendas severiores, alios vero ad laxiores, ut omni hominum generi se insinuare possit, non ad majorem DEi gloriam, sed ad ipsius exaltationem. Et hoc esse arcanum Societatis politicum, ut omnes ad se attrahat.

Hanc, inquam, calumniam P. Daniel prolixe refutat, appellando ad Societatis constitutiones, ad dimissos ab illa, quorum plures animo sunt averso, qui haud dubie talia arcana propalarent. Quærit, an credibile sit, tot viros, morum probitate & doctrina

claros

claros contra veritatem agnitam & animi sui sententiam tradidisse doctrinam, qua & se & alios in sempiternum exitium præcipitarent? tot alios sanctimonia celebres vitam perpetuos inter labores ærumnasque exegisse in operosis missionibus, diuturnis scholarum pulveribus, nosocomiis, assistendo ægrotis, damnatis ad carceres, ad triremes, ad mortem? relicta patria, universaque Europa, excurrisse in extremas Indias ad barbaros, passos frigus & æstum, famem & sitim, ludibria, persecutiones, cruces, patibula, tela, mucrones, ignes, omneque tormentorum genus, ut corrupta doctrina atque damnata politica mundum una secum æterna ruina involverent?

Merituros haud dubie exprobrationem, qua minister hæreticus navigantem in Indias Jesuitam prosecutus esset; nam interrogatus a ministro, qua mercede a Papa inductus esset ad iter tam longum, difficile, periculosum, respondit Pater, nulla. Eho! subjecit minister Batavus: *bene stulti estis vos.*

Quærit deinde auctor, quomodo Pascalis probet, Jesuitas omnes in illud arcanum suæ politicæ conspirasse? ex eo inquit, quod aliqui austeram, benignam alii doctrinam tradant. Ergo, subinfert auctor, Dominicanis, Franciscanis, aliisque religiosis familiis: ergo Parisiensi, Lovaniensi, aliisque academiis hæc politica arcana communis est; cum ex qualibet harum communitatum aliqui severiorem, mitiorem alii doctrinam amplectantur.

At sine approbatione P. Generalis nullus editur liber. Ergo illius ordinatione hæc ars politica exercetur, ut aliqui severius, alii benignius scribant. Sed hoc rursus, reponit auctor, aliorum etiam ordinum Generalibus est commune: nam eorum approbatione prælo imprimuntur libri. Inepta vero, imo ridicula Pascalis est persuasio: quasi vero Generales ordinum omnes suorum subditorum libros legant, aut possent legere. Per Provinciales illi censores constituunt, & si censuræ faveant, librum approbant. Ineptissimum profecto est, ex eo, quod ex iis, quæ in utramque partem in scholis, vel apud doctores controvertuntur, sententiis, alii hanc, alii oppositam eligant, nescio quod arcanum pseudopoliticum velle eruere. Hæc nempe est cavillatoris istius in scribendo soliditas, hæc in proximum charitas, hæc severioris doctrinæ specimen, alios calumniari, cavillari, criminari, & coram toto mundo iniquissime traducere.

Quam bene archiepiscopus Mechliniensis litteras illas provinciales, *contumeliosas*, *scandalosas*, *fraudulentas*, *ac veteratorias* appel-

appellat, earumque auctores *protervos calumniatores*: quam bene senatus Aquensis plenas *calumniarum*, *mendaciorum*, *obtrectationum*, episcopi & doctores Parisienses, *maledicas*, *petulantes*, *haereticas*.

Respuamus, concludit auctor, quaecunque Pascalis imponit huic vitioso fundamento de duobus generibus eorum, qui animabus dirigendis navant operam. Leviculum est & puerile mentis, vanas procudentis imagines, inventum, jocus, omni specie veritatis vacuus.

In 3 dialogo conqueritur, quod Pascalis probabilium opinionum doctrinam, ceu omnium laxitatum & malorum fontem, solis Jesuitis imputet; & contra illum producit librum, a P. Stephano de Champs scriptum, cui titulus: *quaestio facti*, an Probabilismi doctrina Jesuitis sit propria? in hoc recensentur academiae totius orbis celeberrimae, omniumque ordinum religiosorum scholae, in quibus haec benignior doctrina viguerit: Societatis doctores arctioribus cancellis doctrinam illam circumscripsisse, quam illi, a quibus eandem hausissent; cum requirant probabilitatem non qualemcunque, sed *vere*, *theologice*, *practice talem*, hoc est, gravi fundamento nixam, fidei & ecclesiae placitis, communi doctorum sensui non adversam, versantemque praecise circa licentiam alicujus actionis.

Wendrokium ex *Comitolo*, antiprobabilista acerrimo, sumpsisse, quaecunque validiora ad vexandam probabilitatis doctrinam argumenta, caute tamen dissimulasse, Comitolum fuisse Jesuitam, ne, si quid laudis habet istius doctrinae oppugnatio, eam Societati tribuere cogeretur.

Pergit dein auctor dialogorum singillatim demonstrare, quantopere Montaltius & Wendrokius libros Jesuitarum corrumpant, sententias mutilent, detruncentque, verba aliqua excerpant, sine integro textu, & contextu, sensumque detorqueant, suas loedorias, jocosque per interpositas fictas personas immisceant, ut adeo lector in alienum prorsus a mente auctoris intellectum abripiatur, & comoediam, a mimis istis, Jesuitarum sumptibus adornatam, cum voluptate spectet.

Doctores benignae sententiae.

In 4 dialogo adducit singillatim plures extra Societatem episcopos pro doctrina benigniore, atque 1 *S. Antoninum* archiepiscopum Florentinum, ex ord. Praedicatorum assumptum, qui loquens de actione morali ait: *eligere viam tutiorem consilii est non praecepti*.

2. Dida-

2. Didacum *Alvarez,* celebrem illum in disputatione de auxiliis caussæ Dominicanæ defensorem, episcopum postea Traniensem, qui disp. 80 n. 4 ait : *secunda sententia est, quod quilibet potest sequi opinionem, quam judicat esse probabilem : tenet hanc sententiam magister Medina, & alii doctissimi Thomistæ ;* additque, licitum esse sequi sententiam minus probabilem, si non cedat in præjudicium tertii aut honoris divini. Subjungit : *Quando pœnitens secutus est opinionem practice probabilem, tenetur confessarius illum absolvere, & se se conformare sententiæ pœnitentis, etiamsi habeat evidentiam oppositæ sententiæ.* Addit rationem ; *quia pœnitens sequendo sententiam probabilem non peccavit.* Nullum legi Jesuitam ita loquentem.

3. Allegat Josephum *Anglez* episcopum Bozanensem *quæst. de confess. difficult.* 8. 4 Thomam *Zerolam in praxi pœnit. c.* 22. 5 Bartholomæum *Ledesmam*, itidem Dominicanum & episcopum *tract. de pœnit. sacr. difficult.* 14. 6 *Malderum* episcopum Antverpiensem *in* 1 2 *q.* 19 *disp.* 86, qui omnes locis allegatis docuerint, licitum esse sequi minus tutam & minus probabilem, tenerique confessarium absolvere pœnitentem, secundum sententiam probabilem procedentem.

7. Citat *Bonacinam*, ejusque verba : *possumus absque peccato sequi opinionem probabilem, relicta probabiliore, & tutiore.* 8 Aug. *Barbosam* celeberrimum canonistam *tom.* 11 *d.* 2 *q.* 4, eandem doctrinam tradentem. 9 Joannem *Caramuelem*, in morali sua theologia, Alexandro VII dedicata, asserentem : *illa sententia hodie est omnium, posse hominem tuta conscientia sequi opinionem minus probabilem.* - - Addere potuisset Albertum Magnum, Franciscum de Arauxo, Petrum de Tapia, Alphonsum de Monter Negro, Guilielmum Herinx, Acharium Velasquez, Antonium Perez Benedictinum, Ludovicum Abelly, omnes episcopos.

10. Episcopis addit doctores Parisienses Isambertum, Duvallium, Gamachium, Baillium. Quorum primus in 1 2 S. Thomæ a pagina 133 ad 140 materiam de probabilitate pertractat, & artic. 2 ait · *licet agere secundum conscientiam opinativam, id est, quando conscientia dictat, aliquid esse probabiliter licitum, & honestum, tunc licet illud facere : ita communiter omnes.* Art. 4. *Quando circa honestatem vel obligationem operis alicujus sunt utrinque opiniones probabiles, potest voluntas in operando sequi probabilem, relicta etiam probabiliori.* Idem repetit art. 8 n 8 etiam pro casu, quo minus probabilis est simul minus tuta. Denique

art. 9 subjungit: *dantur casus aliqui, in quibus non tantum licet agere contra propriam suam sententiam, sed etiam in quibus homo tenetur agere ex probabili aliorum sententia contra propriam suam sententiam, etiam probabilem. Ita communiter doctores.*

Eandem cum Isamberto sententiam docuit alter doctor Sorbonicus Duvallius; nam in *tract. de actib. human. q. 4 art. 12* scripsit: *non tenemur in foro conscientiæ sequi probabiliorem partem, sed satis est, si absolute sequamur probabilem, quæ peritis & doctis placeat, licet quibusdam similiter doctis displiceat, donec ecclesia contrarium non statuerit.*

Eodem omnino modo loquitur tertius doctor Sorbonicus Gamachius *pag. 155*, additque: *sacerdos sive proprius sive delegatus potest contra suam ipsius opinionem absolvere pœnitentes, quos videt esse in opposita sententia, licet minus certa ac tuta, dummodo ea sit probabilis, habeatque aliquos auctores Catholicos ac peritos. Imo non tantum potest, sed etiam debet.*

His P. Dechamps, & ex eo auctor dialogorum subjungit celeberrimum doctorem Parisiensem Ludovicum Baillium, de *examine pœnitentium pag. 46 edit. 5* hunc in modum loquentem: *nondum satis mihi videtur pro rei gravitate ac momento discussa doctrina, quæ fere invaluit de probabilitate opinionum, cuperemque, doctiores hanc sibi provinciam assumere, ut nodos illius omnes dissolverent. Non tamen propterea existimo, illum viam tutam non sequi, qui regitur opinione probabili, etiamsi forsitan benignior sit; quia via tuta est, qua peccatum vitatur, ut vere vitatur opinione quacunque probabili, vel etiam minus probabili, si tamen probabilis sit: neque etiam arbitror, illum non excusatum iri apud DEUM, qui sequitur opinionem probabilem, cum illam sequendo ne quidem venialiter peccetur.*

Enumerat denique ex eodem P. Dechamps, præter nominatos supra ex illustrissimo ordine patrum Prædicatorum episcopos, alios ex eadem sacra familia viros doctissimos: & 1 quidem laudatum supra Bartholomæum de Medina, magistrum excellentis doctrinæ, qui in suis commentariis *in 1 2 S. Thomæ q. 19 art. 6 c. 3* ait: *mihi videtur, quod, si opinio est probabilis, licitum est, eam sequi, licet opposita probabilior sit.*

2. Dominicum *Bannez* celebrem non minus doctorem, qui erat ex iis, quibus S. Theresia conscientiæ suæ moderatoribus utebatur. Hic *in 1 2 q. 10 art. 1 dub. 3 c. 4* scribit: *dicimus opiniones esse in duplici differentia; quædam enim versantur circa actionem*

*nem aliquam exercendam*, *ut*, *an aliquis contractus sit licitus vel illicitus. Quædam vero versantur circa res*, *an scilicet aliquid ita sit vel non sit*, *an hæc domus propria sit vel aliena. Dicimus ergo*, *quod de opinionibus prioris generis verum est*, *posse hominem sequi opinionem probabilem*, *relicta probabiliori.* Utinam ii, qui doctrinam probabilismi tantopere exagitant, confunduntque, hanc magistri sui distinctionem inter probabilitatem practicam & speculativam, sibi bene notarent, ut tandem statum quæstionis & ipsi melius intelligerent, & aliis fidelius proponerent.

3. Gregorium *Martinez*, *tom.* 1 *in* 1 2 *ad q.* 19 *art.* 6 sic loquentem: *non solum est licitum*, *ex duabus propositionibus æqualiter probabilibus probabilitate practica eligere*, *quam quis maluerit*, *sed etiam est licitum sequi minus probabilem*, *relicta probabiliori. Secunda pars conclusionis est contra Cajetanum & Sylvestrum*; *est tamen communis*, *quam tenet Medina hic*, *& optimis rationibus firmat*; *& modo probatur &c.* Idem *t.* 1 *in* 1 2 *q.* 19 *art.* 6 scribit: *homines probi & timorati*, *si probabilem sequantur in quacunque materia*, *in quocunque contractu*, *semper sunt securi.* Jesuitæ non ita illimitate loquuntur.

4. Petrum *Ledesma*, *in summa part.* 2 *tract.* 8 *c.* 22 sic scribentem: *respondetur*, *quod divini perinde naturalisque sit juris*, *licere judici sequi opinionem probabilem*, *relicta probabiliore. Hanc sententiam tenent Medina*, *Orellana*, *& multi alii doctores*, *ac præcipue discipuli S. Thomæ* in 2 2 q. 67 art. 4.

Quam tamen sententiam tanquam nimis laxam falsamque passim Societatis JEsu doctores rejiciunt, uti Suarez, Vasquez, Sanchez, Valentia, Tannerus, Lugo, Becanus, Conink, Granado, Salas, Filiucius, Layman, Reginaldus, Gordonus, Cardenas, Viva, Haunoldus, Illsung, Gormaz, Rasslerus, Mayr, aliique. Nunquam enim judici licet sequi sententiam minus probabilem. Nam si pars litigans habeat caussam probabiliorem, non potest eam alteri parti adjudicare; neque est probabile, quod tunc ei id licitum sit.

5. Vincentium *Candidum*, magistrum sacri palatii, *tom.* 1 *disquisit. moral. disquis.* 3 ita docentem: *confessarius quicunque absolvere potest pœnitentem*, *sequentem opinionem probabilem*, *relicta sua opinione probabiliori.* Item: *quicunque consultus extra confessionem licite potest probabilem opinionem in omni materia amplecti*, *ac etiam aliis consulere*, *relicta probabiliori.* Eo usque non

processerunt Jesuitæ, ut dicerent, quod *in omni materia* liceat opinionem minus probabilem amplecti.

6. Joannem *Ildephonsum Baptistam* Cæsaraugustanum, cujus opus editum fuit Romæ, jubente Dominicani ordinis conventu generali. In eo opere, tanta auctoritate approbato, ad 1 2 *disp.* 208 *frag.* 1 *n.* 154. *Quando opiniones probabiles*, inquit, *versantur circa actiones exercendas, seu, quod idem est, circa jus, potest homo sequi quamcunque opinionem probabilem practice.*

7. Paulum *de Blanchis*, qui *controv.* 14 *pag.* 182 ait: *si opinio pœnitentis est probabilis apud doctos & prudentes in tali materia, tunc sacerdos, sive ordinarius sive delegatus, debet eum absolvere, licet probabilior sit sententia opposita.*

8. Joannem Baptistam *Hacquetum* in hunc modum concludentem: *dico, licitum esse sequi in praxi sententiam minus probabilem & minus tutam, sive propriam sive alienam: dummodo sit simpliciter probabilis.* - - Quibus addi possent Acacius Velasquez, Villarius, Gallegus, *ex Villario*: Joannes Nider, Ulricus Engelbertus, Umbertus de Romanis, Bernardus Claramontius, Bartholomæus Fumus, Melchior Canus, Joannes de Friburgo, Dominicus Sotus, Marcus Serra *ex Gobat & Moija.* S. Albertus M. S. Antoninus, Silvester Prieras, Joann. Viguerius, Franciscus Victoria, Thomas Marcado &c.

Hæc tunc scholæ Dominicanæ principum, hæc communis erat lingua religiosorum ordinum & academiarum per Europam. Scripsit Isambertus in Gallia: *ita communiter doctores*: Bonacina in Italia: *ita communiter theologi*: Navarrus in Hispania: *hæc sententia est communis in scholis*: Caramuel in Germania: *illa sententia est hodie omnium.*

Ecqua ergo indignitas, doctrinam illam velut morum corruptelam solis Jesuitis tanquam propriam tribuere? In Dominicanorum aliorumque vestigia ierunt Jesuitæ; quomodo ergo sint auctores? quomodo illis propria? Grandem catalogum eorum, qui benigniorem sententiam sunt secuti, plurimorum etiam, qui non sunt de Societate, texuerunt *Mercerus, Terillus, de Champs, Moya, Sarasa, Gobat, Zacharias, Gravina. &c.* & prolixiorem adhuc alphabetico ordine Rasslerus in *Norma recti disp.* 3 *q.* 9 *art.* 2, ubi plures quam ducentos & quinquaginta enumerat auctores.

Ostendit dein P. Daniel, tempore antiquæ legis vetustissimum usum fuisse opinionum probabilium: affertque 1 exemplum Abrahami, Saram sororem suam dicentis. 2. Machabæorum, die sab-

ſabbati pugnare contra hoſtes licitum eſſe decernentium, contra perſuaſionem communiorem illius populi Judaici. 3. Exemplum populi Chriſtiani Antiocheni, qui Juliani apoſtatæ tempore variis profanis religionibus pollutos cibos manducabat, quamvis populus Conſtantinopolitanus illis abſtinendum putaret, eccleſia neutrius opinionem & factum improbante; licet tutius eſſet abſtinere. Applicatque huc illud Apoſtoli ad Rom. 14: *qui non manducat, manducantem non ſpernat: & , qui manducat, non manducantem non ſpernat.* 4. Exemplum Rigoriſtarum, quo oſtendit, eos in praxi ſequi ſententias minus probabiles, uti in contractu cenſus, per Galliam uſitato, in pluralitate beneficiorum eccleſiaſticorum &c.

In 5 dialogo exhibet P. Daniel, quam falſas doctrinas Paſcalis affingat Jeſuitis, præſertim vero hanc propoſitionem: *neminem de peccato jure culpari poſſe, niſi qui de illius pravitate divinitus ſit admonitus, & ad illud fugiendum excitatus.* A nullo Jeſuita propoſitionem iſtam, præſertim in ſenſu maligno, quem Paſcalis eidem attribuit, fuiſſe profeſſam: ab omnibus doceri, ignorantiam *vincibilem* a peccato non excuſare.

Reſpondet deinde ad calumniam de idololatria, Sinis permiſſa a Jeſuitis: refertque laudes, ab Urbano VIII, Alexandro VII, Clemente IX, Innocentio XI, Alexandro VIII, Innocentio XII, Societati Sinenſi, Indicæ, & Japonicæ attributas: decretum congregationis de propaganda fide anni 1656, quo cultus ille & ritus Sinenſis, Confucio & progenitoribus exhiberi ſolitus, mere politicus & civilis declaratur. Ipſorum denique PP. Dominicanorum in hanc rem teſtimonia, contra Joann. Bapt. Morales, ex eodem ſacro ordine ſacerdotem.

In 6 vindicat ſcriptores Societatis, uti Eſcobarium, Vaſquezium, Tannerum, Banium, Filliucium, Valentiam, quorum doctrinam Paſcalis peſſime corrupit, ab impacta calumnia, proverbio illo utens, quod in Gallia percrebuerat: *il ment comme un Janſeniſte*, id eſt: *mentitur, ſicut Janſeniſta.*

In 7 oſtendit, quam falſo Paſcalis dicat, Jeſuitas docere, amorem DEI non eſſe neceſſarium ad ſalutem; atque contrarium demonſtrat ex præcipuis Societatis theologis, Toleto, Bellarmino, Suarez, Molina, Tannero, Valentia, Laymanno, Sanchez, Becano, Lugone, aliiſque. Appellat ad concionatores & aſcetas, Rodericios, Sant-Jurios, Haynovios, Suffrenos, Ludovicos de Ponte, ceteroſque prope innumerabiles; ſimulque innocentem Moi-

nii, Annati, Pinterelli doctrinam de attritione a corruptione maligna & convitiis Pascalis vindicat.

Subjungit denique tres dissertationes de *probabili, speculativo & practico*: de *intentionis directione*: de *mentis restrictione, & ambiguarum vocum usu*; in quibus contra Pascalis cavillos defendit Thomæ Sanchez, Baunii, Escobarii, & Reginaldi, cujus opera S. Franciscus Salesius dilaudat, doctrinam.

# CAPUT IX.

## *Constitutio Alexandri VII. Concilium Parisiense episcoporum & cleri Gallicani anno 1656 in caussa Jansenistarum.*

9 TAnta erat Jansenistarum pertinacia, ut clerus Gallicanus ea frequentia anno 1656 congregatus, quæ concilii nationalis speciem referret, de efficaciore remedio cogitare fuerit coactus. Aderant in concilio 40 episcopi, & 27 absentium delegati ex secundo ordine.

Examinata iterum quæstio *facti*, ad quam ecclesiæ authoritatem & infallibilitatem se extendere contumaciter negabant Jansenistæ. Recepta rursus atque laudata constitutio Innocentii X, qua anno 1653 quinque propositiones fuerant condemnatæ, prout etiam breve apostolicum, quo idem Pontifex anno 1654 declaravit, in quinque propositionibus doctrinam, in libro Jansenii contentam, fuisse condemnatam.

Renovavit igitur concilium hoc Gallicanum omnia decreta, quæ in synodis annorum 1653, 54 & 55 in hac caussa ediderat, repetitis pœnis, in refractarios latis. Ipse etiam archiepiscopus Senonensis Gondrinus, quamvis intimus Portu-Regiensium amicus, qui in prioribus conventibus reclamaverat, in hoc declaravit, quod sincera mente se submittat constitutioni Innocentii X & declarationi sensus ab eodem & a concilio cleri Gallicani editæ, revocetque, quod antehac opposuisset.

Postquam Alexander VII, Innocentii successor, de omnibus, quæ a concilio acta fuerant, informatus, caussam totam novo

exa-

examine discussisset, persuasusque, quod maligna interpretatio Jansenistarum circa factum tendat ad defendendas ipsas propositiones damnatas, tanto malo remedium efficax adhibendum putavit.

Habebat is plene perspectam mentem Innocentii X in damnandis quinque Jansenii propositionibus, omniumque, cum unus esset ex præcipuis commissariis, quæ Romæ acta fuerant, apprime gnarus, 16 Oct. 1656 constitutionem edidit, qua confirmavit bullam Innocentii X, & Jansenistas appellat *perturbatores quietis publicæ ac filios iniquitatis*: ut qui asserere præsumerent non sine gravi fidelium scandalo, quod illæ propositiones non extent in libro Jansenii, sed pro lubitu sint fabricatæ, aut quod non sint condemnatæ in sensu auctoris. Falsum hoc esse; nam illas contineri in libro Jansenii, cui titulus *Augustinus*, & in sensu auctoris fuisse damnatas damnarique.

Hæc constitutio Alexandri VII anno 1657 communicata fuit clero Gallicano, Parisiis congregato, qui illam submisse recepit, jussitque publicari & executioni mandari per episcopos in omnibus dioecesibus, & quidem secundum interpretationem Pontificis, quod nempe quinque propositiones damnatæ sint Jansenii, in ejus libro contentæ, atque damnatæ in sensu, ab auctore intento: statuitque, ut contra eos, qui se opponere huic interpretationi præsumerent, eo rigore procederetur, quo adversus eos, qui propositiones ipsas defenderent.

Decretum denique, ut constitutioni pontificiæ adjungeretur formula, intra mensem ab omnibus prælatis subscribenda. Tenor autem hujus formulæ erat hæc: Formula.

„ Ego me submitto sincere constitutioni Papæ Innocentii X „ datæ 31 Maji 1653 secundum verum illius sensum, qui est determinatus per constitutionem N. S. P. Alexandri VII datam „ 16 Oct. 1656. Ego agnosco, me esse obligatum in conscientia his constitutionibus: & condemno ore & corde doctrinam „ quinque propositionum Cornelii Jansenii, contentam in ejus „ libro, cui titulus *Augustinus*, quam duo Pontifices & episcopi condemnarunt. Hæc doctrina non est doctrina S. Augustini, „ quem Jansenius male explicavit, contra verum sensum hujus „ S. doctoris.

No-

Nova hæc constitutio publicata & recepta fuit ab omnibus episcopis Galliæ. Portu-Regienses vero theologi dicebant, quod se submittant constitutionibus apostolicis in iis, quæ pertinent ad dogmata fidei : non autem posse se obligari contra suam conscientiam, ut agnoscant doctrinam hæreticam contineri in libro docti & pii episcopi, qui mortuus sit in communione ecclesiæ. Hanc esse *quæstionem facti*, de quo non possit ecclesia fidem exigere ; cum non habeat authoritatem infallibiliter eam decidendi: circa revelata duntaxat eandem versari.

## *Jansenistarum pertinacia, & objectationes.*

PRimum contra Alexandri VII constitutionem & concilii Gallicani mandatum ex Portu-Regiensi prodiit scriptum Arnaldo auctore, hoc titulo: *casus propositus a doctore ratione constitutionis Alexandri VII, & formulæ cleri.*

Arnaldus casum proponit.

Tres ille, ut appellabat, difficultates in hoc libello, ad episcopos directo, objecit. 1 An doctor, qui persuasum habet, quod propositiones damnatæ non extent in libro Jansenii, nec in illius sensu sint damnatæ, obligatus sit mutare sententiam & contrarium credere? Negative respondet. Quia non potest hoc facere, nisi ipsi ostendatur, quod persuasione sua sit deceptus. Atqui hoc ipsi non ostenditur; quia ipsi non exhibetur locus libri, in quo propositiones illæ sint contentæ, neque docetur, in quo sensu sint damnatæ. Et sic etiam post constitutiones Pontificum & episcoporum manet ipsi evidens, quod doctrina Jansenii in materia de gratia efficaci non sit alia, quam doctrina S. Augustini. Denique hæc est quæstio facti, in qua theologus non tenetur contra evidens testimonium proprii luminis & oculorum damnare episcopum, quem judicat innocentem, cujusque liber nunquam canonice fuit examinatus.

Secunda, ut inquit, difficultas est, an, si hic doctor non teneatur mentem suam mutare, possit nihilominus subscribere formulæ? negative respondet iterum; quia non potest comprehendere, quomodo sine læsione Christianæ & sacerdotalis sinceritatis possit subscribere condemnationi, quam injustam censet.

Tertiam quæstionem malignam hanc proponit: an hic doctor in tali casu possit tacere, vel modeste opponere, quod Papa non fuerit bene informatus, ut impediatur, ne inimici doctrinæ S. Augustini & veræ gratiæ prævaleant, dicantque, Jansenium esse quidem

dem conformem S. Augustino, qui tamen, cum sit tantum privatus doctor, cedere debeat Papæ: & quod Papa condemnando doctrinam Jansenii, condemnaverit doctrinam S. Augustini?

## *Catholicorum Responsio.*

VIrulentis hisce quæstiunculis episcopus Aletensis respondit; constitutioni non modo subscribi posse, sed etiam debere, atque declarationem summi Pontificis cum veneratione recipiendam, ab iis quoque, quos contraria hactenus sententia abstraxerat. Quippe in quæstionibus, Catholicos inter controversis, adquiescendum judicio & decisioni summorum Pontificum, ad quos pertineat pronuntiare, quando ecclesia non est in corpore congregata: certumque esse, quod eorum auctoritas prævalere debeat omnibus nostris persuasionibus particularibus.

Et quamvis alias discrimen sit inter quæstiones juris & facti, præsentes tamen ita esse connexas, ut perniciosa sit unius ab altera separatio, cum ecclesia utramque conjunxerit, & *diligentia, qua major*, ut inquit Alex. VII, *desiderari non possit*, deciderit. Quoad utramque igitur sedi apostolicæ a fidelibus submittendum esse proprium judicium, prout Jansenius ipse in suo ante mortem testamento librum suum subjecisset, manifesto argumento, ipsum formidasse, ne is aliqua ab ecclesiæ & S. Augustini doctrina aliena contineret. Quæ ergo pervicacia, Jansenium contra Jansenium ipsum defendere, & decisioni ecclesiæ subtrahere librum, quem auctor ipse subjecisset? atque hinc per submissionem & obedientiam Jansenistarum erga sedem apostolicam nihil decessurum Jansenio, cum ipsemet eandem exhibuisset, ac propterea condemnatio doctrinæ non cadat in ejus personam.

Verum non ea erat Arnaldi & aliorum Jansenistarum indoles, ut ulla argumenta aut monita ad debitam superioribus submissionem eos flecterent, sed contumaciter refractarii frontem obduratam decisionibus & mandatis obverterent. Hinc Arnaldus, factionis illius ductor, *reflexiones* edidit, quibus ostenderet, se enconium, ab Alexandro VII attributum promereri, dum turbatorem quietis publicæ & filium iniquitatis appellavit.

Quamvis reverentia, inquiebat, quam S. Ecclesiæ debemus, nos obliget, ut non facile credamus, illam decipi, etiam in iis decisionibus, in quibus totus mundus fatetur, posse errare; veritas tamen nos fortius adstringit, ne eam deseramus, quamdiu nobis

bis apparet *evidens.* Cum igitur nullo modo dubitemus de nostra fide, nec ullum nobis sit subortum lumen, quod decipiamur, sed ratio nos quotidie magis magisque convincat, multasque caussas habeamus credendi, quod Papa male fuerit informatus, impossibile nobis est mutare sententiam, & decisionibus nos submittere. Totum, quod ad demonstrandam erga S. Ecclesiam obedientiam facere possumus, est, ut recipiamus decisionem cum *reverenti & obsequioso silentio*, quin eidem adhæreamus per fidem interiorem. Plura addidit, quæ tamen in his jam sunt comprehensa, aliter cocta, recoctaque.

Obsequiosum silentium inducit.

At pars adversa contra has Arnaldi reflexiones advertit 1, tametsi principium Arnaldi subsisteret, in iis tamen duntaxat hominibus habiturum locum, qui per propriam evidentiam convicti essent, tales autem aut nullos aut admodum paucos fore: cum pauci sint, qui totum Jansenii librum legerint. Ipsum Sanct-Amorium, quamvis inter præcipua esset factionis capita, de se professum, quod Jansenium non legerit. Quomodo ergo proprii oculi parere eis possent evidentiam, quod propositiones damnatæ non sint in hoc auctore? aut quod non sint hæreticæ in sensu ab eo intento? ipsum Arnaldum non habere veram evidentiam, sed ad summum putare, se illam habere. Et hinc

Ficta Jans. evidentia.

Advertunt 2, si subsisteret Arnaldi principium, quod aliquis particularis solus sit judex, an id, quod ipsi apparet evidens, sit vere tale, apertum iri plenam portam omnibus hæresibus & schismatis, sine remedio finiendi in ecclesia controversias; quia quivis hæreticus posset dicere, doctrinam suam sibi esse evidentem ac demonstratam: &, si ipsi opponeretur, quod tantum sit apparens evidentia, non autem vera ac realis, seu quod tantum putet, se habere evidentiam, re ipsa autem non habeat, reponere posset, se solum ex proprio lumine rationis esse judicem, an sua evidentia sit vera & realis, an vero tantum apparens & existimata. Consequenter quilibet suo discerniculo & spiritui privato innixus, dicere posset, se non esse obligatum audire vocem ecclesiæ, sed suum sibi esse judicem.

Advertunt 3, licet Arnaldus, consequentiam doctrinæ deserens, principium suum restringeret ad res non revelatas a DEo, per illud nihilominus religionem & rem publicam eversum iri. Nam si e. g. subditus diceret, sibi apparere evidens, quod bellum, a principe suo cœptum, sit injustum, & quod in bello injusto non

debeat

debeat principi servire, seque obligari, de hoc alios subditos informare; an non ad rebellionem tale principium vergeret?

Paulus Sarpi in historia concilii Tridentini scribit, sibi evidens esse, concilium hoc in primis sessionibus non fuisse œcumenicum, neque in sequentibus liberum, prælatis terrorem comminationibus incussum, alios promissis in partem tractos; in definitionibus dogmaticis non fuisse consultam scripturam & traditionem, aut non licuisse illam sequi.

Hanc suam evidentiam Sarpius publice prædicavit, sicut Arnaldus suam. Quid jam facias tali homine? frustra in principiis Arnaldi evidentiam opponas evidentiæ. Semper oggeret: quemque judicem esse de sua evidentia; nemini illam magis esse perspectam, quam qui habet.

Ecce! totam concilii Tridentini auctoritatem eversam! idem de aliis conciliis. Dicat solummodo Arius aut Nestorius aliquis, evidens sibi esse, in scriptura non doceri æqualitatem filii cum patre, aut unitatem personæ in Christo: dicat Sabellius evidenter esse impossibilem trinitatem personarum in unitate naturæ: & sufficit. Evidens ipsis est, quod omnia sint falsa, quæ dicunt concilia, Pontifices, ecclesia. Ecce! quo deducat Arnaldinum fundamentum, cui privicaciam suam superstruit.

Querulatur Arnaldus, caussam Jansenii non fuisse satis examinatam. Sed ad quid illius examen, si Jansenistis omnia sunt evidentia? quocunque examine, quantacunque diligentia, a quibuscunque facto, semper evidentiam suam jactabunt.

Non est, non est evidentia, o boni! pertinacia est, versutia est, pervicacia est, temeritas est, commentitia, aut ad summum apparens duntaxat, quæ vobis illudit, evidentia est, non vera, non realis. Ita est: nemo *hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est.* 1 Cor. 2, id est, solus homo agens scit actus suos internos, quod cogitet, quod velit, quid cogitet, quid velit; non autem evidenter scit vera evidentia qualitates suorum actuum, e. g. an fides sua sit actus supernaturalis, an contritio sua sit vera contritio.

Judicat Arnaldus, quod quinque propositiones non sint damnatæ in sensu Jansenii. Esto, evidens ipsi sit, quod formet hoc judicium: an propterea vere evidens ipsi est, quod hoc suum judicium re ipsa sit veritati consentaneum? si hoc asserat, id asserit, quod vana rerum imagine, aut inani phantasiæ ludibrio decepti, vel violenta affectione excæcati asserunt.

Sunt equidem prima quædam principia, sunt quædam veritates, quæ sua luce ita se signant, ut cuilibet intellectui, bene disposito, vere sint evidentes: sed de harum numero nequaquam sunt illæ, de quibus inter doctos controvertitur, aut quæ obscuritatis aliquid habent. Nimium sibi blanditur, qui veram in his evidentiam jactat.

Et quomodo Arnaldo sit vere evidens, plurimis quod aliis, qui non minus habent sensum communem, est certo falsum? omnes Catholici pro certo habent, propositiones ab ecclesia damnatas, si non quoad singula verba, saltem quoad sensum contineri in libro Jansenii: illi utique oculos & rationem habent in capite. Cur ergo nullus eorum videt, quod Arnaldus suis oculis & proprio lumine adeo evidenter videt? nimium profecto desipit, qui se solum credit sapere.

Fateamur, quod res est: Jansenistæ aut maligno animo, ut effugia inveniant, mentiuntur evidentiam, aut lumine suo, quo se illustratos existimant, splendide decipiuntur. Putant se habere, quod non habent. Omnes ergo prudentiæ regulæ dictant, ut, postquam ecclesia tam patenter locuta est, omnes, qui se ejus filios profitentur, falsas suas ideas ac præjudicia deponant, prudenter judicantes, evidentias, quas habere se putaverant, non esse veras evidentias, sed hominum, nimium se amantium, nimiumque sibi fidentium, erroneas persuasiones ac deceptiones.

Advertunt denique 4, se non dicere, quod præcise negare factum Jansenii, secundum se spectatum, sit hæresis; sed id se asserere, ecclesiam in tali facto decidendo esse infallibilem, eosque, qui post talem decisionem factum negant, pœnis, in hæreticos latis, subjacere; quippe quibus non ii solummodo sint obnoxii, qui hæresin formalem profitentur, sed etiam ejusdem fautores. Illos autem, qui defendunt auctores aut libros eorum, qui ab ecclesia de hæresi sunt condemnati, semper habitos fuisse, si non hæreticos, certe hæreticorum hæresumque fautores: si autem quis negaret, ecclesiam habere potestatem exigendi assensum. Circa ejusmodi facta decisa, hoc ipso fore hæreticum.

Præter reflexiones memoratas Arnaldi Portu-Regienses theologi plures alios libellos in vulgus sparserunt, tum inficiantes factum Jansenii, tum contra formulam cleri; in his duo maxime objicientes, & quod conventus non habuerit authoritatem, ad subscribendum & obsignandum alios obligandi, & quod inter objecta fidei divinæ collocaverit, quod non est revelatum.

Cete-

Ceterum ostensa sæpius ad oculum sunt in libro Jansenii loca, in quibus quinque famosæ propositiones continentur: & quidem *primam* extare libro tertio cap. 13 paulo post medium iisdem prope verbis, dum ait: *hæc igitur plenissime planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis, volentibus & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant: hoc enim Petri exemplo, aliisque multis, quotidie manifestum esse, quod tentantur ultra, quam possint sustinere.* Loca, quibus continentur 5 propositiones.

*Secundam*, quoad sensum & sententiam haberi libro secundo de *gratia Salvatoris* cap. 25 ubi ait, *quod nulla prorsus gratia effectu careat, sed eum in omnibus, quibus datur, infallibiliter operetur.* Pluraque in eundem sensum addit. Intelligit autem manifeste effectum cooperatis; ut ex contextu patet, ut adeo interiori gratiæ nunquam resistatur.

*Tertiam* propositionem de libertate conatur probare tribus integris libris, 6to, 7mo, & 8vo, tertii tomi de *gratia Christi Salvatoris.* Ubi etiam nititur ostendere, totam libertatem in spontaneo consistere.

*Quartam* docet libro 8vo *de hæresi Pelag. cap.* 6. Ubi probare contendit, quod gratia Massiliensium sit *actualis, interna, & sufficiens ad credendum.* Et hic est error Jansenii in historia; cum ex libris sanctorum Prosperi & Hilarii ad S. Augustinum de Massiliensium erroribus constet, quod non admiserint hanc interioris gratiæ necessitatem ad initium fidei. Imo hic erat eorum error præcipuus.

Alteram partem hæreticam Jansenius docuit eodem capite his verbis: *in hoc ergo proprie Massiliensium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putent, quo, sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ita lapsus homo saltem credere posset, si vellet, neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in utriusque arbitrio.*

Proprium ergo Massiliensium errorem in eo constituit, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset voluntas resistere vel obtemperare. Et hic error Jansenii est contra historiam certam & contra fidem.

Item lib 7mo de gratia Christi Salvatoris cap. 14 probandum suscipit: efficaciam gratiæ diametraliter repugnare indifferentiæ libertatis, eamque funditus interimi a delectatione cœlesti.

*Quinta* propositio excerpta est ex libro tertio de gratia Salvat. cap. 20 & ult. ubi ait, Semipelagianum errorem esse, quod Christus pro omnibus sit mortuus. Pergit deinde probare, mortem Christi pro omnibus quidem fuisse sufficientem, sed a voluntate Christi non fuisse directam ad reprobos. Hos non magis redemptos quam dæmones. Christum pro omnibus esse mortuum, nempe pro omnibus generibus, non autem pro singulis generum, sed tantum pro prædestinatis. Doctrinæ S. Augustini nullatenus esse consentaneum, ut Christus vel pro infidelium, vel pro justorum, non perseverantium salute, mortuus esse sentiatur.

Hæc igitur loca, cum adeo sint manifesta, mirum profecto est, Jansenistas eo proterviæ fuisse provectos, ut negarent, 5 propositiones in Jansenii libro contineri.

# CAPUT X

*Concilium anni* 1660 *mandat subscriptionem formulæ. Vicarii generales Parisienses eandem corrumpunt, sed errorem retractant: prout etiam Bourzeus & Gondrinus.*

10 CUm Jansenistæ nec Alexandri VII constitutioni, ac declarationi, nec formulæ cleri Gallicani, quantum ad factum spectat, vellent subscribere, anno 1660 episcopi & clerus, Parisiis congregati, de efficaciori adhibendo remedio rationem ineundam putarunt. Rex urget. Rex ipse diuturnæ Jansenistarum obstinationis pertæsus, convocatis ad se concilii præsidibus injunxit, ut freti auctoritate pontificia ac regia, grassans tamdiu per regnum dissidium funditus extirpent: promptam a se executionem fore: exigere id suam conscientiam, suum honorem, bonumque sui status. Infinitis libellis hanc hæresin foveri: statutum sibi esse, severitate effectum dare, quod benignitate non possit.

Concilium, in annum 1661 continuatum, prompta hac regis voluntate perspecta, statuit 1, ut omnes per regnum ecclesiastici subscriberent formulæ, anno 1657 conceptæ, damnarentque quinque propositiones, extractas ex libro Jansenii, atque in sensu, ab auctore intento, tanquam hæreticas condemnarent. 2 Ut contradicentes pro hæreticis haberentur, pœnis in hæreticos sancitis castigandis. 3 Ut Jansenistæ retractent, quæ contra constitutiones Pontificum scripserunt. Et synodus.

Decre-

Decretum hoc fuit signatum a 45 archiepiscopis & episcopis, atque 18 delegatis secundi ordinis, prout etiam a Sorbona, quæ subscriptionem exegit ab omnibus doctoribus, baccalaureis, & candidatis. Accessit decretum regis, quo ad executionem archiepiscopos & episcopos hortabatur.

Novam dissidiis materiam dederunt *vicarii generales* Cardinalis de Retz archiepiscopi Parisiensis absentis; nam illi erant qui dem primi, qui decretum executioni dari jusserunt; sed ordinationem adjecerunt, cui hæc expositio erat adjecta: *tempore Innocentii X Romæ nihil aliud fuisse actum, quam ut sciretur, an quinque propositiones essent falsæ ac hæreticæ, an vero Catholicæ.* Hoc autem pugnabat cum declaratione Alexandri VII & ipsius Innocentii. Vicarii turbant.

Subjecerunt hanc clausulam: *ad tollendum omnem prætextum disputationum & contentionum in futurum super his quæstionibus, & uniendos spiritus, ordinamus & injungimus, ut, quantum ad facta, per constitutiones decisa, & in formulari contenta, spectat, omnes perseverent in pleno respectu & sincera veneratione, quæ debetur dictis constitutionibus, atque ut subscriptio, a singulis facienda, sit testimonium, promissio & assecuratio publica & inviolabilis, per quam se obligant* (ad illam venerationem) *sicut est testimonium suæ fidei, præstandæ decisionibus fidei.*

Non placuit hæc explicatio conventui cleri Gallicani, quia non exigit, ut aliud credatur, quam propositiones sæpe memoratas esse hæreticas, hoc est, punctum *juris*: circa *factum* autem plus non requirit, quam respectum seu venerationem, per quam Jansenistæ intelligunt *silentium*, ut vocant, *obsequiosum.*

Rex igitur, ad quem a conventu fuerat delata, archiepiscopis & episcopis hoc negotium commendavit; qui judicarunt, hanc vicariorum expositionem manifeste esse contrariam duabus constitutionibus & decisionibus, Innocentii X, & Alexandri VII, per quas damnata fuit determinate doctrina Jansenii, in ejus libro contenta. Quapropter explicationem & mandatum vicariorum prorsus esse irritum, atque illico revocandum, ad tollendum scandalum, quod per ejus publicationem esset datum Catholicis. Quam episcoporum sententiam rex speciali decreto ratam habuit.

Prodierunt mox ex Portu Regiensi abbatia varii libelli in defensionem vicariorum, & explicationis, ab eis formulari adjectæ. Nuntius vero apostolicus rem totam Papæ perscripsit; ad quem etiam vicarii dederunt litteras.

Pon-

Papæ displicentia.

Pontifex eis rescripsit, gravi dolore se fuisse commotum, dum quandam ipsorum ordinationem legisset, in qua non minori temeritate quam falsitate inter alia ausi fuissent dicere, quod tempore Innocentii X, in caussa propositionum de gratia aliud non fuerit actum, quam ut examinaretur, an Catholicæ illæ sint, nec ne; cum tamen examinatum pariter fuerit, an sint extractæ ex libro Jansenii, & an in sensu, ab ipso intento, sint hæreticæ, & in hoc sensu fuerint damnatæ: prout a se expresse fuerit declaratum per constitutionem, 16 Oct. 1656 datam.

Cum igitur ausi fuerint, falsitatem adeo manifestam afferere, seminatores zizaniorum in agro Domini, & perturbatores ecclesiæ Catholicæ, auctoresque schismatis se se exhibuisse, monstrando audaciam, decisionibus ecclesiæ per detortas & artificiosas subtilitates se opponendi. Nolle se tamen adhuc rigidius cum ipsis agere, sed paterna uti clementia, ea spe fretum, ipsos quamprimum ordinationem suam revocaturos.

Burzei recantatio.

Et revocarunt, atque formulæ pure ac simpliciter subscribi jusserunt. Eximium hoc obedientiæ submissionisque exemplum secutus est eodem anno 1661 abbas *Bourzeus*, celeberrimum ante Jansenianæ factionis membrum: confessus sincere, propositiones damnatas contineri in libro Jansenii, *vel quoad verba*, *vel quoad verborum vim ac sententiam*, ostensis etiam locis, in quibus continerentur.

Retractatio autem ejus publica hæc erat: „ Ego libere & sincere subscribo formulæ fidei, ab episcopis & clero Franciæ missæ: &, quæ contraria scripsi, revoco ex toto corde, vellemque ea deleri posse meo sanguine, ob inviolabilem & supremam venerationem, quam habeo & habebo per totam vitam meam erga decisiones sanctissimi Patris nostri, tanquam magistri communis Christianorum, successoris Apostolorum principis, & Christi in terris vicarii.

Illustrius adhuc fuit exemplum *Gondrini* archiepiscopi Senonensis, qui circa quæstionem facti, se opposuerat; nam 18 Jun. 1661 publice declaravit, sine limitatione aut distinctione, quinque propositiones fuisse damnatas & esse hæreticas in sensu Jansenii, qui sensus non fuerit S. Augustini.

Caput

# Caput XI.

*Aletensis episcopus se opponit formulæ. Jansenistarum inter se dissidia. Juvenis Jesuitæ thesis a Jansenistis exagitata.*

Sed non omnibus eadem erat sententia ; nam quamvis Papa ejusque nuntius, conventus cleri, ac ipse rex magnopere contenderent, ut omnes formulæ, secundum constitutiones apostolicas conceptæ, pure ac simpliciter subscriberent, ut quies tandem ecclesiæ Gallicanæ redderetur ; aliqui tamen episcopi apud regem intercedebant, ut executio mandati suspenderetur. 11

Hos inter Aletensis episcopus, quem supra ad casum conscientiæ ab Arnaldo propositum, respondisse, diximus, præcipuum locum obtinere visus est, acriter contendens, episcopos non obligari, ut formulæ conventus Parisiensis subscribant, aut eandem diœcesanis subscribendam proponant. Tres ad hoc evincendum rationes attulit.

Aletensis Argumenta.

1. Quia conventus ille cleri non habuit potestatem concilii nationalis super omnes confratres, præsentes & absentes, obligandi illos per tam severum decretum ad subscribendum & signandum formulam professionis fidei, sub pœna privationis vocis activæ & passivæ in omnibus conventibus ecclesiasticis.

2. Quia conventus jubet haberi pro hæreticis eos etiam, qui quinque propositiones ceu hæreticas sincere condemnant, non tamen audent asserere, quod illæ contineantur in libro Jansenii. Non autem videri, quod sit hæreticus, qui tantummodo negat quæstionem facti ; quamvis temeritatis, ignorantiæ, aut præsumptionis reus esse possit.

3. Quia conventus pari modo mandat confratribus absentibus, qui eadem auctoritate pollent judicandi in similibus materiis, ut profiteantur, propositiones esse hæreticas in sensu, quem tamen non determinat.

His suis rationibus & exemplo Aletensis in partes suas traxit episcopos, Bellovacensem, Vincienſem, & Andegavensem, qui scriptis ad conventum cleri, regem, & Papam litteris (quas Portu-Regienses diligenter collectas typis dederunt) parendi obsequium sunt deprecati.

Aletensis vanis rationibus responsum est; quantum ad authoritatem conventus pertinet, quamvis ejusmodi congregationum finis principalis sit, negotia sæcularia cleri tractare, usu tamen & consuetudine ab earum jam origine recepum esse, ut ea quoque, quæ ad fidem, mores & disciplinam spectant, examinent, atque decidant. Sed quid opus de Parisiensis conventus potestate disputare, cum aliud nihil egerit, quam id, quod a Sede Apostolica jam dudum fuerat constitutum, & executoris potius quam judicis partes susceperit?

Verum facilius erat Jansenistis ecclesiastica quam regia mandata eludere, quæ eos adstringebant, ut formulæ simpliciter absque ulla distinctione aut restrictione subscriberent: hæc autem expresse continebat, quod *corde & ore condemnent doctrinam Cornelii Jansenii, contentam in ejus libro, & quod illa non sit S. Augustini.*

Dissidium inter Jansenistas.

Hinc schisma quoddam inter eos est ortum, in tres potissimum sectas abeuntes. Prima opinio fuit, posse subscribi formulæ simpliciter sine limitatione exteriore, quin interne credatur, Jansenium docuisse hæresin; eo quod subscriptio cadat supra solam quæstionem *juris* non autem *facti*: circa quod sufficiat obsequiosum silentium, quin interne credatur.

Hanc opinionem, quæ San-Bovio tribuebatur, multosque asseclas habuit, rejiciebat secta altera, asseruitque, quod ii, qui essent persuasi, quinque propositiones non contineri in Jansenio, non possint formulæ simpliciter subscribere, sine explicatione & restrictione expressa. Alias enim fore mendacium, falsum juramentum, aut saltem restrictionem pure mentalem, nunquam licitam, cum injuria & calumnia in Jansenium conjunctam.

Tertia opinio erat Blasii Pascalis; cui, dum provinciales litteras scriberet, nihil erat certius, quam distinctio & separabilitas inter jus & factum: in hoc solo, non autem in illo Papam deceptum asserebat: in quæstione juris omnes consentire. Solam differentiam esse in quæstione facti.

Verum postea in alteram partem extremam abiit, dixitque, gratiam intrinsece efficacem, de qua sola locutus sit Jansenius, a Pontificibus fuisse damnatam, ac proin in quæstione juris fuisse deceptos. Nullo igitur modo formulæ subscribi posse; quia condemnationi gratiæ de se efficacis subscriberetur: cum is solus fuerit sensus Jansenii. Fructus harum contentionum non alius

fuit,

fuit, quam ut Pascalis inconstantiam, Jansenistæ alii discordiam atque infirmitatem caussæ suæ publice demonstrarent, singuli vero spiritui suo privato inhærerent.

Dum ita inter se secumque ipsis, dimicabant Jansenistæ, alterque alterum damnabat, subito rursus unitis viribus in Jesuitas, quos insatiabili odio persequebantur, sunt invecti. Occasionem dedit quidam de Societate, juvenis theologiæ studiosus, qui anno 1661 hanc thesin posuit: *Christus S. Petro ejusque successoribus, quoties loquerentur ex cathedra, eam largitus est infallibilitatem, quam ipsemet habet.* Ex qua conclusit, quod exstet in ecclesia Romana judex infallibilis controversiarum, etiam extra concilium generâle, tam in quæstionibus facti quam juris, & quod post constitutiones Innocentii X & Alexandri VII credi possit fide divina, librum Jansenii esse hæreticum, & propositiones inde extractas esse Jansenii, & condemnatas in sensu Jansenii. Thesis litigiosa.

Prodiit mox libellus ex Portu-Regio, cui titulus: *Novella Jesuitarum hæresis, publice propugnata, omnibus Franciæ episcopis denuntiata.* Dicebatur in eo, prædictam thesin esse fontem errorum, ac hæresin generalem, quæ subvertat omnem religionem, horrendam impietatem & speciem idololatriæ. Plura alia contra illam positionem scripta fuerunt vulgata.

Auctor thesis expositionem submisit, declaravitque, nequaquam sensum esse, quod Papa a se ipso habeat eandem infallibilitatem personalem, quam Christus habet, cum thesis dicat, quod a Christo acceptam habeat, & hoc solummodo pro decisionibus generalibus fidei aut morum, totam ecclesiam concernentibus: neque alium esse verborum intellectum, quam, Christum per suam infallibilitatem assistere summo Pontifici, & in ejus definitiones fidei influere, easque dirigere, ita, ut nec falli possit, nec ecclesiam fallere. Atque hunc loquendi modum testimonio patrum comprobavit.

Quantum ad infallibilitatem in quæstionibus facti declaravit, se locutum de factis, conjunctis cum quæstionibus fidei, quale sit factum Jansenii; eo quod motivum credendi jus, mediate & indirecte pugnet pro credendo facto. Et hinc plures esse theologos, qui doceant, facta etiam particularia fide divina credi posse, e. g. concilium Tridentinum esse legitimum concilium generale, modernum Papam esse legitimum Pontificem & ecclesiæ caput, S. Carolum Borromæum esse vere sanctum, Calvini sensum de Eu-

chariſtia, & Neſtorii de incarnatione eſſe hæreticum. Non, quod talia facta ſint directe objectum revelationis divinæ, noſtræque fidei; ſed quia eſt veritas revelata, quod eccleſia, quæ nos obligat illa credere, non poſſit falli, nec eccleſiam in talibus fallere, a quibus dependet fides aut mores fidelium: ipſos epiſcopos in ea eſſe perſuaſione, factum Janſenii fide divina eſſe credibile; eo quod facta, tendentia ad directionem fidelium ſint implicite & ſaltem indirecte revelata, vi illius *paſce oves meas: tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c.*

Janſeniſtæ novum quidem libellum oppoſuerunt huic explicationi, cum hac inſcriptione, *illuſiones Jeſuitarum in ſua expoſitione*; ſed nemini Catholico eorum conatus probabatur. Societas theſin juvenis ſui theologi non adoptavit tanquam ſuam, quamvis Sorbona nullam in ea hæreſin, impietatem, aut idololatriam (uti calumniabantur Janſeniſtæ) invenerit. Et ſic tota iſta diſputatio conquievit. - - Certe, quando major ſyllogiſmi propoſitio eſt revelata, & minor certa, concluſio credi poteſt juxta communem theologorum fide divina: e. g. omnis homo eſt redemptus a Chriſto: ſed Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt redemptus a Chriſto. Infans, hodie natus, contraxit peccatum originale: ſed hic infans eſt hodie natus: ergo hic infans contraxit peccatum originale. Qui tenet & docet hæreſes, eſt hæreticus: ſed Lutherus tenuit & docuit hæreſes: ergo eſt hæreticus. Liber, qui continet hæreſes, eſt hæreticus: ſed liber Janſenii continet hæreſes: ergo eſt hæreticus. Licet enim concluſio non ſit explicite revelata, eſt tamen revelata implicite, quatenus continetur in majore univerſali revelata: eſt proin de fide: licet involvatur quæſtio facti, an ſit natus, an liber contineat hæreſes; de quo cum aliunde certo conſtet, ſtultum eſſet negare.

Videatur *polemica hiſtoria Janſeniſmi P. Laurentii Luchini part. 2 lib. 2.* Ubi addit: licet non eſſet de fide, propoſitiones illas contineri in libro Janſenii, aut eum fuiſſe ſenſum Janſenii, obligatos tamen omnes fore, ſubjicere ſe eccleſiæ, & aſſenſum præbere (prout etiam Perefixus archiepiſcopus ſenſiſſe videtur.)

Hoc certum, propoſitiones excerptas ex libro Janſenii eſſe hæreticas, & quidem in ſenſu obvio & litterali, quem verba præſeferunt, acceptas, conſequenter oppoſitum eſſe de fide. Certum inſuper eſt, ſubſcribendum formulæ Alexandri VII ſine

ulla

ulla exceptione & diſtinctione. Quia id exigit reverentia & obedientia, Sedi Apoſtolicæ debita; certumque omnino eſt, eas in libro Janſenii contineri, atque in ejus ſenſu litterali ac proprio merito fuiſſe damnatas, ſive factum Janſenii fide divina credatur, ſive humana.

# CAPUT XII.

## *Collatio cum P. Ferrier. Convenarum epiſcopi conatus. Miſſa declaratio Janſeniſtarum Romam. Breve Pontificis. Imperata ſubſcriptio. Janſeniſtarum convitia confutantur.*

CUm Janſeniſtæ nova identidem effugia quærerent, & ſic negotium ſubſcriptionis pluribus in locis hæreret, Gilbertus Choiſeulius, Convenenſis ac poſtea Tornacenſis epiſcopus, regis hortatu anno 1662 novam cum Portu-Regienſibus doctoribus conventionem tentandam ratus, uſus eſt Toloſæ in domo Miramontii Parlamenti præſidis opera P. Ferrierii e Societate JEſu, theologiæ ibidem profeſſoris. 12

Conventum hos inter tres viros, inſtituendum cum Janſeniſtis examen, quis ſenſus Janſenii fuerit, per conſtitutiones condemnatus, eo pacto, ut, ſi in hoc cum illis conveniri non poſſet, communi conſilio ad Sedem Apoſtolicam recurreretur, ejusque ſtaretur ſententia.

P. Annatus Societatis JEſu, a P. Ferrierio hujus conſilii certior factus, regi, cui a ſacris confeſſionibus erat, illud aperuit. Placuit regi; moxque epiſcopum cum P. Ferrierio Lutetiam acciri juſſit, data etiam Arnaldo, Lalanio, Girardo, Tagniero, Barcoſio abbati Sancirano, Janſeniſtarum primipilis, eo veniendi copia: qui Lalanium & Girardum deputarunt, ut nomine reliquorum cum P. Ferrierio tractarent.

Quinque inter illos ſeſſiones præſente epiſcopo Convenarum ſunt habitæ, ſed a refractariis nihil æqui poterat obtineri, ut adeo abſque ullo fructu collationes iſtas abrumpere neceſſe fuerit. Quamvis autem mutua ſtipulatione promiſſum fuerit, ſi negotium nullum ſortiretur ſucceſſum, in neutrius partis diſpendium aliquid

 evul-

evulgare; cum tamen ea, quæ ultro citroque dicta fuerant, nullo scripto fuissent signata, amplus Jansenistis, pro more insolentium, quibus frons omnis depuduit, apertus est campus, in mendacia excurrendi, & nescio quas jactandi victorias.

Mox enim scriptum ab iis vulgatum sub nomine *Relationis abbreviatæ*: ac subin alia duo ampliora: unum sub titulo: *collationes inter dominos de Lalane & Girard atque P. Ferrier &c.* alterum sub isto: *consilium Jesuitarum repræsentatum dominis prælatis.* His altero post anno respondit P. Ferrier libello, cujus initium: *relatio fidelis ac vera &c*, a mediatoribus collationum approbata. Sed Jansenistæ, prout sunt in scriptiones prompti & expediti, brevi aliud opus opposuerunt, ita inscriptum: *refutatio falsæ relationis P. Ferrieri.* Pluraque alia, quæ recensere longum foret, hinc inde sunt edita, non alio operæ pretio, quam ut posteritas sciret, multum inter eos fuisse rixarum; quibus præcaveri potuisset, si a præsentibus notariis omnia eorum dicta scripto fuissent annotata.

Quamvis autem hæ collationes frustra sint susceptæ, Convenensis tamen episcopus ad frangendam pertinaciam aliam viam tentandam putavit, qua Jansenistis persuasit, ut veluti compromitterent in tres prælatos; quorum unus ipse erat, alter Perefixus, Parisiensis postea episcopus, tertius Estreus Laudunensis episcopus, Cardinalis dein ornatus dignitate. Conceperunt isti anno 1663 formulam subscribendam, in qua condemnatio quinque propositionum & veneratio constitutionum tantum continebatur.

Sed monuit P. Annatus, huic formulæ non ægre subscripturos Jansenistas; quia dicturi forent, se non promisisse fateri, propositiones illas contineri in Jansenio, & sensum damnatum fuisse Jansenii, sed respectum & venerationem promissam stare in *silentio obsequioso.* Quapropter tres illi prælati formulam mutarunt, volueruntque, ut Jansenistæ se submittant sincere & absolute in omnibus, quæ Pontifices deciderunt. At hoc detrectabant, quia sic implicite saltem faterentur, quod sensus Jansenii sit damnatus, & bene damnatus. Et sic etiam hic conatus evanuit.

At Convenensis, miro flagrans desiderio ecclesiæ pacem reddendi, necdum desperavit, sed suasit Jansenistis, ut ad Papam epistolam, submissione plenam mitterent, in qua contestarentur, quod condemnent sincere quinque propositiones, adderentque, si sua sanctitas plus exigeret, ad obediendum se esse paratos. Quamvis autem

autem antea hoc consilium, a P. Ferrier propositum, rejecissent, nunc autem ab episcopo suggestum acceptarunt, rogaruntque, ut accepto a se mandato procuratorio, suo nomine ad Papam scriberet.

In hoc mandato multis, sed inanibus ac fraudulentis verborum ambagibus contestantur suam submissionem & reverentiam erga constitutiones apostolicas, condemnantes quinque propositiones, de *facto* autem Jansenii nullam mentionem faciunt, ut semper mandata apostolica possint eludere. Addunt articulos suæ doctrinæ, ad normam ferme scholæ Thomisticæ accommodatos.

Articuli Jansenistarum.

1. Quamvis Blasius Pascalis in litteris provincialibus risu exceperit gratiam sufficientem Thomistarum, ut quæ esset sufficiens, & non esset sufficiens, cum sine gratia efficaci nullum opus bonum fieri possit; hic tamen Jansenistæ eandem admittunt in sensu Thomistarum. Fatentur tamen, eam appellari sufficientem, quamvis non sit sufficiens, cum prærequisitum necessarium ad agendum desit, nempe gratia efficax. Unde abutuntur verbis, & sibi ipsis manifeste contradicunt.

2. Gratiam sufficientem (quam etiam excitantem & inefficacem vocant) debilem ac tenuem esse gratiam, inquiunt, quæ respectu effectus, ad quem immediate & directe datur, sit inefficax, efficax tamen spectata voluntate DEI absoluta, quia producit effectum, quem vult produci in mente humana.

3. Quamvis gratia efficax invincibiliter ad agendum nos determinet, nullam tamen ab ea necessitatem agendi nobis imponi.

4. Voluntatem semper habere potentiam proximam resistendi gratiæ etiam efficaci, nunquam tamen ei restituram.

5. Quamvis prædestinatio sit gratuita, non tamen negari Christum pro omnibus mortuum, omnesque salvos velle voluntate antecedente, solos tamen prædestinatos voluntate absoluta & efficaci per decretum absolutum.

Ad eos non respondetur, quia dolosi.

Alexander VII his Jansenistarum parergis per Convenarum episcopum acceptis, congregationem Cardinalium indixit, quæ nihil ad ea respondendum censuit, quod ambigue essent concepta, &, si uno loco consentirent, in altero sibi ipsis contradicerent: nihil aliud Jansenistas videri quærere, quam ut decipiant, aliudque decretum eblandiantur, quo prioribus exolvantur, prout monuit Hodencurtius Redonensis episcopus; *lex*, inquiebat, *promulgata est, caussa finita, sed non finitæ artes dolique.* Quapro-

propter Roma relationis, a Convenensi factæ, non multam rationem habendam duxit.

Misit tamen Papa *breve*, ut vocant, anno 1663 in Galliam ad archiepiscopos & episcopos, in quo zelum ipsorum laudavit, atque ut porro pro observandis constitutionibus collaborent, est adhortatus, ad condemnandas maxime propositiones, ex libro Jansenii extractas, in sensu proprio auctoris, seu ejus libri.

Rex auditis, quæ Papa rescripserat, ejus mandata jussit exequi. At Jansenistæ obtulerunt libellum, in quo miram erga apostolica & regia mandata submissionem sunt contestati; sed demptis verborum ludibriis, illa non erat alia, quam condemnari a se quinque propositiones, & erga decisiones facti omnem haberi respectum.

Libellum hunc rex examinandum tradidit sanctiori suo consilio, quod respondit, illum nec promissis Jansenistarum, in libello suo procuratorio Papæ factis, nec brevi apostolico esse conformem. Quare rex conventum prælatorum haberi voluit Parisiis, præside Barberino Rhemensi archiepiscopo, ut pariter examinaret Jansenistarum declarationem, atque voluntatem Pontificis exequeretur.

Hic conventus declaravit, Jansenistarum declarationem & submissionem esse captiosam, plenam effugiis, sub apparentia obedientiæ occultantem hæresin Jansenii, tendentemque ad ruinam ultimi *brevis* aliarumque constitutionum apostolicarum. Quare nihil opportunius videri, quam ut formulæ, anno 1656 & 1661 conceptæ, omnes sine ulla exceptione aut limitatione subscriberent. Atque ut hoc certius fieret, ad omnes regni episcopos ab hoc conventu & rege ipso mandata missa sunt.

Portu - Regienses aliique Jansenistæ hoc mandato efferati, in summum Pontificem, episcopos, maxime vero Jesuitas, quos illius auctores existimabant, in variis libellis, pro more sparsis, bilem exspuerunt. Volabant illico scripta, calumniis, quibus abundabant, & contumeliis plena, sub variis titulis: 1. *Memoriale pro theologis, qui noluerunt condemnare 5 propositiones in sensu Jansenii sine explicatione.* 2. *Consilia Jesuitarum prælatis conventus 2 Oct. 1663 repræsentata.*

Jansenistarum libelli.

Duo autem eorum consilia sibi fingebant: primum, ut ultionem sumant ab iis, quos insatiabili odio persequerentur: secun-

dum,

dum, ut everterent omnia, quæ a Parlamento & Sorbona acta fuerant contra injustas prætensiones curiæ Romanæ.

Tertio libello titulus erat: *reflexiones supra deliberationes prælatorum.* Quarto: *Justæ querelæ theologorum contra deliberationem &c.* Quinto: *Examen litterarum circularium conventus de 2 Octobr. &c.*

Dictu fœdum horrendumque, quam impudentia in his aliisque scriptis convitia effuderint. Summam paulo ante venerationem submissionemque sedi apostolicæ promiserant: jam vero publice scribere non erubescunt: quod *injustæ prætensiones curiæ sint lapis offensionis, qui in hæresi retineat majorem partem eorum, qui ipsi adhærent, --- caussa deplorabilis separationis tot populorum, & maximum obstaculum eorum reunionis.* Pontifices paulatim evertisse media, quibus ipsimet ante usi fuissent ad stabiliendam fidem & disciplinam in ecclesia, concilia videlicet & sacros canones. Innocentium X in condemnatione 5 propositionum eo spectasse, ut Papam mittat in possessionem novæ infallibilitatis, non tantum sine concilio generali, episcoporum, aut Cardinalium collegio, sed etiam sine necessitate inspirationis divinæ. Convitia.

Neque episcopis magis ac prælatis effrontes eorum calami pepercerunt: sed de iis, quos antea *intrepidos defensores divinæ, quæ in episcopis resideret, authoritatis* appellaverant, postea dixerunt, quod pronuntiaverint in materia fidei *sine potestate, sine examine, sine deliberatione, sine cognitione caussæ.* De episcopis, qui ordinaverant, ut formulæ subscriberetur sine distinctione, dicebant, quod *elegerint medium pro executione constitutionum, quo hæresis stabiliretur.* At vero omnes Galliæ episcopi (quatuor exceptis) una cum Papa hoc medium elegerunt.

Addunt, duas res in Francia esse notorias: unam, quod e centum episcopis, qui constitutiones receperunt, ne quidem octo cum diligentia examinarint factum Jansenii; alterum, quod ex iis, qui examinarunt, nec dimidia pars illud crediderit. Quibus quid ad vituperium episcoporum dici possit turpius, non video. Jam vero, qui tanta probra in supremum ecclesiæ antistitem, in archiepiscopos, episcopos, prælatos, in clerum Gallicanum universum effuderunt, conjice, quid in Jesuitas, quos cane pejus & angue oderant, jactarint.

At conventus Parisiensis 13 episcoporum, inquiunt, potestatem non habuit, a centum, qui sunt in Francia, episcopis, sub- Effugia.

scriptionem formulæ exigendi. Quasi vero id non jam ab ipsis summis Pontificibus, & sæpius a clero Gallicano fuerit mandatum.

Verum absque examine & discussione sententiam tulit. Quid opus examine? caussa jam sæpius in summis tribunalibus fuit cognita, examinata, discussa, sententia Romæ & in Gallia lata, executio ab ipso rege imperata: quid ergo defuit, quo minus conventus mandata exequeretur?

Neque de novo citari & audiri debuerunt Jansenistæ; cum id sæpe jam factum, sed elusum ab illis semper fuerit. Deinde ad quid citatio hominum, qui judicem alium in hac caussa non agnoscunt, quam se ipsos, propriæ cum tanta pertinacia erroneæ opinioni inhærentes; ut eam toti ecclesiæ præferant, regulamque sibi credendorum statuant?

Sed neque justa eorum querela fuit, declarationem neque Mendacia. datam neque acceptatam fuisse: decem jam annis clamari de hæresi, quin tamen unquam ostensum fuerit, in quo hæc consistat. Falsissimum hoc esse, replicarunt Catholici, multas declarationes datas, ostensa loca libri, in quibus Jansenius 5 propositiones doceat: clare & distincte assignatum sensum auctoris, quem nempe verba illius secundum usitatam, propriam ac naturalem significationem legentibus ingerunt. Jansenistas ipsos condemnasse 5 propositiones tanquam hæreticas, in quo alio sensu, nisi in proprio, litterali, quem ex usu verba præseferunt? quærere ipsos, sicut a decem jam annis, novas semper novasque declarationes, non ut doceantur, sed ut tricari semper queant, quin ad finem & executionem unquam deveniretur.

Promissum ab ipsis absolute ac sine reservatione ulterioris declarationis (tergiversationis potius) *si Papa desideret adhuc aliquid a nobis, ad demonstrandam nostram fidelitatem &c. promittimus illud fideliter adimplere.* Desiderat hoc unum Papa, ut fateantur, propositiones illas ex libro Jansenii fuisse extractas, & in sensu ejusdem esse hæreticas. Starent ergo promissis, formulæ simpliciter subscriberent, nec nova rursus effugia quærerent & diverticula. Assertum insuper ab ipsis in sua declaratione: *agnoscimus, non pertinere ad theologos particulares, ut se elevent contra decisiones S. Ecclesiæ, aut eas impugnent, vel eis resistant.* Desinerent ergo se elevare, impugnare, resistere.

Frangunt suum obsequiosum silentium. Promissum insuper ab ipsis absolute, simpliciter, & sine ulla limitatione, respectuosum silentium circa quæstionem facti, quod nunquam, quæ de illa decisa sunt, velint impugnare; cur ergo contra

contra fidem datam perpetuo illa impugnare pergant? cur nunc dicerent, se bona conscientia de illa tacere non posse? cur promisissent agere contra conscientiam? cur calidum & frigidum uno ore exhalarent, sibique tam turpiter contradicerent? nullum hic locum esse restrictionibus mentalibus, ubi de fide agitur, eo minus, quod ipsi universim omnes restrictiones malæ fidei & mendacii condemnent. Volebant nempe obsequiosi isti homines contra fidem solenniter toties datam perpetuo loqui, ecclesiæ autem silentium imponere, non jure aliquo sed sua populari dicacitate freti.

Quamvis autem Jansenistæ adversus *Breve* Alexandri VII graviter detonarent, ex parte tamen in rem suam illud trahere connisi sunt. Quia enim articulos, quibus doctrinam suam contineri dicebant, expresse non condemnavit, eos approbatos esse spargebant, eo maxime fundamento, quod Pontifex in eo asseruerit, plures inter eos, & quidem præcipuos, præsulum exemplo, consilio atque sollicitudine excitatos, *doctrinam saniorem fuisse amplexos:* hæc autem verba non de alia doctrina, quam in missis Romam per Convenarum episcopum articulis comprehensa, posse intelligi. Fallacia.

At Jansenistarum adversarii responderunt, Papam contestatum esse gaudium, non propter articulos ad se Romam missos, (de quibus, ut ex actis notum, penitus abstrahere placuit) sed *propter litteras ex Gallia acceptas*, quæ nuntiaverant, plures ad saniorem redire doctrinam, deposita pertinacia, qua antea Jansenii propositiones in ejus sensu condemnare detrectaverant. Fallax versutia! ut pœnas, hæreticorum fautoribus statutas, effugerent, sub Thomistarum pallio latere volebant, quorum doctrinam de gratia sufficiente alias risu explodebant. S. Augustini discipulos perpetuo se nominabant, cum essent Jansenii. Articulos quosdam, prædeterminationibus physicis de gratia intrinsece per se ipsam efficaci similes, tecto atque ambiguo sensu mentiebantur, ut, remoto pœnarum periculo, eum semper in Jansenianum errorem detorquere valeant, ac dicere, sine gratia efficaci nullum opus bonum fieri posse, consequenter quando illa deest, præcepta DEi servari non posse: gratiam efficacem invincibiler cum effectu suo esse conjunctam, adeoque sive adsit, sive desit, nullam dari libertatem a necessitate.

Hinc tanto conatu decisionibus *facti* se opponebant, mordicus negantes, propositiones damnatas extare in libro Jansenii, aut Quid intenderint.

 in

in ejus sensu intellectas esse hæreticas; nam, si hoc evincerent, impune doctrinam Jansenii tenere ac docere se posse existimabant. Unde ad speciem duntaxat 5 propositiones damnabant; atque, postquam in quæstione facti id, quod volebant, fuissent assecuti, callide præsumebant, pro lubitu in quæstionem juris grassari posse, inhærendo doctrinæ, in Jansenii libro contentæ. Unde cum pontifex in 5 porrectis eorum articulis non inveniret, quod de eorum fide certum redderet, districte adeo exegit, ut factum Jansenii faterentur, atque subscriberent. Quod cum facere tanta pervicacia detrectarent, suspectos omnino reddebant suos articulos, malamque fidem haud obscure prodiderunt.

# CAPUT XIII.

## *Rex libros Jansenistarum ad rogum condemnat. Severe imperat subscriptionem. Quam Perefixus de fide tantum humana circa factum declarat. Jansenistæ etiam hanc rejiciunt. Quo jure?*

13 Rex libros eorum ad rogum damnat.

REx Ludovicus, pertæsus turbarum, quas Jansenistæ tanto jam tempore tantaque pervicacia concitaverant, fortiusque remedium adhibendum ratus, imprimis duos eorum libros solenni decreto anno 1664, publico in foro comburi jussit, diarium videlicet Sant-Amorii (*Journal de Saint-Amour*) doctoris Sorbonici, qui ea, quæ Romæ & in Francia contigerant in caussa Janseniana, conscripserat, sed ea fide & modestia, quam a Jansenista expectes: *Manuale* item *Catholicorum*, sub nomine ficto *Alethophili Charitopolitani* excusum.

Decretum regium erat hujusmodi: in præjudicium constitutionum Innocentii X, & Alexandri VII, per quasdam personas, erga religionem & statum male affectas, prodiisse libellos. Hos inter esse memoratos duos, quos, ut perversioni infirmorum spirituum præcaveatur, examinandos traditos prælatis & doctoribus Sorbonicis. Ab his relatum regi, quod hæresin Jansenianam aperte propugnent hi libelli atque renovent. Auctores ac defensores illius mire in eis laudari, Catholicos vero doctores, qui contra eos scripserunt, injuriis obrui; quæ sancta Ecclesia, Pontifices, Cardinales, episcopi, doctores, religiosi in hac materia pronuntiarunt, risu, despectu, & intolerabili impudentia respui, ut adeo dignis-

digniſſimi ſint, qui diſcerpti a carnifice in rogum publice conjiciantur, authores & impreſſores comprehenſi in carcerem trudantur.

Et quoniam ſemper erant aliqui epiſcopi, qui conſtitutionibus ac formulæ, a clero Gallicano propoſitæ, ſimpliciter & ſine mutatione, ſubſcribere detrectabant, atque Janſeniſtæ appellare conſueverant ad Parlamentum, quod tales admittendo provocationes eorum pertinaciam fovebat, rex a conventu cleri rogatus, in Parlamento præſens mandavit, ut omnes eccleſiaſtici, ſæculares & regulares, remota appellatione, formulæ pure & abſolute ſubſcriberent; quod ni intra menſem a publicatione præſtiterint, beneficia eorum tanquam vacantia aliis conferenda, neque ad alia, vel ad gradus univerſitatum, aut officia publica, aut profeſſionem religioſam admittendos, iisque, quæ poſſident, muneribus privandos, neque ullum in poſterum promotum iri, niſi prius ſincere ac pure ſubſcripſerit formulæ. Nova ejus mandata.

Adjecta ſevera prohibitio omnium librorum, qui contra bullas Innoc. X, aut Alex. VII, vel contra decreta conventus epiſcoporum & cleri, aut cenſuram facultatis theologicæ Pariſienſis, vel contra formulam, juxta conſtitutiones apoſtolicas a clero ad reducendam in eccleſia pacem conceptam, fuerunt jam impreſſi, aut deinceps eſſent imprimendi.

At contemptis tot decretis utriusque ſupremæ poteſtatis, eccleſiaſticæ & politicæ, homines iſti effrænes & effrontes abſterreri ſe non ſunt paſſi, quo minus pergerent famoſos libellos procudere, & in publicum evulgare.

Occaſionem aliquam ſibi datam exiſtimabant a Perefixo, ad Pariſienſem archiepiſcopatum nuper aſſumpto; nam hic prælatus, cum noſſet, Janſeniſtas, ut favorem populi aucuparenter, innumeris ſcriptis in vulgus diſperſis id maxime conqueſtos, exigi a ſe, ut fide divina credant articulum ſæculi XVII, deciſionem videlicet facti, quod propoſitiones damnatæ extent in libro Janſenii, & ſenſus damnatus fuerit ejusdem ſenſus.

Igitur Perefixus, cum ſubſcriptionem formulæ urgeret, adjecit, non exigi, ut fide *divina* credantur, quæ ad hoc factum pertinent, ſed ſufficere fidem *humanam & eccleſiaſticam*, per quam ſubmittat quisque ſuum judicium legitimorum ſuperiorum judicio. Et ſane, licet factum, ſolitarie ſpectatum, non crederent fide divina, credere tamen illud debebant fide humana, & ſubſcribendo ſimpliciter formulæ, ſe ſubjicere eccleſiæ. Perefixi opinio.

 Ve-

Rejecta a Jans.

Verum hæc explicatio adeo non satisfecit Portu-Regiensibus, ut novam inde scripturiendi ansam arriperent. Apparuit brevi *tractatus de fide humana: apologia pro monialibus Portu-Regiensibus*, cum *octodecim epistolis* Nicolei. In his duo maxime puncta continebantur. 1 Ecclesiam neque fidem humanam internam posse exigere circa ea, quæ sunt facti, sed tantummodo submissionem exteriorem, quæ consistat in *silentio obsequioso*; eo quod in his ecclesia non sit infallibilis, ac propterea nemo teneatur, imo nec possit sine imprudentia & temeritate contra propriam persuasionem ejus testimonio credere.

2. Exactionem fidei & subscriptionis absolute tantum abesse a pace & unione reducenda, ut majores adhuc motus & divisiones esset allatura. Nihil interesse ecclesiæ, an factum, Jansenio imputatum, verum sit an falsum, an 5 propositiones docuerit, aut quo sensu docuerit; inutilem esse hanc disceptationem; modo omnes doctrinam illam condemnent, sive in libro aliquo contineantur, sive non. Ut igitur tollatur divisio & scandalum, alio non fore opus, quam ut tollatur ejus caussa, quæ unice esset exactio subscriptionis, ad nihil utilis, nisi ut satisfiat vindictæ Jesuitarum, quam a Jansenio & ejus amicis tot motibus excitatis sumere intendant. Obsistendum eorum conatibus, ut quies exoptata redeat.

Responderunt Catholici, non ad Jansenistas, partem litigantem, neque ad Jesuitas pertinere, ut, quid decidendum, definiendum, decernendumve sit, statuant; ecclesiæ ejusque summi antistitis has partes esse: sive dein quæstio juris sive facti vertatur; condemnatum in quinta synodo librum Theodoreti, adversus Cyrillum Alexandrinum cum epistola Ibæ ad Marin Persam, adactosque sub anathematis pœna fideles a Pontifice, ut subscribant; atque repugnantes habitos schismaticos, non distinguendo inter quæstionem juris & facti, ne aliqui iis scriptis abutantur velut orthodoxis. Parem esse præsentem caussam. Parcitum tunc auctoribus, quia in concilio Chalcedonensi, quæ scripserant, revocarent, dicendo anathema Nestorio; damnatos tamen eorum libros, parcitum hic auctori, quia librum suum in morte judicio ecclesiæ subjecit, condemnatum tamen librum, ne novatores illo abutantur ad stabiliendam hæresin. Dictum contra anathema Ario, Nestorio, Eutychi, Pelagio, aliisque hæresiarchis, licet quæstio facti fuerit, an errores damnatos docuerint, nec contentam fuisse ecclesiam, ut fideles errores damnarent, nisi personas etiam & earum scripta condemnarent de hæresi. Profecto, si Jansenistarum novis

novis inventionibus eſſet ſtandum, nec Arius, nec alius damnari potuiſſet tanquam hæreticus: cum ſemper de iis dici potuiſſet, quod iſti de Janſenii libro, facti nempe quæſtionem verti.

Quod Jeſuitas rurſus hic reos agant, nihil a more ſuo alienum agunt; quia his impune omnia imputari poſſe credebant. Quaſi vero neſciret orbis, Sorbonæ doctores primos fuiſſe, qui librum Janſenii publicis in lectionibus impugnarint, ac dein 5 ejus propoſitiones cenſura notarint: 88 Galliæ epiſcopos ſuper iiſdem propoſitionibus a ſede apoſtolica deciſionem petiiſſe, Sorbonicos doctores fuiſſe, qui cauſſam illam Romæ ſunt proſecuti: ſummos pontifices doctrinam Janſenii condemnaſſe, eandem condemnationem ab epiſcopis Galliæ & clero, in conciliis congregatis, receptam, ſæpiusque approbatam; conditam formulam, ab omnibus ſubſcribendam. Si Jeſuitæ aliique religioſi in partem curæ & laboris ſunt vocati, nullam apud ſanos reprehenſionem merentur; ſed conſenſum unanimem contra refractarios pauculos demonſtrant.

Nihil favori Jeſuitarum datum; quin eo ipſo tempore plures epiſcopi & Sorbonæ doctores caſuiſtarum apologiam cenſura notarunt, nec pepercerunt laxioribus propoſitionibus, a Janſeniſtis ex omni orbe terrarum diligenter collectis, atque odioſe nimium propoſitis. Omnibus nihilominus in cauſſa Janſeniana mens una fuit. Videbant nempe ſapientiſſimi rerum æſtimatores 1, *exempla* actæ retro ætatis, qua non modo hæreſes, ſed libri etiam, ipſæque adeo perſonæ ſunt condemnatæ, & pro hæreticis haberi juſſæ, licet quæſtio facti involveretur, quam doctrinam & in quo ſenſu propoſuerint; neque admittebatur hæc proteſtatio. Profecto, quod dicunt Janſeniſtæ, omnes hæretici & ſchismatici opponere poterant.

Judicium de libris eſt penes eccleſiam.

Videbant 2 *ſequelas.* Si enim eccleſia non poſſet judicare de libris eorumque ſenſu, neque judicare amplius poſſet, in quibus libris contineatur verbum DEi: quænam ſit authentica bibliorum verſio; quis ſit ſenſus S. Scripturæ, a Spiritu S. intentus: in quibus libris contineatur vera traditio, quænam traditio ſit vera, & quænam falſa, quænam apoſtolica, & quænam aliunde inventa: in quibus libris contineatur doctrina ſana ac ſalutaris, & in quibus noxia; quia in his involvitur quæſtio facti. Quomodo ergo ſummus pontifex eſſe poſſet paſtor univerſalis? quomodo paſcere oves Chriſti, ſi oſtendere non poſſet, quænam ſalubria ſint paſcua, & quænam venenata. Et ſic nunquam finiri poſſent controverſiæ

in

in ecclesia, sed quilibet privato suo spiritui esset relinquendus, ecclesia vero judicandi potestate privanda. Propterea

Videbant 3, quam indignam rem Jansenistæ peterent, ut videlicet ecclesia, Papa, Cardinales, episcopi, paucorum hominum privatorum pertinaciæ, ambitioni, superbiæ in perniciem animarum cederent, iisdemque potestatem facerent, in eundem errorem alios quoque abducendi, & in æternum dandi exitium.

# CAPUT XIV.

## *Formula ab Alex. VII præscripta. Perefixi subscriptio. Detrectatio 4 episcoporum. Solvuntur Jansenistarum objectamenta.*

4 TAmetsi Alexander VII præsulibus Galliæ commendarit executionem constitutionum, eosque ad remedia magis efficacia fuerit adhortatus, quia tamen formulæ subscriptionis, a conventu Parisiensi conceptæ, mentionem non fecit, Jansenistæ id in rem suam interpretati, inferebant, formulam a Papa improbari.

Ut igitur etiam hoc frivolum effugium illis præcluderetur, rex ab ipso Pontifice formulam expetiit, cui in Gallia subscriberetur. Perlubenter annuit Alexander Papa, atque anno 1665 constitutionem novam misit, adjecta formula, a Galliæ prælatis conceptæ persimili.

In ea constitutione memorat Papa, hæresin Jansenianam, ad modum serpentis, cui caput attritum, novos adhuc motus ciere, eique penitus conficiendæ regem Christianissimum pro singulari suo religionis zelo expetiisse formulam, apostolica auctoritate munitam, tanquam maxime opportunum mali remedium. Hanc se prompte concepisse sequenti tenore:

Formula Alex. VII. *Ego subscriptus me submitto constitutioni apostolicæ Innocentii X summi pontificis de 31 Maji 1653 & Alexandri VII de 16 Oct. 1656, atque rejicio & condemno sincere 5 propositiones, extractas e libro Cornelii Jansenii, cui titulus Augustinus, in proprio sensu ejusdem auctoris, sicut sedes apostolica easdem condemnat per illas ipsas constitutiones. Sic me DEus adjuvet, & hæc sancta DEi evangelia.*

Huic

Huic formulæ omnes perſonas eccleſiaſticas juſſit intra tres menſes a publicatione ſubſcribere ſub pœnis, a ſacris canonibus & conciliis decretis: executionem autem demandavit epiſcopis per ſuas diœceſes, omni appellatione remota, imploratoque, ſi opus ſit, brachio ſæculari.

Rex pariter præcepit, ut omnes huic formulæ ſubſcribant pure & ſimpliciter, ſine ulla diſtinctione, interpretatione aut reſtrictione, additque, modicum adhuc ſupereſſe numerum, hæreſi Janſenianæ adhærentium, qui per affectatam cæcitatem, & excogitatas ſubtilitates eccleſiæ deciſionibus reſiſterent. Decretum hoc, urgente rege in Parlamento præſente, ejusdem actis inſertum eſt 29 April. 1665.

Perefixus, Pariſienſis archiepiſcopus, formulæ juſſit ſubſcribere, ſed ita, ut dogmata fide divina juberet credere, facta vero non revelata fide humana, teſtimonio eccleſiæ nixa. Hoc mandatum archiepiſcopi de ſe non malum, erat tamen contra voluntatem Pontificis in eo, quod prohiberet omnem additionem & reſtrictionem. Quod fieri poterat, quamvis factum non crederetur fide divina. Et hinc reliqui epiſcopi & archiepiſcopi ſimpliciter & ſine diſtinctione inter jus & factum, ſubſcribi mandarunt, excepto *Aletenſi*, qui mandato ſuo inſeruit, veritates revelatas ſolas eſſe credendas: in quæſtione vero facti, an propoſitiones hæreticæ contineantur in aliquo libro, & an auctor intendat ſenſum hæreticum, eccleſiam non eſſe infallibilem: non tamen eſſe permiſſum, ut quis temerarie ſe opponat ejus judicio, ſed requiri, ut in ſilentio illud revereatur.

Hoc ſuo exemplo Aletenſis tres alios traxit epiſcopos, Apamienſem, Andegavenſem, & Bellovacenſem, qui mandatum ſuum executivum eodem ſenſu explicarunt. Verum rex in conſilio ſtatus hæc mandata rejecit, tanquam contraria declarationi & intentioni ſuæ ſanctitatis; quæ ipſa etiam illa in indicem librorum prohibitorum retulit.

4 epiſcoporum renitentia.

Janſeniſtæ interea tot decretis, pontificiis ac regiis damnati, contumaciam nequaquam poſuerunt, ſed furere magis cœperunt, protruſis rurſus in vulgus virulentis ſcriptiunculis. Eminent has inter *litteræ de imaginaria hæreſi.* In quibus auctor ſectariis ſuis perſuadere nititur, non eſſe ſubſcribendum formulæ, imo ſalva conſcientia id fieri non poſſe; excommunicationem, ſi quæ ferretur, injuſtam & irritam fore, neminique, niſi intorquentibus no-

xiam. Perefixi, limitatam licet, declarationem, injuſtam ac infamem, fraudulentam pronuntiat, theologis omnibus, principiis fidei, doctrinæ eccleſiæ Gallicanæ, ſecuritati ſtatus contrariam, nec alios, niſi homines ſine conſcientia & ſpiritu illi adhærere, ſpiritus humiles, blasphemantes, quod ignorent. Quæſtionem magis inutilem magisque frivolam nunquam fuiſſe motam in eccleſia, quam hanc de facto Janſenii: ſubſcriptionem formulæ eſſe temerariam, DEO injuriam, contrariam charitati. Opinionem de infallibilitate eccleſiæ in quæſtionibus facti eſſe novellam, falſam, ſcandaloſam, erroneam, hæreticam. Ita novus hic Jupiter tonat.

Janſeniſt. tricæ.

Idem ſcriptor (Nicoleus) cum aliis Portu-Regienſibus objecit, novellam eſſe opinionem, a decem primum annis invectam, quod detur obligatio ſubjiciendi ſuum judicium eccleſiæ, quisnam ſit libri alicujus ſenſus. Cardinalium, Bellarmini, Baronii, Richelii, Pallavicini, de Laurea &c., eam eſſe ſententiam, concilia etiam generalia in quæſtionibus facti poſſe falli. Idem doceri a Petro de Marca, Duvallio doctore Sorbonico. A Petro Hallæo S. J. defendi originem, quamvis tanquam hæreticus fuerit condemnatus ab eccleſia. Similiter a PP. Sirmondo & Petavio defendi Theodoretum, tametſi a ſynodo V ejus ſcripta fuerint damnata. Ab eodem Petavio Marcellum Ancyranum haberi pro hæretico, a Liberio Papa juſte condemnato; etſi prius a Julio Papa, & concilio Sardicenſi unacum libro ſuo fuerit abſolutus. Totam Societatem pro orthodoxo habere librum Molinæ, quantumvis a congregatione de auxiliis Semipelagianiſmus ei fuerit attributus, uti etiam a duobus Pontificibus.

Quibus memoratus author *hæreſis imaginariæ* addit Tannerum & Elizalde Jeſuitas, qui docent, quod eccleſia ſit fallibilis in quæſtionibus facti, quod non pertinet ad fidem communem totius eccleſiæ. Cur ergo ſolis Janſeniſtis vitio verteretur, quod eandem cum Jeſuitis, Sorbona, Cardinalibus, & ipſis ſummis Pontificibus circa factum Janſenii doctrinam teneant?

At vero Catholici contrariis exemplis oppoſitum demonſtrarunt, & 1 quidem Vergerii famoſi abbatis Sancyrani, intimi Janſenii amici, quem Portu-Regienſes velut oraculum ſuſpexerunt: docere hunc in ordine Janſeniano primum abbatem, non omnem eccleſiæ deciſionem contineri in verbo DEI, nec parere certitudinem fidei, tranſcendere tamen omnem fidem humanam, ita, ut in errorem incidat, qui contradicit. Sanctam virginem cum corpore

Catholicorum reſponſio.

re

re & anima in cælum eſſe aſſumptam, certitudinem eſſe indubitatam, fundatam in conſenſu eccleſiæ, nec tamen eſſe veritatem fidei. Dantur ergo facta, quæ propter teſtimonium eccleſiæ tranſcendunt omnem fidem humanam, quamvis non contineantur in verbo DEI ſcripto vel tradito. Falſum proin eſt Janſeniſtarum principium, quod eccleſia circa omnia facta, quæ non continentur in verbo DEI, ſit fallibilis.

Alterum exemplum petitur ex ipſo fundatore Janſenio, qui *Auguſtinum* ſuum Urbano VIII ſubjecerat, animo parato retractandi, quidquid ille damnaſſet, & approbandi, quidquid approbaſſet. Eccleſiæ ergo judicio ſubmiſit, an verum S. Auguſtini (de quo dubitabat) ſenſum ſit aſſecutus. In pace foret eccleſia, ſi eadem mens eſſet diſcipulis, quæ magiſtri fuit, deciſioni Sedis Apoſt. relinquentis, an ſenſus ſuus ſit ſanus & ſenſui S. Auguſtini & eccleſiæ conformis.

Tertium offert Sant-Amorius, dum refert epiſtolam, a Janſeniſta jam ante bullam Innocentii X ad amicum ſcriptam, in hac, optandum fore, inquit, ut Sedes Apoſt. declararet, quod doctrina S. Auguſtini de gratia & prædeſtinatione ſit doctrina eccleſiæ, & quod doctrina Janſenii ſit conformis S. Auguſtino Primum facile obtentum iri, non vero alterum. Supponit ergo auctor hujus epiſtolæ, utrumque hoc factum decidere, pertinere ad Sedem Apoſtolicam. Profecto, ſi Papa declaraſſet, ſenſum Janſenii eſſe ſenſum S. Auguſtini, mox Papa in ea declaratione fuiſſet infallibilis, omneſque Janſeniſtæ ſubſcripſiſſent; at cum contrarium deciderit, illico factus eſt ipſis fallibilis. Nempe tunc tantum eſt infallibilis, quando ipſis placet. Aliqui Janſeniſtæ dicunt, doctrinam S. Auguſtini fuiſſe approbatam ab Innocentio I Papa. Si ergo is potuit judicare de libris S. Auguſtini, cur non alii Pontifices de libro Janſenii? ſi a 13 ſæculis ea fuit perſuaſio de libris S. Auguſtini, inde eſt, quod a Pontifice habuerint teſtimonium. Unde enim alias conſtaret?

Quartum præbet Nicoleus in decima ſua epiſtola cum aliis Janſeniſtis. Hi zelotes, ſi ſuperis placet, ſeveræ diſciplinæ vehementer inſtabant, ut Pontifices certas propoſitiones laxas, libroſque, unde extractæ fuerant, damnarent, idque evicerunt. Quæſtio facti vertebatur, an hæ propoſitiones contineantur in libris, an contineantur in ſenſu damnato. Pontifex hic erat legitimus judex, ad illum recurrebant, condemnationem petebant; piacu-

 lum

lum erat, libros damnatos defendere. Solus Jansenii liber est exceptus; hujus sensum declarare, hunc librum damnare non potest. Quæ hæc contradictio! quæ doctrinæ consequentia? nempe, quod dictum, Sedes Apost. tunc tantum est judex legitimus, quando pronuntiat, quod Jansenistæ volunt.

Quintum desumitur ex quinque articulis doctrinæ, quos decisioni Alexandri VII subjecerunt, cum promissione standi ejus judicio. Jam vero de articulis illis judicare non poterat, an boni sint, an mali, nisi de sensu eorum judicaret. Igitur vel agnoverunt in Pontifice potestatem circa sensum eorum articulorum judicandi, vel non? Si non agnoverunt, illudere volebant Sedi Apostolicæ, nugari volebant; petierunt declarationem, quam dari non posse censebant: submiserunt articulos decisioni inutili, irritæ. Si vero agnoverunt potestatem declarandi sensum suorum articulorum, cur non etiam declarandi sensum 5 propositionum Jansenii? Quæ hæc avtomachia?

Liber Molinæ. Hæc non minus fulget in sexto exemplo & *argumento ad hominem.* Dicunt etenim Jansenistæ, quod liber Ludovici *Molinæ* de concordia per congregationem *de auxiliis*, duosque Pontifices, Clementem VIII & Paulum V sit condemnatus, tanquam continens hæresin Semipelagianam, quodque rebellis veritati foret, qui judicio & authoritati sanctæ ecclesiæ resistere auderet, librum illum defendendo. Permittamus tantisper, hæc vera esse. Sed quid respondetis, o boni? Liber Molinæ de hæresi est condemnatus a congregatione & duobus Pontificibus, uti vos dicitis; ergo rebellis est veritati, qui resistit, ac librum illum tanquam orthodoxum defendit. Ita vos concluditis. Liber Jansenii a congregatione & tribus Pontificibus de hæresi est condemnatus, quod palam est. Ergo rebellis est veritati, qui resistit, & librum illum tanquam orthodoxum defendit. An ovum ovo similius, quam duæ hæ argumentationes?

Usus autem sum *argumento ad hominem*; nam falsissimum est, quod liber Molinæ fuerit condemnatus. Accusatus fuit a malevolis, examinatus, ab omni censura absolutus, doctrina ejusdem publice in scholis tradi permissa. Vel quis unquam vidit constitutionem, bullam, vel breve apostolicum, quo liber Molinæ condemnetur. Fingunt hoc Jansenistæ pro suo in Jesuitas studio, & amore veritatis. Contra vero in Jansenii libro contineri hæreses, ab episcopis Galliæ, Cardinalibus, summis Pontificibus, totaque ecle-

cleſia, per plures conſtitutiones, bullas, brevia apoſtolica palam ſub oculis orbis eſt definitum.

Alio ſimili argumento Janſeniſtas premit auctor hiſtoriæ de 5 propoſitionibus Janſenii. Secundum Janſeniſtarum etiam confeſſionem prima propoſitio inter quinque eſt hæretica: ſed prima illa propoſitio eſt doctrina S. Auguſtini: ergo doctrina S. Auguſtini eſt hæretica. Præmiſſæ in hoc ſyllogiſmo ſunt Janſeniſtarum. Nam, uti ſaltem ſimulant, fatentur propoſitiones illas merito eſſe damnatas tanquam hæreticas, & a ſe etiam damnari. Quod autem prima illa propoſitio contineat doctrinam S. Auguſtini, ſæpe ſunt conteſtati, aſſerentes, ipſiſſimam doctrinam S. Auguſtini in propoſitione illa fuiſſe condemnatam. De concluſione, quæ ex his præmiſſis ſequitur, ipſi viderint. Certe noſtra non eſt, qui veneramur S. Auguſtinum ejusque doctrinam. *Minor* autem illius ſyllogiſmi nobis eſt falſiſſima. Argumenta ad hominem.

Rurſus: ut ſenſus dictarum propoſitionum poſſit condemnari tanquam hæreticus, debet eſſe certus. Atqui Janſeniſtæ condemnant ſenſum dictarum propoſitionum tanquam hæreticum: ergo ſenſus debet ipſis eſſe certus. Ergo infallibiliter de ſenſu judicant. Si autem ipſi infallibiliter de ſenſu judicant, cur non Sedes Apoſtolica? Cur non eccleſia?

Quidam theologus ex Janſeniſtis interrogat, unde ſciant, doctrinam Janſenii eſſe S. Auguſtini? Quamvis enim Arnaldus dicat, ſenſum operum S. Auguſtini de gratia eſſe clariſſimum, ac propterea fideles per 12 ſæcula eidem firmiter adhæſiſſe; attamen Janſenius in fine ſui libri prorſus oppoſitum ſcribit, videlicet doctrinam S. Auguſtini de gratia eſſe mixtam rebus valde difficilibus, quæ ſpiritum perplexum reddant, *tantis perplexitatibus impeditam*: ſine applicatione forti & conſtanti *non poſſe profundiſſimi doctoris hujus doctrinam ſenſusque penetrari.* Propterea non ita ſibi blandiri poterat, ut dicere auderet, ſe verum ejus ſenſum detexiſſe, quamvis 22 annos huic labori aſſidue, ut ait, impendiſſet, & opera S. Auguſtini contra Pelagianos trigeſies perlegiſſet ad verum ſenſum penetrandum.

Quod idem in litteris ad Joannem Vergerium abbatem Sancyranum faſſus eſt, quod ſcilicet poſt plurium annorum improbum ſtudium, neſciverit adhuc, quid ſibi tenendum. Et poſtquam putavit, ſe clavem inveniſſe, dubitationem ſuam & inquietudinem amico aperuit, atque opinionem ſuam novam Sedis Apoſtoli-

ſtolicæ judicio ſimpliciter, abſolute, & ſine ulla exceptione aut reſtrictione ſubjecit, damnaturum ſe, quidquid illa damnatura eſſet. Unde valde paradoxum eſt, Janſenii diſcipulos certiores eſſe de veritate ſenſus Janſeniani, quam ipſe magiſter fuerit.

Si ſenſus librorum S. Auguſtini adeo clarus eſt, ut jactat Arnaldus, cur aliter illum interpretantur Lutherani, Calviniſtæ, Janſeniſtæ, aliter Thomiſtæ, iterumque aliter Moliniſtæ? Omnes iſti S. Auguſtinum, contrario licet ſenſu, pro ſe allegant. Hoc quomodo fieri poſſet, ſi ſenſus adeo eſſet perſpicuus? Premunt nimirum Janſeniſtæ veſtigia Lutheranorum & Calviniſtarum, quibus ſacra Scriptura eſt clariſſima, ut authoritatem Sedis Apoſtolicæ & eccleſiæ poſſint excutere, ſuoque privato judicio, aut potius pertinaciæ, inhærere.

Inconſtantia Janſenii. Et quid turpius hac Janſeniſtarum inconſtantia? antequam doctrina Janſenii ab eccleſia fuerat damnata, nihil erat illa clarius, nihil perſpicacius: ſanctum Auguſtinum exhauſerat Auguſtinus Janſenii, viri eminenti ſpiritu, & doctrinæ claritate. At poſtquam fuit condemnata, mutarunt penitus ſtylum, & quanti erant prius in laudanda claritate Janſenii, tanti nunc in exaggeranda obſcuritate. Jam nec theologi Sorbonæ, nec reliquæ per omnem Europam univerſitates, nec conventus epiſcoporum Galliæ, nec Cardinales, nec ſummi Pontifices, nec ſancta DEI eccleſia, poterant ſenſum doctrinæ Janſenii intelligere. Adeo mox ſumma claritas in ſummam mutata eſt obſcuritatem, lumen ipſum ſplendidiſſimum in denſas tenebras. Sed quid tum? aliter nutriri non poterat pervicacia. Neceſſitas non habet legem. Oportet pallium pro ratione ventorum obvertere. Tales metamorphoſes ſunt Janſeniſtarum miracula. Non ſunt illi verborum ſuorum obſides.

Hinc eadem conſtantia doctrinæ eccleſia erat fallibilis & infallibilis in diſcernendo ſenſu librorum S. Auguſtini: prout videlicet tempora & eorum rationes, ad turbas fovendas, exigebant. Hæc malæ cauſſæ & omnium novatorum eſt indoles, quando defectus virtutis deditioni obſtat. Protheos agere oportet, & cum Cameleonte colorem mutare.

Atque ex his etiam facile reſponderi poſſe exiſtimant Catholici ad ea, quæ Janſeniſtæ objecerunt. Nam Cardinales & theologi, qui docuerunt, in quæſtione *facti*, eccleſiam falli poſſe, id intelligunt de *facto* non dogmatico, ad communem eccleſiæ inſtructionem non pertinente, neque connexo cum quæſtione juris

dog-

dogmatica, aut de facto mere perſonali, ubi e. g. quæritur, an hic vel ille ſit legitime electus, an ſimoniam commiſerit, an ſit legitime natus &c.

Qui defendunt Origenem, id ſolummodo dicere (bene vel male) eum non fuiſſe tanquam hæreticum condemnatum; ſicut non eſt in perſona condemnatus Janſenius, quia ſcripta ſua Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjecit; licet ſcripta illa hæreſes contineant. Solutio objectionum.

Similiter, qui Theodoretum defendunt, de perſona loquuntur, non autem de doctrina, quam in concilio Chalcedonenſi implicite ſaltem revocavit, dum Neſtorio anathema dixit. In ſynodo autem V tantum doctrina ejus fuit condemnata, non autem perſona.

Marcellus Ancyranus apud Julium Papam & in concilio Sardicenſi Catholicam fidem profeſſus eſt, eandemque ſcriptorum ſuorum mentem & intentionem eſſe aſſeruit. Unde Julius & concilium in errorem, ſed mere perſonalem inducti ſunt, quo poſtea detecto, a Liberio Papa juſte fuit condemnatus.

Quod liber Molinæ a Pontificibus Semipelagianæ hæreſis fuerit condemnatus, Janſeniſtarum eſt commentum. Ubi teſtes & tabulæ?

Sed quidquid de his ſit, Janſeniſtæ iſta objicere non poſſunt, poſtquam eccleſiæ authoritatem in approbandis libris S. Auguſtini, & ſuis quinque articulis Romam miſſis, aliiſque in exemplis, ſupra allatis, agnoverunt. Quam fidem in his credendis ipſi exigunt, eandem etiam ipſorum adverſarii poſſunt exigere.

# CAPUT XV.

## *Papa cauſſam 4 epiſcoporum 9 prælatis delegat. 19 epiſcopi pro iis ad Papam ſcribunt. Proceſſus verbalis. Subſcribunt tandem ſimpliciter. Papa remittit publicam retractationem, nullatenus vero obligationem condemnandi propoſitiones in ſenſu Janſenii.*

REx, ubi vidit inobedientiam, quos ſupra diximus, 4 epiſcoporum ac Janſeniſtarum, rogavit Papam, ut 12 prælatis Galliæ cauſſam contumaciæ illorum committat. Noluit Pon- 15 Nova delegatio.

Pontifex duodecim concedere, ne videatur authoritatem addere prætensioni Gallorum, quod nullus episcopus Franciæ possit judicari a paucioribus quam 12 prælatis regni; nam licet exstet canon, qui id statuat pro casu, quo episcopus accusatur coram suo metropolitano, non tamen pro eo, quo accusatur aut lis vertitur coram Papa.

Novem tamen Papa delegavit, cum potestate alios, de Jansenismo non suspectos, sibi substituendi. Hæc dum aguntur, moritur Alexander VII, eique anno 1667 succedit Cardinalis Rospigliosus sub nomine Clementis IX, qui delegationem, a prædecessore factam adversus 4 episcopos inobedientes confirmavit.

Verum interea factio 4 episcoporum ita aucta est, ut nuntius apostolicus Romam scriberet, rationem, cur ad condemnationem 4 episcoporum deveniri non possit, esse, quia timeretur, ne in regno excitentur turbæ, cum fautores rebellium sint valde potentes: in partes enim suas traxisse ministros status, Parlamentum regni, plures Sorbonæ doctores, plures regulares, & quasdam principes fœminas, præsertim autem 19 episcopos, qui simpliciter antea formulam acceptaverant. Hi anno 1667 ad Clementem IX epistolam dederunt, in qua præter gratulationis ad Pontificatum officia commemorant, aliquos ex suis confratribus (videlicet 4 prædictos episcopos, quos a virtute & zelo mire dilaudant) fuisse falso accusatos, quod minus reverenter exceperint constitutiones apostolicas ac formulam Alexandri VII, quosdam suæ gentis ea fuisse audacia, ut publicarent novum dogma & hactenus inauditum, quod decreta, quibus ecclesia decidit facta, in dies emergentia, atque a DEO nullatenus revelata, certa sint & infallibilia, quodque credenda sint illa facta, sicut dogmata, a DEO per scripturam aut traditiones revelata, ac si id ab Alexandro VII fuisset definitum.

Argumenta 19 episcoporum.

Quatuor episcopos, officii sui esse ratos, ut tanto errori se opponerent, prudenter judicasse, ecclesiam non definire cum plena certitudine & infallibilitate facta humana, quæ DEUS non revelavit. Totum igitur, quod circa factum Jansenii exigi possit, esse debitum respectum erga decretum.

Non modo S. R. E. Cardinales, Bellarminum, Baronium, Pallavicinum, eximios Sedis Apostolicæ cultores, sed & rationem ipsam naturalem sententiæ suæ suffragari, hæreticorum risibus exponi Pontifices, si ultra decidenda dogmata fidei infallibilitatem suam exporrigant. Si crimen sit, ita sentire, id non esse particu-

ticulare quatuor episcoporum, sed commune omnium episcoporum, quin imo totius ecclesiæ.

Quapropter nolle se fidem habere rumori, actum iri cum episcopis modo in Francia inusitato contra canones, nec dubitare, quin confratres sui, qui decus & ornamentum essent ordinis episcopalis, salva sua persuasione, summam sedi apostolicæ venerationem & obedientiam sint exhibituri.

Si sanctitas sua precibus annuat, cessaturas illico omnes disputationes, & pacem, a fidelibus suspiratam, ecclesiæ Gallicanæ redituram, ipsi gloriosam, omnibus necessariam.

Subscripserunt his litteris 19 episcopi, quorum princeps Gondrinus Senonensis archiepiscopus.

Alteram ad regem scripserunt epistolam, in qua, grandibus in quatuor episcopos collatis laudum encomiis, contra ultimum *Breve* sunt conquesti, per quod canones & prima æquitatis naturalis principia everterentur.

Displicuit regi epistola, jussitque per procuratorem suum generalem in curia Parlamenti proponi, relatum sibi, quod in regno factio quædam consurgat, ad turbandam pacem ecclesiæ, & authoritatem constitutionum, quæ Parlamenti actis fuissent insertæ, labefactandam.

Quatuor episcopi nihilo secius anno 1668 litteris, ad omnes episcopos Galliæ datis, sui defensionem velut in caussa communi rogarunt, contra curiam Romanam acerbe conquesti. At rex litteras istas supprimi jussit; monstratumque, hanc esse ex majoribus caussis, quam in prima etiam instantia vel per se vel per delegatos judicare ad sedem apostolicam pertineat.

At vero nuntius apostolicus, perspectis difficultatibus, & minus prompta delegatorum voluntate & opera, Romam scripsit, si remissa quatuor episcopis mandatorum, quæ in diœcesibus suis promulgaverant, expressa retractatione, ad subscribendum solummodo formulæ, ab Alex. VII propositæ, adigerentur, spem ostendi a Lyoneo, status secretario, rei e sententia componendæ.

Deposito proin retractationis urgendæ & per delegatos via juris adversus contumaces procedendi consilio, ut formulæ simpliciter & sine ulla distinctione inter jus & factum subscriberetur, legatus institit, usus in eam rem opera Estræi Laudunensis episcopi ac postea Cardinalis, qui dein Catalaunensi episcopo partes suas demandavit, cui familiarius erat cum renitentibus commercium.

4. Episcopi minus fideliter scribunt.

Hujus opera effectum, ut 4 contumaces episcopi consentirent, concepto ex formula præscripta jurejurando, cum mandato, ut ecclesiastici etiam suæ diœcesis formulæ simpliciter & absolute subscriberent; hujusque suæ submissionis testes litteras ad Clementem IX pontificem dederunt. Altum tamen siluerunt, quod in sermone, ad clerum suæ diœcesis congregatum habito, formulam ita sint interpretati, ut quæstionem juris ad fidem pertinere dicerent, & quinque propositiones esse damnandas; quantum vero ad quæstionem facti spectat, plus a se non exigi, quam ut per obsequiosum silentium conquiescant, nihilque moveant.

Non tamen hæc declaratio ita occulte fieri poterat, quin rumor aliquis de ea Romam penetraret, spargeretque, non bona fide & sincero animo ab episcopis fuisse actum. Quare Pontifex ab iis petiit, ut publico instrumento, manu sua, signoque atque notarii testimonio munito plenam fidem facerent, se prorsus sincere, & ad sensum, in constitutionibus Innocentii X & Alexandri VII expressum, formulæ subscripsisse, utque eidem subscriberetur, curasse.

Clem. IX pariter exigit absolutam subscriptionem.

Cura autem præcipua Pontifici fuit cognoscere, quid tandem contineant declarationes illæ, actis synodalibus a 4 episcopis additæ. Nam, prout litteræ ad regem, ad 4 episcopos, atque ad mediatores datæ perhibent, sicut Alex. VII, sic Clemens IX absolute voluit, ut formulæ pure & simpliciter subscriberetur, non acquieturus, si prædecessorum constitutionibus non stricte inhærerent, omnemque exceptionem atque restrictionem excluderent. Idque sæpius in suis litteris repetiit, perfectam atque integram obedientiam constanter exigens; quam etiam episcopi in suis ad eum litteris sunt contestati.

Dubium autem Pontifici omne exemit episcopus Catalaunensis, conciliator pacis præcipuus, qui cum Arnaldo amico suo ad eundem scripsit, quatuor episcopos optima prorsus egisse fide, magnoqne zelo pro Catholica fide, & profunda submissione erga sanctam ecclesiam. Condemnatas ab ipsis eorumque subditis 5 propositiones cum omni sinceritate, & sine exceptione ac restrictione quacunque, longissime ab eis abesse animum renovandi illos errores sub quocunque prætextu, aut committendi, ut quisquam eos renovet; nec esse ullum in toto regno ecclesiasticum, qui magis addictus sit doctrinæ ecclesiæ.

Et quantum spectat ad attribuendas propositiones illas libro Jansenii, omnem ab eis ecclesiæ deferri obedientiam debitam, quam

omnes

omnes theologi doceant ipsi exhibendam respectu librorum ab ea damnatorum, secundum doctrinam Catholicam, ab omnium sæculorum doctoribus traditam, & etiam a novissimi temporis summis defensoribus authoritatis sanctæ ecclesiæ, Cardinalibus Baronio, Bellarmino, Pallavicino, Richelio, & patribus Sirmundo & Petavio, conformiter bullis apostolicis, quæ volunt, ut nihil dicatur, scribatur, aut doceatur contrarium iis, quæ in hac caussa a summis pontificibus sunt definita.

His additum fuisse a quatuor episcopis, processuros se ad pœnas canonicas in suis diœcesibus contra eos, qui suo defuturi essent officio. De processu verbali.

Nos denique declaramus, attestamur, notumque facimus, probe gnari (inquit Catalaunensis) in eorum *processu verbali*, in synodis diœcesanis concepto, nihil contineri huic eorum doctrinæ ac professioni contrarium. Hæc mea etiam fides est, & 19 episcoporum, qui ad sanctitatem suam scripserunt.

*Datum Parisiis 3 Decembr.* 1668.

## SUBSCRIPTIO:

*Felix episcopus Catalaunensis, Comes, & Par Franciæ.*

Subscripsit pariter huic epistolæ Antonius Arnaldus, presbyter & doctor Sorbonicus, transformans se in angelum lucis.

Has litteras legatus apostolicus per cursorem illico ad Papam misit, qui summopere gavisus, sincere a 4 episcopis formulæ subscriptum sine ulla restrictione, nullusque dubitans, optima ex fide secum agi, postquam ipsi etiam, datis Romam litteris fidem suam & obedientiam sunt contestati, recipiendos in gratiam existimavit, missa ad eos epistola.

In hac, accepisse se eorum supplices litteras, memorabat, fidei & obsequii testes: ex attestatione etiam legati sui, & episcoporum, Laudunensis, Catalaunensis, Senonensis, intellectum, eos formulæ Alexandri VII sincere subscripsisse. Tametsi autem rumor de quodam processu verbali responsum suum retardarit (cum nullam exceptionem aut restrictionem admissurus fuisset) in præsens tamen, cum nova & gravia documenta veræ & totalis obedientiæ ex Gallia acceperit, in gratiam eos recipi. 4. Episcopi recepti in gratiam.

*Datum Romæ 19 Jan.* 1669.

# INSCRIPTIO:

*Venerabilibus fratribus Henrico Arnaldo Andegavensi, Nicolao Choart Belvacensi, Francisco Stephano Apamiensi, & Nicolao Pavillon Alectensi, episcopis.*

Pax mox læsa a Jansenist.

ET hac quidem ratione pax tantisper data est ecclesiæ Gallicanæ. Non tamen Jansenistæ cantare desierunt, nescio quas, in hac caussa victorias; quasi pontifex Clemens IX, tacite damnaverit ordinationes suorum præcessorum, & admittere tandem debuerit distinctionem inter jus & factum, & circa istud contentus esse obsequioso silentio. Alienum hoc prorsus est a veritate; nam, ut vidimus, Clemens IX antecessoris sui exemplo constanter institit subscriptioni puræ & absolutæ, rejecta omni distinctione, restrictione, ac limitatione; ipsique etiam episcopi quatuor sunt contestati, quod in sua subscriptione se conformarint aliis episcopis, qui omnes absolute subscripserant: quod hæc subscriptio in honorem ecclesiæ cedat, ipsos vero cavillis expositura sit, tanquam inconstantes essent, novam nihilominus subscriptionem arduam ac sibi perdifficilem susceperint, ut ecclesiæ pax redderetur. Ad quid tales expressiones, si non mutassent sententiam & absolute subscripsissent? qua conscientia in ipsa verba formulæ jurare simpliciter potuissent? quomodo dicere, quod suæ submissiones *illustre argumentum* præbere velint, si tantum mandata sua priora, quibus se opposuerant, & distinctionem inter jus & factum ingesserant, voluissent repetere? Norant sane, Clementem Papam in hoc esse obfirmatum, ut profiteantur, ecclesiam esse infallibilem in censura alicujus libri, & in casu nostro libri Jansenii.

At, inquies, cum Papa accepisset 19 episcoporum litteras, pro quatuor confratribus scriptas, Papa conterritus, dissimulandum putavit, quod isti in verbali suo processu non aliud circa factum exigerent, ac obsequiosum silentium. Verum hoc nullatenus veritati est consonum. Pœnas canonicas remisit Clemens IX quatuor illis episcopis & retractationem publicam verbalis processus, non autem obligationem formulæ simpliciter & absolute subscribendi, atque damnandi quinque propositiones, in Jansenii libro contentas in sensu ab eo intento.

Verbo: vel quatuor illi prælati sincere & pure subscripserunt formulæ, ab Alexandro VII propositæ, prout etiam Clemens IX absolute mandavit: vel perfida ac perjura simulatione eundem deceperunt in quæstione meri facti particularis.

Caput

# Caput XVI.

*Andegavensis episcopi & Quesnelli molitiones. Oratorii turbæ. Gerberonis doctrina Jansenio-Calviniana. Jansenistæ leges dictant, quibus in induciis Ratisbonensibus comprehendi petunt.*

PAx illa, a Clemente Papa malis artibus obtenta, pejoribus fracta est ab Henrico Arnaldo, Antonii fratre, Andegavensi antistite, quem unum de quatuor episcopis esse dixi, qui se opposuerant subscriptioni puræ & simplici. Hic anno 1678 universitati urbis sub pœna gravis censuræ, ipso facto incurrendæ, prohibuit, ne a promovendis ad gradus litterarios, aliisve exigat juramentum super facto Jansenii: circa hoc enim secundum concordiam, cum Clemente IX initam, sufficere *obsequiosum silentium*, manifesto documento, qua fide plenam obedientiam promiserint: id quod decreto consilii regii præsuli severe fuit objectum. 16 Novæ tricæ ac fraudes.

Sed habuit præsul assistentes sibi Jansenistas, homines vafros, & instar Prothei in omnes formas mutabiles. Suaserunt isti, ut diceret, factum Jansenii non a Papa, sed a cancellario academiæ juramento, a baccalaureis præstando, adjectum esse, qua fraude aliqui de facultate theologica doctores sunt decepti. At ea detecta resipuerunt.

Fraudibus sociorum suorum Pascasius Quesnellus addidit convitia, quæ tum in ordinem ecclesiasticum universum, tum in S. R. E. Cardinales potissimum, sacrumque officium petulanti ore evomuit. Condemnaverat illud alia inter maligna scripta libellum, *contra indiscretos Mariæ cultores*, ut titulus præferebat, scriptum, quo fideles a cultu & devotione erga B. V. avocabantur, notas item Quesnelli in S. Leonem.

Hic furere homo sui impotens, fulminare, tonare, atram bilem in S. officium exspuere, commentarium contra illud scribere, quo insolentius ac petulantius opus ab homine, qui nomen Catholici præfert, non facile videris. Non esse decretum, vociferabatur, sed libellum diffamatorium, contrarium legibus divinis & bonis moribus, plenum falsitatibus & imposturis: rem esse intolerabilem, & insolentiam non ferendam, quod Cardinales toti mundo prohibeant retinere libros, quos ipsi condemnant: quasi vero præcipere possint episcopis, qui aut æquales aut superiores Quesnelli furor.

illis essent. Dignitatem episcopalem, a Christo institutam, esse supra Cardinalitiam, quæ nihil esset, nisi inventum hominum. Horrendam esse inordinationem, tenuem monachum, qui *inquisitor* dicitur, episcopis præferre, successoribus Apostolorum & Christi vicariis, congregationem monachorum, quibus clericus ruber præsideat, ea esse temeritate, ut minari & punire præsumat episcopos, ipsosque adeo reges.

Ecce præclarum specimen Jansenisticæ modestiæ, & venerationis erga Romana tribunalia, & eminentissimos S. R. E. Cardinales! rubros clericos Quesnellus appellat, definitione hactenus inaudita. Pergit deinde in censuram invehi: usurpationem esse schismaticam congregationis, damnari salutarem instructionem, indiscretis B. V. Mariæ cultoribus datam, postquam a sapientissimis episcopis fuerit approbata & publicata. Notas autem in S. Leonem relatas esse in *Indicem* damnanda cæcitate. Defensionem eas continere ecclesiæ & Romani episcopi: damnatum id fuisse ex falsa relatione, quod a damnantibus ne quidem lectum fuisset.

Verum alius fuit de notis Quesnelli eruditorum sensus. Christianus Lupus, Augustinianus, cujus testimonium nunquam alias suspectum fuit Jansenii defensoribus, in libro de appellationibus scripsit, Quesnellum defendere authoritatem sedis apostolicæ, sicut Calvinus, Antonius de Dominis, & alii hostes primatus Papæ eandem defenderunt.

Ut autem hic Jansenistarum antistes patentius ostentaret frontem effrontem, protervam, suam, historiam suæ censuræ conscripsit, in quam omnem bilem suam evomuit, illud inter alia exspuens, probe sibi cognitum ingrata hæc fore Romanis, sed oportere dentes illis monstrare, & metum incutere. Litteras etiam ad Clementem X exaravit, in quibus ait, opus suum damnatum fuisse in judicio, in quo ne quidem vellet approbatum. Hæc est veneratio, quam Quesnellus sedi apostolicæ dependit. Cum post captivitatem de hac argueretur, respondit, ira & indignatione commotum se illa scripsisse. Sed cur non vicit sanctus iste primæ magnitudinis ebullientes hos animi motus? gratia victrix delectatio cælestis defuit.

Oratorium prohibet Jansenismum.

Anno 1678 presbyteri Oratorii denuo in sexta sua congregatione generali prohibuerunt, ne quis Jansenismo adhæreat aut Cartesianismo, jusseruntque, ut omnes constitutioni Alexandri VII ac formulæ subscribant. Vario animorum motu hoc decretum fuit acceptum. Pluribus arcta cum Sancyrano, & Portu-Regiis

giis conſortibus ſocietas luem affricuerat. Unde maluerunt inſtitutum cum Quesnello deſerere, quam ſuperioribus ſuis & eccleſiæ obedire.

Veritati tamen conforme non eſt, quod Gerberonus in ſua hiſtoria Janſeniſtica ad hunc annum ſcribit, ab iis, qui eruditione præcellebant, Oratorium fuiſſe deſertum, quippe nemo ex illis majori eruditione inclaruit, ac Thomaſſinus & Morinus, editis doctiſſimis operibus conſpicui; qui tamen conſtanti obſervantia, fide, & obedientia ſedi apoſtolicæ, & Oratorii ſui inſtituto adhæſerunt, ingens illius decus & ornamentum. Quin imo Thomaſſinus non leves perſecutiones tulit, quod ſedi apoſtolicæ videretur addictior, prout ipſe queritur in prooemio *de vet. & nov. diſcipl.*

Quamvis enim congregatio Oratorii per plura ſuffragia prudenter decreverit, plures tamen domus ejus ordinationem recipere detrectarunt, non eſſe penes ſuperiores cauſſati, certas doctrinæ leges præſcribere. Præſertim vero Montenſe in Belgio oratorium ſe oppoſuit; quod Arnaldus & Quesnellus præſentes ibidem ſpiritum ſuum opportunius infunderent.

Multo adhuc magis aliqui Oratorii alumni exploſerunt ordinationem ſuperiorum, in quantum doctrinam Carteſii philoſophicam proſcripſerunt. Quippe doceri præceperunt, extenſionem non eſſe de eſſentia corporis: quodlibet corpus conſtitui per materiam, & formam diſtinctam a materia: exiſtere accidentia abſoluta, diſtincta a corpore, & a ſubjecto ſuo abſolute ſeparabilia: animam eſſe vere unitam toti corpori, ſingulisque illius partibus: non eſſe impoſſibile, ut DEus plures mundos creet, qui idem occupent ſpatium: vacuum non eſſe impoſſibile, aliaque philoſophiæ antiquioris & ſolidioris theoremata.

Et Cartheſianiſmum.

At hæc alii velut obſoletas vetuſtatis carioſæ merces deriſerunt, prout hodiedum faciunt, qui magnum ſe relaturos applauſum exiſtimant, ſi ſonanti ſibilo explodant, quidquid novitatem non ſpirat.

Sub idem tempus Gerberon tecto nomine edidit *ſpeculum Chriſtianæ pietatis*, poſtea ab Innocentio XII anno 1697 damnatum, uti etiam a pluribus Galliæ prælatis, & decreto Parlamenti Aquenſis per lictorem ignibus exuſtum. Debebatur ſane ultricibus flammis hoc opus, quo proditum manifeſte eſt mundo, quæ ſit genuina Janſeniſmi facies, quam mendaci alias colore fucare conſueverant. Ecce unum vel alterum apophtegma!

Gerberon Janſeniſta Calvinianus.

DEus,

DEus, inquit, ſine ullo ad merita aut demerita reſpectu ab æterno habuit voluntatem abſolutam & efficacem ſeparandi quosdam de maſſa peccatorum, iisque dandi gratiam & gloriam, alios vero ignibus æternis devovit. - - - Poſt peccatum originale DEus non habuit voluntatem ſalvandi, niſi eos, quos per miſericordiam ſuam elegit: reliquos voluntate ſua diſcrevit, & ad infernum prædeſtinavit. Extra controverſiam eſt, quod DEus non omnes homines velit ſalvos fieri. Quod ii, quos DEus in maſſa perditionis reliquit, non ſalventur, non ideo contingit, quod noluerint ipſi, ſed quia DEus noluit eos ſalvari, & ad mortem æternam prædeſtinavit.

Quis non credat, ipſiſſimum ſe hic audire Calvinum loqui? Hæccine reverentia, quam mens Chriſtiana DEo debet optimo, miſericordiſſimo? Non damnantur impii propter ſua peccata, ſed quia DEus eos ſine ullo reſpectu ad peccata ad ignes æternos prædeſtinavit. Horrendam blasphemiam! dignam ſane, propter quam DEus os impium æternum damnet! & tamen hic Calvinianus Janſeniſta non horret dicere, hanc eſſe doctrinam eccleſiæ.

Si DEus ante omnem prævifionem peccati, & absque ullo reſpectu ad illud, ex ſola ſua voluntate hominem ad infernum prædeſtinat, neceſſario, neceſſitate antecedente, inevitabili, & inimpedibili damnabitur. Ubi libertas? quomodo DEus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? quomodo dicere potuit: perditio tua ex te?

Sed ecce libertatis myſterium! libertas cum neceſſitate ſumma & inevitabili belle omnino componitur. Neceſſario peccat homo, non poteſt non peccare, quia a delectatione prævalente ac victrice in peccatum rapitur: ſed tamen plenam habet peccandi libertatem, liberrime peccat; unde? quia habet libertatem a coactione externa, aut quia libere peccavit in Adamo. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas indifferentiæ ſeu libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. Et hoc eſt illud *ſcibbolet*, quod ſoli Janſeniſtæ recte pronuntiare norunt. Jam ignem dicas frigidum, nigrum album, quadratum rotundum.

Provocare nos ſolent Janſeniſtæ, ut ipſis monſtremus hominem, qui aliquam ex quinque propoſitionibus damnatis teneat. Ecce Gerberonem, qui in ſpeculo ſuo non unam duntaxat tenet! utinam Janſenismus phantasma eſſet! Arnaldus id edito libro perſuadere voluit, ſed non perſuaſit. Liquet, & liquebit in decurſu

hujus tractatus sæpius, quod Jansenistæ doctrinam damnatam quinque propositionum Jansenii nunquam serio deposuerint, & in alios etiam gravissimos errores sint prolapsi.

Pax Clementis IX, ut appellabatur, processum contra episcopos refractarios & Jansenistas, formulæ sub specie subscribentes, suspendit, ex præsumptione, quod actum esset, prout bonos viros decet, sincere & serio. At Æthiops non mutat pellem, & lupus, indutus vestimentis ovium, manet lupus; eo magis perniciosus, quod minus sit cognitus. Secreto isti virus spargere cessarunt nunquam, dum aperte subjectionem ecclesiæ promiserunt; *intus autem lupi rapaces.*

Rex Christianissimus hoc animadverso, inquiri severius jussit, non passurus perfidos hypocritas. At martyres isti amore cuticulæ in Belgium profugerunt, ubi plus libertatis loquendi & scribillandi se nacturos credebant.

Jansenistæ fugitivi.

Status politicus non minus agitabatur, quam ecclesiasticus. Tota propemodum Europa in fœdus iverat adversus Franciam. Pax Neomagensis malaciam equidem rebus turbatis afferre videbatur; sed instar nivis vernæ defluxit: & vix orta disparuit. Ludovicus XIV assecutus, quam partem voluerat, comitem Avallium Ratisbonam misit, pacturum inducias in 20 annos, eaque collata potestate, ut omnes, qui voluerint status, in societatem tractatus recipiat.

Jansenistæ (ut frontem videas) se comprehensos putabant, atque epistolam ad Avallium dabant (quæ postea in processu, adversus Quesnellum instituto, inventa, & ab archiepiscopo Mechliniensi anno 1704 typis data fuit.) In hac scribunt: cum rex legato suo potestatem fecerit, recipiendi in communionem induciarum, quicunque vellent accedere, promptos se fore ad amplectendum hoc quietis remedium, quod diutius, quam pax Clementina sit duraturum. Sperare se, quod sua majestas non velit *discipulos S. Augustini* acerbius tractare, quam piratas, aut sibi solis negare gratiam, quam omnibus nationibus sine religionis discrimine offerret.

Induciis comprehendi volunt,

Velut autem contractum pacis publicum cum rege inituri, has conditiones ponebant. 1. Omnes, qui gratia regis exciderunt, ad scribendas pro se apologias obligati sunto. 2. Regii sigilli litteræ contra S. Augustini discipulos nullæ amplius conceduntor. 3. Incarcerati aut in exilium fugere compulsi liberantor. 4. Qui ad officium ecclesiasticum fuerint assumpti, plenam

Et regi leges præscribunt.

functionum libertatem habento. 5. Ad reducendos secundum regis intentionem eos, qui se ab ecclesia separarunt, operam jungunto, & contra eos libros scribere pergunto. 6. Veritates de gratia Christi, a S. Paulo prædicatas, a S. Augustino explicatas, contra novellas opiniones, quæ in unius hominis cerebro sunt natæ, etiam cum profusione sanguinis defendunto. 7. Contra corruptores doctrinæ moralis porro vigilanto. 8. Calumniatores & accusatores innocentum coercentor.

Hanc epistolam an ridiculam magis an temerariam dixeris? Certe quod privatorum hominum manipulus ceu status publicus, regi suo inducias offerat, & earum leges præscribat, res est adeo insolens, ut exemplum non habeat.

# Caput XVII.

*Jansenismus in Belgio recrudescit. Caussa Gilberti Duacensis professoris. Alexander VIII damnat 31 propositiones, nimium rigidas: frementibus Jansenistis. Eorum doctrina detegitur. Decisiones Innocentii XII. Mors Arnaldi.*

17 POstquam, quos diximus, quatuor episcopi, sive sincere, sive ficte formulæ Catholicæ subscripserant, pax inita videri poterat; non tamen cessarunt Jansenistæ, quamvis silentium promiserant, multis libellis pacem turbare. Mirum sane! jactabant identidem, Clementem IX, quantum ad factum Jansenii pertinet, non aliud exegisse, quam promissum a se obsequiosum silentium, & tamen ne hoc quidem custodierunt, de silentio perpetuo garrientes: ausi etiam asserere, Jansenianam hæresin non nisi in cerebro Molinistarum natam, nec nisi vanum phantasma a Pontificibus fuisse damnatum.

Gilberti errores.

Apertius autem acriusque (cum in Gallia metu contineretur) bellum Jansenisticum anno 1687 in Belgio recruduit. *Gilbertus* quippe professor Duacensis tractatum de gratia dictaverat, de hæresi Janseniana accusatum. Harlæus archiepiscopus Parisiensis, voluntate regis examinandum illum dedit quatuor Sorbonæ doctoribus; qui retulerunt, in hoc scripto non obscure aut paucis verbis, sed aperte atque ex instituto renovari damnatam Jansenii doctrinam, eludique detortis ac fraudulentis interpretationibus

bus constitutiones apostolicas: venenum adeo per totum corpus esse diffusum, ut corrigi non possit, nec aliud supersit ad tollendum scandalum remedium, quam ut auctor moveatur cathedra, atque ad publicam expressamque retractationem compellatur. Factum utrumque.

Attrebatensis episcopus, in cujus diœcesi fuerant dictata, condemnavit illa scripta Gilberti tanquam continentia doctrinam falsam, temerariam, atque per constitutiones Innocentii X & Alexandri VII ut hæreticam damnatam, verbis injuriosis plenam, atque charitati Christianæ contrariam.

Irritatus his censuris Gilbertus, consilio cum Quesnello, qui Bruxellis tunc latebat, communicato, retractationem suam retractavit, & in censuras censuram fulminantem tulit. Sed bruta fulmina merito sunt contempta.

Verum gens inquieta, & turbarum amans, anno 1688 antiquatam per integrum sæculum litem aliam instauravit. Quippe Leonardus Lessius cum universitatibus Lovaniensi & Duacensi anno 1588 fuerat collisus super doctrina de gratia & scientia divina. Legatus apostolicus sententiam tulit, qua parti utrique doctrina sua fuit absoluta, refixaque censura, in aliquas Lessii propositiones jacta. Quesnellus, in Flandriam profugus, ut pacem turbaret & Jesuitas, post integrum sæculum apologiam pro duabus illis academiis sub nomine *Geryi theologiæ baccalaurei* scripsit. At illa universitatibus displicuit, & a summo Pontifice fuit proscripta.

Conversi rursus ad exagitandam doctrinam moralem Jansenistæ, cum videri vellent zelosi disciplinæ corruptæ vindices, quam plurimas laxas propositiones anno 1677 Romam detulerunt, obtinueruntque, ut 65 ab Innocentio XI damnarentur; quod fieri poterat eo facilius, quod nemo earum auctor aut patronus esse vellet. Dicitur tamen, Pontificis decretum non fuisse receptum in Gallia, imo a Parlamento prohibitum. Hoc certum, Jansenianos plures ex illis propositionibus affinxisse doctoribus Catholicis, verba eorum sensumque maligne pervertentes.

Propositiones damnatæ.

Verum quantumcunque gaudium ex hac condemnatione perceperant, tantum tristitiæ eis attulit proscriptio severioris eorum doctrinæ, ab Alexandro VIII facta anno 1690; siquidem archiepiscopus Mechliniensis & plus quam 50 alii de clero sæculari & regulari in Belgio præcipui doctores, cum dolore intuentes corruptionem academiæ Lovaniensis per novas rigidasque opiniones, ecclesiæ & fidelibus noxias, magnam earum copiam, ex Janse-

nistarum potissimum libris extractam, ad Innocentium XI, severæ quantumvis disciplinæ Pontificem, examinandas per procuratorem detulerunt.

Cœptum examen anno 1682, & in decem prope annos extractum est; donec Alexander VIII, qui inter examinatores ante fuerat, ante 1689 Pontifex electus, supremam negotio manum apposuit, atque 31 propositiones proscripsit, tanquam scandalosas, male sonantes, schismaticas, & respective hæreticas, cum prohibitione eas docendi, sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, Pontifici reservatæ.

Tractant autem propositiones istæ de libertate, ignorantia invincibili, morte Christi, gratia sufficiente, tenui probabilitate, metu pœnarum, pœnitentia, communione, baptismo, confessione facta Mendicantibus, B. V. Maria, auctoritate S. Augustini, bulla Urbani VIII contra Jansenium; cujus ejusque discipulorum doctrina hic fuit damnata.

Hinc dici non potest, quanto furore in proscriptionem istam exæstuarint. P. Gerberon, *scandalum Romanæ curiæ, probrum S. officii, & confusionem pontificatus Alexandri appellavit.* Imo eo usque sunt progressi, mordentes lapidem, quo se petitos senserant, ut de Papa excommunicando inter se tractarent. Maxime autem eis doluit, quod damnata sit hæc eorum propositio: *ubi quis invenerit doctrinam, in S. Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.*

Alexandro VIII anno 1691 successit Innocentius XII, de quo Wallonius, Jansenistarum Romæ procurator, in Galliam scripsit, quod *infallibilitas adhuc sit ollæ inclusa*, insulso & crudo joco alludens ad insignia domus Pignatelliæ, quæ tres ollas exhibent. Longum foret recensere, quam lepidas deinceps comœdias produxerint. Famosus Antonius Arnaldus, in Belgium pariter profugus, ut licentius insaniret, quot formas induit, & per decem annos ibidem vagus quot personas egit! quot litterarum commercia secum ipso exercuit! sibi scribebat, sibi respondebat, ut ea, quæ volebat, evulgare posset.

Ludens tamen & ipse lusus aliquando est. Nam quidam canonicus Duacensis simulans Antonium Arnaldum, quem velut patriarcham suum venerabantur Jansenistæ, ad plures ex eis, Duacenses potissimum doctores, dederat litteras, missis etiam quibusdam thesibus, in quinque Jansenii propositionibus contentis, quarum approbationem & declarationem ab ipsis petiit.

Lusores lusi.

Illi

Illi non dubitantes, cum vero Arnaldo ſibi eſſe commercium, theſes hæreticas approbarunt, non ſine declarationibus damnatis, & calumniis in ſummos pontifices, hæcque omnia propriæ manus ſubſcriptione & appreſſo ſigillo ſuo munierunt; perſonatus vero ille Arnaldus ad curiam Pariſienſem miſit; & quia manifeſte patuit, quam doctrinam re ipſa tenerent, rex omnes in exilium miſit, vero Arnaldo fruſtra in fictum fremente.

Janſeniſtæ igitur, qui Duaci & aliis in terris, Galliæ regi ſubjectis, degebant, cum propriis litteris eſſent convicti, pœnarum metu formulæ ſimpliciter ſubſcripſerunt, ſed juramentum ita ſunt interpretati, ut ſupra ſolas quinque propoſitiones caderet, non autem ſupra librum Janſenii ejusque ſenſum. Sed epiſcopi Belgii acriter falſæ huic & malignæ interpretationi ſe opponebant.

Quapropter Janſeniſtæ, quamvis magnorum inſtar principum legatum ordinarium haberent Romæ, extraordinarium tamen inſuper mittendum exiſtimabant, collatitio ære ſuſtentandum, ea dignitate, quæ tam illuſtrem rempublicam deceret. Libello iſte ſupplici a Pontifice petiit, ut academiis Lovanienſi & Duacenſi liceat tradere doctrinam anteceſſorum de gratia per ſe ipſam efficaci, & prædeſtinatione gratuita, ante præviſionem meritorum facta.

Reſpondit Innocentius XII anno 1694, opus non eſſe nova deciſione doctrinæ de auxiliis divinæ gratiæ. Hortatur autem, deponant ſpiritum contentionis, ſapientiæ cæleſti, quæ eſt pacifica, ſtudeant, teneantque doctrinam S. Auguſtini & S. Thomæ: formulæ vero ſubſcribant, in ſenſu connaturali & *obvio*, quem verba præſeferunt, *ſine omni diſtinctione*, *reſtrictione*, *aut explicatione*, condemnando in hoc ſenſu propoſitiones *e libro Janſenii extractas.*

Idem ad epiſcopos Belgii ſcripſit; ut inviolabiliter inhæreant conſtitutionibus Innocentii X & Alexandri VII, hortatus, exigantque juramentum abſque omni diſtinctione, additione aut diminutione.

Quanquam autem grave novatores factioni ſuæ per hæc duo *brevia* vulnus inflictum ſentirent, dum per Belgium etiam ſubſcriptio formulæ, & quidem ſincera, pura & abſoluta ſine omni tergiverſatione imperaretur; victoriam tamen, ut ignaros fallerent, canebant, acſi Papa conſtitutiones Innocentii X & Alexandri VII retractaſſet, nec plus exigeret, quam ut propoſitiones damnarentur in ſenſu verborum obvio, ſine reſpectu ad librum Janſenii, aut ſenſum ab eo intentum; cum tamen manifeſte præceperit, ut for-

 mu-

mulæ, subscribatur absolute. Hæc autem expresse jubebat condemnare propositiones, *ex Jansenii libro extractas, in sensu, ab eo intento.*

Episcopi proin Belgii apud Innocentium XII sunt conquesti, quod Jansenistæ sensum novæ constitutionis pervertant. Unde tertio *brevi* misso eorum malignam pervicaciam corripuit.

Mors Arnaldi.

Anno 1694 in Flandria interiit *Antonius Arnaldus*, ætatis 83, discipulus quondam Joannis Vergerii abbatis Sancyrani, intimi Jansenii Iprensis amici, Jansenistarum *Papa*, ut a quibusdam appellabatur, vel, uti communius, Jansenistici ordinis post Sancyranum *abbas*, quem velut oraculum suspiciebant sectæ illius homines, & commune refugium.

Negari non potest, quod magnis a natura præditus fuerit dotibus, ingenio, perspicacitate, eruditione, eloquentia; utinam eas ad ecclesiæ bonum impendisset! in cælum sublatus suorum pennis: ad inferos depressus suo & alieno pondere. Factus Jansenistarum caput vitam inquietam ambitioso errori devovit. Cui cum, pace tempore Clementis IX a rege mandata, litare in Francia non posset, in Belgium fugit; ubi per decem adhuc annos improbo labore insaniit. Portu-Regienses & Oratorii oratores grandes jacenti columnæ panegyres texuerunt, sed sincerior musa retexuit. Quidam mimus eo processit vesaniæ, ut scriberet, minori damno solem extinguendum quam Arnaldum. Alii vero orbis pestem, sæculi sui probrum appellarunt, hominem sui impotentem, iracundum usque ad furorem, superbia turgidum, plenum amore proprio, sui solius æstimatorem. Petrus Jurieux, quamvis Calvinista, integrum librum *de spiritu Arnaldi* scripsit.

Successorem habuit *Paschasium Quesnellum*, oratorii Berulliani presbyterum, dein vero ordinis Janseniani *priorem*, qui adversus mandata regis & superiorum suorum contumax, pœnarum metu anno 1685 profugit in Belgium, ubi, ut tutius lateret & falleret, laicam indutus vestem, sub Arnaldi disciplina, multos infames libellos in populum sparsit, interque eos etiam vitam Arnaldi, qui in ejus manibus animam efflavit, viatico & extrema unctione ab eo perceptis. Cor defuncti Arnaldi ad Portu-Regienses moniales in Galliam translatum est, quæ illud, cælestem velut thesaurum, summa cum devotionis cordisque teneritudine susceperunt, & custodierunt, profusis ubertim lacrymis, quas vel amor vel dolor prolicuit.

Caput

# Caput XVIII.

*Rigida moralis Jansenistarum damnatur, & Quesnelli dogmatica &c. Accusatur Sfondrati nodus prædestinationis. Problema de Noallio. Casus conscientiæ Jansenisticus, a 40 doctoribus approbatus, ab ecclesia damnatus. Jansenistarum effigies.*

Anno 1695 Archiepiscopus Mechliniensis plures Jansenistarum libellos, Quesnelli maxime, censura confixit, atque etiam per carnificem comburi jussit. In his erat, quem Arnaldus jam composuerat de *frequenti communione*, quam improbabat, id quoque contendens in sacramento pœnitentiæ, extra articulum mortis, nunquam dandam absolutionem ante pœnitentiam peractam, neque admittendos ad communionem, qui necdum habent amorem DEI purissimum: contrarium usum ecclesiæ de abusu & corruptione condemnans. Quo sane rigore disciplinæ reformatores isti id intendere visi sunt, ut sacramentorum pœnitentiæ & communionis usum aboleant; quapropter Alexander VIII hanc eorum doctrinam condemnavit in propositione 16 & duabus sequentibus, uti etiam in 23.

18 Damnati libelli.

Facultas theologica Duacensis anno 1696 condemnavit librum Quesnelli, tanquam renovantem damnatam doctrinam Baii & Jansenii. Illud lepidum, quod auctor persuadere fuerit conatus, professores academiæ Duacensis fuisse Jansenistas, antequam Jansenius fuerat natus. Quesnellus condemnationi more suo probra reposuit.

Noallius, archiepiscopus Parisiensis, eodem anno 1696 ordinationem pastoralem vulgavit, in qua condemnavit librum, cui titulus: *expositio fidei circa gratiam & prædestinationem*, ut continentem propositiones falsas, temerarias, scandalosas, impias, blasphemas, injuriosas DEO, & derogantes ejus bonitati, ut hæreticas jam damnatas, renovantes doctrinam quinque propositionum Jansenii, cum temeritate intolerabili, qua auctor asserit, eas esse de fide.

Quam ob rem conqueritur in illa sua ordinatione præsul, tametsi famosæ propositiones Jansenii fuerint proscriptæ a summis Pontificibus, acceptata proscriptio unanimiter ab omnibus Galliæ episcopis, totaque ecclesia Catholica, pax etiam propterea sancita,

ta, nihilominus tamen superbiam prostratam caput rursus attollere, atque hæreseos venenum expuere.

Addit instructionem de gratia JEsu Christi, sine qua operari nihil possumus ad salutem; nihil tamen impossibile nobis præcipi; facienti, quod est in se, & roganti non negari gratiam necessariam. Noluit tamen, ut ex levi suspicione nomen cujuspiam denigretur.

Anno 1697 archiepiscopi Rhemensis & Parisiensis, episcopi Meldensis, Atrebatensis, & Ambianus ad Innoc. XII detulerunt librum Cardinalis Sfondrati, cui titulus *Nodus prædestinationis dissolutus*, superiore anno Romæ impressus cum facultate S. officii, tum quod diceret, statum infantium, ante baptismum mortuorum, non adeo esse miserum, cum nec offendant DEUM, nec careant omni felicitate; tum quod videretur asserere, infideles DEUM non cognoscere, nec offendere.

Nodus prædestinationis Sfondrati.

Maxime autem Jansenistæ obsequiosum suum silentium cum altis clamoribus commutarunt, *nodum dissolutum*, coram Sede Apostolica, episcopis & universitatibus accusantes, atque condemnari postulantes, quod Jansenismo plurimum esset oppositus.

Cum autem Romæ obtinere nihil possent, ad clerum Gallicanum versi sunt, cui librum offerre decreverant sub hoc titulo: *doctrina Augustiniana Romanæ ecclesiæ, expedita a nodo Cardinalis Sfondrati per plures discipulos S. Augustini, dedicata conventui generali cleri Gallicani, in castro S. Germani proxime habendo.*

Quesnellus adjunxit epistolam ad secundi ordinis sacerdotem deputatum, qua evincere conabatur, Jansenismum nuspiam inveniri, nisi in læsis cerebellis: illum Romæ haberi pro phantasmate: chimericam inseparabilitatem juris & facti sempiternum esse dedecus priorum conventuum: constitutionibus Pontificum sparsum contentionum incendium: per *breve* anni 1694 afferri remedium, sed anno 1696 rursus eversum: ab episcopis in iis acceptandis actum contra libertatem ecclesiæ Gallicanæ: ordine judiciali procedendum in caussa Jansenii.

Has, aliasque id genus propositiones Jansenistarum concilium cleri damnavit, ut falsas, temerarias, scandalosas, injuriosas clero Franciæ, summis Pontificibus, & ecclesiæ universæ, schismaticas, ac faventes erroribus damnatis. Hi fructus erant omnium motuum, quos novatores concitaverant, ut condemnaretur liber Cardinalis Sfondrati; quem concilium Parisiense ne quidem attigit. Jansenistæ pro more libellos, conviciis fartos, reddebant.

Noal-

Noallius jam anno 1695, dum adhuc erat Catalaunensis episcopus, approbavit cum grandibus laudum encomiis *reflexiones morales supra novum testamentum*, a Quesnello sibi dedicatas. Quæ res magnas deinceps in ecclesia turbas excitavit.

Postquam dein Noallius a Catalaunensi episcopatu ad archiepiscopatum Parisiensem transiit, anno 1696 condemnavit, quam supra diximus, *expositionem fidei Catholicæ*, ceu continentem doctrinam falsam, temerariam, scandalosam, impiam, blasphemam, hæreticam, anathemate percussam.

Cum autem uterque hic liber, approbatus a Noallio & condemnatus, eandem doctrinam proponere videretur, quidam libellum edidit, hoc titulo inscriptum: *Problema ecclesiasticum, cui credendum sit, an Noallio episcopo, an vero eidem ut archiepiscopo?* Hic libellus, cum in tanti præsulis probrum cederet, a Parlamento igni fuit addictus, ac postea etiam Romæ proscriptus. Problema de Noallio.

Duxit autem auctor problematis, qui tunc latebat, parallelam inter dictas *reflexiones morales*, & *expositionem fidei*, asserens, episcopum cum archiepiscopo combinari non posse, cum utriusque operis eadem sit doctrina.

Inquisitum in authorem problematis. Jansenistæ, ut Jesuitas archiepiscopo exosos, redderent, id illis affinxerunt, & nominatim P. Danieli, celebri adversus sectam & Natalem Alexandrum scriptori. At cum is, datis ad Noallium litteris, juramento affirmasset, se neque reflexiones morales neque expositionem fidei unquam legisse, fides est habita. Unde sectarii ad Jesuitam quendam in Belgio Petrum *Sovatre* versi sunt, eumque parentem odiosæ prolis fecerunt; sed ea probatione usi sunt, quæ se ipsam refelleret. Dissensit a confratribus P. Gerberon, Jansenianæ substructionis columen, atque problema, quod mire dilaudavit, novis Augustini discipulis attribuit: & merito.

Nihil quippe intentatum hi reliquerunt, quo Jesuitis odium, suis vero damnatis opinionibus favorem & patrocinium accerserent. Huc spectat famosus *casus conscientiæ*, quem per Perrierum canonicum Claremontanum, Claudii Pascalis nepotem, Facultati theologicæ Parisiensi decidendum obtulerunt anno 1701. Casus conscientiæ Jansenisticus,

Casus est iste: confessarius suspectum habet pœnitentem de novis opinionibus; unde varias ei quæstiones proponit. Respondet pœnitens 1, condemnari a se 5 propositiones in omni sensu, quo ecclesia illas condemnavit, & etiam in sensu Jansenii, prout Innoc. XII explicavit in brevi ad episcopos Belgii; verum, in quantum

tum ad factum, se credere, quod sufficiat obsequiosum silentium, & quamdiu juridice convinci non possit, negare in mente factum, nec propterea debere se turbari, aut de fide suspectum haberi.

2. Persuasum sibi esse, prædestinationem esse gratuitam, & gratiam per se ipsam efficacem.

3. Actiones, quæ non procedunt ab amore, esse peccata.

4. Attritionem in sacramento pœnitentiæ debere esse animatam charitate, saltem initiali.

5. Eum, qui assistit missæ cum affectu ad peccatum mortale sine motu pœnitentiæ, committere novum peccatum.

6. Se non credere immaculatam conceptionem B. Mariæ; nihil tamen a se dici contra opinionem contrariam.

7. Legi a se librum Arnaldi de frequenti communione, Sancyrani epistolas, versionem novi testamenti lingua vulgari, etiam *Montensis*, aliosque extra diœcesin prohibitos.

Quærit jam confessarius, an pœnitentem istum possit absolvere? quadraginta doctores responderunt *affirmative*: eo quod hæ opiniones nec novæ sint, nec singulares, nec ab ecclesia condemnatæ. Neque tales, ut oporteat eas abjicere.

A 40 doctoribus approbatus.

Hæc 40 doctorum decisio habita fuit secreta satis longo tempore; donec nempe post annum circiter per typum pluribus editionibus vulgaretur. Strepitus mox tantus ortus est, quantum scandalum. Tellierus archiepiscopus Rhemensis, approbans resolutionem casus, in primo puncto propositum, non attendit, id a sectariis intendi, ut credatur, Innocentium XII aliter fuisse interpretatum formulam ac Alexandrum VII, neque exegisse assensum internum, sed contentum fuisse silentio.

Quesnellus plures sollicitavit prælatos, ut decisioni casus subscriberent, sed incassum. Primi eandem aperte reprobarunt episcopi Carnutensis & Meldensis. Accessit Noallius, archiepiscopus Parisiensis, qui exprobravit 40 decisoribus (quorum aliqui præter titulum doctoris nihil possedisse dicuntur) quod non attenderint sequelas suæ resolutionis, despectum nempe constitutionum apostolicarum & stabilimentum Jansenismi.

Inter quos Nat. Alexander.

Eos inter, qui decisioni casus subscripserunt, erat Natalis Alexander, qui multis voluminibus bibliothecas auxit, ideoque excellens compilator habebatur. In historia sua ecclesiastica sæc. VI diss. V is scripserat, ecclesiam falli non posse pronuntiando super textibus libri dogmatici; quia alias deficeret instructio necessaria fidelium; ad pastorem autem spectare, discernere inter pascua salubria

lubria & noxia, ut ovibus, ſibi concreditis, provideat. Jam vero idem doctor approbando caſum deciſum ſtatuit contrarium, nullam eſſe obligationem ſtandi judicio eccleſiæ, quando de textibus librorum agitur. Quidquid de hoc ſit, vir doctiſſimus primus receptui ſignum dedit, & exemplo ſuo traxit reliquos, præter Petitpiedium, qui exilium & excluſionem a Sorbona converſioni ſuæ præhabuit. Quippe Sorbonæ doctores deciſionem caſus declararunt temerariam, ſcandaloſam, injurioſam ſummis pontificibus, & epiſcopis Franciæ, faventem mendacio & perjurio; addito decreto, omnes a Facultate fore excluſos, qui contra hanc cenſuram aliquid dicerent aut ſcriberent.

Ægerrime Janſeniſtas habuit, quam feliciter orſi fuerant, telam tam inopinata mutatione retextam. Unde Quesnellus ad Noallium, qui ordinationem ſectæ contrariam ediderat, epiſtolam ſcripſit, ira & deſpectu eccleſiaſticæ poteſtatis plenam. *Ne nobis blandiamur, mi care domine,* inquiebat; *ad ratiocinium mitra & pedum nihil faciunt. Mitrata ratio eſt ſemper ratio humana, deceptioni obnoxia, & tanto magis, quod mitra & pedum implicant negotiis, quæ ſæpe ſtudiis tempus eripiunt.* Quesnelli cruditas in Noallium.

De revocatione vero deciſionis, a 39 doctoribus facta, inquit, eam fuiſſe *ſubmiſſionem extortam, mendacium publicum & ſcandaloſum, falſum teſtimonium, ex metu humano a ſacerdotibus profeſſum, contra lumen eorum proprium & conſcientiam, ſimulationem ſceleratam, probroſam prævaricationem, languorem indignum iis, qui in facie altaris promiſerunt veritatem defendere, usque ad profuſionem ſanguinis.*

Hic erat honor, quem maledica Quesnelli penna detulit doctoribus, qui ejus partibus faverant. Sed quid aliud a tali duce ſuo exſpectare poterant? melius non eſſent ſecuti. Pluribus aliis libellis conſuetum Janſeniſtis melos inſonuit; quæ hæc eſſet inſana tyrannis, humanæ rationi, plus illuſtratæ, jugum velle imponere cæcæ fidei circa factum? hæc eſt vox Janſeniſtæ, ſed & Arii, Neſtorii, Eutychis, Pelagii, Lutheri, Calvini, omniumque eccleſiæ rebellium.

Interea autem caſus ille conſcientiæ non in ſola Francia fuit condemnatus, ſed etiam in Belgio a prælatis, & (quod maxime dolebat novatoribus) ab academiis, Lovanienſi & Duacenſi; imo ab ipſo etiam ſummo pontifice Clemente XI, qui anno 1700 Innocentio XII ſucceſſerat.


 Miſit

Misit is ea super re in Galliam *Breve*, atque ad regem & Cardinalem Noallium litteras, in quibus de Jansenistis, *hæc est*, inquit, *gens, ad turbandam sine intermissione pacem ecclesiæ & status politici nata, spiritus turbulenti, qui finem nescit lites serendi ex litibus: gens, cujus audacia inutiles reddere nititur omnes curas, laboresque impensos ad exterminandam hæresin summe contagiosam & malignam; rebelles, quorum insolentia comprimenda, & quos ecclesiæ mansuetudo non flectit, regali potestate compescendi ac conterendi &c.* Simulque Pontifex grates regi dicit, quod in exilium miserit Eliam Dupinium, *hominem pessimæ doctrinæ, qui plures sedi apostolicæ injurias intulit.*

Rex optimum Jansenistas compescendi medium censuit, si Papa antecessorum constitutiones solenni & authentica bulla confirmaret, pronuntiaretque, silentium, quod dicunt obsequiosum, non sufficere ad satisfaciendum constitutionibus apostolicis; quod postea, ut dicetur parte sequenti, anno 1705 Papa effectum dedit bulla solenni *vineam Domini.*



Liber



# LIBER QUINTUS.

## *Theologia Janſeniſtica, contraria theologiæ S. AUGUSTINI.*

## CAPUT I.

### *Theſes Janſeniſtarum de ECCLESIA.*

ECcleſia eſt congregatio filiorum DEi, commorantium in ejus ſinu. *Quesnel.* 2 *Theſſ.* 1 comprehendit omnes electos & juſtos. *Idem Heb.* 12. Epiſcopus, lapſus in peccatum, amittit epiſcopatum, nec eſt amplius membrum ecclesiæ. *Abbas Sancyran. in ſuo Aurelio.* Peccatum mortale deſtruit ſacerdotium. *Idem l. c.* Mali ſacerdotes non ſunt ſacerdotes. *Idem epiſt.* 93. A 5 vel 6 ſæculis nulla eſt ecclesia, vel nihil eſt, niſi lutum. *Idem de B. Vincent.* Chriſtus ædificavit quidem ſuam eccleſiam ſupra petram: ſed eſt tempus ædificandi & deſtruendi. Erat ejus ſponſa. Sed nunc eſt adultera, repudiata, vultque aliam ſubſtitui, futuram fidelem. *Idem ibid.*

Eccleſia moderna ſucceſſit antiquæ ſicut aqua lutoſa aquæ puræ. Corruptio non tantum eſt in moribus, ſed etiam doctrina fidei. *Idem ibid.* Tempus deplorabile! creditur honorari DEus, perſequendo veritatem, ejusque diſcipulos. Miniſtri religionis impii, membra putrida, vane ſibi blandiuntur de puritate intentionis & zelo pro religione, perſequendo viros bonos. Credunt, ſacrificium facere DEo, & faciunt diabolo, immolando ſervos DEi. *Quesnel. Luc.* 22, *Joan.* 16. Excommunicatio terrere non debet hominem addictum DEo. *Idem Joan.* 9. Excommunicatio ferri debet cum conſenſu, ſaltem præſumpto, totius corporis. *Idem Matth.* 18. Eccleſia eſt inſtar reipublicæ, penes quam reſidet jurisdictio, ſicut in regno temporali. *Idem.*

# ANTI-THESES.

ECclesiâ in Evangelio comparatur sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti: decem virginibus, ex quibus 5 sunt prudentes, & 5 fatuæ: agro, in quo crescunt boni fructus & zizania: hoc est justi & peccatores.

Si soli justi & prædestinati pertinent ad ecclesiam; non esset hæc civitas supra montem posita, omnibus conspicua: lucerna supra candelabrum posita, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Quia nemo sciret, quinam sint membra ecclesiæ, & ubi hæc invenienda.

Si soli justi sunt in ecclesia, Jansenistæ non sunt in illa; quia per meras fraudes, technas, calumnias, contumacias, sectam suam adversus judicium totius ecclesiæ propagare totis viribus satagunt.

Si mali episcopi non essent episcopi, & mali sacerdotes non essent sacerdotes, mera foret in ecclesia confusio, incerta potestas solvendi & ligandi, a Christo data, incerta ordinatio sacerdotalis, incertum omne sacrum ministerium. Quis enim sciret, an bonus vel malus sit minister verbi DEi, sacramentorum &c.? De fide est, per ordinationem sacrum imprimi characterem, qui est indelebilis. De malis ministris Christus ipse dixit: quæcunque dixerint vobis, servate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere. Donatistarum, Waldensium, & Wiclephi hæresin reducunt Jansenistæ.

Vah protervos homines! defecit ecclesia: nulla est amplius. Christus *ecclesiam suam supra petram ædificavit*: diruta est, corruit. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: prævaluerunt. *Ecce! ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, ait Christus: discessit, deseruit. Promisit Christus ecclesiæ, missurum se Spiritum sanctum, qui ei suggesturus sit omnia, docturusque omnem veritatem, atque cum ea mansurus in æternum: promissum non servavit. Ecclesia est *columna & firmamentum veritatis*: cecidit, jacet. Evacuatæ sunt promissiones æternæ veritatis: defecit providentia Christi erga suam ecclesiam: nulla amplius est. Hem blasphemias! hos tu homines Catholicos dicas? ego ne Christianos quidem, qui Christo tam impie contradicunt. An Lutheranus aliquis vel Calvinista, imo an ethnicus aut atheus magis impie, & petulantius loqui posset?

Si ad censuram ferendam requireretur consensus totius corporis, nullus amplius hæreticus, schismaticus, aut alius prævaricator,

tor, quantumvis refractarius & contumax excommunicari posset; quia facile invenire est malos homines, qui reclament, ut faciunt Jansenistæ. Profecto sic enervis esset potestas ecclesiastica, & impune contemneretur. Dum S. Petrus excommunicavit Simonem Magum, & S. Paulus sceleratum Corinthium, an corporis consensum prius requisierunt? Christus S. Petro ejusque successoribus cum clavibus potestatem ligandi atque solvendi tradidit, & per eos aliis ecclesiæ præsulibus; prout traditio & usus omnis retro Christianitatis demonstrat. Noluit, noluit Christus democraticum aut anarchicum ecclesiæ suæ regimen, sed monarchicum. *Tu es Petrus, & super hanc petram. Quodcunque ligaveris. Tibi dabo claves. Pasce oves meas.* Ex capite in alios antistites derivatur vigor, & potestas coercendi.

Calumnias non moror. Hoc tramite ierunt omnium temporum hæretici, a præsulibus ecclesiæ condemnati. Illos tyrannos, se martyres veritatis dicebant, mordentes lapidem, quo fuerant petiti.

# CAPUT II.

## *Theses Jansenistarum de* ECCLESIÆ *DECISIONIBUS.*

ECclesia semper credidit, necessarium esse ad concilium recurrere, ad assecurandam doctrinam, quando inter episcopos fuit divisio. Hoc autem casu authoritas decidendi est penes partem oppressam, non autem penes opprimentem, aut libertatem auferentem. (*Temoig. de la verite pag.* 110.) Si est divisio inter pastores, jus decidendi est penes multitudinem fidelium unitam. (*Lettre a M. Autun pag.* 10.) Si episcopi agunt contra clamorem publicum suarum ecclesiarum, agunt & decidunt injuste & invalide. (*De la necess. de l'Appell. pag.* 232.)

De definitione concilii judicandum per impressionem, quam facit in ecclesia. Authoritas episcoporum in judiciis ecclesiasticis non est independens a consensu fidelium; qui essentialiter requiritur, ut eorum sententia habeat vim legis, & sit irrevocabilis. (*Temoig. de la verite pag. 95 & 96.*) Quare non defendamus veritatem contra Papam & omnes episcopos? (*Remontrance de fideles du diocese de Paris* 1729.)

Preces,

Preces, quæ ſunt in Breviario Romano: *ut domnum apoſtolicum &c.* nos docent, quod ſit poſſibile, ut omnes ordines eccleſiaſtici errent in religione, id eſt, in doctrina fidei, morum, & diſciplinæ. (*Lettre a M. de Noailles du 5 Jan.* 1714 *dans Recüeil des memoires & des lettres, qui paru en* 1717.) Nec magnus nec parvus numerus epiſcoporum firmam reddit animi noſtri ſententiam, ſed vis rationum. (*Nov. défenſe de la réponſe a la queſtion importante. pag.* 28, 29.)

Pius V condemnavit 79 propoſitiones, Bajo attributas; ſed præterquam, quod cenſura illa nunquam ſit recepta in eccleſia, neſcitur hodiedum, quid fuerit condemnatum, & ipſimet cenſores Romani id ignorarunt. (*Renvers des libertez T.* 1 *p.* 472.) Quia ſummi Pontifices non uſi ſunt mediis ordinariis & canonicis, DEus permiſit, ut ignorarent verum ſtatum diſputationum, & pronuntiarent ambigue. *Ibid. pag.* 37. Bulla *vineam Domini* non eſt minus æquivoca quam aliæ. (*Ib. p.* 21.)

Conſtitutio non poteſt eſſe acceptata ab eccleſia, niſi expreſſe vel tacite. Expreſſa acceptatio exigit diſcuſſionem, examen, judicium; quod fieri non poteſt, niſi in concilio canonice convocato. Ad acceptationem autem tacitam requiritur tempus infinitum ſine ulla contradictione. (*Lettre d'un magiſt. pag.* 10.)

Per ultimam bullam (*unigenitus*) pure & ſimpliciter acceptatam, puritati Evangelii & doctrinæ morali inflicta eſt plaga funeſtiſſima. Conſidero illam ſummopere noxiam fidei. (*Temoig. de l'univers. de Paris. pag.* 261, 298.) In inſtructione paſtorali epiſcoporum ſuper bullæ promulgatione quanta injuſtitia, ignorantia, mala fides, deceptio, etiam in punctis capitalibus fidei? (*Examen theol. l.* 1 *p.* 9.)

Eccleſia hodie peſſime gubernatur. Papa eſt dux Semi-Pelagianorum (*M. Malpaix clavis arcana*). Veritates maximi momenti de doctrina & moribus, nunc eccleſiæ ſunt incognitæ, quamvis antiquitati fuerint indubitatæ. (*L'Abbe de Barcos, Neveu de S. Cyran. Grandeur de l'Egliſe Romaine.*)

## ANTI-THESES.

BOna ſunt concilia & utilia, non tamen abſolute neceſſaria; quia ſemper deciſio haberi poteſt a ſucceſſore illius, ſuper quem Chriſtus ſuam ædificavit eccleſiam; quem juſſit confirmare fratres ſuos, quales vel maxime ſunt epiſcopi; quem paſcere juſſit non tantum

tantum agnos, sed etiam oves suas; pro quo specialiter rogavit, ut non deficiat fides ejus; cujus successores episcoporum lites sæpe soli composuerunt, qui multas hæreses extra concilium condemnarunt, uti Pelagianam, Manichæorum, Priscillianistarum &c.

Ad concilia appellant Jansenistæ, quæ congregari non posse sciunt, vel saltem non nisi difficillime, ut errores suos impune possint spargere, ut agant radices non amplius evellendas. Multitudinem fidelium omnium quis congreget? quis omnium vota exquirat? an indoctorum etiam suffragia numeranda? at hi facient majora.

Sententiam deferre oppressæ parti idem est, ac reum constituere sibi judicem. Et quis judicabit, quænam pars sit opprimens, quænam oppressa? dum volunt, ut episcopi audiant vocem populi, volunt, ut pastor audiat vocem ovium, non vero, ut oves vocem pastoris audiant. Dicere, ad legem constituendam essentialiter requiri consensum populi, est absurdum, falsum, eversivum potestatis legislativæ. Num oves pastorem regant, discipuli magistrum, subditi principem?

Quantus typhus horum homuncionum! veritatem se dicunt defendere contra Papam & omnes episcopos. Soli nempe sapiunt. Omnes ecclesiarum præsules desipiunt. Ita est, domnus apostolicus errare posset ut persona privata, non vero in doctrina fidei & morum, quatenus est persona publica, ut Papa, seu ut loquens ex cathedra, & instruens fideles. Vis rationum, inquiunt, firmam reddit sententiam. An hæc vis penes solos Jansenistas habitat? in iis, quæ fidem supernaturalem concernunt, vel nullum vel ultimum locum theologicum ratio naturalis occupat.

Falsum est, quod Pii V bulla, qua proscripsit 79 propositiones Baji, non sit recepta. Jansenistæ hæretici per suam rebellionem facere non possunt, ut bulla non sit sufficienter in orbe Catholico recepta, quam parum Ariani perduelles facere poterant, ut definitiones concilii Nicæni non sint receptæ. Falsum est, nesciri, quid sit condemnatum. 79 Propositiones Michaelis Baji professoris Lovaniensis, quæ omnes singillatim enumeratæ sunt, fuerunt condemnatæ. Falsum pariter, constitutionem *vineam Domini* esse æquivocam. Multa Jansenistæ garriunt, sed non probant.

Sicut non est penes populum, utrum velit acceptare legem principis, sic neque an velit acceptare constitutionem Christi vicarii. Quod acceptatio tacita requirat *tempus infinitum*, est ridiculum & absurdum; uti etiam, quod acceptatio debeat esse *sine*

*omni contradictione.* Sequeretur, nullam legem aut constitutionem fore acceptatam, si sartor aliquis aut sutor contradiceret. Quis non videt, quousque Jansenistæ ineptiant, ut obedientiæ, ecclesiæ debitæ, se subtrahant.

Per bullam *unigenitus* non veritati Evangelicæ, sed erroribus turpissimis plaga infligitur. Hoc & alia convitia, etiam corpori episcoporum impacta, pertinent ad innatam Jansenistis calumniandi libidinem. Quam bene & apposite formatum axioma: *mentitur, ut Jansenista!*

*Ecclesia hodie male gubernatur*, dicis Jansenicola. Quare? quia errores tuos fidelibus, fidei ac moribus perniciosissimos, condigna censura condemnat. Dic sodes, quænam veritas doctrinæ ac morum hodie incognita est ecclesiæ, quæ antiquitati fuerit indubitata? In thesibus istis Jansenianis nihil video, nisi maledicentiam, convitia, calumnias, in summum Pontificem, episcopos, omnemque hierarchiam ecclesiasticam petulanti calamo conjectas, more Lutheri, Calvini, omniumque hæreticorum, qui cum veritate & probationibus destituantur, & tamen pertinaciam nolint deponere, ad contumelias convertuntur, ultimum, sed miserrimum, caussæ desperatæ refugium.

Jam vero, si in summos ecclesiæ præsules tanta maledicendi licentia homines isti sunt grassati, quos tamen superiores suos agnoscere simularunt, æstimare facile est, quanto furore in Jesuitas, quos maxime sibi adversos putabant, odiorumque suorum metam præcipuam statuebant, sint invecti. Nullum calumniarum genus in hodiernum usque diem hic omissum; nullis pecuniis, nulli labori, nullis fraudibus parsum, ut mendaciis fidem facerent. Jam doctrina, jam mores traducebantur, sparsis in omnem orbem libellis, quos ira, odium, rabies, obtrectandi voluptas dictaverant.

# CAPUT III.

## *S. Augustini doctrina de ecclesia.*

Quoniam Jansenistæ S. Augustini doctrinam se sequi jactitant, eique varios suos de ecclesia errores attribuunt, operæ pretium duco, si hic aliqua de ejusdem doctrina subjungam. Atque imprimis certum ipsi est, *extra ecclesiam Christi nullam esse spem salutis.*

Dicit

Dicit enim *serm. ad Cæsar. plebem* de Emerito Donatistarum episcopo num. 6, *salutem non potest habere, nisi in ecclesia Catholica.* Et epist. 191 ad Donat. n. 5. *Quisquis ab hac ecclesia Catholica fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam, sed ira DEi manet super eum. Quisquis autem in hac ecclesia bene vixerit, nihil præjudicant ei aliena peccata.* Et l. 2 contra litt. Petiliani c. 13 n. 30. *Diaboli filii sunt, qui homines ab ecclesia seducendo interficiunt.*

Sunt autem schismatici & hæretici extra ecclesiam Catholicam: prout S. Aug. docet l. 2 cont. lit. Petil. c. 108 n. 247. Item l. de fid. & symb. c. 10 n. 21 his verbis: *Nec hæretici pertinent ad ecclesiam Catholicam, nec schismatici.*

Ergo Janseniani schismatici, scissionibus ecclesiam turbantes eique inobedientes, imo hæretici, ab ecclesia declarati, sunt extra ecclesiam Catholicam, nullamque, nisi ad eam redeant, habent spem salutis.

Contra vero non tantum electi seu prædestinati sunt membra ecclesiæ, prout Jansenistæ hallucinantur, sed etiam peccatores & reprobi, si habitum fidei retineant, sed sunt membra vitiata & corrupta.

Nam S. Aug. serm. 250 n. 2 adducit exemplum adductorum ad cœnam, bonorum & malorum; & addit: *talis nunc est ecclesia, plena bonis & malis.*

Et l. 2 cont. lit. Petil. c. 47: *sub uno pastore & oves & hirci pascuntur.*

Item tract. 6 in Joan. ait, per arcam Noe figurari ecclesiam; in illa fuisse columbam & corvum, animalia munda & immunda.

Denique in psal. 8 n. 13 & alibi ait, sicut in eadem arca continentur frumentum & palea, in eodem reti pisces boni & mali, in eodem ovili oves & hædi, in eodem agro zizania in medio tritici, in eadem domo vasa in honorem & contumeliam, in eodem utero & lenis Jacob, & hirsutus Esau, sic in eadem ecclesia contineri bonos & malos.

Nec obstat, quod Aug. in psal. 131 n. 13 dicat, quod ii, qui non perseverant, non sint in ecclesia; nam ibi loquitur de ecclesia triumphante. Quando autem de ecclesia militante loquitur, bifariam eam dividit: 1 in stricte acceptam pro præcipuis ejus membris, & sic solos justos comprehendit. 2 In latius acceptam, quæ est congregatio omnium fidelium, bonorum & malorum. Quando

igitur dicit, malos non esse membra corporis, accipit corpus ecclesiæ in primo sensu: vel per malos intelligit infideles, hæreticos, schismaticos, publice excommunicatos, qui ad nullam ecclesiæ speciem pertinent.

Quamvis autem multi in ecclesia sint mali, nefas tamen est, se ab eadem separare, prout olim fecerunt Donatistæ in Africa, quos propterea graviter reprehendit Augustinus. Nam

Epist. 183 ad Bonif. c. 4 ait: *quomodo vos nefario scelere ab unitate Catholica, tanquam ab area Dominica, separatis, quæ usque ad tempus ventilationis necesse est, ut habeat & frumentum, in horreo recondendum, & paleam, ignibus consumendam.*

Et ep. 93 ad Vincent. c. 12. *Neque propter paleam relinquimus aream Domini; neque propter pisces malos rumpimus retia Domini; neque propter hædos, in fine segregandos, deserimus gregem Domini; neque propter vasa in contumeliam migramus de domo Domini.*

Cum Donatistæ, persecutiones se passos a Catholicis objicerent, easque schismatis sui caussam prætenderent, respondit eis Aug. l. 2 contr. Crescon. c. 22. *Aut ergo recte passi estis persecutionem, aut, si modus Christianus excessus est, palea nostra fecit, propter quam non fuerat area Dominica deserenda.*

Lib. de unit. eccl. c. 14 adducit parabolam sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti, primum in consummatione sæculi separandorum. Et l. 3 cont. Crescon. Gramm. c. 38 exemplum sanctorum veteris testamenti, qui propter scelera Judæorum se non separarunt ab eorum ecclesia.

Nihilominus tamen, licet mali in ecclesia permixti sint bonis, illa est una, sancta, catholica, & apostolica: prout docet S. Aug. l. de fid. & symb. c. 10, ubi ait: *credimus & sanctam ecclesiam, utique Catholicam; nam & hæretici & schismatici congregationes suas ecclesias vocant; sed hæretici fidem violant, schismatici autem discissionibus a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad ecclesiam nec schismatici.* Mali autem Catholici nec fidem nec unionem scindunt; sed manent uniti corpori, quamvis membra ægra & arida. Neque sanctitas ecclesiæ consistit in eo, quod omnia membra secundum mores sint sana & sancta; orat enim ecclesia sancta: *dimitte nobis debita nostra*: sed imprimis ecclesia triumphans in cœlis est ex integro sancta, sine ruga, sine macula.

Deinde

Deinde etiam ecclesia his in terris militans, tametsi multos peccatores immixtos habeat, sancta tamen est ab auctore suo & capite, Christo JEsu: a doctrina sancta fidei & morum; a multis membris sanctis.

Quamvis igitur Christi ecclesia militans admixtos habeat, qui sanctam legem violant, clametque quotidie ad DEum: *dimitte nobis debita nostra*, nihilo tamen secius S. Aug. de symb. ad catechum. serm. 1 c. 6 n. 14 de illa pronuntiat: *Ipsa est ecclesia sancta, ecclesia una, ecclesia vera, ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans; pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vite præcisa.*

Lib. de hæresibus ad Quodvultdeum usque ad Pelagianos 88 hæreses enumerat, quarum multæ nihil errabant contra fidem de DEo & Christo (quos articulos fundamentales appellant novatores) uti Origenis, Tertulliani, Novatiana, Donatistarum, Luciferiana. Et subdit: *quarum aliquam quisquis tenuerit, Christianus Catholicus non erit.*

Et hinc impossibile est, ecclesiam Catholicam non esse *unam*, & *sanctam in doctrina*; nam quamprimum quis alicui cuicunque articulo fidei pertinaciter contradixerit, non amplius pertinet ad ecclesiam, sed ab illa se rescindit. Unde ii, qui pertinent ad ecclesiam, sive bonis sive malis cæteroquin sint moribus, semper retinent doctrinam fidei & morum sanam, tametsi multi non vivant secundum doctrinam, quam profitentur.

Recenset etiam S. Aug. miracula, tanquam manifesta testimonia de veritate & sanctitate doctrinæ, & ecclesiæ Catholicæ, præsertim *lib.* 22 *de civit. DEi c.* 8, ubi grandem miraculorum catalogum contexit, & nominatim de miraculis, ad invocationem S. Stephani proto-martyris, cujus sacræ reliquiæ in Africa christiano ritu colebantur, patratis, ita scribit: *Si miracula sanitatum, ut alia taceam, ea tantummodo velim scribere, quæ per hunc martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum facta sunt in colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conscribendi sint libri, nec tamen omnia colligi poterunt, sed tantum de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis.*

Et post pauca ita pergit: *Necdum est autem biennium, ex quo apud Hipponem regium cœpit ista memoria, & multis, quod est nobis certissimum, non datis libellis de iis, quæ mirabiliter facta sunt, illi ipsi, qui dati sunt, ad septuaginta ferme pervenerunt, quando ista conscripsi. Calamæ vero, ubi & ipsa memoria prius esse cœpit, &*

*& crebrius dantur, incomparabili multitudine superant.* Notent hoc S. Augustini oculatum testimonium novatores nostri temporis, & agnoscant, veram illam esse Christi ecclesiam, quæ miraculorum dono in hanc usque diem sola est exornata.

Atque hinc etiam *visibilis*, & quærentibus illam facile conspicua. Nam Aug. in psal. 18 enarr. 2 & ep. 105 ad Donat. scribit: *In sole posuit tabernaculum suum, in manifestatione ecclesiam suam, omnibus notam usque ad terminos terræ, non in occulto, non quæ lateat, non velut opertam.* Et tract. 2 in ep. Joan. n. 3. *Ecclesia ejus in sole posita est, non in nocte, sed in die.* Et n. 2: *quam cæcus, qui tam magnum montem non videt, qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudit!*

Item in psal. 57, ubi enim latet ecclesia Christi? & serm. 37 c. 2. *Nonne ipsa est civitas in monte, quæ abscondi non potest? quando lateret, quis eam inveniret?*

Sed neque deficere potest, quam Christus super petram ædificavit, ecclesia; quod manifestis pariter S. Augustini testimoniis comprobatur. Nam in psal. 101 serm. 2 ait: *Illa fuit ecclesia omnium gentium, jam non est: periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. Illa non est; quia tu in illa non es.*

Et in psal. 71 n. 8. *Putant, Christianam religionem usque ad certum tempus in hoc sæculo victuram. Permanebit cum sole, quamdiu sol oritur & occidit: hoc est, quamdiu tempora ista volvuntur, non deerit ecclesia DEi, id est, corpus Christi in terris.*

Item serm. 47 c. 10 ait, ecclesiam esse agrum, in quo cum tritico crescunt etiam zizania; DEum autem velle, ut utraque sinantur crescere usque ad messem: *quam messem? ipsum audi: messis est finis sæculi.*

Donatistæ olim periisse ecclesiam Christi lamentabantur, & solum in Africa apud se remansisse jactitabant. Idem est clamor novorum Donatistarum Jansenianorum. *Defecit, adultera nunc est, repudiata, periit,* vociferantur. Audiamus Augustinum ita de Donatistis loquentem, acsi Jansenistas præ oculis habuisset.

Ep. 78 ad cler. n. 8 ait: *qui non habendo, quod in caussa suæ divisionis defendant, non nisi hominum crimina colligere affectant, & ea ipsa plura falsissime jactant: ut, quia ipsam divinæ scripturæ veritatem, qua ubique diffusa Christi ecclesia commendatur, criminari & obscurare non possunt, homines, per quos prædicatur, adducant in odium, de quibus & fingere, quidquid in mentem venerit, possunt.*

Et

Et in psal. 147 n. 16. *Hæresis quid monet? damnat incognitos; periit totus mundus: nullus est Christianus: Africa remansit.*

Item in psal. 99 n. 12. *Odiosi, maledici irruunt in vituperationem: quales Christiani! avari, fœneratores, ebriosi, voraces, invidi, insectatores alterutrum. Sunt tales, sed non soli tales: & iste vituperator cæco modo tacet bonos.*

Et l. 1 de morib. eccles. Cath. c. 34: *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet.*

Senescentem ecclesiam defluere dicit Jansenista, *modernam ecclesiam successisse antiquæ, sicut aquam lutosam aquæ puræ.* Verum Catholicæ ecclesiæ doctrina semper illimis fluxit, multorum mores semper fuerunt corrupti. Neque hoc negabat Aug. sed id exprobravit Donatistis, quod solum lutum malorum in ore ferrent, proborum autem virtutes tacerent.

Juventutem tunc, aut, si vis, virilem ætatem agebat ecclesia; sed non minora scelera hominum, nec pauciora illam infestabant, imo plura & majora, quam nostris temporibus. Ad quod comprobandum opus non habeo, alterum illum Jeremiam Salvianum testem adducere, corruptissimos ætatis suæ mores amaris lacrymis deplorantem.

Solum Augustinum audiamus. In psal. 47 n. 9: *Non possumus,* inquit, *negare, plures esse malos, & tam plures, ut inter eos prorsus boni non appareant.* Serm. 252. *quam multi raptores? quam multi ebriosi! quam multi maledici! quam multi spectatores theatrorum obscænorum!* T. act. 3 in ep. Joan. n. 9. *Quot habet ecclesia perjuros, fraudatores, maleficos, sortilegos, adulteros, fœneratores, mangones* (adolescentum venditores & emptores ad libidinem infandam).

Refert deinde corruptos mores non tantum laicorum, sed etiam multorum clericorum & monachorum. Profecto, si comparemus hodiernam disciplinam religiosorum ordinum totiusque status ecclesiastici, cum antiquiore, videmus sane senectam virentem magis florentemque. Spectarent certe Jansenistæ innumera integerrimæ vitæ exempla, nisi volupe ipsis esset, more omnibus hæreticis non minus, quam certo animalium generi, familiari lutum sordesque circumvolvere; vel, si hoc odore adeo delectantur, everrant propriam domum. Sepulcra dealbata! hypocritæ! ejicite prius trabem ex oculis vestris.

Caput

# CAPUT IV.

## *S. Augustini sensus de* ECCLESIÆ CAPITE.

JAnsenistæ, sicut ecclesiam Christi reprehendunt, ita etiam, cum Quesnello *proposit.* 90 & sequentibus, summos pontifices, eorumque definitiones & censuras spernunt. Audiamus ex S. Aug. quos spernant.

Serm. 76 c. 3. Petrum vocat *Apostolorum primum & præcipuum.* Epist. 186. *Apostolicæ sedis antistitem.* L. 2 contr. Donatist. c. 1. *Quis nescit, illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum?* L. 22 con. Faust. c. 70. *Pastorem totius ecclesiæ.* In psalmo contr. partem Donati: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede. - - Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Ep. 43 ad Glorium &c. *In Romana ecclesia semper apostolicæ cathedræ viguit principatus.*

Lib. cont. epist. fundam. c. 4 n. 5. *Tenet me in ecclesia Catholica ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem episcopatum successio sacerdotum.* In psal. 69 n. 4. *Petrus, qui paulo ante eum confessus fuerat Filium DEi, & in illa confessione appellatus erat Petra, supra quam fabricaretur ecclesia.* Ecce! Petrus ipse a Christo est *Petra* appellatus.

*Epist.* 53 *ad Generos. c.* 1 enumerat omnes Pontifices, in cathedra Romana S. Petri successores, usque ad Anastasium, tunc sedentem. Cur non Solymææ, ubi Christus mortuus est? aut Antiochenæ, ubi Petrus primo sedit? aut Alexandrinæ, ad quam Marcum misit? aut Carthaginensis, Africæ metropolitanæ? ecce caussam, quia Romæ cathedræ principatum constituit, *cui totius ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait: super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam.*

Serm. 131 c. 20 n. 10, tractans de caussa Pelagiana ait: *Jam enim de hac caussa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam: inde etiam rescripta venerunt: caussa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Cur duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam, nisi ut summa in terris auctoritate approbentur, confirmentur, roborentur? cur caussa finita est? quia a sede apostolica, supremo atque infallibili in terris judice, rescripta venerunt, quibus hæresis Pelagiana fuit damnata.

Lib.

Lib. 4 cont. duas epist. Pelag. c. 12 n. 34, dum Pelagianos confutat, Jansenistas præ oculis habuisse videtur; nam postquam dixit, plerasque hæreses extra concilium fuisse damnatas, addit: *verum istorum superbia hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.*

Lib. 2 operis imperf. n. 103 contra Julianum scribit: *quid adhuc quæris examen, quod jam factum est apud Sedem Apostolicam?* Nota bene Jansenista. Ita interrogat, quem magistrum tuum appellas. Notent etiam hoc Quesnelliani, qui Pelagianorum exemplo a definitiva Sedis Apostolicæ sententia ad futurum generale concilium appellare præsumpserunt.

Audiant præterea S. Augustinum epist. 190 ad Optatum c. 6 n. 23 loquentem: *in verbis*, inquit, *Apostolicæ Sedis tam antiqua, certa, & clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano.*

## OBJECTIONES

### *Contra ECCLESIAM, & visibile ejus caput ex S. Augustino, perperam intellecto, depromptæ.*

OB. 1. *Serm.* 295 *c.* 2 scribit S. Aug. Petrum figuram gessisse unitatis ecclesiæ; & hinc, quando ei dictum est, *tibi dabo claves*, ecclesiæ in persona Petri traditas fuisse claves.

*Resp.* Quamvis S. Aug. verba illa in sensu allegorico aliquando intelligat, nullatenus tamen negat, Petro fuisse traditas claves, & mediante Petro ecclesiæ. Videmus enim potestatem clavium exerceri etiam ab episcopis & sacerdotibus, jurisdictione tamen dependente a Petro & ejus successoribus: ut patet ex reservatione casuum & censuris.

Ob. 2. *Serm.* 270 *n.* 2 ait, per petram non intelligi Petrum, sed Christum, quem confessus est.

*Resp.* Christus est petra prima, primumque ac principale fundamentum ecclesiæ. Petrus vero est secunda petra, secundumque ecclesiæ fundamentum, primo impositum atque innixum. In secundo hoc etiam sensu Aug. vocem *petra* intellexit, ut ex supra allatis ejus textibus patet. Ceterum *Petrus* & *petra* idem omnino significant. Unde versio Syriaca, Persica, Æthiopica, Arabica, non habent: *tu es Petrus*, *sed tu es petra.*

Ob. 3 ab Arnaldo, qui statuit, duo Romæ fuisse ecclesiæ capita, moraliter unum, Petrum videlicet & Paulum, æquali potestate præditos. Nam S. Aug. serm. 381 ait: habet ergo Roma, caput gentium, *duo lumina gentium*, & l. 2 de peccat. mer. de Paulo dicit, quod meruerit *apostolatus principatum.* Et l. de gest. Pelagii, c. 14, Paulum fuisse *multum excellens membrum corporis Christi.*

*Resp.* Sunt *duo lumina gentium*; quia uterque orbem illustravit doctrina, legibus, vitæ exemplis, martyrio. Omnes Apostoli fuerunt principes, juxta illud: *constitues eos principes super omnem terram.* Sed non sequitur, fuisse æquales. Eminebat Petrus vi sui primatus Apostolici, potestate ordinaria suprema, cui reliqui Apostoli erant subordinati; sicut plures sunt principes in eodem regno aut imperio, subjecti tamen monarchæ. Paulus excellens erat membrum, quia nullam peculiarem provinciam administrandam accepit, sed totum mundum; unde plures reliquis scripsit epistolas, plures provincias peragravit, plures labores suscepit, plures persecutiones sustinuit; nullatenus tamen sequitur, quod æquali cum S. Petro fuerit auctoritate, aut ab eo independente.

Nam S. Aug. l. 2 con. Donat. c. 1 ait: *Apostolum Petrum, in quo primatus Apostolorum tam excellenti gratia præeminet - - a posteriore Apostolo Paulo fuisse correctum*: major a *minore*, ut ait S. Greg. l. 2 in Ezech. hom. 18. Ceterum correptio, debita cum modestia facta, non indicat superioritatem; quia etiam major, si non recte agat, potest moneri a minore.

Ob. 4. *Ep.* 82 *ad Hieron. c.* 3 ait, se solas scripturas canonicas ita sequi, ut eas nihil errasse non dubitet.

*Resp.* S. Hieronymus ad S. Aug. scripserat, se in expositione epistolæ ad Galatas secutum esse interpretationem Origenis, Eusebii, Didymi, aliorumque scriptorum particularium, Petrum reprehensum fuisse communi utriusque consilio. Augustinus autem respondit, privatos istos scriptores errori esse obnoxios; solas sacras scripturas in omnibus omnino esse infallibiles: per quæ nullatenus negat, summum Pontificem & œcumenica concilia, capiti suo unita, in definitionibus dogmaticis esse infallibilia. In rebus autem non dogmaticis, quando Pontifices ut privati doctores scribunt libros, quamvis magnæ sint auctoritatis, nemo dicit, quod absolute infallibiles sint.

Hinc non obstat, quod Paulus dicat, Petrum fuisse reprehensibilem, & Augustinus, eum errasse. Non enim erravit in dogma-

matica aliqua decisione, sed simulatione duntaxat aliqua, qua malum exemplum præbuit; nam Antiochiæ cum neophytis ex gentilitate libere conversabatur, cibis etiam, a lege Mosaica prohibitis, vesci cum iis solitus: cum autem quidam ex Judæis neophytis, Jerosolyma a Jacobo Minore missi, advenissent, a conversis ex gentilibus Petrus se separavit, atque eo facto eos ad credendum inducere visus est, legalia adhuc necessario observanda esse; quod erat falsum.

Tres quippe tunc erant sententiæ. Prima ritus legis Mosaicæ necessario retinendos dicebat: altera eos superstitiosos asseruit: tertia, eaque vera, eos nec necessarios amplius, neque tamen tunc superstitiosos aut illicitos dixit. Petrus nunquam dixit, eos ritus legesque ceremoniales esse necessario observandas; sed, quia fugiebat convivia conversorum ex gentilitate, putabant neophyti, legalia adhuc necessario esse observanda; & propterea reprehensus fuit a Paulo, major a minore.

Ob. 5 ex lib. con. Petil. c. 14, ubi S. Aug. narrat, quod S. Cyprianus restiterit S. Stephano Papæ in caussa baptismi ab hæreticis collati. Ergo S. Cyprianus non censuit, Papam esse infallibilem.

*Resp.* Stephanus nullam definitionem in ea caussa edidit: sed, insistens traditioni, simpliciter præcepit, ut nihil innovetur, nec rebaptizentur, qui ab hæreticis fuissent baptizati. Ergo ex ea resistentia Cypriani non infertur, quod Papa in definitionibus dogmaticis a Cypriano habitus fuerit fallibilis; cum nulla ab eo definitio fuerit facta; nec controversia illa tunc adhuc ab ecclesia fuerit decisa. Factum igitur tunc disciplinam spectabat. Quis autem tunc erravit, an Stephanus an Cyprianus? An Jansenistæ rebaptizant?

Ob. 6 *ex epist. 43 ad Glorium &c. c. 7*, ubi respondet querelis Donatistarum, malos sibi Romæ judices obtigisse, aitque: *ecce putemus, illos episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse: restabat adhuc plenarium ecclesiæ universæ concilium, ubi etiam cum ipsis judicibus caussa posset agitari, ut, si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur.* Ex quibus Augustini verbis duo inferunt novatores: primum, Pontificem non esse infallibilem & irreformabilem; cum judicio illi Romano præsederit Melchiades Papa. Alterum, a Papæ sententia appellari posse ad generale concilium.

*Resp.* 1. S. Aug. hic nullatenus dicit, Papam cum aliis judicibus errasse, aut errare potuisse, aut Donatistas de jure appella-

re potuisse ad concilium. Sed, ut pertinacibus hæreticis os obduraret, & omne effugium præcluderet, utitur figura concessionis seu permissionis, loquiturque conditionate: si etiam permitteretur, judices Romanos errasse, potius tamen ad generale concilium, quam ad potestatem laicam Constantini Imperatoris hanc caussam, in qua reus agebatur episcopus, fuisse deferendam.

2. Non agebatur hic de fide aut doctrina morum, neque de quæstione aliqua dogmatica, sed de mero facto non dogmatico, an scilicet Cæcilianus, episcopus Carthaginensis, sit *traditor*, seu an in persecutione Diocletiani, dum adhuc esset diaconus, gentilibus tradiderit sacros libros comburendos, martyribus, in carceribus detentis, cibum afferri prohibuerit, aliaque crimina commiserit, de quibus a Donato a Casis Nigris fuerat accusatus? In quæstionibus autem ejusmodi meri facti non dogmatici, quod sola testium fide humana constat, non dicimus, Papam esse infallibilem; quia decipi potest a testibus, sicut alii judices.

Ob. 7. Zosimus Papa approbavit doctrinam Pelagii & Cœlestii ejus discipuli, quam Innocentius Zosimi antecessor damnaverat, teste Aug.

*Resp.* Falsum prorsus est, quod Zosimus approbarit doctrinam ab antecessore suo damnatam; falsissimum pariter, hoc Aug. attestari. Omnino contrarium, tum alias sæpius, tum nominatim *l. 6 c. 12 contra Julianum* Pelagianum, hoc Zosimo objicientem, testatur, his verbis: *qui* (Zosimus) *non recessit a suo præcessore Innocentio.*

Doctrinam hæreticam Pelagii & Cœlestii de peccato originali & gratia divina (quod utrumque negaverant) damnaverat Innocentius, Zosimus autem doctrinam Catholicam, qualis illi proposita fuerat, approbavit. Quamvis enim lenius initio cum simulatoribus istis mendacibus processerit, eo quod coram eo peccatum originale & gratiæ necessitatem profiterentur, &, si quid errassent, paratos se corrigere dicerent, nullum tamen eorum errorem, quem impostores tegebant, & publice negabant, approbavit. Verbo: Innocentius doctrinam, quæ erat hæretica, damnavit, Zosimus doctrinam aliam, quæ erat Catholica, approbavit.

Testis coætaneus, quo nemo melius omnia, tum in Palæstina, tum in Africa, tum etiam Romæ cum Pelagianis acta, noverat, est Augustinus, qui lib. 2 contra duas epist. Pelag. c. 3 ait: *Zosimus nusquam prorsus hoc dixit, nusquam scripsit*, videlicet

cet non dari in parvulis peccatum originale, aut gratiam divinam ad actus bonos non esse necessariam, de quibus agebatur.

Si quid peccavit Zosimus, hoc unum erat, quod vir simplex & rectus, crediderat, Pelagium & Cœlestium esse tales, quales profitendo doctrinam Catholicam & ad omnia paratos se offerendo mentiebantur. At, impostura & fraudibus detectis, eos melius informatus damnavit.

Nempe Pelagius & Cœlestius damnari a se omnia, quæ in concilio Carthaginensi, & Milevitano, atque ab Innocentio Papa damnata, quæque de se sparsa, & a Paulino in concilio Carthaginensi accusata fuissent, coram Zosimo data fide asserebant. Adhæc afferebant commendatitias litteras a variis episcopis, pariter deceptis, præsertim a Praylio Jerosolymitano, & Patroclo Arelatensi, qui Herotum & Lazarum episcopos, Pelagianorum accusatores, de gravissimis criminibus reos agebat; ut adeo Zosimum facile deciperent. At homines perfidi, cum viderent, suas imposturas detectum iri, ulteriori examini, & ultimatæ Zosimi sententiæ se fuga subtraxerunt.

Illud adhuc scrupulum movere posset, quomodo conciliandi sint S. Aug. & Facundus Afer; quorum ille scripsit, Zosimum ab Innocentio antecessore non recessisse: hic vero eum recessisse. Sed hic scrupulus facile eximitur; nam uterque quoad dogmata fidei consensit; uterque enim peccatum originale & gratiæ necessitatem pro articulis fidei habuit. Dissenserunt vero; quia Innocentius secundum doctrinam sibi propositam, qua peccatum originale & gratiæ necessitatem negabant, eos pro hæreticis habuit; Zosimus vero secundum doctrinam Catholicam, sibi propositam, qua peccatum originale & gratiæ necessitatem confitebantur, eos Catholicos, falsoque ipsis doctrinam contrariam affictam esse, aut saltem eam nunc fuisse abjectam, credidit; idem episcopis Africanis persuadere voluit. Sed ab illis aliisque fraudes eorum & prævaricationes edoctus, & doctrinam eorum damnavit, & hæreticos esse declaravit. Innocentius vero doctrinam damnavit, non vero personas, saltem publice: & sic ab Innocentio *caussa finita est* quoad doctrinam, a Zosimo vero quoad doctrinam & personas. Nihil autem est novi, damnari doctrinam ut hæreticam, & parci personis, ut factum in concilio Chalcedonensi & in Constantinop. II in caussa trium capitulorum, quoad personam Theodoreti & Ibæ, & ab Innocentio X & Alexandro VII in persona Jansenii, ecclesiæ judicio sua scripta subjicientium.

 Ob.

Ob. 8. *Epist. 53 ad Generos. num.* 3 S. Aug. scribit: quamvis aliquis Roman. Pontificum *traditor sacrorum codicum subrepsisset*, nihil hoc præjudicaturum ecclesiæ; cum Dominus dixerit: *quæcunque vobis dixerint, observate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere.*

*Resp.* Hic iterum S. doctor loquitur contra Donatistas conditionate & per figuram permissionis; si hoc contigisset, nihil nociturum ecclesiæ. Ratio est; quia Christus non promisit Petro, ejusque successoribus immunitatem a peccatis contra bonos mores, quale est peccatum traditionis sacrorum codicum, aut etiam thurificationis, idolis factæ; sed per assistentiam suam dedit infallibilitatem in doctrina fidei, ut Papa non possit ecclesiam docere errorem contra fidem. Non enim tenentur Christiani sequi peccata, quæ aliqui pontifices commiserunt contra bonos mores; sequi autem debent eorum doctrinam fidei & morum, quando ex cathedra loquuntur.

Respondet hic nempe S. Aug. ad calumniam a Donatistis falso impactam, fabulamque, Marcellinum pontificem, ejusque postea successores, Marcellum, Melchiadem & Silvestrum, sæviente persecutione Diocletiani thus idolis adolevisse & tradidisse sacros libros infidelibus, ad quam criminationem, quamvis confictam, cum non ad doctrinam, sed ad mores pertineat, præter datam responsionem conditionatam ad Generosum, ad Petilianum, mordacissimum Donatistam, ait c. 16 n. 30: *qualescunque fuerint Marcellinus, Marcellus, Melchiades, Silvester, Mensurius, Cæcilianus, atque alii, quibus pro sua dissensione objiciunt, quod volunt, nihil præjudicat ecclesiæ, toto terrarum orbe diffusæ. Nullo modo eorum innocentia coronamur; nullo modo eorum iniquitate damnamur.*

Ceterum Aug. absolute negat, quod Petilianus aliique Donatistæ, de Marcellino, Marcello, Melchiade, Silvestro, tunc recens excogitarunt, & evulgarunt. Audiamus verba S. doctoris lib. de un. bapt. c. 16 n. 27. *Quid ergo jam*, inquit, *opus est, ut episcoporum Romanæ ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est Petilianus, objecta ab eo crimina diluere? Marcellinus, & presbyteri ejus, Melchiades, Marcellus, & Silvester, traditionis codicum divinorum & thurificationis ab eo arguuntur: sed nunquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit: ego innocentes fuisse respondeo.*

Hæc

Hæc jam anno 410 scripsit S. Aug. testis utique idoneus, *incredibilem*, ait, *esse calumniam*, a Petiliano & Donatistis excogitatam, sine ullo monumento. Mirum proin est, hanc fabulam a simplici posteritate pro veritate fuisse adoptatam, quam maturior deinceps crisis detexit.

# CAPUT V.

## *Theses Jansenistarum* DE GRATIA.

GRatia est omnipotens voluntas DEI, quam nihil impedit, cui nunquam resistitur; quia jubet, & facit, quod jubet. (*Quesnel.* propositione a Clem. XI damnata per bullam Unigenitus, 9, 10, 11, 16, 20.)

Evangelium nobis monstrat justum in persona S. Petri, cui gratia, sine qua nihil possumus, defuit in occasione, qua dici non potest, quod non peccarit. (*Prop. de M. Arnaud censurée par Sorbonne en* 1656.) Propositio hæc non tam a Sorbona fuit condemnata, quam per factionem Jesuitarum, & inauditam violentiam. Sed propterea non est minus Catholica. Nescio, quomodo possit aliquis esse tam effrons, ut hanc miserabilem censuram adhuc alleget. (*Premier Mem. du Quesnel. p.* 22.)

Post lapsum Adami non datur gratia sufficiens, sed tantum efficax. Opinio Molinistarum est Semipelagiana: Thomistarum vero fatua & extravagans. (*De Ligny doctor Duacensis in epist.* 21 *Oct.* 1690 *ad Arnaldum data.*)

Gratia sufficiens est gratia vana & inutilis ad salutem, quam Evangelium non agnoscit, S. Paulus ignoravit, S. Augustinus refutavit, quæ in SS. patribus non invenitur. (*Arnaldus in opusc. cujus initium : In nomine domini.*)

Si diabolus posset gratiam dare, non aliam daret, quam sufficientem; quia favet ipsius intentioni homines damnandi. Unde potest appellari gratia damnationis (*Gerberon Miroir de la pieté. p.* 158. *Arnaud prem. apol. de Jansen.*) Auxilium sufficiens tantum erat datum pro statu innocentiæ, non autem pro statu naturæ corruptæ. (*Gerberon meditations sur la providence.*)

Contingit non raro, ut gratia in nostra voluntate excitet levem complacentiam & debile desiderium boni, non autem præbet suffi-

ſufficientes vires ad operandum, & hoc eſt gratiæ reſiſtere. (*P. Gerberon Miroir de la pieté p.* 158.)

Gratia ſufficiens Thomiſtarum eſt nebula ad occultanda myſteria gratiæ. Si illa non ſufficit ad agendum, ſufficit ad nos defendendos a laqueis adverſariorum. (*Duacenſes profeſſores in ep. ad Arnaldum.*) Neceſſe eſt uti voce gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtarum, ad evitandam perſecutionem ſocietatis vindicativæ. (*De Ligny epiſt.* 5 *Aug.* 1690.)

Perſuaſum habemus, melius fore, ſi loqueremur linguam antiquorum; ſed hoc tempore id facere non poſſumus (*La Leu profeſſor Duacenſis ep. ad Arnaldum.*)

Epiſcopus Iprenſis condemnatus eſt per factionem Moliniſticam. Nunquam de gratia aliam tenuit doctrinam, quam S. Auguſtinus. Nullus unquam Papa evidentius argumentum ſuæ fallibilitatis dedit, ac condemnando 5 propoſitiones in ſenſu Janſenii. (*De Ligny* 23 *Nov.* 1690.)

Regimen Galliæ eſt millies magis crudele & injuſtum, quam tribunal inquiſitionis. Quis ignorat crudelitates & injuſtitias, quæ exercentur in Gallia contra ſanctiſſimos epiſcopos, ſapientiſſimos theologos, puriſſimas virgines, plures alias perſonas omnis conditionis? (*Gerberon in libro, cui titulus: archiepiſcopus Mechlinienſis male defenſus.*) Conandum eſt, ut regibus adimatur poteſtas nocendi. (*Thierry de Viaixnes, acte de denuntiation du Moliniſme &c. p.* 13.) Hodie eundum eſt contra ferrum, ignem, principes. (*Lettre de Louard a un prælat* 22 *Fevr.* 1728.)

Gratia in nobis agit per dulcem ſed fortem neceſſitatem. (*Abbas de Burzeys apol. concil. Trid.*) Sicut non omnes homines accipiunt gratiam credendi, ſic neque orandi & rogandi gratiam accipiunt. (*Hermant Catechiſme de la grace.*) Juſti non ſemper accipiunt neceſſarium auxilium ad vincendas tentationes; quia DEUS eis non ſemper dat delectationem victricem. (Hermant ibid.) Gratia non datur, niſi electis. (*M. Feydeau medit.* des *oblig. du Chretien.*) Soli electi recipiunt media ſufficientia ad ſalutem. (*Abbe de Bourzeys, S. Auguſtin Victorieux p.* 10.)

Non eſt magis poſſibile peccatori reſiſtere aut cooperari gratiæ, quam leproſo reſiſtere aut cooperari ſanationi miraculoſæ. Noſtra cooperatio nihil eſt, niſi opus DEI. (*M. Huré nov. teſtam. ſur. S. Mat.* 8.)

*ANTI-*

# ANTI-THESES.

GRatiæ nunquam resistitur. Bellum dogma! Calvini ex schola haustum: sed e diametro verbo DEi contrarium. Quoties DEus conqueritur, gratiam suam fuisse abjectam: quoties voluit congregare filios suos! quoties vocavit! quid potuit vineæ suæ facere, & non fecit? *vos semper Spiritui sancto resistitis*, dicebat S. Stephanus ad obduratos Judæos. *Act.* 7. Sine gratiâ DEi impossibile absolute est ullum actum salutarem, sive ad æternam salutem conducentem, ponere. Si ergo gratiæ divinæ nunquam resistitur, cur multi damnantur? nemo damnatur propter id, quod absolute vitare non potuit.

S. Petro non defuit gratia sufficiens vitandi peccatum negationis; merito ergo damnata fuit a Sorbona propositio Arnaldi, qua dixit, in persona Petri monstrari justum, cui gratia defuerit, quando peccavit. Sed per factionem Jesuitarum damnata est, inquiunt. Nempe omnia Jesuitæ fecerunt. Propositio adeo aperte est Jansenistica, ut Sorbonæ non fuerit opus Jesuitarum adhortatione ad illam condemnandam.

Dari gratiam sufficientem, est dogma fidei, assertum a S. Scriptura, sede apost. maxime conciliis, Patribus, S. Augustino. Stat divinus sponsus ad ostium & pulsat: *perditio ex te*, si non aperias, si vocantem respuas, si non respondeas, si divinas illustrationes intellectus & pias inspirationes voluntatis suffoces, si semen & latus cœlestes extinguas, si superseminês zizania, si infructuosa ficulnea succidatur, si ingrata & obstinata Jerusalem deseratur. *Curavimus Babylonem, non est sanata, derelinquamus eam. Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Vocavi, & renuisti &c. extendi manus ad populum non credentem & contradicentem.

Doctrinam negantem gratiam sufficientem damnarunt summi Pontifices in quinque Jansenii propositionibus, concilium Tridentinum contra Lutherum & Calvinum, S. Augustinus doctor gratiæ, ut mox dicetur.

Quare doctrina Molinistarum nullatenus est Semipelagiana, sed apprime Catholica. Primarius error Semipelagianorum in eo versabatur, quod dicerent, *initium fidei, justificationis, & salutis, non esse ex viribus gratiæ supernaturalis & internæ, sed ex nobis*, seu ex viribus liberi nostri arbitrii, excitati per externam prædicationem Evangelii & doctrinæ Christianæ, & sic credendo, rogando

do ac conando nos mereri gratiam primam; unde gratiam faciebant *pedissequam* naturæ, quatenus in negotio salutis liberum arbitrium incipiat, & orando, pulsando, conando gratiam supernaturalem mereatur.

Huic errori prorsus contrariam doctrinam habent Molinistæ, si eos hoc nomine compellare placeat. Docent enim cum S. Augustino, S. Prospero ejus discipulo, S. Avito, S. Fulgentio, S. Cæsario Arelatensi, & concilio 2 Arausicano, etiam ad initium fidei, & salutis necessariam esse gratiam; ut quis meritorie oret, pulset, invocet, conetur, non sufficere externa auxilia prædicationis, lectionis &c., sed necessariam absolute esse gratiam supernaturalem prævenientem & adjuvantem: consequenter gratiam nullatenus esse pedissequam naturæ, sed naturam gratiæ, quæ ubique primas tenet: primam gratiam non dari ad invocationem saltem meritoriam, sed facere, ut DEus invocetur: DEum non exspectare voluntatem nostram, sed eandem per gratiam præparare, ut velimus, ac proin etiam initium salutis non ex nobis sed ex DEo esse: nullis nostris meritis præveniri gratiam, sed gratiam, quæ non debetur, præcedere, ut fiant, & mercedem mereantur: ut palmites a vite, sic nos a Christo vigorem accipere. Hæc, inquam, hæc docent Molinistæ, quæ erroribus Pelagianis & Semipelagianis prorsus sunt contraria.

Alterum, in quo errabant Semipelagiani, erat, quod dicerent, DEum præmiari merita, & punire demerita, mere conditionate futura, licet nunquam absolute sint extitura. Hoc mordicus negant Molinistæ, uti etiam, quod DEus habeat scientiam conditionalem operum mere naturalium, sine gratia Christi ponendorum, quæ sint salutis initium. Molinistæ (quantum ad negotium salutis) admittunt scientiam conditionatam operum supernaturalium, ponendorum præveniente & adjuvante supernaturali gratia Christi, quæ sit necessaria ad ipsum quoque salutis initium.

Hanc scientiam conditionalem, quam Molina *mediam* appellavit, eo quod aliqua cum scientia necessaria, seu simplicis intelligentiæ, ut vocant, & aliqua cum scientia visionis habeat communia, non video, quomodo quisquam negare possit; nam profecto DEus cognoscit res, sub conditione contingente, DEo libera, futuras, e. g. cognoscit, quod si daret Petro hanc libertatem, hæc auxilia, seu hunc actum primum proximum ad pœnitentiam, quid esset acturus: sic Christus cognovit, quod si in Tyro & Sidone facta fuissent miracula, quæ fecit in aliis civitatibus, in cinere
&

& cilicio pœnitentiam egissent. Hæc scientia est conditionata, etiam subjective, quocunque deinde nomine compelletur. Non tamen est scientia simplex seu necessaria, quia est contingens; nec est scientia visionis, quia objectum illud, seu pœnitentia Tyriorum, neque extitit, neque existet unquam: ac propterea Molina illam, a Patribus dudum agnitam, *mediam* appellavit.

Certe, qui Molinistas Semipelagianismi accusant, id faciunt ex turpi ignorantia, vel ex calumniandi libidine, contra omnem veritatem, & decreta apostolica, quibus doctrina Molinæ prohibetur ulla censura perstringi; prout etiam doctrina Thomistarum.

Hanc Jansenistæ appellant *fatuam* & *extravagantem*, atque *nebulam ad occultanda mysteria gratiæ*, ut quæ admittat gratiam sufficientem, quæ nunquam sufficit. At juxta hos auctores gratia prædeterminans non constituit potentiam agendi, seu non datur ad posse agere, sed ad ipsum agere. Igitur sicut actio productiva effectus, aut concursus DEi simultaneus, relinquit potentiam liberam & indifferentem, cum non detur ad posse agere, sed ad actum secundum, ita etiam gratia prædeterminans. Gratia autem sufficiens datur ad posse agere, & ad producendos actus salutares. Verum Thomistis relinquo, sententiam suam adversus Jansenistas defendere. Certe ingens inter utrosque est discrimen. Thomistæ propugnant libertatem indifferentiæ, eamque ad merendum & demerendum, etiam in statu naturæ lapsæ, necessariam asserunt; Jansenistæ vero negant.

Falsum est, quod gratia sufficiens sit vana & inutilis; est enim medium aptum ad salutem, & donum DEi, quo si homo bene uteretur, sicut posset, sequeretur effectus optimus ad salutem; quia DEus illam concedit ad finem optimum, nempe ut actus salutares eliciantur, datque ad hos vires sufficientes; quod vero illa homo abutatur, non cooperando, & sic salutem non consequatur, sibi ipsi imputare debet; potuisset gratiæ cooperari, si voluisset. Ingenium, scientia, talenta, divitiæ, aliaque dona naturæ aut fortunæ, sunt beneficia DEi, non vana & inutilia, quamvis homo iis abutatur ad perditionem.

Contra vero gratia, quam Jansenistæ comminiscuntur, dicuntque, levem complacentiam, & debile desiderium excitare, quin tamen vires sufficientes præbeat, est vana & inutilis.

Sed ecce homines vanos, versatiles, & plane ridiculos! qui paulo ante gratiam Thomistarum sufficientem, ceu vanam, extravagantem, nebulam exploserant, jam dicunt: *necesse est uti voce*

*gratiæ sufficientis in sensu Thomistarum, ad evitandam persecutionem societatis vindicativæ.* O viros constantes! o intrepidos fidei confessores! Ne persecutionem patiantur, simulant doctrinam, quam vanam & extravagantem censent: quæ de condemnatione 5 propositionum adducunt atque de Pontificis fallibilitate & Galliæ crudelitate, ad maledicentiam, proprium eorum characterem pertinent.

Non omnes accipiunt gratiam orandi, rogandi, credendi, aut vincendi tentationes, inquiunt, solis electis datur gratia. Pulcra enimvero apophtegmata, ex Calvini institutionibus deprompta. Erravit ergo, qui dixit: *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* qui dixit: *venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus. Cur ergo nos orare jubet? cur pulsare? cur exercentibus opera misericordiæ promittit mercedem, ea autem negligentes cur reprehendit? cur damnat? tyrannus est, qui jubet impossibilia. Absit blasphemia. Adoremus DEi O. M. clementiam, qui facit solem suum oriri super bonos & malos: qui neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

Cooperatio nostra nihil est, nisi opus DEi, subjungunt; dixit tamen quidam: *non ego, sed gratia DEi mecum.* An statuas nos esse vultis, quæ os habent, & non loquuntur, pedes habent & non ambulant? & vide antilogiam: cooperamur nihil operando. Est quidem DEus principium omnis boni operis; omne donum & datum optimum desursum est, descendens a Patre luminum; DEo proin ejusque gratiæ tribuendum, quod bonum agimus: agimus, inquam, & non mere agimur, inanimis instar machinæ.

# CAPUT VI.

## *S. Augustinus assertor gratiæ sufficientis, & liberi arbitrii.*

NIhil frequentius Jansenistæ in ore circumvolvunt, quam S. Augustinum, cujus discipulos se mentiuntur. Adducamus aliquot S. Doctoris sententias.

1. *Servum pigrum*, inquit, *non damnaret, si ea, quæ fieri nullo modo poterant, imperaret.* Serm. 54 c. 2 n. 2. *Qui servare legem non*

*non vult, in potestate est ejus, si velit.* L. 2 de act. cum Felic. Manich. c. 5, habet igitur servus piger vires & auxilium sufficiens; &, dum dicit, non possum, idem est, ac nolo.

2. *Peccati reum tenere quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit. Summæ iniquitatis est & insaniæ.* Lib. de duab. anim. c. 12. n. 17. *Quodsi nolumus, non peccamus; nec præciperet DEus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati.* L. 2 de peccat. merit. & remiss. c. 3 n. 3, ergo omnes habent auxilia sufficientia ad servanda præcepta & vitanda peccata.

3. *Apertissime videmus expressum liberum arbitrium. - - - Quomodo jubet, si non est liberum? nemo ergo DEum caussetur in corde suo, sed sibi imputet quisque, dum peccat.* Lib. de grat. & lib. arbitr. c. 2 n. 3 & 4. *Dubitare non possum, nec DEum aliquid impossibile homini præcepisse, nec DEo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse.* L. 2 de peccat. merit. & rem. c. 6 n. 7. *Vocat te DEus, & jubet, ut facias, sed ipse dat vires, ut, quod jubet, impleri possit.* Serm. 32 c. 9 n. 9.

4. *Non imperaret hoc DEus, si impossibile judicaret: adest ille, qui præbuit exemplum, ut præbeat & auxilium.* In psal. 56 n. 1. *Si nondum est in potestate, oremus nobis potestatem dari; ut, quod præceptum est, impleamus.* L. 2 cont. Maxim. ep. Ar. c. 14 n. 9. *Audiamus DEum & præcipientem & opitulantem, & jubentem, quod facere debeamus, & adjuvantem, ut implere possimus.* Tract. 53 in Joan. n. 8. *Verum omnino est, omnes homines posse* (servare præcepta) *si velint; sed præparatur voluntas a Domino.* L. 1 Retr. c. 10 n. 2. *Homo gratia juvatur, ne sine caussa ejus voluntati jubeatur.* L. de grat. & lib. arb. c. 4 n. 8.

5. *Hominibus propterea dantur præcepta vivendi, quia datur & gratia, ut, qui jubet, juvet.* L. 4 oper. imperf. n. 129. Atqui omnibus dantur præcepta; ergo etiam omnibus datur gratia. Non autem omnibus datur gratia efficax. Ergo aliquibus datur gratia sufficiens.

6. *Omnes laborant: omnibus dictum est: venite ad me omnes, qui laboratis.* Serm. 88 c. 17 n. 18. *Ipse tamen sonat ubique, tangendo, modificando, inspirando.* In psal. 49 n. 3. *DEus ipse, qui novit, qui sint perseveraturi in peccatis, qui relicturi justitiam, & irrevocabiliter ad iniquitatem lapsuri, tamen facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos, invitans utique ad pœnitentiam.* Serm. 149 c. 17 n. 18. Ecce! etiam reprobos vocat, datque eis vires sufficientes.

7. *Cujus DEus miseretur, eum sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* L. 1 ad Simpl. q. 2 n. 13. Hic S. Doctor loquitur equidem de gratia efficaci, quam *congruam* appellat; supponit tamen aliam sufficientem, quam dat iis, qui prævidentur, non consensuri, atque non obscure per verba illa scientiam conditionatam, quam *mediam* dicimus, asserit; quid enim hæ voces, *eum sic vocat, quomodo scit ei congruere,* aliud significant, quam scire, quod, si gratia hæc conferretur, cum consensu & cooperatione hominis conjungendam fore?

Eandem scientiam supponunt hæc verba: *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur; illi autem non ita, duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! &: nunquid iniquitas apud DEum? cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptiores.* Lib. de spir. & lit. c. 34 n. 60. Docet igitur S. Augustinus, cur uni detur gratia prævisa efficax, alteri vero prævisa inefficax, referendum esse in abyssum divinorum judiciorum, & vias DEi inscrutabiles.

8. *Lib.* 83 *q.* 68 *n.* 5 aperte adstruit duas illas species gratiæ, efficacis & inefficacis; dum dicit, omnes ad cœnam magnam esse vocatos, & qui venerunt, & qui non venerunt: hos, cum sint vocati per gratiam, sibi tribuere debere, quod venire neglexerint, cum potuissent venire, si voluissent. Et *de prædest. sanct. c.* 16 *n.* 32. Vocari a DEo prædestinatos, *sed non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias; illa quippe vocatione & Judæos fuisse vocatos, quibus Christus crucifixus scandalum est, & gentes, quibus crucifixus stultitia est.* Ubi S. Doctor manifeste rursus adstruit gratiam sufficientem quidem, sed ex malitia hominum inefficacem. In quem sensum etiam loquitur *serm.* 2 *in psal.* 101 *n.* 6. *Vocata enim est,* inquit, *& Jerusalem, & prima Jerusalem noluit audire - - - Jerusalem! Jerusalem! clamat: & non respondetur. Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina pullos suos sub alas suas! & noluisti. Pluitur desuper, & pro fructu spinæ proferuntur.*

9. *Ideo non poterant cognoscere* (Judæi & Gentiles philosophi) *quia non poterant audire: sed unde audire non poterant, nisi quia corrigi credendo nolebant?* Tract. 42 in Joan. n. 9. *Obduratio DEi est, nolle misereri; non ut ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantum, quo fit melior, non erogetur.* Lib. 1 ad Simpl. q. 2 n. 15. Quo loco S. Doctor exprimit, obdurationem

pec-

peccatoris fieri *negative*; quatenus nempe illi DEus non confert gratiam, quam prævidit, fore efficacem, sed aliam, ex culpa peccatoris inefficacem, sufficientem tamen, si illi vellet cooperari. Et hinc *l.* 2 *q.* 18 *supra Exod.* ait, obdurationem Pharaonis ex proprio illius vitio descendisse, quia divinis impulsibus pertinaciter resistebat. *Et Tract. in Joan.* 53 *n.* 6, 9 & 10, de excæcatis & obduratis Judæis ait, prævidisse DEum, eos ex malitia sua non credituros; prout S. Stephanus eis objecit: *vos semper Spiritui sancto resistitis.*

10. *Quidquid peccaveris, adhuc in hac vita es, unde te DEus, si sanare nollet, auferret. Qui enim clamando tibi non persuasit, ut non recederes, parcendo clamat, ut redeas.* Serm. 351 c. 5 n. 12. Et *epist.* 185 *ad Bonif. c.* 11 *n.* 49 ait, quod DEus peccatorem obduratum exspectet usque ad finalem impœnitentiam, quæ neque in hoc nec futuro sæculo remittitur.

11. *Cor eorum congelascit adversus DEum, & fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius.* In psal. 124 n. 1. *Cor obduraverunt adversus monentem DEum.* In psal. 55 n. 6.

12. *L.* 5 *contra Jul. c.* 4 *n.* 14. Item *l. de præd. SS. c.* 16 *n.* 33. L. 1 ad Simpl. variis locis docet, omnes quidem esse vocatos, paucos tamen electos; consequenter omnibus dari gratiam ad bene operandum sufficientem, paucis vero efficacem, cui sint cooperaturi.

13. *Qui non operatur, ab illa luce avertitur, a qua tamen tangitur.* L. 14 de Trinit. c. 15 n. 21. Ecce gratiam interiorem inefficacem! *Noluit intelligere, ut bene ageret. Non enim dictum est: non potuit: sed noluit. Clausit oculos a luce præsenti.* In psal. 51. Ubi rursus monstratur gratia interior, sufficiens quidem, sed tamen inefficax.

14. *Ut innotescat, quod latebat* (ecce gratiam internam illustrationis) & *suave fiat, quod non delectabat* (ecce gratiam inspirationis!) *gratiæ DEi est, quæ hominum adjuvat voluntates* (ecce gratiam sufficientem!) *qua ut non adjuventur, in ipsis itidem caussa est, non in DEo.* (Ecce gratiam inefficacem!) *l.* 1 *de peccat. merit. & rem. c.* 17 *n.* 26. Idem habetur *l. de spir. & lit. c.* 33 *n.* 58. Item c. 1 ad Simpl. q. 2 n. 10, ibi: *noluit ergo Esau, & non cucurrit. Sed etsi voluisset, & cucurrisset, DEi adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.*

15. Ut

15. *Ut autem sis ad dextram, id est, ut possis filius DEi fieri, potestatem accepisti. Quam potestatem? de qua dicit Joannes: dedit eis potestatem filios DEi fieri.* In psal. 120 n. 11.

16. Quod autem gratia non sit per se ipsam intrinsece efficax, & quod eadem gratia respectu unius possit esse efficax, respectu alterius inefficax, tradit S. Doctor pluribus locis, nominatim lib. 1 ad Simplic. q. 2 n. 14. *Eadem res*, inquit, *sæpe alio modo dicta movet, alio modo dicta non movet, aliumque movet, alium non movet.* Si autem gratia intrinsece per se ipsam esset efficax, omnes moveret.

*Lib.* 12 *de civit. DEi c.* 6, hanc differentiam refundit in diversam rationem voluntatis humanæ. *Si eadem tentatione ambo tententur*, inquit, *& unus ei cedat consentiatque, alter idem, qui fuerat, perseveret, quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? unde? nisi propria voluntate, ubi eadem fuerit in utroque corporis & animi affectio?* potest ergo ex duobus, eadem gratia instructis, unus tentationi succumbere, alter eandem superare, pro solo voluntatis arbitrio.

Unde ep. 217 ad Vital. c. 5 n. 16 ait: *scimus, eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate ac libero arbitrio*: adjuvante scilicet divina gratia. Et *lib.* 2 *contra lit. Petiliani c.* 84 *n.* 186 dicit, utrumque esse verum, & quod DEus Pa- ter attrahat ad filium homines, & quod hi libere alterutrum eligant, pro voluntatis suæ arbitrio.

17. *Nos quidem sub fato stellarum nullius hominis genesin ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Lib. 2 contra Faustum c. 5. ergo gratia non est per se intrinsece efficax, cui resisti non possit; quia liberum arbitrium non vindicaretur a vinculo necessitatis. Hinc *lib. de nat. & grat. c.* 65 *n.* 78 toto corde amplectitur doctrinam S. Hieronymi, quod *nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahamur.* Atqui gratia intrinsece efficax, inimpedibilis & inevitabilis, atque essentialiter connexa cum actu, importaret necessitatem ad actum, & quidem antecedentem.

Et *lib. de spir. & lit. c.* 31 *n.* 54 ait: *quid est credere, nisi consentire, quod verum sit, quod dicitur? consensio autem utique volentis est. Profecto fides in potestate est: sed cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Idem repetit *l. contra Fortunat. Manich. disp.* 1 *n.* 15, dum ait: *cum oporteat, non necessitate, sed voluntate bonum esse, oportebat, ut DEus animæ daret liberum arbitrium.*

Rursus

Rursus l. de spir. & lit. c. 34 n. 60: *consentire vocationi, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Licet ergo ipsa vocatio, seu gratia excitans quoad existentiam non sit in nostra potestate, est tamen in nostra potestate, quoad usum, quia liberum nobis est, eidem consentire vel dissentire, prout S. doctor clare explicat loc. cit.

18. *Videte, quomodo trahit pater* (cælestis) *docendo delectat, non necessitatem imponendo.* Tract. 26 in Joan. n. 7. Ergo delectatio cælestis trahit quidem voluntatem suaviter; sed non imponit eidem necessitatem, cui non possit resistere, si velit. Unde l. 5 de civit. DEI c. 1 interrogat: *quale judicium de hominum factis DEO relinquitur, quibus cælestis necessitas adhibetur?*

19. *Delectat adulterium? contradicatur, resistatur, repugnetur. Non enim non habes, unde repugnes.* Serm. 128 c. 6 n. 8. Ergo *delectatio terrena* non imponit necessitatem, cui resisti non possit. Quod adhuc clarius exprimit lib. de util. jejun. c. 4 n. 5, dum ait: *habet caro ex conditione mortali quasi quosdam terrenos appetitus suos. In hos tibi jus fræni concessum est --- infra te est caro tua: supra te est DEUS tuus.* Et serm. 8 cap. 5 n. 6. *Ratio, quæ præsidet in mente,* inquit, *motus inferiores carnis, tanquam regens & dominus frænare debet.* Ergo delectationis terrenæ tentatio, non aufert libertatem resistendi: *subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius,* dicit Dominus. Pareat igitur sensus, imperet ratio. Facienti, quod est in se, DEUS non denegat gratiam.

20. *Mente servio DEO, non consentiendo.* Serm. 151 c. 8 n. 8. Ergo possum non consentire; non patitur vos Dominus tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum. *Tria sunt, quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, consensione --- huic tamen non consentimus, cum eam dominantis rationis jure cohibemus.* L. 1 de serm. Dom. c. 12 n. 34. Ergo possumus cohibere.

# CAPUT VII.

## *Responsio ad objectiones ex S. Augustino depromptas.*

1. OBjiciunt Jansenistæ pro sua *delectatione victrice terrena* 1 ex lib. Retr., *qui cogenti cupiditati bona voluntate non potest resistere, & ideo facit contra præcepta justitiæ,*

*jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati. Resp.* In pœnam peccati originalis soluta est concupiscentia, ortæque inde vehementes tentationes, quibus resisti quidem potest, sed *difficulter*: hæc *difficultas*, quæ libertatem non tollit, ab Aug. appellatur impotentia resistendi. Si autem de absoluta impotentia loqueretur, id intelligendum foret de motibus primis concupiscentiæ, prævenientibus rationem, quibus resisti non potest. Appellatur tamen ab Aug. ipsa etiam concupiscentia peccatum, quia ex peccato orta est, & ad peccatum inclinat. Concupiscentiæ autem motus propterea vocat peccatum & pœnam peccati.

Ob. 2 ex *l. de lib. arb.*, ubi ait, illam peccati justissimam esse pœnam, ut, qui, recte facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit. A libidinosis operibus temperare non posse, pœnam esse damnationis. *Resp.* Vel loquitur S. Aug. de indeliberatis carnis motibus, quos in pœnam peccati soluta concupiscentia excitat: vel, si loquitur etiam de iis, qui rationem non præveniunt, indicat gravem difficultatem in iis vincendis, quæ est pœna primi peccati. Hunc sensum ipse S. doctor loc. cit. indicat, dum ait: *omni peccanti animæ ista sunt pœnalia, ignorantia & difficultas.* Ignorantiam autem intelligit vincibilem, quæ non excusat a formali peccato, sicut excusat ignorantia invincibilis; cum tollat usum liberi arbitrii, ut Aug. hoc loco agnoscit.

Ob. 3 *ex libro cont. Fort.* ibi: *posteaquam libera ipse voluntate peccavit* (Adam), *nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus --- Hodie, antequam consuetudine aliqua implicemur, in nostris actionibus liberum habemus arbitrium faciendi aliquid vel non faciendi; cum autem ista libertate fecerimus aliquid, & facti ipsius animum tenuerit perniciosa dulcedo & voluptas, consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsi peccando fabricata est. Videmus, multos quoque jurare nolle, sed quia consuetudinem lingua tenuit, non posse refrænare.*

*Resp.* Hæc indicant, malam consuetudinem sæpe præcipitare in actus indeliberatos, ac facere, ut etiam deliberati difficulter vitentur, quin tamen necessitatem, cui resisti non possit, imponant; prout ipse S. Aug. se explicat lib. 5 contra Jul. c. 15 n. 56 his verbis: *Quamvis aliam legem videamus in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ, necessitatem criminis non habet homo.*

Ob. 4. Enarrat. 2 in psal. 30 ait: *cupiditates nostræ, quando validæ sunt, & quando eis servimus, necessitates vocantur.*

*Resp.* Sic est, graves difficultates, præsertim a S. Aug. necessi-

cessitates vocantur, morales nempe, ut patet ex *num. 5 in psal.* 106. De physica autem necessitate locutus est l. 3 de lib. arb. c. 1 n. 1, dum dixit: *si natura vel necessitate motus iste existit, culpabilis esse nullo modo potest.*

Ob. 5. In epist. ad Gal. ait: *quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* *Resp.* Vel intelligit operationes indeliberatas appetitus sensitivi & concupiscentiæ, rationem prævenientes; vel si deliberatas intelligit, necessitas sumitur pro magna difficultate resistendi: aut denique, si strictam necessitatem intelligit, loquitur de necessitate consequente ad efficax & liberum imperium voluntatis; nam, si voluntas imperet externis potentiis aliquam operationem, ista necessario sequetur. Cum externæ potentiæ non sint immediate liberæ, & actus efficaciter imperans tollat libertatem immediatam imperati.

2. Objiciunt Jansenistæ pro *delectatione victrice cœlesti*, quod S. Aug. in variis locis adstruat delectationem justitiæ, vincentem delectationem peccati, charitatem DEI dominantem delectationi appetitus irascibilis & concupiscibilis.

*Resp.* Ita est: voluntas delectatione virtutis, per gratiam inspirata, potest vincere delectationem terrenam peccati: sed libere amplectendo virtutem, & rejiciendo peccatum. Neque delectatio aut terrestris aut cœlestis aufert voluntati libertatem; prout ipse S. Aug. docet lib. de nat. & grat. c. 65 n. 78. *Liberi arbitrii nos condidit DEUS*, inquit, *nec ad virtutem nec ad vitia trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est.* Item tract. 26 in Joann. n. 4. *Trahit sua quemque voluptas, non necessitas.* Et n. 7. *Videte, quomodo trahit pater: docendo delectat, non necessitatem imponendo.*

3. Ob. contra *indifferentiam gratiæ pro ejus intrinseca efficacia*, ex lib. 2 contra duas epist. Pelag. c. 9 n. 21, ubi Aug. *multa*, inquit, *facit DEUS in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo, quæ non facit DEUS, ut faciat homo.* Ergo homo non agit libere, sed agitur a DEO.

*Resp.* Ita est: multa DEUS facit in homine bona, quæ non facit homo. Nam DEUS creavit hominem solus, dat ei solus membra, potentias internas & externas, dotes, viresque corporis & animi, gratias item prævenientes & excitantes, quæ consistunt in piis illustrationibus intellectus & sanctis inspirationibus voluntatis, quæ, licet physice ab homine producantur, quia tamen ei sunt indeliberatæ, soli DEO sunt tribuendæ. Hæ autem

voluntatem quidem movent, trahunt, alliciunt, ſed moraliter ita, ut poſſit homo iis reſiſtere, & illuſtrationi ac inſpirationi divinæ contrarium agere, non vero phyſice & irreſiſtibiliter. Homo vero nullum facit bonum ad ſalutem conducens ſine gratia & auxilio DEI ſupernaturali: nec naturaliter & moraliter bonum ſine illius adjutorio naturali. Agitur proin homo a DEO ad operandum bonum, ſed reſiſtibiliter, & ſic agitur, ſimulque libere agit: agitur, ut agat.

Dices 1 *ex lib. de corrept. & grat. c.* 12., ibi *ſubventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.* Ergo gratia per ſe & intrinſece ita eſt efficax, ut ei reſiſti nullatenus poſſit. *Conf.* ex l. de grat. & lib. arb. c. 12 n. 38, ubi ait: *Ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.*

*Reſp.* 1. Ita eſt: gratia divina præbet voluntati vires *efficaciſſimas*, *invictiſſimas*, *inſuperabiles*, modo velit cooperari. Nam nec mundus, nec caro, nec diabolus poteſt voluntatem, gratia adjutam, ſuperare, ſi nolit ſuperari. *Reſp.* 2. S. Aug. loc. cit. tractat de dono perſeverantiæ finalis, quod DEUS prædeſtinatis ex ſpeciali favore largitur. Nam impoſſibile eſt, ut voluntas ſtante hoc dono, & *in ſenſu compoſito* ſuperetur a tentatione, & a bono declinet. Hæc impoſſibilitas tamen eſt *conſequens* ad ipſam voluntatis liberam determinationem, ab æterno prævifam a DEO. Non enim prævideret DEUS, ſi voluntas humana non cooperaretur gratiæ: ſi non prævideretur cooperatura, DEUS non prædeſtinaret, nec daret gratiam finalem perſeverantiæ (quia vult, ut libere cooperetur) ergo neceſſitas iſta conſentiendi gratiæ, & impoſſibilitas diſſentiendi eſt conſequens ad ſcientiam mediam de conſenſu, a voluntate humana impedibilem.

In hoc ſenſu *neceſſitatis* & *impoſſibilitatis*, *conſequentis*, ſeu in *ſenſu compoſito* frequenter loquitur S. Aug. ſic tract. 53 in Joan. n. 9 de Judæis ait: *non poterant credere, ubi intelligendum eſt, quod nolebant. - - - Quod credere non poterant, culpa eſt voluntatis humanæ. Hinc, quamdiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. - - - Quamdiu prudentia carnis eſt, non poteſt; non ſit prudentia carnis, & homo poteſt.* Ubi manifeſte loquitur in ſenſu compoſito & de neceſſitate conſequente, ad propriam voluntatem. Sic etiam homo non poteſt facere ſenſum compoſitum præſcientiæ & prædeſtinationis, aut gratiæ qua efficacis ad actum cum omiſſione actus, & ſic habet neceſſitatem conſequentem ad actum; (nihil enim eſt tam

con-

contingens, ut, supposito, quod sit, possit non esse; cum nihil possit simul esse & non esse.) Potest tamen potentia antecedente facere sensum divisum, & omittendo actum efficere, ut nunquam data fuerit prævisio, prædestinatio, aut gratia in actu secundo efficax.

Sed dices 2. Sic homo discerneret se ipsum; quia voluntate sua posset facere, ut sit electus & prædestinatus. Hoc autem est contra S. Aug. in psal. 81 n. 2 ex Apostolo sic differentem: *discernit DEUS, non eorum meritis, sed gratia sua, ex eadem conspersione faciens alia vasa in honorem, alia in contumeliam. Quis enim te discernit? Quid enim habes, quod non accepisti?*

*Resp.* Homo se ipsum non discernit propriis viribus ac meritis, prout Pelagiani & Semipelagiani, quos Aug. confutat, asserebant; sed discernitur a DEO per gratiam, collatam in iis circumstantiis, in quibus prævisus fuit eidem consensurus. Hanc gratiam efficacem DEUS nullo modo homini debet, sed est speciale & prorsus indebitum donum DEI. Potuisset enim illi aliam gratiam, aut istam in aliis circumstantiis dare, in quibus prævisa fuit fore inefficax. Gratia igitur electionis & prædestinationis est ingens beneficium DEI, omnino gratuitum, per quod DEUS hominem a massa perditionis & vasis iræ reprobatis secrevit. Merito proin ex tali quæritur: *quid habes, quod non accepisti?* Quamvis homo potentia antecedente potuisset decretum prædestinativum prout etiam prædefinitivum mala sua voluntate impedire: quam ipsam etiam potestatem accepit a DEO, ut salvetur libertas. Ceterum multifarie homo a DEO per gratiam discernitur, uti 1 per gratiam prædestinationis discernitur a reprobis: 2 per gratiam baptismi ab infidelibus: 3 per gratiam justificantem a peccatoribus: 4 per gratiam efficacem a dissentientibus: 5 per gratiam finalem ab iis, qui non perseverant in finem.

Dices 3 ex l. 1 ad Simpl. q. 2, ibi: *Non potest effectus misericordiæ DEI esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit.* Ergo si DEUS miseretur, tribuendo gratiam efficacem, prædefiniendo, prædestinando, necessario sequitur effectus, seu bona opera & salus hominis.

*Resp.* Sequitur necessario necessitate consequente ad liberam hominis cooperationem prævisam; quia supposita gratiæ efficacia, atque decreto prædefinitivo aut prædestinativo, non potest homo conjungere dissensum: potest tamen hunc ponere potentia antecedente, impediendo decretum prædefinitivum, & sic faciendo

 sen-

sensum divisum ; ut multoties jam dictum , & adhuc dicetur. Misericordia DEI igitur stat in eo , quod DEUS homini conferat illas gratias, quas prævidit conjungendas cum libero consensu hominis. Aliorum autem non ita miseretur ; unde Aug subjungit : *quia , si vellet etiam eorum misereri , posset ita vocare , quomodo ipsis aptum esset , ut & moverentur , & intelligerent , & sequerentur.* Et adhuc clarius prosequitur : *Nullius DEUS frustra miseretur ; cujus autem miseretur , sic . eum vocat , quomodo scit ei congruere , ut vocantem non respuat.*

Idem respondendum , quando ex *l. de corr. & grat.* objicitur , Petrum non potuisse deficere a fide , postquam Christus pro fide ejus oravit ; nam potentia consequente non potuit deficere , potuit autem potentia antecedente ; impediendo per malam voluntatem , ne Christus pro eo oraret. Hinc subdit Aug. *quid aliud rogavit , nisi ut haberet in fide liberrimam , fortissimam , invictissimam , perseverantissimam voluntatem* ? Rogavit nempe , ut ei daretur gratia , cum qua adversus omnes tentationes & difficultates constantissime prævisus fuerat perseveraturus.

4. Objiciunt contra *gratiam inefficacem* ex l. de grat. & lib. arb. *quid prodest , si , quod non possumus , volumus ; aut , quod possumus , nolumus* ? Ergo gratia inefficax est inutilis.

*Resp.* Gratia inefficax dat homini libertatem ad actus salutares eliciendos , atque ad eum finem obtinendum tanquam aptum medium a DEO donatur ; quod autem homo vitio suo & culpa illam frustretur , ut effectu careat , malæ suæ voluntati imputare debet. Si cooperaretur homo , prout potest , foret efficax, & utilissima. Exemplum est in aliis beneficiis ac donis naturæ & fortunæ , quibus homo abutitur. Sic etiam præcepta divina sunt optima ; quod autem homo illa violet , & damnationem sibi accerset , ipsius solius culpa est.

2. Ob. ex lib. 2 de peccato mer. ibi : *quid aliud deprecamur , quam ut aperiat , quod latebat , & suave fiat , quod non delectabat?* *Resp.* Gemina hic gratia innuitur , illustrationis & inspirationis ; quæ , si homo consentiat , erit efficax ; si resistat, uti potest resistere , inefficax.

3. Ob. ex *l. 2 de peccat. merit. & rem. c.* 18 , ubi gratiam , quæ in præsenti statu datur, appellatur *gratia victrix.* Ergo nulla datur inefficax. *Resp.* Non omnis gratia est victrix ; *multi enim sunt vocati , pauci vero electi.* Unde Aug. l. 5 con. Jul. *non omnes , qui vocati sunt , secundum propositum sunt vocati ,* hoc est ,

secun-

ſecundum præſcientiam conſenſus, ſeu qua prævideatur delectatio cæleſtis ſuperatura terrenam.

4. Ob. juxta S. Aug. DEUS non tantum oſtendit veritatem, ſed etiam impertit charitatem. DEUS facit, ut faciamus. Gratia facit, ut proſit doctrina. Omnis, qui audivit, & didicit a patre, venit. A gratia inſuperabiliter & indeclinabiliter agimur, ut invictiſſime agamus.

*Reſp.* Hæc omnia probant quidem dari gratiam efficacem; non tamen probant, quod intrinſece per ſe ipſam ſit efficax, neque, quod præter efficacem nulla alia detur. Quomodo ex ſuppoſitione præſcientiæ & decreti prædefinitivi atque in ſenſu compoſito *inſuperabiliter* & *indeclinabiliter* agamur, ſupra explicatum fuit, & adhuc magis poſtea explicabitur. Accedit, quod prima gratia non poſſit cadere ſub ullum meritum, nequidem de congruo; cumque conſiſtat in actibus intellectus & voluntatis indeliberatis, declinare eam non poſſumus, & cum nos alliciat ad bonum, & deterreat a malo, etiam in hoc ſenſu *indeclinabiliter* nos movet, ſed non neceſſitat ad actus liberos. Et in hoc etiam ſenſu verum eſt, quod dicit *l. de grat. & lib. arb. c.* 17 his verbis: *ut ergo velimus, ſine nobis operatur.* Id eſt: ſine nobis, libere & meritorie concurrentibus ad primam gratiam, ſeu ad actus indeliberatos, nos moventes, ut velimus & agamus deliberate & meritorie.

5. Objiciunt contra *gratiam ſufficientem.* S. Aug. *in expoſ. ep. ad Rom.* ait, quod Pharaoni non fuerit imputatum, quod tunc non obtemperaverit: *quandoquidem corde obdurato obtemperare non poterat.* Ergo non habuit tunc gratiam ſufficientem.

*Reſp.* Non poterat obtemperare potentia conſequente & in ſenſu compoſito cum illa obduratione: potuit tamen obtemperare potentia antecedente, & in ſenſu diviſo ab obduratione. Id eſt: potuit impedire obdurationem, &, ſi jam fuit obduratus, potuit obdurationem deponere & obtemperare; ad hoc enim utrumque gratiam, ſaltem remote ſufficientem habuit. Obduravit autem DEUS cor Pharaonis *negative*, non dando gratiam efficacem, ſeu dando gratiam, quam præviderat, ex malitia Pharaonis non fore conjungendam cum obedientia; unde Scriptura dicit: *& ingravavit Pharao cor ſuum, & noluit dimittere populum.*

Eodem modo reſpondendum ad id, quod ex lib. 17 in Matth. q. 14 n. 2 adducitur: *propterea non poterant credere* (Judæi) *quia excæcavit oculos eorum.* Non enim excæcavit poſitive, ſed negative, non dando gratias efficaces: & hinc non poterant credere poten-

potentia consequente, poterant autem antecedente. Unde S. doctor in psal. 6 n. 8 ait: *quisquis in cæcitatem mentis datus fuerit, ab interiore DEI luce secluditur, sed nondum penitus, cum in hac vita est.*

Quod autem DEUS non positive, sed *negative* duntaxat peccatores obduret, excæcet &c., pluribus locis docet, uti epist. 194 ad Sixtum c. 3, ibi: *nec obdurat DEUS impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* Item l. 2 ad Simpl. q. 2 n. 15. *Obduratio DEI est, nolle misereri, non ut ab illo irrogetur aliquid, quod sit homo deterior, sed tantum, quo sit melior, non erogetur.* Et in psal. 147 n. 26. *Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam* (efficacem) non autem negat omnem gratiam, saltem ad orandum, quærendum, pulsandum, & sic remote sufficientem.

Dices. Saltem *infidelibus* DEUS juxta S. Aug. omnem negat gratiam. Sic serm. 292: *illis non est ortus Christus, a quibus non est agnitus. Sol ille justitiæ non oritur impiis & infidelibus.* Item serm. 154 de verbis Apostoli, c. 11: *Pagani non habent gratiam DEI per Christum.* Et serm. seq. c. 7: *caro, ubi non erat gratia, invictissime resistebat.*

*Resp.* His textibus non probari, quod DEUS infidelibus omnem omnino gratiam, etiam mediate & remote ad salutem sufficientem, neget: sed tantum, quod neget efficacem & congruam, aut etiam proxime sufficientem. Qui non aperit oculos, non est proxime potens videre, est tamen remote potens; quia mediante aperitione potest videre.

# CAPUT VIII.

## *Theses Jansenistarum de morte Christi & voluntate salvandi omnes.*

1. CHristus non magis oravit pro salute infidelium, aut justorum, qui non sunt perseveraturi, quam pro salute diaboli. *Jansen. tom. 3 c. 21.*

2. Non potest dici, quod Christus oraverit pro salute reproborum, aut quod pro eis sanguinem suum obtulerit. *Arnaldus apol. pro SS. PP. p. 296.*

3. Vo-

3. Voluntas Christi semper habet suum effectum. *Quesnel. Pr.* 31. Omnes, quos DEus vult salvare, salvantur infallibiliter. *Propos.* 30. Extra ecclesiam nulla conceditur gratia. *Prop.* 29.

4. Quamvis odiosum sit dicere, quod Christus non sit mortuus pro omnibus hominibus, certum tamen est, quod non habuerit formalem voluntatem pro omnibus moriendi. *Hermant Catech. de gratia.* Christus neque generaliter voluit salutem omnium hominum, neque obtulit sua merita pro omnibus. Si aliqui pereunt, noluit eos salvari. *Id. ib.*

5. Quod DEus omnes homines velit salvari, erat doctrina omnium hæreticorum. Non omnes habent gratiam necessariam ad salutem. *Quesnel. de fide & innocentia cleri Hollandici. p.* 109, 110.

6. Voluntas antecedens salvandi omnes nihil est, quam simplex velleitas, quæ non includit ullam præparationem mediorum; dicique potest, quod eadem sit DEi voluntas salvandi dæmones. *Arnaldus apolog. pro SS. PP.*

7. Calvinus de morte Christi bene sensit: male locutus est. Ne mihi loquaris de concilio Tridentino, quod est concilium Papæ & scholasticorum. *Sancyran.*

8. DEus serio quidem voluit, omnes salvari antecedenter ad lapsum Adæ, cui dedit auxilia sufficientia, post lapsum vero tantum prædestinatos. Hinc non est pro omnibus mortuus, sed pro solis prædestinatis, quibus solis dat media ad salutem necessaria. *Jansenius.*

## ANTI-THESES.

DEus serio vult, omnes homines salvari, etiam post lapsum Adami; in quem finem pro omnibus mortuus est. Veritas hæc Catholica aperte revelata est in sacra scriptura. Nam 1 S. Paulus 1 Tim. 2 ait: *DEus salvator omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; unus enim est DEus, unus mediator DEi & hominum homo Christus JEsus, qui dedit se ipsum redemptionem pro omnibus.*

Idem dicit S. Petrus 1 epist. c. 3 his verbis: *DEus potenter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et 1 Joan. 2 dicitur: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam totius mundi.*

Conf. ex definitionibus Pontificum, conciliorum, & unanimi consensu SS. Patrum: imo omnium fidelium; nam omnes dicunt

in ſymbolo: *qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis &c.* Reprobi autem falſum dicerent, ſi Chriſtus tantum pro prædeſtinatis veniſſet.

Et ſane, ſi DEus non omnes redemiſſet, & non vellet ſalutem omnium, plurimis, omnibus videlicet reprobis, ſalus eſſet abſolute impoſſibilis; quia in hac providentia nemo poteſt ſalvari niſi per merita Chriſti. Conſequenter, cum careret gratia, non poſſet implere præcepta fidei, ſpei, charitatis theologicæ, aliarumque virtutum, ipſaque præcepta non tantum eſſent fruſtranea, ſed plane tyrannica, cum præciperetur id, quod abſolute fieri non poteſt.

Eſt igitur certum dogma Catholicum, Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, omniumque ſalutem ſerio velle. Neque hæc *voluntas* eſt tantum *ſigni*, per præcepta & conſilia manifeſtata; ſed eſt *voluntas beneplaciti*, ſeu voluntas proprie ac ſtricte dicta; per quam DEus ita optat, deſiderat, & vult ſalutem omnium, ut per ipſum non ſtet, quo minus omnes ſalventur, & quo minus impleatur illa conditio, ſub qua vult ſalutem, nempe perſeverantia in gratia. Atque in hunc finem ſanguinem fudit, ſacramenta inſtituit, confert gratias ſufficientes.

Propterea hæc voluntas DEi eſt *affective efficax;* imo in aliquo ſenſu etiam reſpectu reproborum eſt *effective efficax*, quia DEus vi illius etiam illis præbet gratias & media ſufficientia. Certe, ſi homo adhiberet talia media ad obtinendum aliquem finem, qualia DEus adhibet ad obtinendam omnium ſalutem, videlicet tradendo proprium filium ad mortem, & largiendo gratias innumeras, ad ſalutem aptas & ſufficientes, diceretur ſerio velle illum finem; licet propter impedimentum, aliunde adveniens, in actu ſecundo non obtineretur.

Ex quo patet, quod hæc voluntas non ſit nuda aliqua velleitas aut ſimplex complacentia, ſed vera voluntas ac ſeria ſalvandi omnes, quam verbis tam manifeſtis, mediiſque ſufficientibus nobis declarat.

Dices 1, voluntas DEi ſeria ſemper impletur. Quis enim DEo reſiſtat? ergo, ſi DEus ſerio vellet, ut omnes ſalventur, nemo periret. *Reſp.* 1, hoc ipſis Janſeniſtis ſolvendum; qui concedunt, quod DEus ſeriam habuerit voluntatem ſalvandi Adamum, & in ipſo omnes homines ante lapſum; & tamen hæc voluntas non fuit impleta. Poteſt ergo dari in DEo ſeria voluntas, quæ non impletur, & quam non implendam ab æterno prævidit. Deinde id, quod

quod præcipit, utique vult & desiderat, & tamen hæc seria voluntas præcipiens sæpe non impletur.

*Resp.* 2, voluntas DEi consequens & omnino absoluta semper impletur, non tamen voluntas DEi antecedens, & non omnino absoluta; istam concipit DEus ex se ipso, & motu velut proprio: illam vero concipit ex determinatione creaturæ libera, & spectatis omnibus circumstantiis. Sic æquus judex antecedenter vult & desiderat, ut omnes tam bene vivant, ut pœnam nullam mereantur; consequenter autem vult, furem suspendi, homicidam gladio plecti, latronem rota conteri, sagam comburi. Similiter DEus antecedenter vult omnes homines salvari, consequenter vero quosdam propter inobedientiam suam & malitiam vult damnari, secundum exigentiam suæ justitiæ; & sic, qui restiterunt voluntati antecedenti, resistere non possunt consequenti. Ideoque aliqua DEi voluntas, nempe consequens, semper impletur.

Hæc tamen antecedentia & consequentia non tenet se ex parte voluntatis divinæ, in qua nihil datur prius aut posterius, sed ex parte volitorum; quatenus enim DEus homini vult dare gratias, ut salvus fiat, est antecedens: & quatenus cooperanti illis gratiis, vult dare salutem, aut quatenus non cooperantem vult damnare, est consequens. Quando igitur Patres dicunt, quod omnes salventur, quos DEus voluerit salvare, loquuntur de hac consequente.

Dices 2, qui adhibet medium, quo præscit finem non obtinendum, non vult serio finem, præsertim, si facile adhibere posset aliud medium, quo præscit finem obtinendum. Atqui DEus, dando gratiam mere sufficientem, adhibet medium, quo certo præscit, finem non obtinendum, nempe salutem hominis, possetque facile adhibere gratiam efficacem tanquam medium, quo præscit, finem obtinendum. Ergo non vult serio salutem reproborum.

*Resp.* Si quis adhibeat medium de se aptum, & sufficiens ad obtinendum finem, & per eum non stet, quo minus obtineat finem, potest serio velle finem; quamvis præsciat, ex culpa alterius, cui adhibetur, finem non obtinendum, præsertim si non teneatur, aliud medium adhibere. Atqui DEus adhibet media, de se apta & sufficientia ad salutem, eaque adhibet cum optima intentione, obtinendi finem, nec tenetur alia media adhibere. Ergo licet prævideat, salutem ex culpa hominis non obtinendam, serio tamen vult salutem. Sic medicus serio vult sanitatem ægroti, si adhibeat medicinam aptam & sufficientem ad sanandum, quamvis prævideat, ægrotum sua ingluvie medicinæ effectum frustraturum. Retorsio

 est

est in voluntate DEi seria salvandi Adamum ante lapsum. Profecto Christus serio desiderat conversionem peccatorum, licet illa ex ipsorum culpa non sequatur.

Dices 3, infideles, & infantes, ante baptismum mortui, non habent media ad salutem sufficientia. Ergo saltem hos DEus non vult serio salvari. *Resp.* DEus omnibus, etiam infidelibus, dat gratias & media ad salutem, remote saltem sufficientia, quatenus eos per illustrationes & inspirationes excitat, ut inquirant in auctorem mundi, eumque colant, & pro ulteriori illustratione orent; quibus gratiis, si cooperentur, DEus haud dubie dabit gratias, etiam proxime sufficientes ad cognoscenda ea, quæ necessitate medii ad salutem sunt necessaria. Quantum ad parvulos, DEus etiam pro illis baptismum instituit; si ad illum non pertingant, parentum aut aliorum hominum culpa id contingit; DEus autem non tenetur ejusmodi impedimenta, solis hominibus voluntaria, avertere, aut cursum caussarum secundarum per miraculum impedire.

# Caput IX.

## *S. Augustini sententia de morte Christi & voluntate salvandi omnes.*

1. Lib. de spir. & lit. c. 33 n. 58 sic loquitur: *vult autem DEus, omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium: quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum sit, infideles quidem contra DEi voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verum se ipsos fraudant &c.*

Non obscure dein geminam, quam diximus, voluntatem indicat, antecedentem & consequentem, illam salvandi, cui possit resisti, hanc damnandi consequenter ad demerita, quæ vinci resistendo non possit. Et in hoc sensu DEi voluntatem *invictam* appellat.

2. Serm. 304 c. 3 n. 2. *Prorsus nullum genus hominum de sua vocatione desperet. Pro omnibus passus est Christus, qui vult omnes homines salvos fieri.* Quod sane dici non posset, si non etiam reprobos vellet salvos fieri.

3. Serm. 87 c. 11 n. 13. *Ægrotat humanum genus. Jacet toto orbe grandis ægrotus, ad quem sanandum descendit omnipotens medicus.*

*dicus.* Atqui ad genus humanum ægrotum, & ad grandem illum ægrotum vel maxime pertinent reprobi.

4. Tract. 36 in Joan. n. 4. *Venit Christus, sed primo* (in primo adventu) *salvare, postea* (in secundo adventu) *judicare, eos judicando, in pœnam, qui salvari noluerunt, eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt.* Ergo venit Christus salvare etiam reprobos, quos postea in pœnam judicare veniet.

5. Serm. 174 de verb. apost. c. 5 n. 6. *Christus venit in mundum, peccatores salvos facere, magnos & pusillos. Venit filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat.* Atqui omnes perierant.

6. Tract. 12 in Joan. n. 12. *Quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Quare salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum?* Venit ergo salvare etiam eos, qui se ipsos interimunt. Atqui isti sunt reprobi.

7. L. 3 de lib. arb. c. 19 n. 53. *Deputatur tibi ad culpam, quod sanare volentem contemnis.* Atqui reprobi volentem sanare contemnunt.

8. Serm. 351 c. 5 n. 12. *Quæcunque peccaveris, adhuc in vita es, unde te DEus, si omnino sanare nollet auferret. - - - Clamat, ut redeas.* Ecce voluntatem sanandi omnes peccatores!

9. In psal 145 n. 13. *Noli desperare. Qui curavit facere te, non curabit reficere te?* Atqui DEus omnes curavit facere. Ergo etiam omnes curat reficere.

10. L. 5 cont. Julian. c. 1 n. 3. *Sententia nostra salvatorem prædicat omnium hominum, ac per hoc etiam parvulorum.* Atqui parvuli, sine baptismo decedentes, sunt etiam homines. Ergo, quantum est in se, est etiam salvator illorum.

11. L. 6 cont. Jul. c. 9 n. 24. *In illo uno* (Adamo) *mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus* (Christus) *pro omnibus.* Et l. 20 de civit. DEi c. 6 n. 1. *Omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto: - - & pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus: id est, nullum omnino habens peccatum.* Ergo Christus mortuus est pro omnibus mortuis in peccatis. Præter Christum autem excipit Aug. B. V. Mariam, *de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi vult quæstionem.* Lib. de nat. & grat. c. 36 n. 42.

12. L. 2 de nupt. & concup. c. 33 n. 56. Juliano interroganti, *quomodo rei sunt parvuli, pro quibus Christus mortuus est?* re-

 spon-

ſpondet: *Imo parvuli, quomodo rei non ſunt, pro quibus Chriſtus mortuus eſt?* Mortuus eſt igitur pro parvulis, quia rei erant peccati originalis: ergo pro omnibus, quia omnes illius reatum contraxerunt. Idem repetit ſæpius lib. 2 oper. imperf. n. 171. *Ibi ſunt & parvuli, quia & pro ipſis Chriſtus mortuus eſt, qui propterea pro omnibus mortuus eſt, quia omnes mortui ſunt.*

13. In pſal. 95 n. 15. *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Ergo redemit, quos judicabit: ſed omnes judicabit. Ergo omnes redemit.

Et l. de Symb. ad Catech. ſerm. 4. *Senſit* (dæmon) *DEum liberantem omnes, quos creaverat homines.* Sed omnes creaverat: ergo omnes liberavit.

Et in pſal. 96 n. 9. *Qui omnes fecit, omnes refecit.*

14. De Symb. ad Cat. ſer. 2. c. 8 obduratos & reprobos Judæos ſic alloquitur: *agnoſcitis latus, quod pupugiſtis; quoniam & per vos & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis?* ergo non tantum pro prædeſtinatis, ſed etiam pro incredulis & reprobis idem dicit in pſal. 7 & 129. *Pretium tantum datum redemit omnes captivos.* Atqui omnes erant captivi. Et ſerm. 344. *Sanguinem pro omnibus dedit.*

15. Serm. 2 in pſal. 62 de Juda reprobo proditore ait: *nec cognovit pretium, quo ipſe a Domino redemptus erat:* ſicut etiam pro impiis crucifixoribus ſuis oravit: *Pater dimitte illis.* Atqui ex illis multi erant reprobi.

Teſtimonia hæc S. Auguſtini de morte Chriſti, pro omnibus hominibus, prædeſtinatis & reprobis, oblata, atque de ſeria voluntate ſalvandi, ſunt adeo clara & aperta, ut cæci ſint Janſeniſtæ, ſi tantam lucem non videant. Oportet igitur alia loca, in quibus S. Doctor ipſis videtur contrarium aſſerere, commoda interpretatione explicare, ne ſibi ipſi ſit contrarius.

# CAPUT X.

## *Objectiones Janſeniſtarum ex S. Auguſtino male intellecto.*

OB. 1 ex l. de corrept. & grat. c. 14 n. 44, ibi: *Ita dictum eſt: omnes homines vult ſalvos fieri, ut intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis eſt.*

Et

Et *ex Enchir. c.* 103, ubi ait, *omnes* ſumi pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, id eſt, ex omni hominum genere & conditione DEum velle, ut aliqui ſalventur, ſed non ſinguli: cum noluerit facere miracula apud eos, quos dixit, acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi feciſſet; hinc rogandum eſſe, ut velit; neceſſario enim fieri, ſi voluerit.

Ob. 2 *ex l.* 4 *contr. Jul. c.* 8 *n.* 44, ubi ait, *omnes* poſitos eſſe pro *multis*, quos ad gratiam iſtam velit venire. Et *ep.* 217 *c.* 6 *ad Vital* expreſſe dicit, quod multos nolit ſalvos fieri.

Ob. 3 *ex l.* 4 *contr. Jul c.* 8, ubi loquens de parvulis, absque baptiſmo decedentibus, ait, quod Chriſtus eis dicere non poſſit: *volui, & noluiſtis*, cum nolle nequiverint, nec, ſi voluiſſet, omnipotentiſſimæ ejus voluntati reſiſtere.

*Reſpondetur.* Ne S. Aug. ſibi ipſi aperte contradicat, dicendum eſt, quod in iis locis, in quibus aſſerit, DEum omnes omnino homines, etiam reprobos, velle ſalvos fieri, loquatur de voluntate generali *antecedente*, qua ſerio & ſincera intentione vult, optat, deſiderat, imo præcipit, ut omnes utantur mediis, aptis ac ſufficientibus, ſibi oblatis, ad bene vivendum & ſalutem obtinendam.

Quando vero dicit, DEum non omnes, ſed ſolos prædeſtinatos, velle ſalvari, intelligendus eſt loqui de voluntate particulari *conſequente*, qua eos, qui gratiis ac mediis oblatis abutuntur, & in ſcelera ruunt, vult punire propter ſcelera. Preme exemplum judicis, ſerio volentis (voluntate antecedente,) ut omnes ſecundum leges & præcepta bene vivant, nec mortem mereantur, ſimul tamen volentis (voluntate conſequente) reos ob crimina ſua plectere.

Diſputabat locis allegatis S. Auguſtinus contra Pelagianos & Semipelagianos, qui negabant ſpecialiter benevolum affectum DEi erga electos; ſed, ne DEus eſſet acceptor perſonarum, omnia in æqualem erga omnes voluntatem, æqualia media, uti in naturam rationis compotem, in liberum arbitrium, in legem omnibus propoſitam, in baptiſmum & reliqua ſacramenta, pro omnibus inſtituta, in Chriſti exempla referebant, quin interiorem gratiam requirerent.

Contra hos igitur S. Aug. admiſit quidem voluntatem DEi generalem antecedentem ſalvandi omnes, dandique media ſufficientia, & inter iſta etiam gratiam interiorem, ad ſalutem neceſſariam; neque negavit, hanc voluntatem reſpectu omnium eſſe *affective efficacem*, ut non ſtet per DEum, quo minus ſit etiam *effective efficax*

reſpectu

respectu salutis, si homo gratiis & mediis oblatis recte vellet uti, iisque, prout posset, cooperari.

Simul tamen asseruit voluntatem DEi, erga aliquos specialiter benevolam, *affective* & *effective efficacem*; quatenus eis tales gratias decrevit, quibus prævidebantur consensuri, & in finem usque vitæ perseveraturi. Quæ specialis prædilectio in abyssum divinorum judiciorum est referenda.

Docuit igitur, DEum hac speciali & specialiter benevola voluntate, affective & effective efficaci, solos prædestinatos velle salvari; reliquis in universali voluntate antecedente salvandi omnes inclusis. Quando igitur dicebat, omnes sumi pro *generibus singulorum*, aut *pro multis*, de speciali illa voluntate loquebatur, locis autem supra citatis de voluntate generali, & singulis generum, sine omni prorsus exceptione. Et in hac universali voluntate erant etiam inclusi Tyrii & Sidonii, licet erga eos non habuerit specialem illam voluntatem, ut apud eos faceret miracula; cum alia sufficientia ad salutem media illis subministrarit.

Dum autem Aug. dixit, id necessario fieri, quod DEus vult, id intellexit de voluntate & necessitate consequente.

De parvulis eodem ferme sensu loquitur; nam non vult eos, qui absque baptismo moriuntur, salvari peculiari illa & efficaci voluntate, qua prædestinatos vult salvari, vult tamen etiam illos salvari voluntate generali antecedente, præparatque media sufficientia, neque stat per DEum, si illa culpa & vitio hominum frustrentur aut impediantur: aut, si adsint naturalia impedimenta baptismi, non debet DEus ut auctor naturæ impedire, inhibendo cursum naturalem caussarum secundarum. Ceterum S. Aug. l. 4 cont. Jul. c. 8 expresse dicit, DEum omnes etiam parvulos salvos velle.

Dices cum S. Aug. ep. 194 c. 7: *providentia DEi non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, & nonnullis consulit etiam parvulis impiorum. Resp.* Providentia DEi antecedens consulit omnibus parvulis piorum & impiorum, non tamen providentia consequens. Nam Aug. *l.* 4 *con. Jul. c.* 8 ita argumentatur: Christus pro omnibus hominibus mortuus est: sed omnes parvuli sunt homines: ergo pro omnibus parvulis est mortuus.

## *Aliæ objectiones ex S. Aug. male a Jansenistis explicato.*

OB. 4. *Misit DEus filium suum propter præscitos & prædestinatos vocandos, justificandos, glorificandos.* De verb. apostoli serm. 155 c. 8 n. 8.

Ob. 5. *Non perit unus ex illis, pro quibus Christus mortuus est.* Epist. ad Evod. 169 c. 1.

Ob. 6. *Non solum autem nostrorum peccatorum propitiator est, sed & totius mundi: mundi dixit, omnium fidelium per orbem sparsorum.* Tract. 5 in ep. 1 Joan. n. 9.

Ob. 7. *Non omnis, qui homo est, etiam Christi sanguine redemptus est.* L. 1 de adulter. conjug. c. 15.

Ob. 8. Serm. 2. de symb. ad Catechum. c. 8 Christum in die judicii reprobos sic alloquentem inducit Aug.: *qui non estis redempti pretio mei sanguinis, non estis mei. Discedite a me &c.*

Ob. 9. Tract. 107 in Joan. n. 1 Christum sic orantem proponit: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi. Mundum vult intelligi, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, & non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo &c.*

Ob. 10. *Si de aliquibus ita certa esset* (ecclesia), *ut, qui sint illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, pro eis non oraret.* Ergo neque Christus orat pro eis, quorum salus jam desperata est.

Respondetur ad 4. Misit DEUS filium suum *propter prædestinatos*, vocandos vocatione illa specialiter benevola, qua gratias congruas & efficaces decrevit, quas nempe cum consensu conjungendas prævidit. Per hoc tamen Aug. non negavit, quod DEUS sincero affectu, & cum intentione salutis, sed generaliter benevola, miserit filium suum propter reprobos, pariter vocandos, vocatione, ex ipsorum culpa inefficaci, adeoque vitio suo vel nunquam, vel non perseveranter justificandos, ac proinde post mortem non glorificandos.

*Ad* 5. Non perit unus ex illis, pro quibus Christus mortuus est, affectu illo specialiter benevolo, quo dat illis gratias, quas effective etiam efficaces fore prævidit. Pereunt autem sua culpa, qui gratiis sibi a DEO collatis restiterunt.

*Ad* 6. Donatistæ dicebant, ecclesiam universalem periisse, & apud se solos in Africa remansisse. Contra hos disputans Aug. dixit, omnes per orbem sparsos fideles pertinere ad ecclesiam, cum Christus omnium sit propitiator, eosque efficaciter ad ecclesiam vocarit. Non tamen per hoc excludit infideles a propitiatione Christi generali, illis etiam oblata, sed eorum culpa rejecta. Dicit enim loco supra citato de Judæis, latus Christi etiam propter eos fuisse apertum, sed illos intrare noluisse.

*Ad* 7. Non omnis homo Christi sanguine redemptus est, redemptione illa specialiter benevola & efficaci, qua electi sunt redempti. Sunt tamen etiam reprobi redempti, redemptione generali, & sufficiente ad salutem, quam tamen culpa sua inutilem sibi fecerunt, & per ingratitudinem erga infinitum redemptionis beneficium ad æternam pœnam damnari sunt meriti. Ait enim Aug. l. c.: *omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive etiam voluntate additis, & pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus.*

*Ad* 8. Non sunt Christi, qui non sunt redempti redemptione speciali, quam bona opera sequantur, salutis æternæ meritoria. His enim dicet: *discedite a me &c.* Generali autem redemptione redempti sunt etiam reprobi; quamvis culpa sua redemptionis fructum non percipiant.

*Ad* 9. Non rogavit Christus pro mundo, seu pro reprobis affectu illo specialiter benevolo, & ad obtinenda illis media, prævisa efficacia, rogavit tamen etiam pro illis ad obtinenda media sufficientia ad salutem. Et, si illa vice non oravit pro reprobis, rogavit tamen pro iis alia vice. Certe etiam pro reprobis Judæis oravit: *pater dimitte illis.*

*Ad* 10. S. Aug. l. c. refellit quosdam, qui dicebant, quod DEUS in die judicii propter preces sanctorum remissurus sit impiis omnia peccata. Negat hoc S. Aug. quia tunc non erit amplius tempus pœnitentiæ fructuosæ, ac propterea ecclesiam neque pro dæmonibus orare: at vero nunc ecclesiam orare pro impiis, in hac vita existentibus, *quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ.* Ergo etiam Christus oravit pro omnibus impiis, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ.

Christus nempe tanquam redemptor omnium hominum & mediator inter DEUM & homines a patre constitutus, omnibus exoravit gratias & media sufficientia ad salutem. His gratiis possunt omnes cooperari, & salutem consequi, etiam impii, quia est *tempus pœnitentiæ fructuosæ*: cur ergo Christus non potuerit pro eis orare, ut gratiis cooperentur & salvi fiant, prout possunt, si velint?

At Christus certo scit, inquis, eos esse reprobos & damnandos. Ergo non potuit pro eis orare. *Resp.* Christus etiam certo scit, quinam sint prædestinati & salvandi, & tamen pro eis oravit, ut salventur. Ergo etiam potuit orare pro impiis, licet sciverit, quinam sint reprobi, ut culpam suam, propter quam sunt repro-

reprobi, deponant, & fructus faciant dignos pœnitentiæ, cum *tempus sit pœnitentiæ fructuosæ.* Et sane cum DEUS etiam reprobis prudenter possit conferre gratias sufficientes, licet sciat, eas fore infructuosas, quare non etiam Christus ut homo possit pro eis patrem rogare, sicut re ipsa oravit pro suis crucifixoribus?

Et ratio ulterior est; quia scientia damnationis non erat directiva orationis, aut voluntatis salvandi omnes, nec potentiam orandi constituebat, sed potius suo modo ad istam sequebatur: sicut scientia visionis de damnatione non præcedit, aut dirigit DEUM ad voluntatem salvandi omnes: & sicut scientia Christi de suis actibus liberis, aut visio beatifica non præcessit aut influxit, aut direxit actus istos liberos (alias enim non fuissent liberi) sic etiam in Christo scientia de damnatione non influit, aut præcedit, aut dirigit ad voluntatem salvandi omnes, neque ad orationem. Sicut ergo, non obstante visione & scientia actus DEI & Christi (imo etiam actus hominum) sunt liberi, & prudentes, sic etiam actus orationis. Contra vero, quia in patria visio beatifica influit & dirigit actus sanctorum, charitas DEI sanctis non est libera.

# CAPUT XI.

## *Theses Jansenistarum de præceptis divinis.*

JUstis quandoque impossibile est servare præcepta. Hæc impossibilitas inde provenit, quod DEUS nolit roborare per gratiam. (*Arnaldus consideration sur l' entreprise de M. Cornet*) *Homo non semper habet gratiam rogandi & petendi.* (*Jans. l.* 3 *c.* 3.)

DEUS non præcipit impossibilia naturæ sanæ, bene vero impossibilia naturæ infirmæ (*de Bourzeis de la lettre a un præsident.*) Non omnes recipiunt effectum promissionis, quam fecit Paulus, dum ait, DEUM non sinere nos tentari supra id, quod possumus. (*Idem Aug. vict. p.* 68.) Apostoli non habuerunt gratiam orandi, ne peccent: sed sibi relicti non potuerunt non peccare. Necessitas inevitabilis lapsus docuit ipsos suam infirmitatem (*Idem p.* 71.)

justi sequi debent ductum gratiæ interioris sine respectu ad legem exteriorem. (*S. Cyran.*) Homo non tenetur servare legem, quam DEUS tulit in ejus utilitatem. (*Quesnel Marc.* 2.)

Per subscriptionem formulæ iniquitas triumphat, innocentia opprimitur (*M. Nicole la foi humaine p.* 37). Ignorantia invincibilis

lis ſubſcribentes formulæ non excuſat a perjurio. (*Arnaud 2 apol. pour Janſen p.* 78.)

Defectus dominii in vitam non impedit, quo minus poſſit quis ſe ipſum occidere. (*S. Cyran.*)

Omnes juſti poſſunt ſervare mandata, etiam in defectu gratiæ efficacis, ſicut homo poteſt videre in tenebris. (*Quesnel*). Neceſſe eſt, ut is, qui reſiſtit concupiſcentiæ, facilius, ſæpius, & ardentius peccet. (*Janſ. l. 3 de gratia Chriſti.*)

## *Antitheſes ex S. Auguſtino.*

HÆ doctrinæ adeo ſunt blasphemæ, impiæ, ac ſcandaloſæ, ut piæ mentes merito totis artubus contremiſcant. *DEUS præcipit impoſſibilia: negat gratiam, etiam orandi: falſo dixit Paulus, quod DEUS non ſinat nos tentari ſupra id, quod poſſumus. Nullus habendus reſpectus ad legem exteriorem.* Quis non cohorreſcat ad hæc portenta.

Audiamus theſes S. Auguſtini, cujus diſcipulos iſti ſe profitentur, prorſus contrarias.

1. Lib. 5 cont. Julianum, c. 15 n. 56 ait: *Quamvis ergo aliam legem videamus in membris noſtris, repugnantem legi mentis noſtræ, non tamen neceſſitatem criminis habet homo, ſed potius honorem laudis, cujus ſpiritus, ſpiritali munere adjutus, adverſus carnis concupiſcentiam concupiſcit.* Ergo DEUS non negat gratiam. Ergo præcepta non ſunt obſervatu impoſſibilia. Ergo terrenæ delectationis tentatio non imponit neceſſitatem. Prout etiam *lib.* 1 *con. ep. Pelag. c.* 3 *n.* 7 ait, nos non cogi ad peccatum carnis neceſſitate, ſed libera voluntate in illud labi.

2. Lib. 22 cont. Fauſt. Man. c. 22. de *principio mali*, quod Manichæi ſtatuebant, ait: *cui ſi reſiſtere non valuerunt, innocentes damnantur - - - voluntatis crimen eſt, non neceſſitatis.* Et lib. 3 de liber. arbit. c. 1 n. 1. *Nulla culpa deprehendi poteſt, ubi natura neceſſitasque dominatur.*

3. *Quæcunque iſta eſt cauſſa voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur - - - an tanta fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? ſi ita eſt, nulla peccata ſunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo poteſt? - - - peccatur autem; caveri igitur poteſt.* Lib. 3 de liber. arbit. c. 18 n. 5. Quid clarius dici poſſit, non video.

4. *In*

4. *In psal.* 7 *n.* 19 affert rationem, cur hæretici negent libertatem arbitrii, & præcepta DEI impossibilia dicant; ut nempe impune agere possint, quidquid libido dictat. Sic loquitur: *volentes excusare facinora sua, nolunt suæ culpæ tribuere, quod peccant: hoc est: nolunt suæ culpæ tribuere culpam suam. Itaque aut fortunam, aut fatum inveniunt, quod accusent, aut diabolum, cui non consentire in potestate nostra esse voluit, qui nos fecit; aut aliam naturam inducunt, quæ non sit a DEO.* In hoc errore etiam se olim, dum adhuc Manichæus esset, fuisse fatetur Augustinus *lib.* 5 *confess. c.* 10 *n.* 19, non se ipsum, sed aliquid aliud secum esse, quod peccaret: ne sua peccata sibi deberet tribuere. Sed, si hoc verum esset, quærit *epist. ad Lampad. n.* 3, cur castigarentur servus fur, filius refractarius, homo improbus? Fecissent, quod non poterant non facere. Recole hic textus, supra adductos, quibus S. doctor manifeste adstruit non modo libertatem a coactione, sed etiam a necessitate.

5. Sed neque ex infallibili *præscientia* aut *decretis* divinis ullam inferri actibus nostris necessitatem antecedentem, quæ sola obstat libertati, idem Hipponensis præsul manifeste docet.

*Nullo modo cogimur*, inquit, *aut tollere voluntatis arbitrium, aut negare DEUM præscium futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque confitemur.* L. 5 de civ. c. 10 n. 2, & dat rationem; neque enim ideo peccat homo, quia DEUS illum peccaturum esse præscivit, sed quia peccaturus est, DEUS præscivit. Omittatur peccatum, & non erit præscitum. Et DEUS est præscius omnium futurorum, & nos non necessitate sed voluntate peccamus. *Sicut enim tu memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt, sic DEUS præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt.* L. 3 de lib. arb. c. 4.

6. *Non cogeres tu peccare, quem peccaturum esse præscires --- ita DEUS, neminem ad peccandum cogens, prævidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt.* Ibid. si ex alta specula cernas, viatorem ad sinistram deflectere, an eum necessitas ita deflectere, an non potius ille te necessitat, ut videas deflectentem? Non deflecteret, tu non videres. Impedire ille potest tuam visionem non deflectendo. Sic homo impedire potest præscientiam peccati, omittendo peccatum, ad quid leges, consilia, deliberationes, exhortationes, mandata, preces, ad quid omnia humana media, si præscientia DEI inferret necessitatem? Retorsio iterum est in

 Ada-

Adamo, qui, non obstante præscientia, & decretis divinis secundum Jansenistas & Calvinistas fuit liber a necessitate.

7. DEUS non præcipit impossibilia naturæ sanæ, dicunt Jansenistæ, sed infirmæ. Verum per lapsum Adami non periisse libertatem a necessitate, audiant doctorem, cujus se discipulos proclamant. Urget ille quidem constanter contra Pelagianos & Semipelagianos Massilienses, gratiam internam supernaturalem necessariam esse ad omnem actum salutarem, etiam ad initium fidei & salutis, sed cum illa, quam DEUS non denegat, etiam in statu naturæ lapsæ exerceri tales actus posse, & observari omnia præcepta, etiam ad finem supernaturalem tendentia.

Sic lib. de grat. & lib. arb. c. 2 n. 3 & 4 ait: *DEUS reliquit hominem in manu consilii sui. Si volueris, conservabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem & aquam, ad quodcunque volueris, extende manum tuam. In conspectu hominis vita & mors, & quodcunque placuerit, dabitur ei. Ecce! apertissime videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata sua custodiri & fieri jubet DEUS? Quomodo jubet, si non est liberum arbitrium?* Loquitur autem manifeste de statu naturæ lapsæ, per Christum reparatæ, in quo vivimus.

Distinguit autem inter statum naturæ integræ & lapsæ lib. 2 contr. duas ep. Pelag. c. 5 n. 9, ubi, *peccato Adæ*, inquit, *arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus, subditis diabolo: ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis DEI gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.* Ecce! liberum arbitrium per lapsum Adæ non periit: sed ad agendum salutariter indiget gratia Christi adjuvante, & ut actiones nostræ conducant ad salutem æternam, elevante.

Et lib. 1 contra easd. c. 2 n. 5. *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quippe periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Ergo non periit liberum arbitrium quoad substantiam, sed tantum prout erat ornatum originali justitia, immortalitate, & libertate a rebellione concupiscentiæ. Periit igitur justitia originalis, periit libertas a morte, libertas a rebellione concupiscentiæ, quas Adamus in paradiso habuit. Libertas indifferentiæ, prout est potentia, positis omni-

omnibus ad agendum requisitis, agendi vel non agendi, non periit; ad actus tamen salutares indiget gratia supernaturali. Hæc est perpetua doctrina S. Augustini.

8. Neque quis dicat, hominem peccare quidem voluntarie, motus ab intrinseco, a sua nempe natura, ad peccatum propensa, non tamen libere, libertate a necessitate; sicut lapis naturali sua gravitate necessario deorsum fertur. Nam contra est. S. Augustinus aperte libertatem a necessitate docuit, ut patet ex locis multis jam allatis. Dein *l.* 3 *de lib. arb. c.* 1 *n.* 3 sic loquitur: *motus, quo huc aut illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorquet quasi quemdam cardinem voluntatis.* Ecce! duo hic requirit, ut actus noster sit laudandus, aut culpandus, ut *voluntarius* sit, & *positus in nostra potestate*, seu liber. Non ergo sufficit voluntareitas, sed requiritur etiam libertas a necessitate.

Disparitatem inter lapidem & voluntatem nostram dat S. doctor *loc. cit. n.* 2, dum ait: *in potestate non habet lapis cohibere motum, quo fertur inferius: animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis, inferiora deligat.* Ergo animus hominis ita movetur, ut superiora tamen possit deligere, aut inferiora, prout vult.

Eandem prolixius repetit *ep.* 140, *quæ est ad Honorat. c.* 2 *n.* 3, docetque, humanam voluntatem, quasi in medio positam, posse eligere alterutrum, & sequi, quo trahit delectatio cælestis, vel quo retrahit delectatio terrena. Idem *l. de duabus animab. c.* 13, Item c. 12 n. 17, ibi: *dicere, & animas malas esse, & nihil peccare, plenum est dementiæ: dicere autem peccare sine voluntate, magnum deliramentum est: & peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insaniæ. Quamobrem illæ animæ, quidquid faciant, si natura, non voluntate faciunt*, id est, *si libero, & ad faciendum & non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus.* Item in psal. 51 n. 10, ubi sic habet: *benignitas ante te: iniquitas ante te. Compara, & elige.*

9. Sed & meritum & demeritum, præmium & supplicium tollunt Jansenistæ. Nam lib. 22 con. Faustum c. 98 scribit Augustinus: *si anima resistere non valuerat, iniqua est pœna, & magna crudelitas.* Item l. de nat. boni c. 42, *si necessitate compulsa est ani-*

*anima, quare damnatur?* Et l. 22 con. Fauſt. c. 22.] *Si reſiſtere non valuerunt, innocentes damnantur - - - ſi noluerunt reſiſtere, voluntatis eſt crimen, non neceſſitatis.*

Item l. con. Fortunatum diſp. 1 n. 15. *Animæ rationali dedit DEUS liberum arbitrium; ſic enim poſſet habere meritum;* ergo ſine libero arbitrio non poſſet habere meritum. Prout etiam dicit *l. 83 q. 24. Meritum pœnæ peccatum, & meritum præmii recte factum eſt. Nec peccatum autem nec recte factum imputari cuiquam juſte poteſt, qui nihil fecerit propria voluntate, eſt igitur & peccatum & recte factum in libero voluntatis arbitrio.* Et l. 22 con. Fauſt. c. 78: *ſive autem iniquitas, ſive juſtitia, ſi non eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate.* Porro: *ſi in poteſtate non eſſet, nullum præmium, nulla pœna juſta eſſet; quod nemo non ſapit, niſi qui deſipit.*

Denique l. de duab. anim. c. 11 n. 15: *neminem vituperatione vel ſupplicio dignum, qui non faciat, quod facere non potuit, nonne cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & antiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanũ?*

10. Præcepta, conſilia, laudes, reprehenſiones, juxta S. Auguſtinum ſunt argumento, quod ſimus liberi a neceſſitate, cui reſiſti non poſſit.

Tract. 53 in Joan. n. 8 hortatur, *ne quiſquam neget libertatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum: ſed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem, & jubentem, quid facere debeamus, & adjuvantem, ut implere poſſimus.*

Lib. 2 con. Maximin. c. 14 n. 9, *præceptum*, inquit, *id nobiscum agit, ut, quod jam eſt in poteſtate, faciamus: ſi autem nondum eſt in poteſtate, oremus, nobis poteſtatem dari, ut, quod præceptum eſt, impleamus.*

Lib. de grat. & lib. arb. c. 2 n. 2, *divina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promiſſa præmia perveniret.* Et ſerm. 165 de verb. apoſt. c. 1 n. 1 dicit, fruſtraneam fore juſſionem, ſi eam implere eſſet impoſſibile.

Idem dicit epiſt. 246 ad Lampad. n. 2 his verbis: *Illud ſane quantocius & breviter noveris, omnes leges atque omnia inſtituta diſciplinæ, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, præmia, ſupplicia, cæteraque omnia, quibus humanum genus adminiſtra-*

*stratur & regitur, penitus labefactari, atque subverti, nihilque in eis omnino justitiæ remanere, nisi voluntas sit caussa peccandi.*

Hæc omnia S. doctoris loca clare demonstrant, & dari liberum hominis arbitrium, ab omni necessitate irresistibili immune, & præcepta DEI non esse observatu impossibilia, cum voluntatem præparet & adjuvet divina gratia: & hanc gratiam ad omne opus salutare ac meritorium vitæ æternæ esse necessariam: nec illam deesse sufficientem, ut possit homo, si velit, declinare a malo & facere bonum; ut adeo facem in meridie sibi accendi petat, qui clariora desiderat. Quia tamen S. Augustinus Jansenistis videtur contrariam his doctrinam tradidisse, operæ pretium fuerit, ad eos penitus confutandos, eorum objectionibus breviter respondere.

# CAPUT XII.

## *Responsio ad argumenta Jansenistarum ex S. Augustino.*

1. OBjiciunt 1 *ex l.* 1 *retract.* licet homo cogenti cupiditati non possit resistere, peccatum tamen committit contra præceptum justitiæ, ut sit etiam pœna peccati. 2. Ex serm. 151 de verb. Apost. ibi: *mente servite legi DEI, carne autem legi peccati, sed ex necessitate, quia concupiscitis, non quia consentitis.* Ergo necessitas non excusat a peccato. 3. In expos. *ep. ad Gal.* ait, quod Judæi illa, quæ ad bonos mores pertinent, non potuerint implere; quia ea non implet, nisi charitas. 4. *L.* 1 *retr.* asserit peccatum *non voluntarium*, quod vel a nesciente, vel a coacto perpetratur. 5. L. 8 conf. ait: *lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur etiam invitus.* 6. Ser. 112, ad cœnam aliqui sunt coacti, & ser. 131, traheris dulci & suavi violentia. Et lib. 1 op. imp. admittit necessitatem peccandi, *in pœnam illius peccati, quod sine necessitate commissum est.* 7. In expos. epist. ad Gal., *quod amplius nos delectat, secundum id operemur, necesse est.* 8. L. de perf. just. cont. Cælest. ait, necessitatem peccandi sola voluntate superari non posse.

Respondetur *ad* 1, loquitur Aug. de motibus involuntariis & indeliberatis concupiscentiæ. Vocat autem sæpius concupiscentiam peccatum; quia est effectus peccati originalis, & caussa pec-

cati actualis, quatenus ad illud inclinat. *Ad* 2. Lex carnis est concupiscentia carnis, necessario toleranda; liberum tamen est, in illius motus, qui rationem non præveniunt, consentire. *Ad* 3. Quia Judæi hærebant in externis, præcepta moralia implere non poterant *facile*; dicimur autem illud non posse, quod non nisi difficulter possumus. Charitas varia est, initialis seu imperfecta & perfecta: formalis & virtualis, explicita & implicita, actualis & habitualis. Deinde lex etiam includit præceptum charitatis: ergo lex non potest impleri sine charitate.

*Ad* 4. Quod est omnino involuntarium, aut ex ignorantia invincibili, aut vera coactione non evitabili, patratum, dici potest peccatum *materiale*, non vero formale. Est hæc expressa doctrina S. Aug. l. 1 retract. c. 13 n 5, ubi ait: *usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* *Ad* 5. Id intelligendum de magna difficultate vincendi malam consuetudinem, non de absoluta impossibilitate. Omnia possumus in eo, qui nos confortat, reclamet licet concupiscentia & mala consuetudo. Explicat S. Aug. hanc difficultatem suo exemplo, & similitudine cum somnolento, surgere conante. *Non erat*, inquit, *quod responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta & somnolenta: modo: ecce modo: sine paululum; sed modo & modo non habebant modum, & sine paululum in longum ibat.* Sed tamen tandem vicit.

*Ad* 6. Ad cœnam sunt coacti terroribus, minis, quæ tamen libertatem non adimunt. Cogi possunt per violentiam externæ potentiæ, non voluntas, quin absolute sit libera. Trahimur dulci violentia, sed non pertrahimur, nisi voluntas libere velit. Per *necessitatem peccandi* intelligit Aug. magnam difficultatem in resistendo violentis tentationibus. *Ad* 7. *Necesse est*, id est, voluntas vehementer impellitur, manente tamen libertate, a S. Aug. verbis tam dissertis toties asserta. *Ad* 8. Ita est, superari a sola voluntate, sine gratiæ adjutorio, non potest difficultas. Et sic multi alii textus possunt intelligi, quando S. Aug. dicit, voluntatem peccare necessario, observationem mandatorum esse impossibilem, nempe sine gratia.

2. Objicunt 1 ex S. Aug. l. 6 op. imp. Nec lex vetus nec nova dat testimonium voluntatis liberæ; alias non diceret S. Paulus: *non, quod volo, facio bonum; sed quod odi malum, hoc ago.* 2. Si charitas debita elici non potest, *præterita voluntas hoc fecit: l. de perf. just. con. Cælest.* ergo sufficit, peccatum fuisse liberum

berum in voluntate Adami, quæ fuit moraliter nostra. 3. Mundus plenus est peccatis, *de ignorantiæ aut affectionum necessitate venientibus.* L. 1 oper. imp. n. 105. ergo ad peccatum non requiritur libertas a necessitate. 4. *Non est impunitatis securitas in necessitate peccandi*, quæ provenit ex ignorantia. Ibid. n. 106.

Respondetur *ad* 1, ita est, lex non dat testimonium voluntatis, *liberæ a pœnali concupiscentia, ejusque motibus involuntariis,* de quibus loquitur etiam Apostolus verbis illis : *non, quod volo &c. Ad* 2. Id est, præterita voluntas, hoc est, Adæ, per quam soluta fuit concupiscentia, sive cujusque propria, qua malam consuetudinem contraxit, effecit, ut charitas DEI *difficulter* elici possit. *Ad* 3. Loquitur de peccatis, quæ proveniunt ex ignorantia vincibili, & ex affectionum deliberatarum necessitate, apud aliquos morali. Eadem est responsio *ad* 4, nam ex ignorantia provenire potest consuetudo peccandi, quæ deinde superari non potest sine maxima difficultate.

3. Objiciunt : l. 1 op. imp. dicit S. Aug. : *multum erras, qui nullam esse putas necessitatem peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est.* Et l. contra Cælest. ait, ex libertate primi peccati factam esse necessitatem, quam sola voluntas hominis superare non possit : unde orandum : *de necessitatibus* meis erue *me.*

Resp. S. Aug. hic comparat statum naturæ integræ cum statu naturæ lapsæ. Et in illo quidem nullam fuisse necessitatem peccandi : at vero per peccatum Adæ excidisse humanum genus a felici illo statu, & pervenisse ad statum, in quo gravissime oriantur difficultates & tentationes adversus præcepta ; quia in pœnam peccati originalis sublata est libertas a rebellione concupiscentiæ : atque inde oritur, præsertim apud consuetudinarios, moralis quædam peccandi necessitas ; non tamen tanta, ut homo, adjutus divina gratia, eam non possit vincere.

Accedit, quod S. Aug. hanc necessitatem adstruat contra Cælestium, Julianum, aliosque Pelagianos, qui docebant, hominem viribus naturæ sine gratia Christi posse servare legem. Contra hos igitur dicit, sine gratia Christi servari non posse legem.

4. Objiciunt ex variis locis S. Augustini, liberum arbitrium ad diligendum DEUM esse perditum : libero arbitrio male utentem hominem *& se perdidisse & ipsum* : peccato primi hominis periisse libertatem non peccandi : perdita nunc libertate hominem

indigere liberatoris auxilio : reprobatos non habere media, ad salutem necessaria.

*Resp.* Jam dictum fuit, quomodo in pœnam peccati originalis perierit libertas, nempe libertas a rebellione concupiscentiæ, quæ antea fuerat ligata, per peccatum autem soluta; ac propterea, nisi forti auxilio divino succurratur, valde difficile est observare præcepta; quæ difficultas necessitas peccandi ab Augustino appellatur. Sine omni vero gratia Christi liberatoris, absolute servari mandatum dilectionis & alia non possunt.

Solet etiam Aug. concupiscentiam ejusque motus primos ac involuntarios appellare peccatum per synechdochen, quia sunt effectus peccati originalis, & caussa inclinans atque inducens ad peccata actualia & personalia, ad hæc tamen vitanda dantur omnibus, etiam reprobis, auxilia necessaria. Motus vero involuntarii concupiscentiæ vitari non possunt, & hinc ab Aug. appellantur *peccandi necessitas*, ex primo peccato procedens; de qua loquitur Apostolus: *quod nolo, hoc ago.*

Igitur per peccatum Adæ non periit liberum arbitrium quoad substantiam, sed tantum quoad dona, ornamenta & privilegia, naturæ humanæ indebita, nempe quoad justitiam originalem, immunitatem a morte & concupiscentia : prout ipse S. Aug. innuit, dum dixit, quod homo per peccatum *& se perdiderit, & ipsum* liberum arbitrium, nam seipsum homo non perdidit seu extinxit quoad substantiam, sed tantum notabiliter deteriorem reddidit : & sic etiam liberum arbitrium.

Ceterum, cum S. Aug. disputaret contra Pelagium, Cœlestium, Julianum, omnia libero arbitrio & nihil aut parum gratiæ interiori tribuentes, totum se exprompsit ad eorum errores confutandos; quando vero contra Faustum, Fortunatum, Felicem, aliosque Manichæos, liberum arbitrium negantes, pugnabat, in alterum extremum abiit; unde quædam expressiones, quæ videntur contrariæ, benigna interpretatione conciliandæ sunt cum iis, quæ in aliis locis dixit. Ostensum autem est ex multis ejus textibus, quod tam liberum arbitrium, etiam pro statu naturæ lapsæ, quam gratiæ necessitatem aperte adstruxerit.

5. Ob. DEUS non fallitur. Ergo quidquid præscivit, necessario fiet. Quia nec falli nec mutari potest præscientia. Ex eis, quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini, filii sui, perire nullus potest. Si homo dixit, *quod scripsi, scripsi*, num DEUS

US delebit, quem prædestinavit, quem scripsit in libro vitæ? *S. Aug. diversis locis.*

*Resp.* Quod præscientia DEI sit infallibilis, nemo dubitat. Nam quæ DEUS præscit, fieri necessario debent, sed *necessitate consequente*, ab homine per liberum arbitrium impedibili. Si enim homo non peccat, sicut gratia adjutus potest non peccare, tunc DEUS non præscivit peccatum. Licet ergo homo præscientiam peccati *mutare* non possit, neque omittere peccatum in *sensu composito* cum præscientia peccati; potest tamen facere *sensum divisum* a præscientia peccati, quatenus potest non peccando facere, ut DEUS peccatum nunquam præviderit, sed loco peccati ejus omissionem. Et sic non potest quidem præscientiam mutare, nec facere, ut semel existens desinat existere; sed *impedire* illam potest, & facere, ut nunquam exstiterit, item facere, ut contrariam præscientiam habeat.

Perire igitur nullus potest potentia consequente ad prædestinationem, nec deleri potest, postquam aliquis scriptus fuit in libro vitæ; potest tamen potentia antecedente per malam & obstinatam voluntatem, Pharaonis instar, facere, ut nunquam scriptus fuerit in libro vitæ.

Dices; DEUS jam ante prævisa bona vel mala opera prædestinavit aut reprobavit, & consequenter præscivit, me salvandum vel damnandum. Ergo non possum impedire præscientiam & prædestinationem vel reprobationem; consequenter inferunt necessitatem antecedentem, quæ tollit libertatem.

*Resp.* Propter hanc rationem nego, quod DEUS prædestinet ante visa per scientiam conditionalem bona opera: scit enim per hanc scientiam, quid homo sub quacunque gratia esset operaturus. Potest ergo homo per malam operationem facere, ut DEUS per scientiam mediam non præviderit bonam operationem; consequenter homo potest impedire scientiam mediam de consensu & operatione bona: impedita autem hac scientia, impedit etiam decretum prædefinitivum & prædestinativum. Adeoque, sicut præscientia nostrorum actuum, sic etiam decreta divina, non inferunt necessitatem antecedentem & inimpedibilem, sed tantum consequentem, & ab homine impedibilem. Nec dubitabit, quin hæc fuerit doctrina S. Augustini, qui ejusdem textus de libero arbitrio, & gratia supra allatos probe ponderaverit.

6. Ob. Necessario fit, quod DEUS vult fieri. Necesse est fieri voluntatem DEI; quia inaniter nihil potest velle. Creatoris vo-

luntas rerum necessitas est. Omnipotentiam DEI quis evitet? Quod vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ rationalis voluntatis omnipotentis impeditur effectus. *In Enchirid.* DEI voluntati humanæ voluntates non possunt resistere; quandoquidem de ipsis etiam hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit. *L. de corrept. & grat. c.* 14. *n.* 5. Ergo secundum S. Aug. voluntas humana non habet arbitrium liberum.

*Resp.* Adhæc omnia eadem ferme est responsio; nam quod DEUS fieri vult, necessario fit, necessitate *consequente*, & a creatura rationali impedibili, non autem necessitate antecedente & irresistibili. DEI voluntati homo non potest resistere, potentia consequente, potest tamen potentia antecedente: seu non potest resistere *in sensu composito*, hoc est, non potest cum decreto prædefinitivo conjungere resistentiam, potest tamen resistere *in sensu diviso a decreto*, quatenus potest, eligendo malum, impedire præscientiam & prædefinitionem boni, ac facere, ut nunquam exstiterit: & eligendo bonum impedire præscientiam mali, & decretum permissivum mali.

Quod quo sensu dicatur, ut melius intelligatur, notandum. DEUS hominem in actionibus suis moralibus vult esse liberum: seu vult, ut habeat libertatem: & hujus divinæ voluntatis effectus non impeditur. Sive enim homo faciat bonum, sive malum, libere id eligit, libere id facit. Si bonum eligat, & faciat, eligit & facit id vi suæ libertatis & gratiæ excitantis & adjuvantis. DEUS autem hoc ipso præscit ab æterno, quod liberum arbitrium, per hanc gratiam divinam constitutum, electurum & acturum esset bonum, simulque decreto absoluto decernit conferre in tempore hanc gratiam, videtque absolute futurum bonum seu actum salutarem; videt autem futurum tum in suo decreto, tum etiam in ipso actu, quia est futurus: DEUS autem cognoscit omnem veritatem.

Jam vero in hoc systemate, quod S. Augustini esse non dubito, expressum tum aliis locis, tum *lib.* 1 *ad Simpl. q.* 2 *n.* 13 his verbis: *nullius DEUS frustra miseretur; cujus autem miseretur, eum sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* In hoc, inquam, systemate primas tenet gratia excitans & adjuvans; nam prævidet DEUS, si homo haberet hanc gratiam, dependenter ab illa liberum arbitrium eliciturum fore actum salutarem. Si autem homo gratiæ esset restiturus, prout posset resistere, DEUS eam præscientiam conditionatam non haberet, sed contrariam.

Po-

Poteſt ergo homo non conſentiendo gratiæ impedire hanc præſcientiam conditionatam de conſenſu ſalutari. Hac impedita DEUS non prædefinit decreto prædefinitivo actum bonum, quia non vult tollere libertatem, hominibus generaliter circa actus humanos conceſſam.

Combinantur igitur hoc modo optime liberi actus noſtri cum divinis judiciis, & ſalvantur, quæ ſunt ſalvanda. Nam ſalvatur primatus divinæ gratiæ ſupernaturalis ad omnes actus ſalutares, etiam ad fidem & initium ſalutis neceſſariæ; & ſic contradicitur Pelagianis & Semipelagianis. Contra Manichæos vero, Calviniſtas, & Janſeniſtas ſalvatur libertas arbitrii; quia nec gratia neceſſitat ad aſſenſum, nec præſcientia aſſenſus aut decretum divinum, utpote quod ab homine eſt impedibile, & ſuo modo conſequitur ad aſſenſum liberum hominis prævíſum, ſeu ab æterno objective in mente DEI exiſtentem. Hic enim aſſenſus eſt *ratio logica* (ut quidam loquuntur) cur DEUS illum prævideat; nec enim, ut docet S. Aug. ideo agit homo, quia DEUS prævidet, ſed ideo prævidet DEUS actum, quia illum homo eſſet aut eſt poſiturus in tempore.

Atque ex his facile reſpondetur ad mentem S. Auguſtini ad ſingula ex eodem objecta. Nam certum eſt, quod ſi DEUS efficaciter & abſolute aliquid, nulla facta ſuppoſitione, velit, illud neceſſario fieri, cum ſit plenus, omnipotens, atque abſolutus Dominus naturæ omnis creatæ, ex ſuppoſitione collatæ hominibus viatoribus libertatis, omnia rurſus fiunt libere, quæ DEUS vult libere fieri: multa tamen DEUS vult, imo præcipit fieri, quæ tamen non fiunt. Profecto, quod DEUS præcipit, vult fieri; & quoties non fit? quoties fit contrarium illi, quod per præcepta vult, ut fiat? Quoties ſtat ad oſtium & pulſat, ſed non aperitur, quoties vocat, ſed non reſpondetur, quoties voluit congregare filios ſuos? ſed noluerunt. Nempe DEUS vult quidem ſerio, omnia mandata ſervari; quia tamen homini liberum relinquit arbitrium, permittit contrarium. Et tunc, licet non fiat voluntas ſalvatoris, fit tamen voluntas judicis, ſcelerum vindicis, ſeu volentis ſcelera plectere.

Ceterum ſuppoſito decreto prædefinitivo aut prædeſtinativo, fiunt, quæ decreta ſunt, neceſſario, *neceſſitate conſequente* & impedibili, prout dictum eſt; & in hoc ſenſu voluntas creatoris rerum neceſſitas eſt. Nemo reſiſtere poteſt potentia conſequente, & in ſenſu compoſito. In alia tamen providentia poſſet DEUS negare homini libertatem; & tunc omnia fierent neceſſario neceſſitate antece-

tecedente & inimpedibili; sed tunc nullum esset meritum aut demeritum, præmium aut pœna.

# Caput XIII.

## *Thesis Janseniana & Quesnelliana :*

*OMnibus permittenda est lectio S. Scripturæ, & quidem in lingua etiam vernacula.*

Hanc thesin plures Jansenistæ cum Quesnello ( ut patet ex propositione 80 & sequentibus damnatis per bullam Unigenitus ) tradiderunt, ac propterea novum testamentum in linguam Gallicam transtulerunt, ut ab omnibus legi possit.

## ANTI-THESIS *Augustini.*

NOn expedit, ut populus promiscue sacram Scripturam legat, ex versione præsertim in linguam vernaculam.

Tum quia ejusmodi versiones sæpe sunt infideles, & corruptæ; tum quia ad intelligendas rite sacras scripturas, sæpe obscuras, opus est magno copiosoque bonarum artium scientiarumque apparatu, notitia historica, magna virtute, prudentia, ingenio sublimi, attamen cauto & humili, aliisque dotibus, ne incautus lector per imprudentiam, imperitiam, temeritatem, ex libro vitæ sibi aliisque mortem legat, prout S. Aug. *lib. 2 de doctrina Christiana c.* 4, 16, 18, 29, 31, 41, 42 *&c.* late prosequitur.

Certe, quidquid hæreticorum unquam passa est ecclesia, sacræ scripturæ, perperam intellectæ, falsa allegatione errores suos tueri ac roborare temerarie præsumpsit. Infimæ conditionis homines sacrarum litterarum abusu, nova atque erronea sibi dogmata procudebant, cibum animæ, de se optimum, in venenum sibi vertentes.

Notat hoc S. Aug. lib. cit. c. 6 n. 7 inquiens : *multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui* divinam Scripturam *temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam locis, quid vel falso suspicentur, non inveniunt. Ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt.*

Tract.

Tract. 18 in Joan. n. 1. *Neque enim natæ sunt hæreses, nisi dum scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temere & audacter asseritur.*

Idem scribit l. 7 de Gen. ad lit. c. 9 n. 13. *Nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod scripturam non recte intelligentes suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.*

Et epist. 264 ad Maximam n. 3. *Sine dubio hoc ipsum, quod perverse & impie sentiunt, aliquibus testimoniis sacrarum scripturarum conantur adstruere. In quibus eis ostendendum est, quam non recte intelligant literas sacras.*

Idem ad Consentium epist. 120 c. 3. *Ipsæ scripturæ sanctæ, nisi eas recte intelligas, utiles tibi esse non possunt. Omnes enim hæretici ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores, & quod eas non intelligant, hæretici sunt.*

Et in psal. 10 n. 2 ait, hæreticos ex scripturis sacris, quas illi carnaliter interpretantur, venenatas sagittas emittere.

Lib. de fide & oper. c. 4, plura recenset exempla, quales hæreses ex scriptura, male exposita, sint ortæ, uti Sabelliana, Ariana, Manichæa, Joviniana.

Dicunt quidem hæretici, scripturam per se ipsam esse clarissimam, ut adeo quilibet facile per se ipsum possit intelligere, cum non sit necesse in pleno meridie lucernam accendere. Verum longe aliter se res habet, longe aliter sensit S. Aug. prout dum l. c ait, *multis obscuritatibus & ambiguitatibus* eos decipi: per *obscura dicta densissimam caliginem obduci.*

Lib. 83 quæstionum q. 64 n. 1 ait: *Evangelica sacramenta non omnibus patent, & ea nonnulli minus diligenter minusque sobrie interpretando, afferunt plerumque pro salute perniciem, & pro cognitione veritatis errorem. Quod ipsum etiam S. Petrus de epistolis S. Pauli asseruit.*

Quapropter non est utile, ut quivis hæc sancta sanctorum ingrediatur; sed a sacerdotum interpretatione melius divina doctrina ex sacris litteris hauritur. Audiatur Aug.

Lib. 1 de morib. eccl. Cath. c. 1 n. 1 ait: *quis mediocriter sanus non facile intelligit, scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui earum doctores se esse profitentur: fierique posse, imo id semper contingere, ut multa indoctis videantur absurda, quæ, cum a doctioribus exponuntur, eo laudanda videantur, & eo accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur?*

Et ep. 140, quæ est ad Honoratum de Gratia novi Test. c. 14 n. 36. *Ad eos potius, qui perfectiores sunt, scripturarum intellectum pertinere monstratum est.* Et in psal. 103 serm. 1 ait: *quicunque ergo infirmi, non possunt ascendere in hoc cælum, id est, ad intellectum scripturarum per nubes ascendunt. - - Si labor noster non sit infructuosus, ascenditis in cælum scripturarum divinarum, hoc est, in intellectum earum per prædicationem nostram.*

Denique lib. de util. credendi ad Honorat. c. 17 n. 35. *Si unaquæque disciplina, quanquam vilis & facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit, quid temerariæ superbiæ plenius, quam divinorum sacramentorum libros, & ab interpretibus suis nolle cognoscere, & incognitos velle damnare?*

Et cap. 7 ad Honoratum dixerat: *Tu in eos libros sine duce irruis, & de his sine præceptore audes ferre sententiam. - - - Quæreres aliquem pium simul & doctum, cujus & præceptis melior fieres, & doctrina peritior.*

Objicitur 1 ex lib. 2 ad lit. Petil. c. 92 n. 210, ubi S. Aug. testatur, a lectoribus populo congregato prælectam fuisse sacram scripturam.

*Resp.* Ita est, hæc antiquitus erat consuetudo, ut lectores ecclesiastici coram populo legerent S. Scripturam, prout hodiedum prælegitur tum in missa tum ante concionem Evangelium. At nullum suberat erroris periculum; quia peracta lectione cathedram conscenderunt præsules, ex qua lecta populo exponebant, &, si quid involutum erat, explicabant. Hinc episcopi *tractatores* appellabantur, quia de verbo DEi tractabant.

Ob. 2. In psal. 8 n. 8 ait: *Inclinavit ergo scripturas DEus usque ad infantium & lactentium capacitatem.*

*Resp.* Per hoc Aug. dicere voluit, multa in scripturis tam facili & simplici dicendi genere proponi, & historicam scribendi rationem tam apertam, ingenuam, & sinceram esse, ut etiam a pueris possit intelligi. Per hoc tamen non negavit, in multis locis tam reconditos & abstrusos esse scripturæ sensus, ut sine docto interprete a rudibus non possit capi: prout ex textibus Augustini allatis manifeste patet.

Hinc ep. 137 c. 5 ait: *Modus ipse dicendi, quo S. Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, tam paucis penetrabilis, ea, quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero, quæ in Mysteriis occultat, nec ipsa superbo eloquio erigit, quo non audeat accedere mens*

*tardiuſcula & inerudita, quaſi pauper ad divitem.* Id eſt, ope docti & pii interpretis, prout S. Aug. mentem ſuam toties manifeſtavit. Imo hoc ipſo loco diſcrimen facit inter acceſſum & penetrationem: *omnibus acceſſibilis, quamvis paucis penetrabilis*: accedere ergo omnes, etiam rudes poſſunt ad audiendum verbum DEi, ut ope explicationis etiam penetrare valeant.

Ceterum ſi S. Scriptura in omnibus adeo clara eſt, cur Eunuchus reginæ Candacis non intellexit, quæ legit in Iſaia Propheta? Quare Philippus ei explicare debuit? Cur diſcipuli euntes in Emaus intelligere non poterant, donec Chriſtus eis ſenſum aperiret? Cur etiam apoſtoli ſæpe non intellexerunt parabolas & doctrinas Chriſti, donec eis clarius explicaret? Cur adhuc ſub finem vitæ Chriſti ſomniabant neſcio quod regnum terrenum Chriſti? Cur S. Petrus epiſt. 2 c. 3 dixit de epiſtolis S. Pauli, quod in *illis ſint quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem*?

Atque ex his, vel ex ſolo S. Aug. adductis, ſatis patere arbitror, non eſſe utile, ut omnes indiſcriminatim, etiam indocti utriusque ſexus S. Scripturam legant in lingua præſertim vulgari, ac proin eccleſiam prudenter egiſſe, dum Regula IV Indicis hanc lectionem reſtrinxit, ita decernens: *cum experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio epiſcopi aut inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio parochi aut confeſſarii Bibliorum a Catholicis auctoribus verſorum lectionem in vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerunt ex bujusmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis augmentum capere poſſe. Quam facultatem in ſcriptis habeant.*

Ex quo liquet, non eſſe prohibitum legere S. Scripturam in lingua Latina, Hebraica, & Græca, ſed tantum verſam in linguam vulgarem. An autem & quomodo hæc ordinatio in Germania ſit recepta aut vigeat, non eſt hic locus diſputandi.

# CAPUT XIV.

## *Thesis Jansenistarum. In statu naturæ lapsæ ignorantia invincibilis non excusat a peccato formali, homini imputabili.*

PRobant ex S. Aug. 1. *L. de grat. & lib. arbitr. c.* 3 ait, quod ignorantia eorum, qui simpliciter nesciunt, eos a damnatione non excuset.

2. Ep. 47 n. 4, *si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & hoc fecerit, utique peccat: & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quis bene fieri putat, quod male fit.*

3. *Ex l.* 1 *op. imp.* omnia, quæ per ignorantiam aguntur mala, peccata sunt & pœna peccati; prout dicit Paulus: *quod nolo malum, hoc ago.*

4. *Ex l.* 1 *retract.* quæ non voluntaria peccata dicuntur, quia vel a nescientibus vel a coactis perpetrantur, non omni modo sine voluntate possunt committi.

5. *Tract.* 89 *in Joan.* ait, quod ii, quibus non est prædicatum Evangelium, habeant quidem excusationem, sed tamen damnentur, *quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.*

6. Ex l. de adult. conjug. c. 9, *sunt etiam peccata ignorantium, quamvis minora, quam scientium.* Et l. de lib. arb. c. 18, *ait & Propheta: delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris.*

## ANTI-THESES
## S. *AUGUSTINI.*

## *Etiam in statu naturæ lapsæ ignorantia invincibilis præcepti excusat hominem a peccato formali & reatu culpæ & pœnæ.*

NAm ab Alexandro VIII damnata est Janseniana hæc propositio, ordine secunda: *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex illa non excusat a peccato formali.* Sed maneamus in doctrina S. Augustini.

Lib. 3 de lib. arb. c. 18 n. 50, ait: *quæcunque ista est caussa voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur. - - -*

Quis

*Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? peccatur autem, caveri igitur potest.* Quomodo autem caveri potest, quod prorsus invincibiliter ignoratur? quomodo resistes hosti, nuspiam apparenti, quem invincibiliter nescis esse hostem?

Eod. lib. c. seq. scribit: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras: sed quod negligis quærere.* Et eodem c. 22 n. 64. *Non enim, quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum; sed quod scire non studuit, & cui dignam, facultati comparandæ ad recte faciendum, operam non dedit.* Atqui quod invitus ignoras, quod naturaliter nescis, ignorantia invincibili ignoras, & non potes non ignorare.

Lib. 2 contra Crescon. c. 26 n. 32. *Si enim conscientia propterea lædi non potuit, quia nescivit, nunc incipit lædi, quia scivit.* Et l. 3 de lib. arb. c. 24 n. 72. *Peccatum malum est in negligentia vel ad capiendum præceptum, vel ad observandum.* Atqui, qui *invincibiliter* ignorat præceptum, nullam committit negligentiam ad capiendum præceptum, vel ad illud observandum, vel ad cognitionem illius comparandam.

Lib. 6 oper. imp. c. 17, peccatum formale sic definit: *peccatum est voluntas appetens, quod justitia vetat, & unde est liberum abstinere.* Atqui ab eo, quod prorsus invincibiliter ignoratur, non est liberum abstinere, neque ignorantia potest deponi.

Ad solvendas objectiones ex Aug. desumptas tria notanda veniunt. 1 Peccatum aliud esse *formale*, quod nempe fit cum advertentia intellectus, & consensu libero voluntatis: aliud vero *materiale*, quod quidem de se est contra præceptum generale directum & regulam primam moralitatis; excusatur tamen a reatu culpæ & pœnæ, ex defectu libertatis, aut propter ignorantiam invincibilem.

2. Aliam esse ignorantiam *vincibilem* & culpabilem, quæ nimirum potest & debet deponi: atque hæc operantem non excusat a peccato. Hinc dantur *peccata ignorantiæ.* Alia vero est ignorantia *invincibilis* seu inculpabilis, quæ non potest deponi. Hæc autem ex ea operantem excusat a peccato *formali*, ex defectu liberi & voluntarii. Quamvis enim talis actus ponatur libere *libertate facti*, non tamen *libertate peccati.*

3. Juxta S. Aug. ignorantiam vincibilem esse formale peccatum, & pœnam peccati originalis: ignorantiam vero invincibilem esse pœnam peccati originalis, non tamen formale peccatum; quamvis aliquando a S. Aug. vocetur *peccatum* per tropum, sumendo

 caussam

caussam pro effectu, nempe peccati pœnam pro peccato. His jam notatis

*Resp. ad* 1. Vel loquitur Aug. de ignorantia vincibili; & hæc utique non excusat infidelem a damnatione. Si autem loquitur de ignorantia invincibili, excusat quidem a peccato personali, non tamen ab originali, consequenter neque a damnatione.

Ad 2. Vel loquitur de errore & ignorantia vincibili: vel, si de invincibili, peccat *materialiter*, aut sumitur caussa pro effectu, dum ignorantia, quæ est pœna peccati, appellatur peccatum, more S. Augustino non infrequenti. Quando autem peccatum sumit in sensu proprio, sic loquitur: *Si fallacia tanta est, ut caveri omnino non possit, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest?* l. 3 de lib. arb. c. 18.

Ad 3. Est eadem responsio. Nam, si de ignorantia invincibili sermo est, sunt peccata materialia & pœna peccati originalis. Paulus dum dicit: *quod nolo, hoc ago*, loquitur de motibus naturæ primo primis, qui præveniunt rationem & consensum voluntatis liberum ac voluntarium. *Non enim tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Ut ait Aug. loc. cit.

Ad 4. Involuntaria dicuntur peccata *materialia*, quæ ad reatum culpæ & pœnæ homini non imputantur. Fiunt autem ab ignorantibus, cum *voluntate facti*, non esse peccata *voluntate peccati*, ut præclare loquitur S. Aug. *l.* 1 *retract. c.* 15.

Ad 5. Qui nihil sciunt de Evangelio nec scire possunt, habent quidem excusationem, quod non credant; sed tamen damnantur propter alia peccata, contra jus naturæ patrata, aut saltem propter peccatum originale. Nam Aug. loc. cit. n. 2 ait: *habere illos excusationem non de omni peccato, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est locutus.* Ceterum an detur casus, quo infidelis prorsus invincibiliter ignoret ea, quæ necessitate medii ad salutem sunt necessaria, hic non disputo. Certe *facienti, quod est in se, non denegat gratiam, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Ad 6. Sunt utique peccata, & quidem etiam formalia ignorantium, nempe ignorantia vincibili & culpabili, vel *affectata*, cum scire nolunt, vel *crassa* & *supina*, cum scire per inertiam negligunt. Et de tali ignorantia loquitur David, dum dicit: *delicta juventutis & ignorantias meas ne memineris Domine.*

Dices

Dices, S. Aug. sæpius docet, dari necessitatem peccandi, eamque oriri vel ex rebellione concupiscentiæ, vel ex prava consuetudine, vel ex perturbatis animi affectibus, vel ex ignorantia. *Resp.* Hæc necessitas non est physica, quæ libertatem tollat, sed moralis, non sine magna difficultate vincenda. Non est igitur hic sermo de ignorantia invincibili, sed vincibili, quamvis non sine magna difficultate; quæ proin a peccato formali non excusat.

# CAPUT XV.

## *Thesis Janseniana, & Quesnelliana.*

*OMnis actus, qui non est ex motivo charitatis theologicæ, est inhonestus. Hinc peccat, qui peccatum odio habet mere ob ejus turpitudinem, vel disconvenientiam cum natura, sine respectu ad DEum offensum; sicut etiam qui operatur ex spe mercedis aut timore supplicii.*

Doctrina ista damnata est ab Alexandro VIII in propositione 7, 9, 10, 11, & a Clemente XI in bulla Unigenitus a propos. 44.

## ANTI-THESIS
### *S. Augustini.*

SErm. 32 c. 14, ait: *si volumus bene vivere, plus amemus, quod promittit DEus, quam quod promittit hic mundus: & plus timeamus, quod minatur DEus, quam quod minatur hic mundus.*

In psal. 63, *mortem sempiternam time: voluptatem illam incorruptam concupisce. Ama ergo, & time: ama, quod promittit DEus: time, quod minatur DEus.* Serm. 349 c. 7. *Si non amas esse in regno, time esse in camino ignis ardentis.* Serm. 65 c. 7. *Illam mortem timentes, & illam vitam diligentes martyres, promissa DEi exspectantes, coronari meruerunt.*

Atqui amor voluptatis cœlestis, & timor gehennæ, quos hic laudat Aug. non sunt ex motivo charitatis theologicæ, sed ille est amor concupiscentiæ & spes, hic est metus salutaris pœnarum, non elicitus ex motivo charitatis theologicæ; & tamen non sunt actus inhonesti juxta S. Aug. Falsum ergo est, quod omnis actus, qui non est ex motivo charitatis theologicæ, sit inhonestus: falsum, quod peccet, qui operatur ex spe mercedis, aut timore supplicii. Et

Et utique, præter charitatem DEi, datur etiam fides, datur spes, dantur virtutes morales, quæ, licet non eliciantur ex motivo charitatis theologicæ, non sunt actus inhonesti, sed sunt virtutes, DEo gratæ, ut adeo Jansenistæ per thesin suam omnino desipiant, dum omnes, præter charitatem, virtutes tollunt, & ex virtutibus faciunt vitia.

Serm. 349 c. 2 ait: licitam esse *humanam* charitatem uxoris, filiorum, amicorum, concivium: &, si hæc charitas defuerit, reprehendendum esse. Et c. 7. *Amate filios vestros, conjuges vestras, etsi sæculariter.* Ecce præcipit Aug. amorem humanum, ac sæcularem, qui utique non elicitur ex motivo charitatis theologicæ.

*Lib. 4 contra Jul. c.* 14 & *l. de pecc. orig. c.* 38 *ait*: sumere cibum ad conservandam sanitatem, & concubitum conjugalem ad procreandos liberos, esse actus bonos. Ergo potest dari actus bonus, quin fiat ex motivo charitatis theologicæ, seu ex motivo DEi infinite boni, propter se ipsum super omnia dilecti.

Tract. 9 in ep. Joan. n. 4 ait: *si sine timore es, non poteris justificari.* Nam timor Domini initium sapientiæ. Timete eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam. Et in psal. 49 n. 7. *Si nondum desiderant DEi faciem, timeant vel ignem, terreant supplicia.* Ergo non peccant timendo.

In psal. 31. *Ille sperat, qui bonam conscientiam gerit.* In psal. 93. *Si forte tentant fluctus concupiscentiæ, intueris, quid promisit DEus, & dulcedo promissorum faciet te contemptorem dulcedinum sæculi. - - - Promisit requiem, patere molestiam: minatur ignem æternum; contemne dolores temporales.* Ergo non peccat, qui ex spe mercedis cœlestis, aut ex timore inferni operatur.

## OBJECTIONES
### Ex S. Augustino.

OB. 1. L. 3 de Doctr. Christ. c. 10 ait: *Non præcipit scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum.*

Serm. 72 c. 3. *Extirpa cupiditatem, planta charitatem. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, sic & radix omnium bonorum charitas.*

Et ep. 231. *Si desit pietas & charitas, quid est, nisi luxuriæ perditionisque materies?*

Ergo

Ergo omnis actus vel est charitas DEi, vel vitiosa cupiditas.

*Resp.* S. Augustinus per charitatem frequenter intelligit *bonam voluntatem*, per cupiditatem autem malam voluntatem. Sic *l. 15 de Trin. c.* 20 quærit: *quid est aliud charitas, quam voluntas?* Et l. de grat. Christi c. 21. *Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam charitas.* Uti etiam in psal. 36. *Ipsa est charitas, quæ dicitur & voluntas bona.* Per *pietatem* autem intelligitur cultus DEo debitus. His notatis elucet responsio ad objectiones allatas. Nam Scriptura nihil præcipit, nisi bonam voluntatem; & nihil culpa, nisi cupiditatem, seu malam voluntatem. Radix omnium malorum est cupiditas, seu mala voluntas: & radix omnium bonorum est charitas, seu bona voluntas. Si desit cultus DEi & bona voluntas, quid est, nisi perditionis materies?

Ob. 2 ex l. de mor. eccl. ait, *virtutem nihil esse nisi summum amorem DEi.* Ep. 186. *Solam charitatem vere bene operari.* Tract. 7 in ep. 1 Joan. n. 8. *Dilige, &, quod vis, fac.* In psal. 89. *Omnia bona opera nostra unum opus est charitatis, plenitudo enim legis charitas. Opus ergo unum est, in quo sunt omnia.* L. 2 contr. Crescon. c. 12. Si charitas adsit, omnia recte fiunt, si desit, omnia frustra sunt. L. de grat. Christi c. 26. *Ubi non est dilectio, nullum opus bonum imputatur, nec recte bonum opus vocatur; quia omne, quod non est ex fide, peccatum est, fides autem per dilectionem operatur.* L. 4 con. Jul. c. 3. *Sine charitate nemo bene utitur creaturis.* L. 3 oper. imp. c. n. 122. *Sine charitate nemo pie vivit, & cum qua nemo nisi pie vivit, sine qua nullius est bona voluntas &c.*

Resp. S. Aug. charitatem & dilectionem in vario sensu accipit, nunc pro *virtute theologica* principali, quæ est regina virtutum, & omnes reliquas virtutes imperat: & sic accepta nihil est nisi summus amor DEi: seu amor DEi super omnia, ad salutem omnino necessarius, sine quo proin omnia frustra sunt, nec ullum opus bonum ad cœlum ducit.

Modo pro pia ac *bona voluntate*; & hæc sola bene operatur: hæc si adsit, omnia recte fiunt; si desit, nihil recte fit; nec opus bonum imputatur. Sine ea omnia sunt frustra, quia per malam voluntatem omnia, quæ de se bona essent, depravantur: sine hac nemo recte utitur creaturis, nemo pie vivit.

Modo sumitur pro *generali virtute*, & sic omnia bona opera sunt unum opus charitatis, & plenitudo legis est charitas. Non tamen per hoc negat, dari etiam virtutes alias particulares, theo-

logicas & morales, quæ speciale suum objectum formale seu motivum habeant. Nam de quatuor virtutibus cardinalibus serm. 150 c. 8 ait: *Prudentia bona & mala discernens: justitia sua cuique distribuens: temperantia libidinem cohibens: fortitudo molestias æquanimiter sustinens: magna res, laudabilis res.* Quamvis hæc omnia etiam ex amore DEi fieri possint, & optime fiant, si ita fiant. Et hinc

Aliquando charitas ab Aug. accipitur pro *amore boni seu honestatis universalis.* Hac charitate omnes honestates, quæ in virtutibus specialibus continentur, sive officia erga DEum; sive erga proximum, sive erga se ipsum respiciant, diliguntur. Hinc l. 8 de Trinit. c. 10 ait: *quid est autem dilectio vel charitas, quam tantopere scriptura divina dilaudat, nisi amor boni?*

Sæpe etiam *charitas proximi* & benevolentia erga illum intelligitur, aut *charitas habitualis*, sine qua alia ad salutem acquirendam non prosunt. Quia destitutus charitate habituali destitutus etiam est gratia habituali justificante. Quamdiu igitur homo in hoc statu manet, potest quidem ponere opera moraliter bona, non tamen meritoria de condigno salutis æternæ.

Denique loquitur etiam quandoque S. Aug. de charitate actuali theologica, necessario elicienda, quando urget præceptum; & tunc omnia alia sine charitate non conducunt ad salutem. Ceterum pleraque, quæ fuerunt objecta, pugnant etiam pro fide, spe, justitia, humilitate; nam qui sine humilitate virtutes congregat, secundum S. Gregorium, quasi pulverem in ventum portat; neque tamen sequitur, quod humilitas sola sit virtus, aut omnia, ab ea distincta, sint vitia.

Ob. 3 *ex tract. 9 in ep.* 1 *Joan. n. 5*, ubi S. Aug. ait; duos esse timores: nempe unum, quo times DEum, ne te mittat in gehennam: alterum, quo times DEum, ne recedat a te: priorem nondum esse castum, quia non venit ex amore DEi, sed ex timore pœnæ, qui servilis est, & nequissimo servo ac latroni communis. Hunc foras mittit charitas. Non enim alienus est a voluntate peccandi. Timet adultera, ne maritus veniat; timet casta, ne abscedat. Voluntate peccat, qui timore non peccat. Nam, qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed ardere. Peccat, qui abstinet timore pœnæ, non amore justitiæ. Non enim ex corde fit, quod formidine fit pœnæ. Ad ovile venit lupus, latratu canum abigitur, manet tamen semper lupus.

*Resp.* S. Aug. in his locis loquitur de timore *serviliter servili*, qui inhonestus & vitiosus est; quia habet conjunctam voluntatem peccandi; nam ab opere externo quidem abstinet, in corde tamen voluntatem peccandi retinet; quia concupiscit & vult peccare, si timor pœnæ desit. Hic proin timor utique non est castus, sed est communis nequissimo servo ac latroni; hunc foras mittit charitas; quia non est alienus a voluntate peccandi: non peccare metuit, sed puniri: manet servus nequam: licet fugiat, manet lupus rapax.

Contra vero est alius timor geminus, *filialis*, quo timet filius, ne offendat patrem, eique displiceat. Hic timor est honestissimus, valde salutaris, gratusque cœlesti Patri. Tertius est timor *servilis simpliciter*, medius inter filialem, & serviliter servilem, proprius servi probi & bene morati. Hunc exprimit S. Aug. serm. 161 de verbis Apost. c. 8, ubi ait: *dicis mihi: gehennam timeo. Quid dicturus sum? male times? non audio; quandoquidem ipse Dominus dixit: eum timete, qui habet potestatem & corpus & animam occidere in gehennam ignis: ita dico vobis: hunc timete. Cum ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, & repetendo verbum comminationem geminaverit, dicturus ego sum, male times? ista non dicam. Plane time, nihil melius times, nihil est, quod magis timere debeas.* Ergo ex S. Aug. bonus est timor & præceptus, quo abstinetur a peccato ob metum gehennæ.

Ut triplicem hunc timorem melius distinguas, propone tibi exemplum triplicis servi. Servus nequam sic apud se statuit: *non furabor, ne a Domino puniar, quodsi non puniret, furarer.* Hic est timor *serviliter servilis*, inhonestus & vitiosus. Servus optimus ac valde bene moratus, amans Dominum optimum tanquam patrem, sic decernit: *nolo furari, ne tam bono Domino displiceam.* Hic timor est *filialis*, sanctissimus & saluberrimus.

Servus bonus ac probus sic apud se statuit: *Nolo furari, ne a Domino vindice puniar.* Hic autem consistit, nec ulterius progreditur, abstrahens, quid facturus esset, si nulla pœna esset timenda. Et hic est timor *simpliciter servilis*, bonus & honestus. Quod si quis talem servum urgeret interrogando: *quid autem faceres, si a Domino propter furtum non punireris*, tunc, si respondeat ex corde, *tamen non furarer, quia Domino, quem patris loco habeo, displicerem*, timor honestus simpliciter servilis transiret in honestissimum filialem. Si autem responderet: *si pœna non esset, furarer*, tunc timor honestus simpliciter servilis degeneraret in inhonestum serviliter servilem.

Ob. 4. In psal. 55 n. 17 ait, *non est castum cor, si DEum ad mercedem colit. Non diligit uxorem, sed dotem, qui propter dotem eam diligit. DEum ita diligamus, ut præter eum nihil diligamus. Præmium DEi ipse DEus est. Si aliud dilexerit, non erit castus amor. Gratis amantur flagitiosi homines, & a DEo præmium quæritur, ut ametur.* In psal. 72.

*Resp.* Per hæc S. Aug. suadet ea, quæ sunt perfectiora; non tamen vult dicere, quod spes præmii sit mala, aut quod operans ex spe cœlestis præmii, male agat; sed id tantum, quod sit amor minus castus seu minus perfectus, si ex amore *concupiscentiæ,* seu ex spe præmii, ut sibi boni, DEo serviat, quam si ex amore *benevolentiæ* aut *amicitiæ* id faceret. Eos vero, qui ex spe bonorum temporalium, qualia in locis allegatis plura enumerat, aut etiam ex spe gaudii cœlestis ita DEo volunt servire, ut bona terrestria aut etiam gaudia cœlestia DEo præponant aut plus æstiment, aut nollent DEo servire, nisi hæc merces esset, omnino damnat: & merito; quia valde inordinatum est, bona terrestria & etiam cœlestia DEo, bono optimo & infinito, anteponere, aut illa plus æstimare, quam ipsum DEum, aut DEo sine illis nolle servire.

Ceterum DEus ipse temporalia etiam bona promisit, ut homines eorum spe a peccatis absterreat, atque ad suum obsequium flectat. Perfectius utique foret, optandumque summopere, ut omnes homines servirent DEo propter DEum, eumque unice amarent propter se ipsum, nullam aliam mercedem sperarent, nisi DEum ipsum! qui est merces magna nimis. Non tamen sunt culpandi, qui etiam alia bona a DEo sperant rogantque, modo hæc non præponant DEo, aut supra DEum appretient, vel etiam DEo æquiparent, sed omnia ultimato ad DEum, tanquam ad ultimum finem referant.

Dices. Nulla datur merces, nullum præmium, quia nullum datur meritum, nisi meritum Christi. Ergo neque datur spes ex propriis operibus & meritis. Nam S. Aug. l. 83 quæst. q. 68 ait: *cum ergo meritum peccando amiserimus, quid sibi vult homo de hac massa &c.*? Lib. de prædest. SS. c. 15 n. 31. *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet, quæ regnat, gratia per J. Christum D. N.*

Et l. de corrept. & grat. c. 1 n. 32. *Nunc autem perdito per peccatum bono merito, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Idem dicit cap. seq. lib. 14 de civit. DEi c. 2 ait,

DEum homines *non meritis, quandoquidem universa massa tanquam in vitiata radice damnata est, sed gratia discernere.*

*Resp.* Creatum initio hominem rectum, cum natura justitia originali & gratia a DEo ornatum, per peccatum vero personale Adæ, nobis hæreditarium, gratiam, meritorum semen, fuisse perditam atque extinctam, ut proin nullum amplius præmium supernum mereri potuissemus, nisi JEsus Christus, nostri misertus, gratiam nobis gratuito prorsus reparasset, cujus excitantis, prævenientis & concomitantis adjutorio actus supernaturales salutaresque, præmii superni meritorios, possemus ponere. Unde merito Apostolus interrogat, & Augustinus cum eo, *quid habes, quod non accepisti?* Ipsa etiam bona opera & merita nostra sunt dona gratiæ, quæ ad omne opus bonum ac meritum nostrum, etiam ad initium fidei, prærequiritur. Cum ergo gratiam primam, a qua cetera omnia tanquam radice ac semine dependent, mereri nullo modo possimus, sed a DEo prorsus gratuito conferatur, quidquid boni operis & meriti in nobis est, DEo ac JEsu Christo filio ejus reparatori nostro est adscribendum; ut adeo verissimum sit, quod ait Aug. DEum, dum coronat merita nostra, nihil aliud coronare, quam munera sua.

Verissimum, quod meritum peccando in Adamo amiserimus, imo etiam potentiam meritum ponendi, constitutam per auxilium gratiæ, prorsus gratuitæ: non esse, quod gloriemur de meritis nostris, cum sint dona gratiæ, quam, nullis nostris præcedentibus meritis, gratis accepimus per JEsum Christum, redemptorem nostrum: per hanc, prævisam, efficacem vel inefficacem fore, discerni a DEo fidelem ab infideli, prædestinatum a reprobo, justum ab impio.

Scripsit nempe hæc Aug. contra Pelagianos, qui dicebant, nos per opera nostra naturalia, seu viribus solius naturæ facta, mereri præmia supernaturalia, vel saltem, ut Semipelagiani dicebant, initium salutare fidei, & sic hominem per opera naturalia se ipsum discernere, quæ sunt falsissima & hæretica; cum ad omnem prorsus actum salutarem prærequiratur gratia Christi.

Hinc S. Aug. nunquam negavit, dari in homine opera salutaria ac meritoria, sed id constanter asseruit, ea a gratia dependere, & sic esse DEi dona. Sic lib. de dono persev. c. 2 n. 4 ait: *gratiam DEi non secundum merita nostra dari, quoniam DEi dona sunt, & DEi gratia conferuntur etiam merita universa justorum.* Et l. 2 contra 2 ep. Pelag. c. 6. *Gratia DEI præveniri omnia hominis me-*

 *rita,*

*rita, nec gratiam meritis dari*, primam videlicet, aut ſequentes etiam ullis meritis naturalibus; contrarium autem Pelagiani aſſerebant. Unde lib. de Grat. & lib. arb. c. 6 ait Aug. *Sed plane cum data fuerit* gratia, *incipiunt etiam eſſe merita noſtra bona, per illam tamen.* Et ſerm. 169 de verb. Ap. c. 2. *Gratia præceſſit meritum tuum: non gratia ex merito, ſed meritum ex gratia; nam, ſi gratia ex merito, emiſti, non gratis accepiſti.* Unde ep. 194 c. 5 addit: *cum DEus coronat merita noſtra, nihil aliud coronat, quam munera ſua.* Et l. de grat. & lib. arb. c. 18. *Eligentium hominum meritum nullum eſſet, niſi eos eligentis DEi gratia præveniret. Cap.* 6 vero de Paulo apoſt. ait: *Merita ſua bona commemorat, ut poſt bona merita conſequatur coronam, qui poſt merita mala conſecutus eſt gratiam.* Ecce ordinem. 1 Datur gratia. 2 Dependenter a gratia ponuntur merita. 3. Datur corona & præmium meritorum. *Bonum certamen certavi - - - repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam dabit mihi Dominus juſtus judex.*

Et ſerm. 297 c. 4 quærit Aug. *Cui reddet coronam debitam, O Paule parve, magne? utique meritis tuis. - - - Reddet coronam debitam meritis tuis; ſed, ut reddatur tibi corona tua, DEi dona ſunt merita tua*; quia ſcilicet gratia eſt ſemen, radix, fons, & origo meritorum. Quamvis igitur etiam homo ponendo per liberum arbitrium merita agat, & operetur, tamen hoc tam parum eſt, ut opera hominis meritoria adſcribenda ſint primo agenti, primo determinanti, primo excitanti & moventi, qui eam dedit gratiam, quam cum conſenſu & cooperatione hominis conjungendam prævidit.

Manifeſtum proin eſt, ſecundum S. Aug. etiam pro hoc ſtatu naturæ lapſæ dari in homine vera ac propria merita ſupernaturalia, quæ ſpem præbeant vitæ æternæ. Omnia tamen merita ex gratia velut ex fonte ſuo profluunt, ita quidem, ut prima gratia nunquam ſub ullum meritum, de condigno vel de congruo, poſſit cadere. Si autem quis primæ gratiæ cooperetur, & dependenter ab illa actum meritorium, ſupernaturalem ponat, nihil obſtare videtur, quo minus hic actus ſit meritum novæ gratiæ, ſeu augmenti gratiæ, quæ in novum actum meritorium influat. Nihilominus enim hæc gratis daretur, cum ipſum etiam meritum, ut ex Aug. conſtat, ſit donum DEi, prout dicit l. de patient. c. 20 his verbis: *& ideo etiam cum gratia adjuvat juſtum, & videtur ejus meritis reddi, nec ſic deſinit eſſe gratia, quoniam id adjuvat, quod ipſa eſt largita.*

Caput

# Caput XVI.

## *Theses Jansenianæ & Quesnellianæ.*

*Sine gratia supernaturali nullus fieri potest actus moraliter & naturaliter honestus. Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris. Omnia infidelium & peccatorum opera sunt peccata.* Quesnellus prop. 38 & seqq.

## ANTI-THESES
## *S. AUGUSTINI.*

POssunt ab infidelibus, imo etiam a fidelibus, fieri aliqua opera; rationi naturali consentanea, ex ductu luminis naturalis, a DEo, ut auctore naturæ, ipsis inditi, sine ullo motivo supernaturali, per fidem cogniti. Atqui talia opera ordinis naturalis non sunt peccata, sed sunt actus naturaliter & moraliter boni ac honesti. Nam

S. Aug. *l. de spir. & lit. c. 27 n. 47*, adducens textum S. Pauli: *Gentes ea, quæ legis sunt, naturaliter faciunt*, ait, *non spiritu DEi, non fide, non gratia* ab eis hæc fieri: *hos tamen nondum esse ex eorum numero, quos Christi justificat gratia, sed potius eorum, quorum, etiam impiorum, nec DEum verum veraciter justeque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito recteque laudamus.* Atqui hæc opera non sunt supernaturalia, quia, ut ait Aug. non præstantur *ex spiritu DEi, non fide, non gratia*, sed ductu rationis & honestatis naturalis. Ergo sine viribus gratiæ supernaturalibus fieri possunt aliqua opera, naturaliter & moraliter, seu secundum mores honesta, non vituperanda sed laudanda. Ergo falsum est, quod infideles & peccatores in singulis operibus peccent, aut quod non sint liberi nisi ad malum.

Et quid ineptius dicere, quam infideles aut alios peccatores per singulos actus peccare; an ergo per singulos motus linguæ, oculorum, manuum, pedum peccant. An heroes illi Romani & Græci, de quibus Plutarchus aliique scriptores memorant, per singula sua pro patria, pro virtute militari & civili præclare gesta peccarunt? an Catones illi, Fabricii, Metelli, aliique viri integerrimi?

rimi? an Scipio ille Africanus, dum Maſaniſſæ pudicitiam apud Livium ſuaſit, per hoc peccavit? an Alexander M. dum captivam Siſigambim tam modeſte habuit, neque ab ullo violari permiſit? Veteres illi philoſophi multas inſignes morum doctrinas ſcripſerunt, an ſingulas litteras efformando, an Stoici per ſingula rigidæ ſuæ diſciplinæ & virtutum moralium præcepta peccarunt? ſit, quod non raro vanæ gloriæ cupiditate, oſtentatione, & jactantia opera ſua magna vitiaverint: ſed an ſemper? S. Aug. l. c. ait, multa in illis fuiſſe laudanda, quia ſcilicet ad honeſtatem morum recte compoſita, & ita compoſita, ut multis Chriſtianis merito ruborem incutiant, dum vident, homines, veræ fidei lumine deſtitutos, tam ardua geſſiſſe, tam rigidam vitæ diſciplinam, tantamque morum honeſtatem ſibi aliisque præſcripſiſſe?

Hoc unum dolendum, quod tam magnos fecerint paſſus, quamvis honeſtos moraliter, ſed tamen extra viam veræ fidei, non ducentes ad ſalutem æternam. Unde l. c. c. 28 ait Aug. *ad ſalutem æternam non proſunt impio aliqua bona opera.*

Sed non tantum infideles & peccatores præſtant aliqua bona opera naturalia, ſed etiam fideles. Sic Aug. *ſerm.* 349 *c.* 2 ait, licitam eſſe *humanam* charitatem, qua uxor, filii, amici, cives, diliguntur: *humanam* inquit, ſeu naturaliter honeſtam, qualis etiam apud infideles invenitur, nec ſupernam gratiæ regionem ingreditur. Hanc eandem charitatem ſeu potius miſericordiam Cicero laudat in Julio Cæſare; laudat & Aug. *l.* 5 *de civ. c* 5. Et l. 3 contra 2 ep. Pelag. c. 5 enumerat plures virtutes morales, quæ tamen ex defectu fidei ad ſalutem animæ non perducant. Perſiſtunt in ordine naturali; ſupernaturalis ordinis ſanctuarium non attingunt; dona DEi ſunt, ſed *ut auctoris naturæ*, qui & vires naturæ & lumen rationis dedit, non vero *ut auctoris gratiæ*, totam naturæ ditionem tranſcendentis.

*Ep.* 164 *c.* 2 rurſus enumerat varias multorum gentilitium laudabiles vitas & virtutes, uti parſimoniam, caſtitatem, continentiam, ſobrietatem, mortis pro patria contemptum, ſervatam etiam hoſtibus fidem. An etiam omnes hæ virtutes ſunt vitia? Et *ep.* 217 ait, laudari per quasque gentes, præſertim Romanam, *qui præclare glorioſiſſimeque vixerunt.* Lib. 1 de civ. DEi c. 24. *Inter omnes ſuos laudabiles, & virtutum inſignibus illuſtres viros non proferunt Romani meliorem Attilio regulo, quem neque felicitas corrupit, neque infelicitas fregit.* Denique *ep.* 138 *c.* 3. *DEus enim ſic oſtendit in opulentiſſimo & præclaro imperio Romanorum, quantum*

*tum valerent civiles etiam, ſine vera religione virtutes,* quas opulentia, victoriis, ac temporalibus præmiis remuneratus eſt.

Sed peccatores, inquiunt, in ſingulis operibus peccant. Abſurda ſententia! an ergo Publicanus ille, demittendo oculos, pectus percutiendo, rogando miſericordiam peccavit? quærit Auguſtinus *ſerm.* 135 c. 5. Peccator ſane erat; non enim eſt mentitus, dum dixit, rogavitque: *propitius eſto mihi peccatori.* Ecce prius ſe humiliavit, prius rogavit peccator, poſtea deſcendit in domum ſuam juſtificatus.

Quare Aug. eod. ſerm. c. 6 *peccatores ad preces hortatur: incumbite ergo orationibus peccatores, confitemini peccata veſtra, orate, ut deleantur, orate, ut minuantur.* An peccata ſunt hæ orationes? an ad peccandum amplius S. Aug. peccatores hortatus eſt? clama cum Davide *de profundis* ad Dominum: clama: *miſerere mei DEUS.* Clamaverunt Ninivitæ, clamavit latro in cruce: lacrymis pedes rigavit Chriſti Magdalena peccatrix: & propitiationem invenerunt. Roga Chriſtum, ut ejiciat dæmonium. Cor contritum & humiliatum non deſpiciet.

Quid ineptius, quam dicere, orationes, jejunia, cilicia, cineres Ninivitarum fuiſſe peccata, eleemoſynas peccatoris eſſe peccata? An erravit, qui dixit: *peccata tua eleemoſynis redime.*

## OBJECTIONES
### *Ex S. Auguſtino.*

OB. 1. *In pſal.* 31 ait, neminem ante fidem bene operari: opera, quantumvis videantur laudabilia, eſſe inania, & vacua, curſus celerrimos præter viam: eo plus errari, quo plus curratur. *L.* 14 *de Trin.* Virtutes ipſas ante fidem non eſſe veras virtutes, nec vere bonas. *L.* 5 *de civ. c.* 12. Non eſſe veram virtutem, quæ ad DEUM, ultimum hominis finem, non tendat. Ergo nullus datur actus moraliter tantum honeſtus.

*Reſp.* S. Aug. per hæc non vult dicere, quod opera bona, ante fidem, non ſint bona & honeſta moraliter, ſeu in linea naturali honeſtatis morum, ad rectam rationem luminis naturalis, a DEO ut auctore naturæ creaturis rationalibus inditi, compoſitorum; quin imo aperte dicit, ſub hac ratione eſſe bona, laudabilia, virtutes, præmii naturalis de congruo ſeu improprie dicti, meritorias. Sed loquitur *comparative* ad ordinem ſupernaturalem, ad ultimum finem hominis, in ſtatu *elevationis* conſtitu-

ti, ad opera bona & virtutes supernaturales, quæ solæ ad hunc finem conducunt, nempe ad DEUM in cælo possidendum.

Et in hoc sensu dicit, non esse veras virtutes, neque opera vere bona, nempe comparative ad virtutes & opera supernaturalia, per gratiam Christi facta, quæ sola ad vitam æternam ducunt, tanquam illius merita. Et sic opera naturalia, ut ut moraliter ac naturaliter honesta, atque lumini rationis naturali consentanea, esse ordinis multum inferioris, supernaturalis meriti inania & vacua; esse passus & cursus præter viam, quæ ducit ad DEUM, finem & terminum ultimum omnis naturæ rationalis, veramque illius beatitudinem.

Ob. 2. L. 4 contra Julianum c. 3 ait: *quod si vitium est, male misereri, procul dubio vitium est* infideliter *misereri: quod si & ipsa misericordia per se ipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono male utitur, qui infideliter utitur. Et hoc bonum male facit, qui infideliter facit; qui autem male facit aliquid, profecto peccat. - - - Omne enim, velis nolis, quod non est ex fide, peccatum est.* Atqui omnia opera infidelium, quantumcunque videantur de se laudabilia, fiunt ab eis infideliter, cum non sint ex fide. Ergo sunt peccata. Ulteriorem ibidem addit rationem; nam, quidquid boni fit ab homine, si non fit ad rectum & debitum finem, nempe ad serviendum & placendum DEo, eoque fruendum, peccatum est. Atqui virtutes infidelium non fiunt ad rectum & debitum hunc finem. Ergo sunt peccata.

*Resp.* S. Aug. hic loquitur de iis infidelibus, qui opera sua, de se bona, mala intentione vanæ gloriæ, ostentatione, jactantia, superbia, fastu, inordinata humanæ laudis cupiditate, aut alio pravo affectu vitiabant, quales erant plures ex gentilibus philosophis, & heroibus, quorum gesta grandia mirabatur, & laudibus celebrabat antiquitas. De his igitur dicit Aug., quod bonum male agant, quod bono male utantur, eo quod infideliter illo utantur, nempe ad vanam gloriam, ostentationem, & inordinatam laudis cupiditatem exsatiandam. Et hinc per accidens talia bona de se opera fiunt peccata; quia male aguntur, seu non recta intentione. Nam quidquid non est ex fide, seu ex recta conscientia per dictamen rationis directa, peccatum est; quidquid enim est contra dictamen conscientiæ, peccatum est, utpote a regula proxima moralitatis deflectens. Atque hinc, si opera etiam de se bona ab homine, DEUM cognoscente, ejusque recordante, nullo modo referantur ad DEUM, ne quidem implicite & virtualiter, sed

ſed ex inordinato affectu erga ſe ipſum fiant, per pravam intentionem, quæ eſt omnium virtutum peſtis, omniaque opera bona inficit, fiunt mala & peccata. Non tamen omnia infidelium opera hac peſte erant infecta; ſed multa fiebant ex proprio virtutum moralium motivo, nempe ob honeſtatem ſpecialem, quæ in quavis virtute relucet.

Unde merito ab Alexandro VIII damnata eſt hæc Janſeniſtarum propoſitio, ordine octava: *neceſſe eſt, infidelem in omni opere peccare.* Et a Clemente XI hæc Quesnelliana 41: *Omnis cognitio DEI, etiam naturalis, etiam in philoſophis ethnicis, non poteſt venire, niſi a DEO, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum DEUM, loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.* Et hæc 59: *oratio impiorum eſt novum peccatum, & quod DEUS illis concedit, eſt novum in eos judicium.*

Sed dices. Ipſe S. Aug. in pſ. 108 n. 9 dicit: *oratio, quæ non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum, ſed etiam ipſa fit in peccatum.* Variis quoque locis non prodeſſe peccatoribus eleemoſynam aſſerit, eo quod non Chriſtum paſcat, ſed judicem corrumpere conetur, qui eam dat.

*Reſp.* Loquitur Aug. de Juda proditore, cujus oratio eo tempore, quo cogitabat Chriſtum prodere, non poterat fieri niſi in peccatum. At vero, ſi impium hoc propoſitum depoſuiſſet, pœnituiſſet, & veniam rogaſſet, non tantum non ceſſiſſet ei in peccatum, ſed veniam impetraſſet; prout S. doctor ibidem addit. Imo etiam poſt patratum impium facinus, ſuperfuit locus pœnitentiæ & veniæ. Idem reſpondetur de eleemoſyna; nam licet illa ſit de ſe bona, ſi tamen eam quis det, ut impune & licentius poſſit peccare (quem caſum ponit S. Aug.) nihil prodeſt danti. Redimit ergo eleemoſyna peccata quoad pœnam temporalem, ſi prius per pœnitentiam deleta fuerit culpa & reatus pœnæ æternæ. Imo etiam, ſi ante formalem pœnitentiam daret peccator eleemoſynam, ut a DEO obtineat gratiam, rite pœnitendi, & a peccatis deinceps abſtinendi, utique non peccaret, ſed bonum opus perageret: prout ſubjungit Aug. alloquens *ſerm.* 39 peccatores: *ergo ad hoc facite eleemoſynam, ut veſtræ orationes exaudiantur, & adjuvet vos DEUS ad vitam in melius commutandam.* Imo etiam, ſi peccator, nihil cogitans de ſuis peccatis, incidat in pauperem, & ejus miſeriam miſeratus det ei eleemoſynam, non peccat, ſed opus moraliter bonum facit.

# CAPUT XVII.

## *Thesis Janseniana & Quesnelliana de Judæis.*

EXceptis paucis justis in veteri lege omnes in singulis operibus peccarunt ex defectu gratiæ. Nam S. Aug. pluribus locis dicit, populum illum carnalem Judaicum, terrenis promissionibus innixum, de cælo parum cogitasse. Legem autem, quamvis timore impelleretur servili, observare non potuisse; ab eo autem, qui est sub lege gratiæ, præcepta impleri, paucissimos spiritales, quid facerent, novisse, gratiam defuisse, legem minas intentasse, sed non adjuvisse, non sanasse. Terrenis irretitos, eaque tantummodo sperantes, admissos non fuisse ad hæreditatem spiritalem cælestis patrimonii.

*Resp.* S. Aug. nullatenus per hæc dicere voluit, populum illum Judaicum nullam habuisse gratiam, aut peccasse in singulis operibus: sed fatetur, non paucos ex Patriarchis, prophetis, & aliis justis, quos multos ipsa etiam S. Scriptura dilaudat, vitam sanctam duxisse, atque salvatos esse. Etiam, quando Elias putabat, se solum relictum fuisse servum DEI, audiisse ab eo, esse septem millia, quæ non curvassent genua ante Baal.

Licet autem pauci, respective ad tantam multitudinem Israëlitarum, vel ad multitudinem Christianorum, probe vixerint, non sequitur, quod nullam habuerint gratiam, aut quod necessario peccaverint, aut in singulis actibus peccarint; sicut in novo testamento, licet plurimi atque major multo pars carnali concupiscentia abrepti aut pravis animi motibus impulsi peccent, non tamen sequitur, quod nullam habeant gratiam, aut quod necessario peccent, aut quod in omnibus operibus peccent.

Hoc certum, quod DEUS illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, omnibusque det gratiam, proxime vel remote sufficientem ad salutem, cum omnes velit salvos fieri, & pro omnibus mortem oppetierit: hæc autem gratia non modo Christianis, sed etiam ethnicis, nec tantum istis, sed omnibus etiam veteris testamenti hominibus, detur & data fuerit ex meritis Christi, iis quidem, qui post Christum vixerunt, ex meritis jam actu positis, iis vero, qui ante Christi adventum in carne vixerunt, ex ejusdem meritis a DEO absolute prævisis.

S. Aug. eos, qui ante Christi adventum pie vixerunt, ad novum

vum testamentum, seu ad legem gratiæ pertinuisse, eos vero, qui post Christi adventum scelerate vivunt, ad vetus testamentum pertinere asserit: re ipsa tamen esse unum testamentum unius DEI, sic ut novum includatur in veteri, & tunc quidem fuisse velatum, per Christum autem revelatum. *Gratia enim novi testamenti in lege velabatur, in Evangelio revelatur, - - - velum templi scissum est.* In psal. 143.

Si quæras, cur ergo, si etiam in veteri lege Mosaica omnibus data fuit gratia Christi, lex nova appelletur *lex gratiæ*? Resp. 1 ex Aug., quia per Christum velum templi scissum est, atque divina mysteria multo clarius revelata. 2. Quia nunc præ oculis habemus exemplum Christi ejusque sanctissimam doctrinam evangelicam. 3. Quia abolitis innumeris legibus ceremonialibus & judicialibus, observatu difficilibus, Christus septem sacramenta, uberrimos gratiarum fontes, instituit, ut proin abundantiores gratiæ conferantur. 4. Quia in lege veteri peccatoribus non aliud supererat justificationis remedium, quam actus contritionis aut perfectæ charitatis: in lege autem gratiæ habemus sacramentum pœnitentiæ. 5. Quia sacramenta veteris legis, ut Apostolus loquitur, vacua & egena erant elementa, quæ gratiam non conferebant, sed per sacramenta novæ legis dandam præfigurabant, nova vero hæc nostra, ut ait Florentinum, continent gratiam, eamque digne suscipientibus conferunt. Quantum ergo lux umbræ præstat, & veritas figuræ, tantum lex gratiæ legi Mosaicæ. Ex quo tamen non sequitur, quod hominibus veteris testamenti non data fuerit sufficiens gratia ad evitanda peccata & obtinendam salutem, aut quod in singulis operibus peccarint.

Quapropter Clemens XI in bulla sua *Unigenitus* damnavit propositionem Quesnelli 6tam, qua dixit, *DEUM a Judæis exegisse fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia.* Et 7mam: *quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo DEUS eum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem?*

Quam nobis ideam proponunt isti homines de DEO optimo, clementissimo? de populo ejus electo? imposuit eis legem, quam observare erat impossibile, deerat quoque gratia, qua possibile fieret: vah blasphemiam!

Vindicavimus hactenus S. Augustinum a falsis Jansenistarum accusationibus. Ceterum Alexander VIII damnavit hanc propositionem 30mam: *ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare*

 *fun-*

*fundatam, illam absolute potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.* Malim ego sentire cum ecclesia Catholica, quam cum doctore privato, quantumvis magno, si sit illi contrarius.

# CAPUT XVIII.

## *Theses Jansenistarum de sacramentis.*

ABsolutio non remittit peccata, sed tantum declarat remissa. (*S. Cyran.*) Praxis ecclesiæ circa sacramentum pœnitentiæ favet impœnitentiæ. (*Arnaldus de freq. comm. p.* 628). Non est necesse confiteri numerum, & circumstantias, mutantes speciem peccatorum. (*S. Cyran.*). S. Augustinus nunquam fuit confessus, nec alius ex sanctis patribus. (*Aurea fodina p.* 46). Regulariter absolvi non debet pœnitens incognitus, licet tantum peccata venialia confiteatur. (*Obstraët thes. theol.*) Neque ecclesia, nec ullus unquam theologus dixit, quod confessio sit sacramentum. (*M. le Maitre*).

Satisfactio debet præcedere absolutionem (*Rituel d' Aleth. p.* 91, *Quesnellus prop.* 87, 88.) Natura confessionis sacramentalis exigit, ut sit publica. (*P. Sequenot de l' Oratoire de sainte virginité.*)

Evcharistia est sacramentum, in quo anima Christi se unit materiæ panis, qui sic fit corpus Christi. (*P. Mioly de l' Orat. in thes.*) Confessarii debent restringere usum frequentis communionis. (*M. de Ligny*). Illis, qui necdum habent amorem divinum purum sine omni mixtura, item illis, qui necdum perfecte sunt uniti DEO soli, & penitus inculpabiles, interdici debet communio. (*Arnaldus de freq. comm.*)

Missa non solatur animas in purgatorio sed refectorio. (*Obstraët thes. theol.*)

## ANTITHESES
### *Catholicæ.*

ABsolutio sacramentalis est sententia judicialis, semperque fuit talis; cum a Christo sacramentum pœnitentiæ institutum sit per modum judicii, de cujus essentia est sententia judicis, absolutoria vel condemnatoria, prout ipsa etiam essentialis forma hujus sacramenti manifeste indicat: *ego te absolvo*: & Christus ipse nobis demon-

monſtravit, dum ſacramentum pœnitentiæ inſtituit, dicitque: *quorum peccata remiſeritis, remiſſa ſunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Non dixit, quorum peccata declaraveritis remiſſa eſſe, remiſſa ſunt, ſed: quorum *remiſeritis* peccata. *Solvere* non eſt declarare ſolutum, ſed ſignificat exercitium & actionem ſolutionis.

Et quid? ſi peccata jam prius a DEO ſunt remiſſa, & tantum opus eſt declaratione, quod ſint remiſſa, cur non doctior aliquis laicus poteſt eam remiſſionem declarare, ſicut medicus poteſt declarare, an ægrotus teneatur jejunare; imo cur non quilibet ſibi ipſi poteſt declarare, peccata ſua ſibi eſſe remiſſa, cum nemo melius diſpoſitionem & actus præmiſſos intelligat?

Data eſt eccleſiæ poteſtas clavium (*tibi dabo claves regni cælorum*). Claves non tantum indicant, aut declarant, portam eſſe apertam vel clauſam, ſed illam aperiunt vel claudunt.

*Nullus unquam theologus dixit, quod confeſſio ſit ſacramentum.* Næ! vir iſte multos theologos legit, qui nullum legerit, tractantem de *ſacramento confeſſionis.* Non autem per has voces intelligitur ſola narratio peccatorum, a pœnitente coram ſacerdote facta, ſed etiam contritio, propoſitum, & ſatisfactio, atque data a ſacerdote abſolutio. Legat concilium Tridentinum.

Hoc autem, credo, nullus unquam theologus, quantumvis laxus, auſus eſt dicere, quod opus non ſit confiteri numerum peccatorum gravium, & circumſtantias ſpeciem mutantes, contra expreſſam definitionem Tridentini. Judex eſt confeſſarius; quomodo autem judicabit, ſi neſciat ſpeciem criminum & numerum? quomodo proportionatam injunget pœnam? medicus eſt: quomodo diſcernet inter lepram & lepram, & medicinam præſcribet? doctor eſt: quomodo argumento ad hominem inſtruet? quomodo ſciet, quorum peccata debeat remittere, & quorum retinere?

Et ecce, quam conſequenter loquantur: *abſolvi non debet*, inquiunt, *incognitus.* An Petrus vocetur pœnitens, an vero Paulus, ſcire confeſſarius debet; quænam vero peccata, & quot commiſerit præſens ipſi perſona, ſcire non debet.

An ſatisfactio præcedere debeat abſolutionem: an confeſſio debeat eſſe publica: qualis praxis confitendi eſſe debeat: an S. Auguſtinus & alii ex ſanctis patribus nunquam confeſſi ſint, prout Janſeniſtæ ſine omni probatione temere effutiunt, ipſe S. Auguſtinus nunc docebit.

Caput

# CAPUT XIX.

## *S. Augustini doctrina de sacramento confessionis.*

1. SErm. 351 c. 4 ait, peccata gravia clavibus ecclesiæ esse subjicienda, & propter publica & scandalosa pœnitentiam publicam agendam. Viguit ergo Augustini ætate usus pœnitentiæ privatæ & publicæ. Illa expiabantur peccata occulta: hac peccata enormia publice patrata, uti idololatria, homicidia, adulteria, aliaque, quæ dicebantur *canonica*. Illius usus constanter in ecclesia viguit, ut, ad mensam Eucharisticam accessuri, prius confessione sacramentali se mundarent. Publica autem in Orientali ecclesia post quartum sæculum, in Occidentali autem post septimum fuit multum remissa, donec post undecimum penitus fuit sublata, propter scandala, infamiam, odia, aliaspue caussas.

Eandem circa utramque pœnitentiam disciplinam innuit serm. 82 in Ev. Matth. c. 7 &c. his verbis: *corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretius, quæ peccantur secretius, - - - ubi contigit malum, ibi moriatur.* Id est: si publice contigit, pœnitentia publica, si occulte, occulta expietur.

2. Tract. 22 in Joan. n. 7, *Mortuus*, inquit, *in corde tuo tanquam in sepulcro jacebas: surge & procede. Quid est, surge & procede? crede & confitere. Qui enim credit, surrexit; qui confitetur, processit. Quare processisse diximus confitentem? Quia antequam confiteretur, occultus erat; cum autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem. Et, cum confessus fuerit, quid dicitur ministris? quod dictum est ad funus Lazari: solvite illum, & sinite abire. Quomodo? dictum est ministris Apostolis: quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cælo.*

Et in psal. 101 ser. 2 *cum audis, hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulcro eductus est, sed nondum solutus est. Quomodo solvitur? a quibus solvitur? quæ solveritis in terra, inquit, soluta erunt & in cælo.*

Quibus sane verbis Aug. clare indicat, quomodo per pœnitentiam fiat justificatio peccatoris, *confitendo* nempe peccata sua, *proferendo conscientiam* coram *ministris* ecclesiæ. Sed necdum per solam confessionem peccatorum solutus est peccator, donec absolvatur ab iisdem ministris, quibus dictum est; *quæcunque solveritis &c.*

Quis

Quis autem jam dubitet, ipsum etiam S. Augustinum peccata sua non modo publice, sed privatim etiam constitutis a DEo pœnitentiæ ministris fuisse confessum, cum confessionem & absolutionem adeo necessariam ad remissionem peccatorum deprædicet?

Certe data fuit Apostolis eorumque successoribus, DEi sacerdotibus, pœnitentiæ ministris potestas solvendi & ligandi, remittendi aut retinendi peccata, prout nos clare Evangelica docet veritas. Quomodo autem hoc prudenter & discrete facient, quomodo scient, quinam sint solvendi, quinam non solvendi, quibus remittenda, & quibus retinenda peccata, si non ipsi pœnitentes se ostendant sacerdoti, & eidem per sinceram confessionem peccata sua animæque statum aperiant? quomodo medicus poterit aptam ægroto medicinam præscribere, eumque sanare, si ei morbum non indicet? quomodo chirurgus curare vulnera, quæ sanciatus non detegit?

Sed neque requirit Aug. ut satisfactio præcedat absolutionem; quia hoc nuspiam indicat. Contritio, detestatio peccatorum, dolor de commissis, propositum serium de non committendis, ipsa sincera ac distincta peccatorum confessio, præcedere debent absolutionem, non vero semper necessario ipsa pœnalis satisfactio, quam confessarius injungit; quis enim credat, pœnitentiam publicam agentes, quæ sæpe ad multos annos extendebatur, nunquam sacramentaliter fuisse absolutos toto pœnitentiæ tempore? Videri possunt, quæ de veteri in hac re disciplina dixi *part. IV art. IV.*

Patres, qui videntur dicere, quod pœnitentia debeat præcedere absolutionem, vel intelligunt per pœnitentiam dolorem animi & contritionem cordis atque detestationem peccati, vel intelligunt pœnitentiam publicam canonicam, quæ debuit præcedere canonicam absolutionem & reconciliationem, in facie ecclesiæ factam, per quam non tantum DEo satisfiebat, sed etiam ecclesiæ scandalizatæ, ut loquitur Aug. *in Enchir. c. 65 n.* 17.

De sacramentis vero pœnitentiæ & Eucharistiæ loquitur *ep.* 228 *n.* 8 *ad Honorat.* ubi refert, quanta sit animarum pernicies, si tempore persecutionis ministri ecclesiæ fugiant, qui sacramenta fidelibus conficiant & erogent. *Si autem ministri adsint, pro viribus omnibus subvenitur: alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli dominici corporis communione fraudantur.* Quod argumento manifesto est, non debere satisfactionem pœnalem ex Christi institutione præcedere.

# CAPUT XX.

## *An ex S. Augustini sententia excludendi sint a S. Communione justi, qui non sunt omnino perfecti?*

Affirmant aliqui Jansenistæ, imo dicunt, qui necdum habent amorem divinum purum, aut non sunt perfecte DEo uniti & penitus inculpabiles, arcendos esse a S. Communione. Hinc Arnaldus librum famosum scripsit *de frequenti communione restringenda*; eum haud dubie in finem, ut fideles a SS. Sacramentis absterreantur. Quotus enim quisque est, qui se prorsus purum, & in amore divino ab omni mixtura depurato, omnino perfectum, & penitus inculpabilem dicere ausit? Certe moniales Portu-Regales, quamvis valde spiritales sibi viderentur, perniciosa hac doctrina imbutæ, ipsam etiam communionem paschalem omittebant, quia necdum ardebant amore puro & perfecto. Audiamus igitur S. Augustinum.

Tract. 26 *in Joan. n.* 15 ait, alicubi quotidie, alicubi certis dierum intervallis ad mensam Domini accedi, & corpus Christi sumi. Laudatque utramque consuetudinem. Et *de ser. Dom. in mont. c.* 7, non esse reprehendendos, qui quotidie communicant; additque rationem: *cum panis iste quotidianus dictus sit.* Item ser. 57 c. 7. *Eucharistia panis noster quotidianus est.* Certe in prima christianitate omnes fideles quotidie sacram synaxin sumebant; qui mos adhuc tempore S. Augustini in Occidente viguit. Et hodiedum plerique sacerdotes quotidie in Missa corpus & sanguinem Christi sumunt.

Jam vero quis credat, omnes fuisse perfectos & ab omni peccati etiam venialis macula puros, aut plerosque sacrilege communicasse? Ab omni peccato mortali cor purum esse debet; optandumque foret, ut a venialibus quoque purum esset; sed tamen hæc a communione arcere non debent. Medicina est saluberrima divinus hic panis, sanat, confortatque.

Hinc S. Aug. tract. 26 in Joan. n. 11 ait: Etsi peccata sint quotidiana, modo non sint mortifera, accedendum esse ad altare: prius tamen orandum: dimitte nobis debita nostra: *securus accede; panis est, non venenum.* Et *serm.* 17 *c.* 5. Quod DEus propter ipsa peccata, tanto crebriora, quanto minora, constituerit in ecclesia *quotidianam medicinam*, ut dicentes, dimitte nobis debita nostra, corpori Christi & sanguini communicemus. Item *serm.* 59

c. 4

*c.* 4 dicit, neminem in hac vita sine peccato posse vivere, posse nos tamen vivere *sine magno crimine, unde separemur ab illo pane.* Ergo per parva peccata ab illo non separamur, sed per magna, necdum remissa. Idem Aug. dicit *ser.* 351 *de pœnit. c.* 4 *n.* 7.

Lib. 4 contra duas epist. Pelag. c. 9 n. 26 scribit: *Non adorandum idolum, non mœchandum, non homicidium perpetrandum: ista autem sunt atque hujusmodi crimina, quæ si quisquam commiserit, a corporis Christi communione removetur.* Propter hujusmodi ergo enormia crimina peccatores pœnitentiæ publicæ subjiciebantur, nec poterant publice ad altare accedere. Alia autem peccata, licet mortalia, si confessione fuerant deleta, non arcebant a publica communione, multo minus venialia; prout hoc ipsum ex S. Cypriano attestatur S. Aug. *l. de dono persev. c.* 4 *n.* 7, his verbis: *ait quippe inter cetera* (S. Cyprianus) *hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus,* (in gratia habituali constituti) *& Eucharistiam quotidie in salutis cibum accipimus, intercedente aliquo graviore delicto a Christi corpore separemur.* Ecce! graviori delicto, nempe mortali, necdum expiato, a corpore Christi sumendo arcemur. Quo sensu intelligenda etiam veniunt verba Apostoli: *probet autem se ipsum homo,* nempe per bonam conscientiam, immunem a peccato mortali, aut, si tale commissum sit, per sacramentalem illius confessionem, ne tali peccato inquinatus accedendo judicium sibi manducet & bibat.

Per hæc tamen nullatenus dictum velim, non esse magnopere curandum, ut communicaturus a venialibus quoque peccatis cor mundum purumque afferat, & puri amoris divini actus elicere conetur, cum certum sit, eo plus fructus ex S. Communione reportari, quo puriori corde meliorique dispositione sanctissimum corporis Christi sacramentum sumitur. Sed hoc dico, necessarium non esse, ut communicans ab omni noxa veniali sit purus: prout hactenus ex S. Aug. & Cypriano fuit demonstratum.

Unum adhuc locum in gratiam non tantum Jansenistarum, sed Lutheranorum, & maxime Calvinistarum afferam ex S. Augustino. Serm. 227 sic loquitur: *Promiseram vobis, qui baptizati estis, sermonem, quo exponerem mensæ dominicæ Sacramentum, quod modo etiam videtis, & cujus nocte præterita participes facti estis. Debetis scire, quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum DEi, corpus est Christi: calix ille, imo quod habet calix sanctificatum per verbum DEi, sanguis est Christi.*

 *Quid*

*Quid quotidie accipere debeatis*: ecce Janſeniſta *frequentem communionem*! *Panis ille, quem videtis in altari, ſanctificatus per verbum DEi, eſt corpus Chriſti.* Ecce Lutherane! panis, quem vides in altari, eſt corpus Chriſti etiam *extra actualem ſumptionem & manducationem* Quod *habet calix, eſt ſanguis Chriſti*: ergo non tantum, quod habet os & guttur, eſt ſanguis Chriſti.

*Quod habet calix, ſanctificatum per verbum DEi*, eſt *ſanguis Chriſti.* Ecce Calviniſta! quod habet calix, non eſt *ſignum* aut *figura*, vel *ſymbolum* ſanguinis Chriſti, ſed *eſt ſanguis Chriſti.* Per quid? *per verbum DEi*, quo facta ſunt omnia.

Neque dicant Lutherani *Inpanatores*, & Calviniſtæ *Symboliſtæ*, cum quibusdam Janſeniſtis *Unioniſtis*, quod Aug. aſſerat, panem eſſe corpus Chriſti; ergo panem remanere poſt conſecrationem, conſequenter non dari tranſubſtantiationem. Nam *reſpondetur*, a S. Auguſtino non intelligi panem naturalem & materialem, ſed panem, de quo locutus eſt JEſus Chriſtus *Joan. 6. Ego ſum panis vitæ. Hic eſt panis de cœlo deſcendens. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis, quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita.*

Panis noſter naturalis & materialis non deſcendit de cœlo: neque eſt vivus, panis autem, quem dat Chriſtus, eſt panis vivus, qui de cœlo deſcendit: *ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi: hic eſt panis de cœlo deſcendens.* Deinde panis noſter terreſtris non eſt, nec poteſt eſſe corpus Chriſti; cum rerum eſſentiæ non poſſint mutari, nec una ſubſtantia poſſit eſſe altera. Sic panis non poteſt eſſe animal rationale. Poteſt tamen una ſubſtantia *converti* in alteram manente *medio communi.* Sicut in Cana Galilææ aqua in vinum eſt converſa, & per nutritionem alimentum convertitur in corpus animalis.

Converſio autem Euchariſtica hoc habet mirabile & ſpeciale, quod neque materia panis aut vini maneat poſt conſecrationem, ſicut tamen manet in aliis converſionibus, ſed tota ſubſtantia panis in corpus & tota ſubſtantia vini in ſanguinem Chriſti convertatur, remanentibus duntaxat ſpeciebus panis & vini, tanquam medio communi, ad converſionem requiſito. Et hoc eſt, quod eccleſia *Tranſubſtantiationem* appellat. Panis tamen ſecundum S. Thomam, quamvis deſinat eſſe, non dicitur annihilari, ſed converti, propter ſpecies panis remanentes, quæ a pane, tanquam *termino a quo*, tranſeunt ad corpus Chriſti, tanquam *terminum, ad quem.*

Propoſitio igitur hæc S. Auguſtini: *panis ille, quem videtis in altari,*

*altari, sanctificatus per verbum DEi, est corpus Christi*, habet hunc sensum. Quod post sanctificationem seu consecrationem latet sub speciebus panis, quas videtis, est corpus Christi. Quem sensum adhuc clarius manifestat per verba subjuncta: *quod habet calix, sanctificatum per verbum DEi, est sanguis Christi.* Sicut etiam ipsa verba consecrationis *hoc est corpus meum*, habent hunc sensum; quod prolatis verbis consecrationis sub speciebus panis continetur, est corpus Christi.

Quo sensu pariter intelligendum, quod S. Aug. *serm.* 58 *c.* 4 *n.* 5, dicit his verbis: *Intelligitur etiam hoc valde bene: panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Eucharistiam tuam, quotidianum cibum* (en frequentem communionem!) *norunt enim fideles, quid accipiant*, (nempe verum & reale corpus Christi; si enim panis naturalis terrenus acciperetur, etiam infideles nossent, quid accipiatur) *& bonum est eis accipere panem quotidianum, huic tempori necessarium* (nempe id, quod habet speciem panis).

# CAPUT XXI.

## *Thesis Jansenistica de æqualitate vitæ cœlibis & matrimonii.*

*STatus matrimonii est æque purus & perfectus, imo magis ac status virginitatis.* P. Sequenotus ex Oratorio de sancta virginitate p. 6.

## ANTI-THESIS S. *AUGUSTINI.*

STatus conjugalis non est æqualis dignitatis, nec æqualis meriti, ac status virginitatis.

Ait enim l. de hæresib. n. 82. *Jovinianus virginitatem sanctimonialium, & continentiam sexus virilis, in sanctis eligentibus cœlibem vitam, conjugiorum castorum & fidelium meritis adæquabat: ita, ut quædam virgines sacræ, provectæ jam ætatis, in urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur*; additque, hæresin istam cito oppressam atque extinctam fuisse, nec usque ad seductionem aliquorum sacerdotum pervenire potuisse. Ecce! *hæresin* appellat doctrinam Joviniani; & l. 2 retr. c. 22. *Monstrum, cui sancta ecclesia Romana fidelissime ac fortissime restitit.* Quo ergo nomine compellabimus thesin Sequenoti, adhuc magis absurdam? Collige etiam cœlibatum sacerdotum.

Non tamen Jovinianus exemplo præivit Luthero, quia nullam ex monialibus, quas ſeduxit, duxit, ad evitandas conjugales moleſtias, ut l. c. teſtatur Aug.

Lib. de bono conjugali c. 8 n. 8 hæc habet: *Bonum Suſannæ in caſtitate conjugali laudamus; ſed tamen ei bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ Virginis anteponimus.*

Et ibidem c. 25 n. 34, *ſciant* continentes, *ſibi mercedis amplius deberi, quam conjugalis caſtitas poſcit.*

Lib. de S. Virginitate c. 1. *Jure divino continentia connubio, & nuptiis pia virginitas anteponitur.* Et ib. c. 12. *Pia continentia angelica portio eſt - - - cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis. Profecto habebunt magnum aliquid præter ceteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne.*

Lib. de bono viduitatis c. 15 n. 19, *continentiam conjugio præponamus: ſanctam vero virginitatem etiam continentiæ viduali.* Et l. 15 de civit. DEi c. 26. *Infimo habitet pudicitia conjugalis, ſupra vidualis, atque hac ſuperior virginalis,* & ſi *quid melius ſecundum fidem civitatis hujus intelligi ac dici poteſt.* Habebit ergo in cælo infimum locum caſtitas conjugalis, medium vidualis, ſupremum virginalis.

Objicitur 1. S. Auguſtinus in multis locis laudat ſtatum conjugalem tanquam bonum, inſtitutum a DEo, in lege nova elevatum ad rationem ſacramenti. Sic l. 9 de Geneſi ad lit. c. 7 n. 12 ait: *bonum autem nuptiarum tripartitum eſt, fides, proles, ſacramentum. In fide attenditur, ne cum altera vel cum altero concumbatur: in prole, ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, religioſe educetur. In ſacramento autem, ut conjugium non ſeparetur, & dimiſſus aut dimiſſa, nec cauſſa prolis, alteri conjungatur. Hæc eſt tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.*

*Reſp.* Hæc omnia ſunt veriſſima. Bonum eſt conjugium: ſed juxta S. Auguſtinum melior continentia vidualis, & optima virginitas.

Ob. 2. Ad propagationem rectam generis humani neceſſariæ ſunt nuptiæ. Hinc DEi præceptum eſt: *creſcite, & multiplicamini.*

Reſpondet S. Auguſtinus *lib. 9 de Geneſi c. 7. Et l. de bon. conjug. c. 24,* licet poſt creatum Adamum, & poſt diluvium, ubi pauciſſimi homines erant in mundo, præceptum ejusmodi ad propagationem generis humani fuiſſet datum, hoc tamen tempore, quo multiplicati jam in immenſum ſunt homines, ceſſare finem univerſalis præcepti; & etiamſi multi caſtitatem voveant, nullum tamen eſſe periculum, quod mundus ſit periturus.

Ob-

Objectio tertia petitur ex iis, quæ Jovinianus hæreticus & virginitatis hostis, teste Augustino *l. 2 retract. c. 20*, obtendisse refertur. Sic ille sanctimoniales sollicitabat: *Tu ergo melior quam Sara, melior quam Susanna, melior quam Anna? & ceteras commemorando, testimonio S. Scripturæ, commendatissimas fœminas, quibus se meliores illæ, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cælibatum commemoratione Patrum conjugatorum & comparatione frangebat.* Ita Aug.

Respondet S. Aug. memoratas aliasque commendatas in S. Scriptura matronas sanctas, conjugatas & viduas, meliores utique perfectioresque fuisse, quam virgines, ceteroquin malas, aliisque vitiis deditas: ceteris tamen paribus, virgines semper apud Christum, sponsum suum unicum, multo majoris esse dignitatis, atque meriti: prout satis clare indicant S. Paulus & S. Joannes: ille quidem 1 *Cor.* 7, ubi dicit: *qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, & , qui non jungit, melius facit: consilium autem do*: & viduæ suadet, ut sic permaneat: *beatior autem erit, si sic permanserit.* Cur autem suaderet, cur consilium daret, si non esset perfectius? S. Joannes vero Apoc. 14 ait: *nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra: Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ DEo & agno.*

# CAPUT XXII.

## *Thesis Jansenistica de votis religiosis.*

V*Ota religiosa nihil faciunt ad perfectionem, suntque tantum pro imperfectis.* Idem P. Sequenot. ib. p. 18.

## ANTI-THESIS
### *Augustiniana.*

VOta religiosa certissimam esse ad Christianam perfectionem viam S. Aug. censuit, eruditus a Divino Doctore per verba Evangelica: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Certe juvenis ille Evangelicus præcepta divina servaverat, nihilque ei deerat, nisi ut consilia etiam sequeretur paupertatis, castitatis, & obedientiæ.

Et

Et *paupertatis* quidem voluntariæ ideam expresserunt primi jam Christiani; nam, ut S. Aug. docet *in psal.* 132 *n.* 2 & 3, exponens illa verba: *quam bonum & jucundum habitare fratres in unum*, ait: *dulcis iste sonus monasteria peperit*, & mox de primis Christianis: *Ipsi primi habitaverunt in unum, qui omnia, quæ habebant, vendiderunt, rerumque suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in actis Apostolorum legitur, & distribuebatur unicuique, sicut cuique opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia. - - - Vovetur enim aliquid DEo, & dictum est: vovete, & vota reddite Domino DEo vestro. - - - Ex voce hujus psalmi appellati sunt & Monachi, ne quis vobis de isto nomine insultet Catholicus.*

In psal. 75 n. 16, *alius vovet relinquere omnia sua distribuenda pauperibus, & ire in communem vitam, in societatem sanctorum: magnum votum vovet: vovete, & reddite Domino DEo vestro - - - si respicit retrorsum, malum est.*

Epist. 157, quæ est ad Hilarium, c. 4 n. 39 exemplum suum proponens ait, se quoque hanc perfectionis viam fuisse ingressum. *Ego, qui hæc scribo*, inquit, *perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me, vehementer adamavi, & non meis viribus, sed ipsius gratia adjuvante, sic feci. Neque enim, quia dives non fui, mihi minus imputabitur. Nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem ego novi, quam quisquam alius, magis autem DEus, quam ego. Et ad hoc propositum, quantis possum viribus, alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.*

Et serm. 355 c. 1 &c. *Volui habere in ista domo episcopii mecum monasterium clericorum: ecce, quomodo vivimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent: nulli licet. Si qui habent, faciunt, quod non licet.* Dein graviter reprehendit, quod Januarius, unus ex clericis religiosis testamentum facere præsumpserit.

Serm. vero seq. n. 14 ait: *qui habere voluerit proprium, non manebit mecum, sed & clericus non erit: - - - adjuvabit me DEus, ut ubi ego episcopus sum, ille clericus esse non possit.* Ex quo sane luculente patet, non tantum a S. Augustino summopere laudatam

fuisse

fuiſſe vitam monaſticam tanquam certiſſimam ad perfectionem viam, ipſius Domini ore conſecratam; ſed ne quidem toleraſſe in ſuo epiſcopatu clericum, qui aliquid proprium haberet.

Quantum ad *votum caſtitatis* ſpectat, eadem mens S. Patris fuit. Nam l. 1 de morib. eccleſ. Cath. c. 31 n. 67 ſcribit: *Quis non miretur & prædicet illos, qui contemptis, atque deſertis mundi hujus illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus &c.*

Et ibid. n. 65. *Jam enim accipite Manichæi perfectorum Chriſtianorum, quibus ſumma caſtitas non laudanda tantum, ſed etiam capeſſenda viſa eſt, mores & continentiam ſingularem. - - - Quis enim neſcit ſummæ continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, & in Oriente maxime, atque Ægypto? quod vos nullo modo poteſt latere.*

*Lib. 2 de conjug. adulter. c. 20 n. 22*, conjugatis, ſe excuſantibus, quod caſtitatem conjugalem ſervare nequeant, proponit exemplum clericorum, qui caſtitatis vinculo obſtricti aut nullam habent uxorem, aut ſi habent, ab ejus uſu abſtinent. Quomodo Jovinianus moniales ad nuptias pellexerit, ſacerdotes autem, eodem caſtitatis vinculo conſtrictos, non potuerit pervertere, ſupra relatum eſt. Ipſe S. Aug. non tantum, dum adhuc laicus eſſet, mirabatur S. Ambroſii cœlibatum & continentiam (*lib. 6 conf. c. 3 n. 3*) ſed etiam, ut teſtatur Poſſidius *in ejus vita c. 26*, poſtquam clericali ordini fuit adſcriptus, nullam fœminam, ne quidem propriam ſororem in domo ſua habitare permiſit.

Concilia quoque tria Carthaginenſia, ætate S. Auguſtini celebrata, epiſcopis, presbyteris, & diaconis, caſtitatem præceperunt, ut a propria quoque uxore ſe contineant, ſi quam ante ſacros ordines duxerant. Quod ſane factum non fuiſſet, ſi caſtitas non eximia eſſet virtus, ad perfectionem plurimum conducens.

*In pſal. 75 n. 16* ait: ante votum caſtitatis integrum eſſe fœminæ, ſi velit nubere, non autem poſtea: tunc enim fieri uxorem Loth, reſpiciendo retrorſum. Si, *antequam voviſſet*, inquit, *nupſiſſet, non damnaretur*: ſi autem poſt votum nubat, *fit uxor Loth.*

Et in pſal. 83, *ſanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera deputabitur.* Serm. 148, talem *æterno igne damnari.* Ex his colliges, quid ſentiendum de Luthero monacho, voto ſolenni caſtitatis adſtricto, nihilominus tamen ſacrilego auſu moniales ex monaſterio educente, & unam ex illis in uxorem nefarie ducendo.

Serm. 161 de verb. Apost. c. 11 n. 11. *Virgines, quod licebat, noluerunt, ut magis placerent ei, cui se devoverunt. Ambierunt illam majorem pulcritudinem cordis sui. - - - Amando te plus facimus, quam jubes. - - - Ut plus placerent, plus se oneraverunt*, consilia nempe Evangelica secutæ.

Denique *lib. 2 contra Faust. c. 21*, solvens objectionem ait: *Non ideo contemnenda virginitas sanctimonialium, quia & Vestales virgines fuerunt. - - - Quia inter illas virginitas multum distat; quamvis nihil aliud distet, nisi quæ voveat, cui voveatur*, quomodo & qua intentione voveatur.


Ad *obedientiam* quod pertinet, S. Aug. oculatus testis narrat, in sacris asceteriis religiosorum hominum, optimos fuisse præpositos, qui ceteris omnibus magna authoritate imperarent, subditosque delinquentes pœnis etiam inflictis coercerent.


Sic lib. 1 de mor. eccl. Cath. c. 33 n. 70 scribit: *vidi ego sanctorum diversorium Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat, vir optimus & doctissimus: Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate atque prudentia, & divina scientia præpollentes, ceteris secum habitantibus præsunt.*

Ibid. c. 31 n. 67. *Hi vero Patres*, inquit, *consulunt iis, quos filios vocant, magna sua in jubendo auctoritate, magna illorum in obediendo voluntate. Conveniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc jejuni sunt, ad audiendum illum Patrem, & conveniunt ad singulos Patres terna, ut minimum hominum millia; nam etiam multo numerosiores sub uno agunt.* Ita S. Aug. l. c.

# F I N I S.







R. P. BINER S. J.
APPARATUS
ERUDITIONIS
PARS VIII.